
COMPENDIUM THEOLOGIAE DOGMATICUM; UBI PRAETER...

Andreas Essen, Johann Hoornbeek




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
24 1
M6

COMPENDIUM
THEOLOGIÆ
DOGMATICUM;

Ubi præter Explicationes theticas, & Assertiones Scripturarias, in *Controversiis vera sententia* passim confirmatur *Argumentis*, ad certas & paucas *Classes* revocatis:
Præcipuæ Adversariorum Exceptiones *atque* Objectiones *clare proponuntur, & solvuntur*;
Usus autem *Practici* suis locis etiam adscribuntur.
Sic in usum Collegiorum editum,


A B

ANDREA ESSENIO,
SS. Literarum in Eccles. & Acad. Ultr. Doctore.

Editio secunda.

Fini adjecta est

JOHANNIS HOORNBEEKII
METHODUS CONCIONANDI.






TRAJECTI ad RHENUM;
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA,
Academiæ Typographi Ordinarii.

cIↃ IↃC IↃC LXXXV.

Augustinus lib. 1. de Trinitate, cap 3.

Quisquis hoc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum; ubi pariter hæsitat, quærat mecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur simul charitatis viam, tendentes ad Eum, de quo dictum est; Quærite faciem ejus semper. -- *Utile est, plures (libros) à pluribus fieri diverso stylo, non diversâ fide, etiam de quæstionibus eisdem; ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic.*

Ornatiſſimis Viris - Juvenibus,
S. MINISTERII CANDIDATIS
digniſſimis, &
S. THEOLOGIÆ STUDIOSIS
ſtrenuiſſimis, *magnam Eccleſiæ exſpectationem ſuſtinentibus*;
Aliiſque, Veritatem, quæ ſecundùm Pietatem eſt, ſeriò amantibus;
Auditoribus dilectiſſimis,
Lectoribus benevolis;
εὐπράττειν !



Pectaculum non minùs jucundum, quàm multis nominibus utile, exhibent Artifices: qui ſuis Tabulis accuratè delineant, & quibuſvis facili intuitû luſtrandum præbent, univerſum hunc, quem calcamus, orbem: ejuſque zonas & climata, cum ſuis regnis, provinciis, ditionibus, omni continente, inſulis, peninſulis, promontoriis, urbibus celebrioribus, &c. nec non tractûs maris, freta, flumina, &c. quin etiàm, quicquid in ſingulis majori admiratione dignum occurrit, annotant eâdem operâ. Hæc illi copioſiùs præſtant ſuis Globis & Mappis grandibus,

multùmque diductis : verùm frequenter, si non eadem omnia, saltem præstantissima quæque, iidem exiguâ & valdè contractâ formâ exprimunt; qui posterior modus, ut spectantium oculos oblectare ac blandè pascere solet, siç usum quoque multiplicem habet procul dubio. Similiter in Facultatibus, Scientiis, atque Artibus tradendis, interdùm prolixiores & locupletiores sunt earum Auctores; aliàs etiàm sunt breviores. Ubi verò sic brevitati litatur, ut sedulò evitetur obscuritas; atque adeò paucis quàm plurima dicantur, & aptè; *Compendia* minimè sunt Dispendia: sed, Margaritarum instar, in minori corpore majus pretium habent. Nunc de instituti nostri ratione clariùs dicam. Antehàc tùm publicis Disputationibus, tùm aliter, tribus tomis edidi *Systema Theologiæ dogmaticæ:* ubi initiò quidem majorem mihi proposueram brevitatem; posteà tamen in progressû, specialibus quibusdam de caussis, quæ subindè digressiunculam, aut pleniorem explicationem requirebant, aut

suade-

ſuadebant, præter opinionem prolixior factus ſum. Multi interim iſto opere feliciter uſi ſunt, atque ex eo ſe plurimum (*Deo* benedicente) profeciſſe agnoverunt. Sed in ſubſidium memoriæ ſuæ aliqui etiàm *Compendium* inde ſibi confecerunt. Quin & non neminem in animo habuiſſe, talem quem conatum ſuum publici juris facere, per alios reſcivi. Acceſſit, quod Exemplaria primi tomi illius *Syſtematis* ſic ferè diſtracta eſſent, & vix apud Bibliopolas comparari amplius poſſent; unde minus commodè ad iſtud opus haberi deinceps potuerunt privata noſtra Collegia dogmatica. Sed &, ratione prolixitatis & copiæ, nonnulla paſſim iſtic omitti debuerunt; ne nimis diù protraherentur dicta exercitia. Animum propterea induxi, ex diligentioribus atque exercitatioribus noſtris Diſcipulis quatuor deligere, eoſque adhortari, ut operam ſuam hâc in re mihi, & communi aliorum utilitati commodantes, ſinguli quinque *Syſtematis* illius capita contraherent: quod cum illi feciſſent ſtrenuè;

 ego

ego deinde mutanda mutavi, ſuperflua reſecui, & omiſſa ſupplevi. Ità confectum eſt hoc *Compendium Theologiæ dogmaticum*: quod ſic facilius abſolvetur in Collegiis explicatoriis & examinatoriis, vel etiàm diſputatoriis; & Studioſi ex eo commodius ſe præparabunt ad interroganda. Perſpicuitati autem in omnibus, quoad ejus fieri potuit, operam dedi: ſic præcipua, & utiliſſima quæque, hic exhibui. In *Controverſiis veram ſententiam* diſtinctis aliquot *Argumentorum claſſibus* probatam dedi: *Exceptiones* vero & *Objectiones* Adverſariorum, quibus per Occupationem crypticam, indicatis tantum *Fontibus ſolutionum*, prius obviàm ibatur, nunc etiam propoſui diſtincte; iiſque *Reſponſiones* ſuas ſubjeci: quemadmodum *Usûs practicos* ſuis identidem locis quoque annotavi. *Indicem* petierunt nonnulli, aut *lemmata* ſaltem *marginalia*: ſed eorum vicem præſtabunt ſatis *Argumenta*, quæ ſingulis *Capitibus* præponuntur. Interim qui prolixiorem ac pleniorem alicubi tractationem à me requirunt, dictos illos *Syſtematis*

tomos

tomos cum hoc *Compendio* utiliter confe- rent privatim. Imo neque cuiquam quorumvis Theologorum Clariſſ. *Inſtitutiones*, *Syſtemata*, *Synopſes*, *Medullas*, *Ideas*, &c. è manibus excuti velim. Bonum bono additum, facit majus bonum. Incipientibus quidem utile eſt, non diſtrahi per nimis multa & varia: ſed provectiores, quibus noſtra in usû etiàm ſunt, ſerio exhortor, ut ea ex aliis ſupplere, atque, ubi forte opus erit, corrigere annitantur ſedulò. Ego intereà temporis, adſpirante clementer DEI gratiâ, pergam κατὰ δύναμιν in elaborando *Syſtemate practico*; quod publicis etiàm Diſputationibus proponi cœptum eſt: & partem *Syſtematis dogmatici* priorem ad iteratam editionem præparare conabor; aliaque, quæ vobis publicè profutura ſpero, pro infirmitate meâ (ſed potentia Domini per infirmitatem quoque conſummatur) aggrediar, ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ καὶ ζήσωμεν. Magnus autem ille Pater luminum, fons omnis ſapientiæ ſalutaris, DEUS, & Dominus noſter JESUS CHRISTUS, vera illa Lux & Vita, i-

demque Princeps pacis, Spiritu ſuo ducat vos per orbitas ſapientiæ, ſanctimoniæ, & charitatis; atque in veritate ſua ſanctificet; Studia denique veſtra, omneſque in iis labores, ad multorum ædificationem ſalutarem, ſuique nominis ſanctiſſimi gloriam ſempiternam, dirigat ac gubernet! Sic ſpero, & voveo qui

Dabam Ultraj. in muſeo meo, ipſis Kal. Octobr. A. D. cIↄ Iↄc LXVIII.

Veſter in Domino,

ANDREAS ESSENIUS.

COM-

COMPENDIUM THEOLOGIÆ DOGMATICUM.

CAPUT I.

De Naturâ Theologiæ.

De *vocis* origine & usû. 1. Descriptio *rei*. 2. *Distinctio*, ratione *subjectorum*. 3. *Theologia ipsius Dei*. 4. Quæ ejus *objecta*; atque indè *quotuplex*. 5. *Theologia creaturarum intellectualium*. Ejus *causa constitutionis*, & *acquisitionis prima*. 6. *Theologia ectypa*, quotuplex. 7. *Theologia unionis*. 8. *Theologia visionis*. 9. Quæ isti *opposita*. 10. *Theologia revelationis*, quæ; & quotuplex. 11. *Naturalis*. 12. Qualis ante lapsum. 13. Qualis post lapsum; & quotuplex. 14. *Congenita*. 15. Probatur contra *Socinianos*. 16. *Acquisita*: per *Argumentationem*, explicatur; & probatur. 17. Per *Institutionem*. 18. Solvuntur *Objectiones*. 19. Naturalis, quomodò *bona*, vel *mala*. 20. Per se non adversatur *Supernaturali*. 21. Quousque *pertingat*, vel non. 22. Non *sufficere* ad salutem consequendam; neque adeo dari communem Religionem. 23. Solvuntur *Objectiones*. 24. *Pseudotheologia Gentilium*, undè; & quotuplex. 25. *Theologia supernaturalis*. 26. *Revelatio extraordinaria*, qualis: & quæ illi *opposita*. 27. *Quandò* potissimùm data. 28. *Ordinaria*. 29. Theologię nostræ *causa constitu-*

stitutionis instrumentalis. 30. *Objectum* ejus, tùm *primarium*, tum *subordinatum.* 31. Quomodò Deus *agnoscendus. Elementa* doctrinæ Christianæ. *Articuli*, tum *Catholici*, tùm *Theologici.* 32. Quomodò Deus *colendus.* 33. Quibus *partibus* Religionem complectantur *Sociniani*; quibus *Remonstrantes.* Theologiam nostram non esse *merè speculativam.* 34. *Objectum* ejus *secundarium*, sive directionis. 35. *Subjectum quo*; & *quod.* 36. *Finis summus. Subordinatus. Eventus per accidens.* 37. Beatitudinis nostræ in hâc vitâ *caput.* 38. Quæ indè scaturiant. 39. Theologia verè Θεοζοΐα, καὶ Θεουργία. 40. Beatitudo *consummata* post hanc vitam. 41. *Media* Theologiæ feliciter consequendæ. 42. *Repugnantia.* 43. *Distributio.* 44. *Praxis.* 45.

I. THeologia Grammaticè deducitur à voce paronymâ *Theologus.*

Ista, aliaque *vocabula* similia, *Gentilibus* olim usurpata, *Doctores Christiani* jure in usum suum traduxerunt; *rei significatæ* veri ac justi, DEO dante, possessores. Hùc pertinet *Inscriptio*; Ἀποκάλυψις Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου: quoniàm iste Apostolus de DEO accuratissimè disseruit; ac Θεότητα τοῦ Λόγου, contra *Ebionem*, *Cerinthum*, eorumque sequaces singulari zelo asseruit.

Simplicia, Θεὸς, & Λόγος, vel τὰ Λόγια, etiàm conjunctim in SS. Literis occurrunt sæpiùs: *Joh.* I, I. Θεὸς ἦν ὁ Λόγος. *Apoc.* XIX. 13. ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ. ἐνδιαθέτως καὶ ὑποστατικῶς, de ipso FILIO DEI. Sed &

& 1 *Theſ.* II, 13. *Hebr.* IV, 12. ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ. *Rom.* III, 2. *Hebr.* V, 12. 1 *Petr.* IV, 11. τὰ Λόγια τοῦ Θεοῦ. προφορικῶς, de Verbo, aut Sermonibus DEI ad homines.

II. Ut cognoſcatur *quid rei* ſit, Theologia in univerſum *deſcribitur*, Sapientia de DEO.

Generis inſtar dicitur *Sapientia*: hæc enim habitum intellectualem auguſtiſſimum notat; eumque non modò theoreticum, ſed etiàm practicum. Ità quæ nunc *Philoſophia* appellatur, & ex parte practica eſt, olim Σοφία, h. e. Sapientia, vocatur. Et præit S. Pagina, *Deut.* IV, 6. „Cuſtoditè ergò, & facite; quia ea eſt *ſa*„*pientia* veſtra, &c. Col. III, 16. „*Sermo* Chriſti in „habitet in vobis copiosè, cum omni *ſapientiâ*. Vide etiàm Pſal. XIX, 8. *Luc.* XXI. 15. 2 *Tim.* III, 15. *Jac.* III, 13, 17.

Differentiæ locum obtinet ipſum *objectum*: Deus: ſic tamen, ut omnia, quæ ad Deum ſpectant, quatenùs talia ſunt, comprehendantur. *Joh.* XVII, 3. „Hæc eſt „autem vita æterna, ut Te cognoſcant, illum ſolum „verum *Deum*; &, quem miſiſti, *Jeſum Chriſtum*. *Rom.* XI, 33,—36. „O *profundas divitias*, tum ſapien„tiæ, tùm cognitionis, *Dei*! Quàm imperſcrutabilia „ſunt ejus *judicia*: & ejus *viæ* imperveſtigabiles! Quis „enim cognovit *mentem Domini*? — Nam ex Eo, & „per Eum, & in Ipſum (ſunt) *omnia*. Ipſi (ſit) gloria „in ſæcula! Amen.

III. Ratione *ſubjectorum*, vel quaſi, dicitur, tùm *Theologia ipſius Dei*; tùm *Creaturarum intellectualium*. *Matth.* XI, 27. „Nemo *novit* Filium, niſi *Pater*: neque „Patrem quiſquam *novit*, niſi *Filius*; & *cuicunque vo*„*luerit* Filius Eum *retegere*. 1 *Cor.* II, 10. 11. „*Nobis* „autem Deus (ea) *revelavit* per Spiritum ſuum. *Spiritus* enim *omnia ſcrutatur*; etiàm *profunditates Dei*. — „Etiàm *ea, quæ ſunt Dei*, nemo *novit*, niſi *Spiritus Dei*.

Psal. XCIV, 9, 10. „An, qui *plantavit aurem*, non *au-*
„*diet*? An, qui *finxit oculum*, non *videbit*? - An, qui
„*docet hominem ſcientiam* (non *cognoſcet*?)

IV. *Theologia ipſius Dei* eſt, quâ Deus ſeipſum cognoſcit convenienter Naturæ ſuæ.

Hoc eſt, 1. *Independenter*; per Eſſentiam ſuam: ut hæc ſit ἀδίδακτος.

2. *Simpliciſſimè*; actû puriſſimo: ut ſit ipſe idem ὁ Θεολόγος, τὸ Θεολογούμενον, καὶ ἡ Θεολογία.

3. *Infinitè*, & adæquatè, ipſe igitur ſeſe cognoſcit, ut abſolutè cognoſci poteſt.

1 *Tim.* I, 17. „*Soli ſapienti Deo* honor (ſit). &c. *Pſal.* CXLVII, 5. „*Intelligentiæ* Ejus *non* eſt *numerus*. Confer allegata th. 3.

V. Deus autem cognoſcit *primò* Eſſentiam ſuam, cum Attributis, & Perſonis: atque in Attributis nominatim Sufficientiam & Potentiam; quæ eſt principium Poſſibilitatis omnium Rerum Poſſibilium, cum Affectionibus Poſſibilibus. Hactenus eſt *Theologia Dei naturalis & neceſſaria*.

Deindè ſibi conſcius eſt Decreti ſui; atque omnium eorum, quæ ipſe Decreto ſuo conſtituit, tùm de aliis, tùm ſpeciatim de Creaturis intellectualibus: imò etiàm, quibus modis ac gradibus communicare iis velit notitiam Sui. Sapientiſſimè enim operatur τεχνίτης καὶ δημιουργὸς ὁ Θεὸς; *Hebr.* XI, 10. Unde *Actor.* XV, 18. „*Nota* ſunt *Deo* ab (omni) ævo *omnia opera ſua*. Hæc dicitur *Theologia Dei libera*; ratione objectorum.

Ex dictis patet, quòd ſpeciatim in Deo ſit *Theologia* ἀρχέτυπος; prima & veriſſima *idea* omnis Theologiæ in Creaturis intellectualibus.

VI. Omnis *Theologia Creaturarum intellectualium* eſt ἔκτυπος; ad ideam iſtam, juxta Dei decretum, in tempore expreſſa, & Creaturis illis imprimendo communicata. *Col.* III, 10. „Renovatur in *agnitionem con-*

gru-

„*gruentem imagini* Ejus, qui ipſum condidit.

Ejus igitur univerſæ *cauſa conſtitutionis* principalis unica, & *acquiſitionis* prima ac ſuprema, eſt ipſe Deus: aliàs *Theologia* ψευδώνυμος, & *ſuperſtitio* emergit. *Deut.* IV. 2. „ *Non addetis* ad verbum, quod Ego præ„cipio vobis; *neque diminuetis* (quicquam) ex eo, &c. „*Ieſ.* VIII, 20. „ *Ad Legem*, & *ad Teſtimonium*. Si non „dixerint *juxta verbum hoc*, non erit eis aurora. Vide etiàm *Deut.* XII, 32. *Matth.* XV, 9. *Galat.* I, 8, 9. *Col.* II, 4, 8, 22. 23. Apoc. XXII, 18, 19. Item *Iac.* I, 5. „ Quod ſi cui veſtrûm deeſt *ſapientia*, petito *à Deo*, qui „ *dat* (eam) *omnibus* benignè, &c. 17. „ Omnis dona„ tio bona, & omne integrum munus, eſt *ſupernè* de„ ſcendens *à Patre luminum*, &c.

VII. *Theologia ectypa* trifariàm diſpeſcitur: vel enim *Unionis* eſt, vel *Viſionis*, vel *Revelationis*.

VIII. *Theologia Unionis* appellatur, quæ in Domino noſtro Jesû Chriſto, ſecundùm humanam ipſius natùram, ex Unione hypoſtaticâ fluit; atque ſic ipſi per Spiritum S. ſingulari modo communicata eſt. *Pſal.* XLV, 8. „ *Unxit* Te, Deus, Deus Tuus oleo gaudii „*præ Conſortibus Tuis*. *Ioh.* III, 34. -- „ Deus *non dat* „ Ipſi *Spiritum ad menſuram*. Adde *Ieſ.* XI, 1, 2. LXI, 1. *Ioh.* VII. 29. Col. II, 3, 9.

IX. *Theologia Viſionis* eſt Beatorum cœlitum, Angelorum & Hominum. De Angelis diſertè, *Matth.* XVIII, 10. „ *Angeli* eorum (parvulorum) in cœlis per „omne tempus *vident faciem Patris mei*, qui in cœlis eſt. Sed & Homines plenè glorificati in beatâ reſurrectione, erunt ἰσάγγελοι. *Luc.* XX, 36. Interim veró Animæ fidelium ſeparatæ pro ſua parte ejuſdem beatitudinis fiunt participes. 2 *Cor.* V, 7, 8. „Per *fidem* enim „ambulamus: non per *aſpectum*. Confidente autem „animo ſumus; & gratius eſt nobis *abeſſe* potiùs ex „corpore, & *adeſſe apud Dominum*. 1 *Cor.* XIII, 12.

Psal. XCIV, 9, 10. „An, qui *plantavit aurem*, non *au-*
„*diet*? An, qui *finxit oculum*, non *videbit*? - An, qui
„*docet hominem ſcientiam* (non *cognoſcet*?)

IV. *Theologia ipſius Dei* eſt, quâ Deus ſeipſum cognoſcit convenienter Naturæ ſuæ.

Hoc eſt, 1. *Independenter*; per Eſſentiam ſuam: ut hæc ſit ἀδίδακτος.

2. *Simpliciſſimè*; actû puriſſimo: ut ſit ipſe idem ὁ Θεολόγος, τὸ Θεολογούμενον, καὶ ἡ Θεολογία.

3. *Infinitè*, & adæquatè, ipſe igitur ſeſe cognoſcit, ut abſolutè cognoſci poteſt.

1 *Tim.* I, 17. „*Soli ſapienti Deo* honor (ſit). &c. *Pſal.* CXLVII, 5. „*Intelligentiæ* Ejus *non* eſt *numerus*. Confer allegata th. 3.

V. Deus autem cognoſcit *primò* Eſſentiam ſuam, cum Attributis, & Perſonis: atque in Attributis nominatim Sufficientiam & Potentiam; quæ eſt principium Poſſibilitatis omnium Rerum Poſſibilium, cum Affectionibus Poſſibilibus. Hactenus eſt *Theologia Dei naturalis & neceſſaria*.

Deindè ſibi conſcius eſt Decreti ſui; atque omnium eorúm, quæ ipſe Decreto ſuo conſtituit, tùm de aliis, tùm ſpeciatim de Creaturis intellectualibus: imò etiàm, quibus modis ac gradibus communicare iis velit notitiam Sui. Sapientiſſimè enim operatur τεχνίτης καὶ δημιουργὸς ὁ Θεὸς; *Hebr.* XI, 10. Unde *Actor.* XV, 18. „*Nota* ſunt *Deo* ab (omni) ævo *omnia opera ſua*. Hæc dicitur *Theologia Dei libera*; ratione objectorum.

Ex dictis patet, quòd ſpeciatim in Deo ſit *Theologia* ἀρχέτυπος; prima & veriſſima *idea* omnis Theologiæ in Creaturis intellectualibus.

VI. Omnis *Theologia Creaturarum intellectualium* eſt ἔκτυπος; ad ideam iſtam, juxta Dei decretum, in tempore expreſſa, & Creaturis illis imprimendo communicata. *Col.* III, 10. „Renovatur in *agnitionem con-*

gru-

„*gruentem imagini* Ejus, qui ipsum condidit.

Ejus igitur universæ *causa constitutionis* principalis unica, & *acquisitionis* prima ac suprema, est ipse Deus: aliàs Theologia ψευδώνυμος, & *superstitio* emergit. *Deut*. IV. 2. „*Non addetis* ad verbum, quod Ego præ„cipio vobis; *neque diminuetis* (quicquam) ex eo, &c. „*Ies*. VIII, 20. „*Ad Legem*, & *ad Testimonium*. Si non „dixerint *juxta verbum hoc*, non erit eis aurora. Vide etiàm *Deut*. XII, 32. *Matth*. XV, 9. *Galat*. I, 8, 9. *Col*. II, 4, 8, 22. 23. Apoc. XXII, 18, 19. Item *Iac*. I, 5. „Quod si cui vestrûm deest *sapientia*, petito *à Deo*, qui „*dat* (eam) *omnibus* benignè, &c. 17. „Omnis dona„tio bona, & omne integrum munus, est *supernè* de„scendens *à Patre luminum*, &c.

VII. *Theologia ectypa* trifariàm dispescitur: vel enim *Unionis* est, vel *Visionis*, vel *Revelationis*.

VIII. *Theologia Unionis* appellatur, quæ in Domino nostro Jesû Christo, secundùm humanam ipsius naturam, ex Unione hypostaticâ fluit; atque sic ipsi per Spiritum S. singulari modo communicata est. *Psal*. XLV, 8. „*Unxit* Te, Deus, Deus Tuus oleo gaudii „*præ Consortibus Tuis*. *Ioh*. III, 34. -- „Deus *non dat* „Ipsi *Spiritum ad mensuram*. Adde *Ies*. XI, 1, 2. LXI, 1. *Ioh*. VII. 29. Col. II, 3, 9.

IX. *Theologia Visionis* est Beatorum cœlitum, Angelorum & Hominum. De Angelis disertè, *Matth*. XVIII, 10. „*Angeli* eorum (parvulorum) in cœlis per „omne tempus *vident faciem Patris mei*, qui in cœlis est. Sed & Homines plenè glorificati in beatâ resurrectione, erunt ἰσάγγελοι. *Luc*. XX, 36. Interim veró Animæ fidelium separatæ pro sua parte ejusdem beatitudinis fiunt participes. 2 *Cor*. V, 7, 8. „Per *fidem* enim „*ambulamus*: non per *aspectum*. Confidente autem „*animo sumus*; & gratius est nobis *abesse* potiùs ex „*corpore*, & *adesse apud Dominum*. 1 *Cor*. XIII, 12.

„ Videmus enim nunc per ſpeculum, & per ænigma; „ *tunc* autem *coràm (cernemus)*; &c. Vide etiàm *Hebr*. XII, 23. *Phil*. I, 23. cum *Matth*. V, 8. 1 *Joh*. III, 2.

X. Ab hâc *longiſſimè diſtat* impura illa & terribilis cognitio Dei ac rerum Divinarum in Diabolis & Hominibus damnatis. *Jac*. II, 19. „ *Dæmonia* quoque cre- „ dunt (*Deum unum eſſe*); & horreſcunt. Adde *Matth*. VIII, 29. *Act*. XVI, 17. *Marc*. IX, 44. cum *Apoc*. XVI, 10, 11.

XI. *Theologia Revelationis* ſpeciatim dicitur, quæ Hominibus in ſtadio hujus vitæ communicatur. *Joh*. I, 9. *Illuminat omnem hominem venientem in mundum*. Eſtque *Naturalis*; vel *Supernaturalis*.

XII. *Naturalis*, Naturam Hominis rationalem comitatur in hâc vitâ: poteſtque ſpectari qualis extitit *ante lapſum*; ac porrò qualis exiſtit *poſt lapſum*.

XIII. *Ante lapſum* Homini connaturalis fuit perfecta Dei cognitio, mentem illius ſufficienter imbuens ad vitam cœleſtem & gloriam æternam conſequendam, juxta Fœdus Legale. *Gen*. I, 26, 27. *Faciamus Hominem ad imaginem noſtram, ſecundùm ſimilitudinem noſtram*, &c. *Col*. III. 10. *in agnitionem congruentem imagini ejus, qui ipſum condidit*.

XIV. *Per lapſum* amiſſa eſt integritas & puritas: remanſit tamen Theologia naturalis ex parte. Hæc occurrit tùm *congenita*, ſive *innata*; tùm *acquiſita*, ſive *adventitia*. Utraque excolenda adversùs *Atheorum* portenta; & defendenda contra *Socinianorum* errores.

XV. *Congenita* vocatur, quatenùs adhùc Scintillæ quædam Lucis illius primævæ, Imaginis Dei, menti humanæ increantur & connaſcuntur; Archetypum interim & Auctorem ſuum ſic ſatis demonſtrantes; quidque Ipſi debeatur, & quid nobis ac proximo noſtro propter Ipſum, indicantes.

XVI. Hanc *probant*, 1. ipſæ reliquiæ Imaginis Dei in homine; atque adeo Synterefis, & naturalia Principia

cipia honesti ac decori: per quæ apertè innotescit Ens primum ac perfectissimum, Divina majesta, Lex sancta, Justitia tremenda. *Gen.* v, 1, 3. „Creavit *Deus* „*hominem*; *ad similitudinem Dei* fecit illum. – *Adam genuit ad similitudinem suam, ad imaginem suam*; (filium.) ix, 6. Sanxit Deus homicidium morte mulctandum; „quia *ad imaginem Dei fecit hominem*, *Jac.* 111, 9. „Execramur *homines ad similitudinem Dei factos*.

2. Loca alia satis diserta: *Joh.* 1, 9. Vide th. 11. *Rom.* 1, 19. „*Id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in-* „*tra ipsos: Deus enim eis manifestum fecit.* 32. „*Dei jure* „*agnito*; eos qui talia faciunt dignos esse morte. 11, 14, 15. „Cum Gentes, quæ Legem non habent, *na-* „*turâ quæ Legis sunt faciunt*; isti Legem non habentes, „*sibi ipsis sunt Lex*: Ut qui ostendant *opus Legis scri-* „*ptum in cordibus suis*; *unâ testimonium reddente ipsorum* „*conscientiâ*; & *cogitationibus sese mutuo accusantibus*, „aut etiàm *excusantibus*.

3. Quòd *Deus sit*, exterminis constat: quia Prædicatum est de essentia Subjecti; & quidem ità necessariò, ut nulli præter Ipsum conveniat, aut convenire possit nisi ab ipso communicatum. Nemo igitur mentis compos, & ad veritatem animum advertens, seriò & constanter existentiam Dei negare, aut ignorare, potest.

4. Accedit Experientia, & Consensus omnium Gentium.

XVII. *Acquisita* obtinent, tùm *Argumentatione* propriâ, tùm *Institutione* alienâ.

Argumentatio ista institui potest, 1. ex Scintillis modò indicatis, & opere illo Conscientiæ; Auctorem indè colligendo.

2. Ex naturâ Hominis, verè μικρoκόσμυ: ubi tùm Animæ rationalis essentia, facultates, operationes, considerandæ, tum admiranda Corporis fabrica. *Zach.* XII, 1. „*JEHOVAH formans spiritum Hominis* in

,, *in medio ejus. Psal.* cxxxix, 14, 15, 16. ,, *Terribilibus*
,, (modis) *mirificatus sum, mirabilibus operibus tuis.* Et
,, *anima mea cognoscit valdè.* Non fuit occultatum *cor-*
,, *pus meum* à Te, quando *factus* fui in occulto: (quan-
,, dò) *variis membris decoratus* fui in inferioribus terræ;
,, *Imperfectum meum* viderunt oculi tui. *Act.* XVII, 25,
-28. ,, *Cùm ipse det omnibus vitam & halitum, & omnia.*
,, *Fecitque ex uno sanguine totam gentem hominum. - Non*
,, *longè abest ab unoquoque nostrûm. In ipso enim vivimus*
,, *& movemur, & sumus,* &c.

3. Ex reliquis Creaturis, ubi spectanda communiter opera Creationis, & Providentiæ Divinæ, speciatim verò Miracula naturæ, nec non Miracula propriè dicta, variaque Judicia, &c. ascendendo ab Effectis ad Causam efficientem primam supremam, à Motû ad Motorem primum immobilem. *Psal.* xix. 2, 3, 4.
,, *Cœli enarrant gloriam Dei, & opus manuum Ejus an-*
,, *nunciat Firmamentum. Dies diei eloquitur sermonem, &*
,, *nox nocti indicat scientiam. Non* (est) *sermo, nec* (sunt)
,, *verba, ubi non audiatur vox eorum.* Ies. xl, 26. *Levate*
,, *in excelsum oculos vestros; & videte, quis creaverit ista:*
Rom. 1, 20. ,, Ipsius enim *invisibilia*, jàm indè à crea-
,, tione mundi, *ex iis quę fecit animadversa, pervidentur:*
,, æterna (videlicet) ejus tùm *potentia*, tùm *Divinitas,*
Adde *Iob.* XII, 7, - 10. *Act.* xiv. 17.

4. Ex ejusmodi Argumentis ac testimoniis illustribus: quæ in Scriptis ipsorum Gentilium satis obvia sunt.

XVIII. *Institutio* hîc ea intelligitur, quâ sagaciores ac provectiores Naturæ ruspatores, quæ rectè ratiocinando de Deo cognoverunt, alios etiàm docent.

XIX. *Obj.* 1. *Deum esse* Credimus: Hebr. xi, 6. Non ergò per Naturam cognoscimus: quia Fides supra Naturam est. *Resp.* Prima illa veritas per Naturam cognoscitur imperfectiore modo: Fide tenetur perfectiore ac salutari modo: prout se Deus ipse Verbo suo reve-

revelavit familiariter, & *remunerator* est secundùm Fœdus gratiæ. Talis autem cognitio necessaria est, ut quis *accedat ad Deum*, ipsique *placeat*.

Obj. 2. Quod homini naturale est, omni inest, & semper: atqui Deum negant nonnulli: Psal. x, 4. xiv, 1. *Eph*. ii, 12. Et gentes repertæ in Americâ, quæ nullum Numen agnoscerent. *Resp*. 1. Athei nimis multi sunt vitâ & conatû: nulli tranquillâ & constanti animi sententiâ. 2. Unum verum Deum ignorant plures Gentes; non tamen existunt sine omni Numinis conscientiâ.

XX. Theologia naturalis objectivè, in se, *bona* est: scintilla bona in tenebris adhùc splendens, omnesque & singulos homines illuminans; donatio bona à Patre luminum descendens. Vide *Ioh*. 1, 5, 9. cum *Iac*. 1, 17. Sed subjectivè, in homine irregenito, vitiata est & impura. *Tit*. 1, 15. *Pollutis & incredulis nihil est mundum; sed polluta est eorum & mens & conscientia.* Adde *Ioh*. iii, 6. *Rom*. viii, 7. Attamen in Regenitis per Gratiam iterùm corrigitur & sanctificatur. *Tit*. 1, 15. *Omnia quidem munda mundis.* 1 *Thess*. v, 23. *Deus pacis sanctificet vos totos*, &c.

XXI. Consequenter eadem Theologia naturalis, aut Philosophia, per se, & in subjecto sanctificato, *non adversatur* Theologiæ supernaturali. Nam 1. Veritas veritati non potest esse contraria; prout idem non potest simul esse, & non esse.

2. Utriusque idea est in mente Divinâ: cum verò hæc contrarietatem non admittat; etiàm in utroque ideato, contrarietas admitti non debet.

3. Ipse Christus, Prophetæ, & Apostoli rectâ ratione etiàm usi sunt; atque indè argumenta varia depromserunt. Præter ea, quæ th. 17. allegata sunt, vide inter alia *Matth*. xvi, 2, 3. *Luc*. xxiv, 39, 40. 1 *Cor*. v, 1. xi, 14, 15.

4. Experientia comprobat, illam huic utilissimam

stitutionis instrumentalis. 30. *Objectum* ejus, tùm *primarium*, tum *subordinatum.* 31. Quomodò Deus *agnoscendus. Elementa* doctrinæ Christianæ. *Articuli*, tum *Catholici*, tùm *Theologici.* 32. Quomodò Deus *colendus.* 33. Quibus *partibus* Religionem complectantur *Sociniani*; quibus *Remonstrantes.* Theologiam nostram non esse *merè speculativam.* 34. *Objectum* ejus *secundarium*, sive directionis. 35. *Subjectum quo*; & *quod.* 36. *Finis summus. Subordinatus. Eventus per accidens.* 37. Beatitudinis nostræ in hâc vitâ *caput.* 38. Quæ indè scaturiant. 39. Theologia verè Θεοζοΐα, καὶ Θεουργία. 40. Beatitudo *consummata* post hanc vitam. 41. *Media* Theologiæ feliciter consequendæ. 42. *Repugnantia.* 43. *Distributio.* 44. *Praxis.* 45.

I. THeologia Grammaticè deducitur à voce paronymâ *Theologus.*

Ista, aliaque *vocabula* similia, *Gentilibus* olim usurpata, *Doctores Christiani* jure in usum suum traduxerunt; *rei significatæ* veri ac justi, DEO dante, possessores. Hùc pertinet *Inscriptio*; Ἀποκάλυψις Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου: quoniàm iste Apostolus de DEO accuratissimè disseruit; ac Θεότητα τοῦ Λόγου, contra *Ebionem*, *Cerinthum*, eorumque sequaces singulari zelo asseruit.

Simplicia, Θεὸς, & Λόγος, vel τὰ Λόγια, etiàm conjunctim in SS. Literis occurrunt sæpiùs: *Joh.* 1, 1. Θεὸς ἦν ὁ Λόγος. *Apoc.* XIX. 13. ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ. ἐν διαθέτως καὶ ὑποστατικῶς, de ipso FILIO DEI. Sed &

& 1 Theſſ. II, 13. *Hebr.* IV, 12. ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ. *Rom.* III, 2. *Hebr.* V, 12. 1 *Petr.* IV, 11. τὰ Λόγια τοῦ Θεοῦ. προφορικῶς, de Verbo, aut Sermonibus Dei ad homines.

II. Ut cognoſcatur *quid rei* ſit, Theologia in univerſum *deſcribitur*, Sapientia de Deo.

Generis inſtar dicitur *Sapientia*: hæc enim habitum intellectualem auguſtiſſimum notat; eumque non modò theoreticum, ſed etiàm practicum. Ità quæ nunc *Philoſophia* appellatur, & ex parte practica eſt, olim Σοφία, h. e. Sapientia, vocatur. Et præit S. Pagina, *Deut.* IV, 6. „Cuſtoditè ergò, & facite; quia ea eſt *ſa-* „*pientia* veſtra, &c. Col. III, 16. „*Sermo* Chriſti in „habitet in vobis copiosè, cum omni *ſapientiâ*. Vide etiàm Pſal. XIX, 8. *Luc.* XXI. 15. 2 *Tim.* III, 15. *Jac.* III, 13, 17.

Differentiæ locum obtinet ipſum *objectum*: Deus: ſic tamen, ut omnia, quæ ad Deum ſpectant, quatenùs talia ſunt, comprehendantur. *Joh.* XVII, 3. „Hæc eſt „autem vita æterna, ut Te cognoſcant, illum ſolum „verum *Deum*; &, quem miſiſti, *Jeſum Chriſtum*. *Rom.* XI, 33,–36. „O *profundas divitias*, tum ſapien- „tiæ, tùm cognitionis, *Dei*! Quàm imperſcrutabilia „ſunt ejus *judicia*: & ejus *viæ* imperveſtigabiles! Quis „enim cognovit *mentem Domini*? – Nam ex Eo, & „per Eum, & in Ipſum (ſunt) *omnia*. Ipſi (ſit) gloria „in ſæcula! Amen.

III. Ratione *ſubjectorum*, vel quaſi, dicitur, tùm *Theologia ipſius Dei*; tùm *Creaturarum intellectualium*. *Matth.* XI, 27. „Nemo *novit* Filium, niſi *Pater*: neque „Patrem quiſquam *novit*, niſi *Filius*; & *cuicunque vo-* „*luerit* Filius Eum *retegere*. 1 *Cor.* II, 10. 11. „*Nobis* „autem Deus (ea) *revelavit* per Spiritum ſuum. *Spiritus* enim *omnia ſcrutatur*; etiàm *profunditates Dei*. -- „Etiàm *ea, quæ ſunt Dei*, nemo *novit*, niſi *Spiritus Dei*.

Psal. XCIV, 9, 10. „An, qui *plantavit aurem*, non *au-* „*diet*? An, qui *finxit oculum*, non *videbit*? - An, qui „*docet hominem scientiam* (non *cognoscet*?)

IV. *Theologia ipsius Dei* est, quâ Deus seipsum cognoscit convenienter Naturæ suæ.

Hoc est, 1. *Independenter*; per Essentiam suam: ut hæc sit ἀδίδακτος.

2. *Simplicissimè*; actû purissimo: ut sit ipse idem ὁ Θεολόγος, τὸ Θεολογούμενον, καὶ ἡ Θεολογία.

3. *Infinitè*, & adæquatè, ipse igitur sese cognoscit, ut absolutè cognosci potest.

1 *Tim.* I, 17. „*Soli sapienti Deo* honor (sit). &c. *Psal.* CXLVII, 5. „*Intelligentiæ* Ejus *non* est *numerus*. Confer allegata th. 3.

V. Deus autem cognoscit *primò* Essentiam suam, cum Attributis, & Personis: atque in Attributis nominatim Sufficientiam & Potentiam; quæ est principium Possibilitatis omnium Rerum Possibilium, cum Affectionibus Possibilibus. Hactenus est *Theologia Dei naturalis & necessaria*.

Deindè sibi conscius est Decreti sui; atque omnium eorúm, quæ ipse Decreto suo constituit, tùm de aliis, tùm speciatim de Creaturis intellectualibus: imò etiàm, quibus modis ac gradibus communicare iis velit notitiam Sui. Sapientissimè enim operatur τεχνίτης καὶ δημιουργὸς ὁ Θεὸς; *Hebr.* XI, 10. Unde *Actor.* XV, 18. „*Nota* sunt *Deo* ab (omni) ævo *omnia opera sua*. Hæc dicitur *Theologia Dei libera*; ratione objectorum.

Ex dictis patet, quòd speciatim in Deo sit *Theologia* ἀρχέτυπος; prima & verissima *idea* omnis Theologiæ in Creaturis intellectualibus.

VI. Omnis *Theologia Creaturarum intellectualium* est ἔκτυπος; ad ideam istam, juxta Dei decretum, in tempore expressa, & Creaturis illis imprimendo communicata. *Col.* III, 10. „Renovatur in *agnitionem congru-*

„*gruentem imagini* Ejus, qui ipſum condidit.

Ejus igitur univerſæ *cauſa conſtitutionis* principalis unica, & *acquiſitionis* prima ac ſuprema, eſt ipſe Deus: aliàs Theologia ψευδώνυμος, & *ſuperſtitio* emergit. *Deut.* IV. 2. „ *Non addetis* ad verbum, quod Ego præ„cipio vobis; *neque diminuetis* (quicquam) ex eo, &c. „*Ieſ.* VIII, 20. „ *Ad Legem,* & *ad Teſtimonium.* Si non „dixerint *juxta verbum hoc,* non erit eis aurora. Vide etiàm *Deut.* XII, 32. *Matth.* XV, 9. *Galat.* I, 8, 9. *Col.* II, 4, 8, 22. 23. Apoc. XXII, 18, 19. Item *Iac.* I, 5. „ Quod ſi cui veſtrûm deeſt *ſapientia,* petito *à Deo,* qui „*dat* (eam) *omnibus* benignè, &c. 17. „ Omnis dona„tio bona, & omne integrum munus, eſt *supernè* de„ſcendens *à Patre luminum,* &c.

VII. *Theologia ectypa* trifariàm diſpeſcitur: vel enim *Unionis* eſt, vel *Viſionis,* vel *Revelationis.*

VIII. *Theologia Unionis* appellatur, quæ in Domino noſtro Jesû Chriſto, ſecundùm humanam ipſius natùram, ex Unione hypoſtaticâ fluit; atque ſic ipſi per Spiritum S. ſingulari modo communicata eſt. *Pſal.* XLV, 8. „ *Unxit* Te, Deus, Deus Tuus oleo gaudii „*præ Conſortibus Tuis. Ioh.* III, 34. -- „ Deus *non dat* „ Ipſi *Spiritum ad menſuram.* Adde *Ieſ.* XI, 1, 2. LXI, 1. *Ioh.* VII. 29. Col. II, 3, 9.

IX. *Theologia Viſionis* eſt Beatorum cœlitum, Angelorum & Hominum. De Angelis diſertè, *Matth.* XVIII, 10. „*Angeli* eorum (parvulorum) in cœlis per „omne tempus *vident faciem Patris mei,* qui in cœlis eſt. Sed & Homines plenè glorificati in beatâ reſurrectione, erunt ἰσάγγελοι. *Luc.* XX, 36. Interim veró Animæ fidelium ſeparatæ pro ſua parte ejuſdem beatitudinis fiunt participes. 2 *Cor.* V, 7, 8. „Per *fidem* enim „ambulamus: non per *aſpectum.* Confidente autem „animo ſumus; & gratius eſt nobis *abeſſe* potiùs *ex* „*corpore,* & *adeſſe apud Dominum.* 1 *Cor.* XIII, 12.

„ Videmus enim nunc per speculum, & per ænigma;
„ *tunc* autem *coràm (cernemus)*; &c. Vide etiàm *Hebr.* XII, 23. *Phil.* I, 23. cum *Matth.* V, 8. 1 *Joh.* III, 2.

X. Ab hâc *longissimè distat* impura illa & terribilis cognitio Dei ac rerum Divinarum in Diabolis & Hominibus damnatis. *Jac.* II, 19. „ *Dæmonia* quoque cre-„ dunt (*Deum unum esse*); & horrescunt. Adde *Matth.* VIII, 29. *Act.* XVI, 17. *Marc.* IX, 44. cum *Apoc.* XVI, 10, 11.

XI. *Theologia Revelationis* speciatim dicitur, quæ Hominibus in stadio hujus vitæ communicatur. *Joh.* I, 9. *Illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Estque *Naturalis*; vel *Supernaturalis.*

XII. *Naturalis*, Naturam Hominis rationalem comitatur in hâc vitâ: poteſtque spectari qualis extitit *ante lapsum*; ac porrò qualis existit *post lapsum.*

XIII. *Ante lapsum* Homini connaturalis fuit perfecta Dei cognitio, mentem illius sufficienter imbuens ad vitam cœlestem & gloriam æternam consequendam, juxta Fœdus Legale. *Gen.* I, 26, 27. *Faciamus Hominem ad imaginem nostram, secundùm similitudinem nostram,* &c. *Col.* III. 10. *in agnitionem congruentem imagini ejus, qui ipsum condidit.*

XIV. *Per lapsum* amissa est integritas & puritas: remansit tamen Theologia naturalis ex parte. Hæc occurrit tùm *congenita,* sive *innata*; tùm *acquisita*, sive *adventitia.* Utraque excolenda adversùs *Atheorum* portenta; & defendenda contra *Socinianorum* errores.

XV. *Congenita* vocatur, quatenùs adhùc Scintillæ quædam Lucis illius primævæ, Imaginis Dei, menti humanæ increantur & connascuntur; Archetypum interim & Auctorem suum sic satis demonstrantes; quidque Ipsi debeatur, & quid nobis ac proximo nostro propter Ipsum, indicantes.

XVI. Hanc *probant,* 1. ipsæ reliquiæ Imaginis Dei in homine; atque adeo Synteresis, & naturalia Prin-

cipia

cipia honesti ac decori: per quæ apertè innotescit Ens primum ac perfectissimum, Divina majesta, Lex sancta, Justitia tremenda. *Gen.* V, 1, 3. „Creavit *Deus* „*hominem*; *ad similitudinem Dei* fecit illum. — *Adam genuit ad similitudinem suam, ad imaginem suam*; (filium.) IX, 6. Sanxit Deus homicidium morte mulctandum; „quia *ad imaginem Dei fecit hominem*, *Jac.* III, 9. „Execramur *homines ad similitudinem Dei factos.*

2. Loca alia satis diserta: *Joh.* 1, 9. Vide th. 11. *Rom.* 1, 19. „*Id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in-* „*tra ipsos: Deus enim eis manifestum fecit.* 32. „*Dei jure* „*agnito*; eos qui talia faciunt dignos esse morte. II, 14, 15. „Cum Gentes, quæ Legem non habent, *na-* „*turâ quæ Legis sunt faciunt*; isti Legem non habentes, „*sibi ipsis sunt Lex*: Ut qui ostendant *opus Legis scri-* „*ptum in cordibus suis*; *unâ testimonium reddente ipsorum* „*conscientiâ*; & *cogitationibus sese mutuo accusantibus*, „aut etiàm *excusantibus*.

3. Quòd *Deus sit*, exterminis constat: quia Prædicatum est de essentia Subjecti; & quidem ità necessariò, ut nulli præter Ipsum conveniat, aut convenire possit nisi ab ipso communicatum. Nemo igitur mentis compos, & ad veritatem animum advertens, seriò & constanter existentiam Dei negare, aut ignorare, potest.

4. Accedit Experientia, & Consensus omnium Gentium.

XVII. *Acquisita* obtinent, tùm *Argumentatione* propriâ, tùm *Institutione* alienâ.

Argumentatio ista institui potest, 1. ex Scintillis modò indicatis, & opere illo Conscientiæ; Auctorem indè colligendo.

2. Ex naturâ Hominis, verè μικροκόσμȣ: ubi tùm Animæ rationalis essentia, facultates, operationes, considerandæ, tum admiranda Corporis fabrica. *Zach.* XII, 1. „*JEHOVAH formans spiritum Hominis*

,, *in medio ejus*. *Psal*. CXXXIX, 14, 15, 16. ,, *Terribilibus* ,, (modis) *mirificatus sum*, *mirabilibus operibus tuis*. Et ,, *anima mea cognoscit valdè*. Non fuit occultatum *cor-* ,, *pus meum* à Te, quando *factus* fui in occulto: (quan- ,, dò) *variis membris decoratus* fui in inferioribus terræ; ,, *Imperfectum meum* viderunt oculi tui. *Act*. XVII, 25, -28. ,, *Cùm ipse det omnibus vitam & halitum*, & *omnia*. ,, *Fecitque ex uno sanguine totam gentem hominum*. - *Non* ,, *longè abest ab unoquoque nostrûm*. *In ipso enim vivimus* ,, & *movemur*, & *sumus*, &c.

3. Ex reliquis Creaturis, ubi spectanda communiter opera Creationis, & Providentiæ Divinæ, speciatim verò Miracula naturæ, nec non Miracula propriè dicta, variaque Judicia, &c. ascendendo ab Effectis ad Causam efficientem primam supremam, à Motû ad Motorem primum immobilem. *Psal*. XIX. 2, 3, 4. ,, *Cœli enarrant gloriam Dei*, & *opus manuum Ejus an-* ,, *nunciat Firmamentum*. *Dies diei eloquitur sermonem*, & ,, *nox nocti indicat scientiam*. *Non* (est) *sermo*, *nec* (sunt) ,, *verba*, *ubi non audiatur vox eorum*. *Ies*. XL, 26. *Levate* ,, *in excelsum oculos vestros*; & *videte*, *quis creaverit ista*: *Rom*. I, 20. ,, Ipsius enim *invisibilia*, jàm indè à crea- ,, tione mundi, *ex iis quę fecit animadversa*, *pervidentur*: ,, æterna (videlicet) ejus tùm *potentia*, tùm *Divinitas*, Adde *Iob*. XII, 7, - 10. *Act*. XIV. 17.

4. Ex ejusmodi Argumentis ac testimoniis illustribus: quæ in Scriptis ipsorum Gentilium satis obvia sunt.

XVIII. *Institutio* hîc ea intelligitur, quâ sagaciores ac provectiores Naturæ ruspatores, quæ rectè ratiocinando de Deo cognoverunt, alios etiàm docent.

XIX. *Obj*. 1. *Deum esse* Credimus: Hebr. XI, 6. Non ergò per Naturam cognoscimus: quia Fides supra Naturam est. *Resp*. Prima illa veritas per Naturam cognoscitur imperfectiore modo: Fide tenetur perfectiore ac salutari modo: prout se Deus ipse Verbo suo

reve-

revelavit familiariter, & *remunerator* est secundùm Fœdus gratiæ. Talis autem cognitio necessaria est, ut quis *accedat ad Deum*, ipsique *placeat*.

Obj. 2. Quod homini naturale est, omni inest, & semper: atqui Deum negant nonnulli: Psal. x, 4. xiv, 1. *Eph*. ii, 12. Et gentes repertæ in Americâ, quæ nullum Numen agnoscerent. *Resp*. 1. Athei nimis multi sunt vitâ & conatû: nulli tranquillâ & constanti animi sententiâ. 2. Unum verum Deum ignorant plures Gentes; non tamen existunt sine omni Numinis conscientiâ.

XX. Theologia naturalis objectivè, in se, *bona* est: scintilla bona in tenebris adhùc splendens, omnesque & singulos homines illuminans; donatio bona à Patre luminum descendens. Vide *Ioh*. 1, 5, 9. cum *Iac*. 1, 17. Sed subjectivè, in homine irregenito, vitiata est & impura. *Tit*. 1, 15. *Pollutis & incredulis nihil est mundum; sed polluta est eorum & mens & conscientia*. Adde *Ioh*. iii, 6. *Rom*. viii, 7. Attamen in Regenitis per Gratiam iterùm corrigitur & sanctificatur. *Tit*. 1, 15. *Omnia quidem munda mundis*. 1 *Thess*. v, 23. *Deus pacis sanctificet vos totos*, &c.

XXI. Consequenter eadem Theologia naturalis, aut Philosophia, per se, & in subjecto sanctificato, *non adversatur* Theologiæ supernaturali. Nam 1. Veritas veritati non potest esse contraria; prout idem non potest simul esse, & non esse.

2. Utriusque idea est in mente Divinâ: cum verò hæc contrarietatem non admittat; etiàm in utroque ideato, contrarietas admitti non debet.

3. Ipse Christus, Prophetæ, & Apostoli rectâ ratione etiàm usi sunt; atque indè argumenta varia depromserunt. Præter ea, quæ th. 17. allegata sunt, vide inter alia *Matth*. xvi, 2, 3. *Luc*. xxiv, 39, 40. 1 *Cor*. v, 1. xi, 14, 15.

4. Experientia comprobat, illam huic utilissimam ope-

operam præstare, ubi ſobria eſt, & ſupernaturali revelationi concedit, ac ritè obſequitur.

Aliter autem ſe habet Philoſophiæ ac Rationis naturalis abuſus: undè *Col.* II, 8. „Videte, nequis ſit, „qui vos *deprædetur per Philoſophiam & inanem deceptionem*, &c. ubi vel omninò falſa producuntur, vel non ſervantur leges veræ oppoſitionis, *ſecundùm idem*, &c.

XXII. *Pertingit* Theologia naturalis 1. ad cognoſcendam Dei exiſtentiam, & attributa eſſentialia.

2. Ad Decretum de rebus futuris, in genere: & opera Creationis ac Providentiæ, tùm in Homine, tùm in aliis creaturis contemplationi noſtræ obviis.

3. Ad jus Divinum, quatenùs id hominibus naturale eſt. De quibus ſatis conſtat ex citatis th. 16, 17. & 21.

4. Ad Fœdus Legale. Rom. III, 9. „Ante criminati ſumus, *& Iudæos & Græcos omnes eſſe ſub peccato*. 19. Scimus autem, quæcunque Lex dicit, *iis qui in* „ *Lege ſunt* dicere; ut *omnes os obturetur*, & *obnoxius fi-* „ *at totus mundus condemnationi Dei*. Iſta ſic naturaliter cognoſcuntur, non quidem perfectè; attamen verè, & quantum ſufficit ad *ἀναπολογησίαν* eorum, quibus ſublimior ac perfectior revelatio non obtingit: *Rom.* I, 20.

Sed *non pertingit* 1. ad perſonam & officia Chriſti Mediatoris, ſalutem per ipſum partam, ac Fœdus Euangelicum: quæ homini in ſtatû primævæ integritatis non fuerunt revelata, nedùm ex tenuibus illius reliquiis poſt lapſum colligi poſſint.

2. Neque penetrat ad myſterium S. Trinitatis, cujus cognoſcendæ aut demonſtrandæ principia ſolida non reperiuntur in naturâ; quamvis ibi occurrant nonnulla, per quæ myſterium illud, poſtquàm ſupernaturali revelatione innotuit, utcunque illuſtrari ac defendi poteſt.

XXIII. Hinc colligimus, contra *Pelagianos*, eo-

rum

rumque sequaces ac fautores, Theologiam naturalem nunc non sufficere ad æternam salutem consequendam: sive, non dari communem aliquam & naturalem Religionem, per quam omnes omninò homines servari possint.

Patet hoc 1. ex necessitate Fidei; sine quâ *nemo potest placere Deo*: *Hebr*. XI, 6, quæ est *ex auditû Verbi* supernaturaliter revelati: *Rom*. X, 17. & quidem *una*; ut Deus unus; *Eph*. IV, 6. *non* autem *omnium*: 2 *Thess*. III. 2. sed *electorum Dei*: *Tit*. I, 1.

2. Ex consideratione Christi Mediatoris, Redemtoris, ac Salvatoris; cujus cognitio ad salutem consequendam necessaria est: *Joh*. XIV. 6. „Ego *sum via* illa, „& *veritas* illa, & *vita* illa: *nemo venit ad Patrem nisi* „*per me*. *Act*. IV, 12. „*Nec* est *in alio quoquam salus*: *nec* „enim *aliud nomen* est sub cœlo quod datum sit inter „homines, *per quod oporteat nos servari*. Vide etiàm *Joh*. XVII, 1, 3. 1 *Cor*. III, 11. 1 *Tim*. II, 5. *Gal*. I. 6-9. Sed istam cognitionem Ratio naturalis per se non assequitur.

3. Quia necessarium est Fœdus Euangelicum, & vera ratio justitiæ secundùm istud consequendæ, *Rom*. X, 3. „*Ignorantes Dei justitiam, & propriam justitiam studen*„*tes constituere, justitiæ Dei non fuerunt subjecti*, *Gal*. II, 21. „Non *irritam* facio *gratiam* Dei: nam *si per Legem* „*est justitia, Christus sine causa mortuus est*. Vide etiàm *Gal*. V, 4. *Hebr*. VIII, 7-.

4. Omnium eorum, qui Revelatione supernaturali destituuntur, miserrima est conditio. *Act*. XIV, 16. „Deus præteritis ætatibus sivit omnes *Gentes suis ipsa*„*rum viis incedere*. *Eph*, II, 12. „Vos, (inquam) illo „tempore fuisse *absque Christo*, abalienatos à civili sta„tû Israëlis, & extraneos quod ad pactorum promis„siones attinet, *spem non habentes*, *& absque Deo in* „*mundo*. Adde *Eph*. IV, 17, 18.

XXIV. *Obj*. 1. *Act*. X, 34, 35. „*Deus non respicit ad* *perso-*

„*personam,* sed *in quâvis gente* acceptus ei est *quivis, qui* „*eum timet, & operum dat justitiæ.* Hæc autem secundùm Conscientiam naturalem, & lumen Rationis præstari possunt. *Resp.* Negamus, verum Dei timorem, (filialem,) verumque studium ac praxin justitiæ, in ullo homine reperiri, absque gratiâ & revelatione supernaturali. Vide *Rom.* XIV, 23. *Tit.* I, 15.

Obj. 2. Cornelius, Centurio ex legione Italicâ, & ipse alienigena, Christum adhùc ignorans, dicitur ibid. *vers.* 2. & 4. *pius* fuisse *ac timens Deum,* cum *totâ domo suâ*: quodque *preces* ejus, & *eleemosynæ, ascenderint in memoriam in Dei conspectû.* Ergò ex Religione naturali, &c. *Resp.* Interim idem Cornelius etiàm dicitur *vers.* 22, *testimonio ornatus totius gentis Judæorum:* undè facile est colligere, eum minimè alienum fuisse à cognitione & expectatione Messiæ. Quin & Petrus testatur *vers.* 37, 38. eum non prorsus ignorasse Jesum Nazarenum. Ex quibus patet, eum tunc non habuisse solùm Religionem aliquam naturalem; sed & supernaturalem: sicut extraordinaria revelatio per Angelum ei quoque accidit. *vers.* 4; 30, 31. & deinceps ex Petro ampliùs didicit Religionem Christianam, secundùm œconomiam N. T. *vers.* 39–43.

XXXV. Ex Theologia naturali corruptâ, admixtis interim & adulteratis quibusdam Theologiæ supernaturalis reliquiis, quæ ex familiis Patriarcharum promanaverant, accedentibus etiàm traditionibus & institutis Diabolicis, orta est *Pseudo-theologia Gentium.* Hæc autem versabatur *partim* circa Deos; ut μυθικὴ, fabulosa, Poëtarum; φυσικὴ, naturalis, Philosophorum; & πολιτικὴ, civilis, sacerdotum: *partim* circa Dæmonas; malis cooperando, aut eos averruncando, bonos sacrificiis invitando: quò pertinent μαγία, γοητεία, τελετὴ, &c.

XXVI. *Theologia supernaturalis* est, quæ sphæram

naturæ

naturæ excedens, ex Verbo Dei hauritur; & ad salutarem ipsius communionem, juxta Fœdus Euangelicum obtinendum pertingit. Inservit ei sua *Revelatio*, tùm *extraordinaria*, tùm *ordinaria*.

XXVII. *Extraordinaria* per peculiarem inspirationem, aut manifestationem, obtigit extra ordinem sanctis potissimùm Dei hominibus. Sic David, 2 *Sam.* XXIII, 2. „*Spiritus Jehovæ locutus est per me, & sermo* „ *ejus* (factus est) *per linguam meam.* 2 *Petr,* I, 21. „ *Acti à Spiritû Sancto locuti sunt sancti Dei homines.* 2 *Tim.* III, 16. „ *Tota Scriptura Divinitùs* (est) *inspirata.* Undè etiam tales homines dicuntur Θεόπνευστοι. Hùc quoque pertinent Alloquia Divina: *Num.* XII, 8. *Gen.* XII, 1, 2, 3, 7. XV, 1, – XVII, 1, - 22. *Jerem.* I, 4, - Ezech. VI, 1, 2. Raptûs, sive Ecstases; *Act.* XXII, 17. 2 Cor. XII. 2, 3, 4. *Apoc.* I, 10. Visiones; *Exod.* III, 2. *Jes.* VI. *Ezech.* I. *Am.* VII, VIII. IX. *Zach.* I, 8, –. II, - VI. His accedunt Apparitiones Angelorum; *Dan.* IX, 21, 22. *Luc.* II, 1, 13, – 20; 26, – 38. II, 8, - 14. *Matth.* XXVIII, 2, 3, 5, 6, 7. *Act.* I, 10, 11. Ac tandem Insomnia; *Gen.* XXXVII, 5, - 10. *Matth.* I, 20, 21. II, 19, 20; 22.

Sed à recensitis speciebus Revelationis extraordinariæ, distinguendæ sunt Revelationes, suggestiones, increpationes, convictiones, similibus ferè modis factæ hominibus quibusdam irregenitis & à salutari Dei communione alienis; quales Θεήλατοι quandoque appellantur: *Num.* XXII, 9, – 12; 20; 31, - 35. XXIII, 4, - 10; 16. - 24, XXIV, 2, - 9. *Joh.* XI, 49 - 52. Confer *Gen.* XLI, 1, – 32. *Dan.* II, 1; 27, – 45, IV, 4, – 27. V, 5, - 28. *Matth.* XXVII, 2, 3, 4. Longissimè autem distant Illusiones Diabolicæ, nec non vana deliria, & fallacia figmenta *Pseudo-Enthusiastarum*, aliorumque *Fanaticorum*.

XXVIII. Extraordinarias illas revelationes *potissimum*

mùm dedit Deus, 1. in Ecclesiâ ex lapsû per Christum salvandorum primùm fundandâ: aut singulari modo stabiliendâ: *Gen.* III, 15, XII, 1, 2, 3, XVII, 1, - 16.

2. Ubi valdè corrupta esset, reformandâ; *Exod.* III, 6, - 17. cum *Ezech.* XX, 6, - 9. 1 *Reg.* XVIII, 21, - 40.

3. Ac porrò ab œconomiâ V. T. ad œconomiam N. T. traducendâ: *Matth.* III, 1, 2, 3. X, 1, - 8, XXVIII, 19, 20. *Eph.* IV, 11, 12, 13. 1 *Cor.* XII; 7, 8, 28, 29.

4. Vel etiàm ubi voluit singularia judicia exercere, deque iis homines præmonere: *Am.* III, 7. *Gen.* VI, 6, 7; 17, 18. XVIII, 17, - 20. *Jon.* 1, 2. II, 1, - 4.

Eademque opera, per sanctos illos Ministros Θεοπνεύςυς, Ecclesiæ datus & scripto consignatus est perpetuus deinceps futurus Canon Theologiæ ordinariæ: *Deut.* XXXI, 9, 24, 26. *Ioh.* V, 39. XX, 31. *Rom.* IV, 23, 24. XV, 4. 1 *Cor.* X, 11. 2 *Tim.* III. 15, 16, 17. 1 *Petr.* 1, 10, 11, 12. 2. 1, 19, 20, 21. *Apoc.* 1, 3. XXII, 18, 19.

XXIX. *Ordinaria revelatio* fit per Verbum Dei foris propositum; & per Spiritum Sanctum intùs nos aptos facientem, atque hyperphysicè moventem, ad intelligendam veritatem istam, ad agnoscendam ejus Divinitatem, quin imò ad mentem, voluntatem, omnemque vitam nostram ei subjiciendam & conformandam: *Jes.* LIX, 21. *Spiritum meum*, qui est super „ te; & *verba mea*, quæ posui in ore tuo, *non recedent* „ de ore tuo, & de ore seminis tuo, & de ore seminis „ seminis tui, dixit Jehovah, ex hoc tempore & usque „ in sæculum. 2 *Cor.* III, 5, 6, Quòd *idonei* sumus, (id) „ *ex Deo* est: Qui etiàm fecit ut idonei essemus *Mini-* „ *stri novi pacti*; non litteræ, sed *Spiritûs*. Vidè etiàm 1 *Cor.* II. 6. 1 *Thess.* II, 13. *Act.* XVI, 14.

XXX. Hinc innotescit Theologiæ nostræ *causa constitutionis instrumentalis*; videl. Verbum Dei: quod ipso volente, in hunc finem scripto consignatum &

obsi-

obſignatum eſt, *ne ſapiamus ſupra id quod ſcriptum eſt*, 1 Cor, IV, 6.

XXXI. *Objectum* ejus *primarium* ac *denominationis*, eſt ipſe *Deus* Opt. Max. Vide *Matth.* XIX. 17. 1 Tim. VI. 15, 16. & confer ſup. th. 2.

Subordinatur illi *Religio*: Vinculum iſtud pietatis, quo obſtricti ſumus & *religati* Deo. Hæc verò piam Dei ac veritatis Divinæ *agnitionem* complectitur, & *cultum* Ejuſdem ſincerum. *Tit.* 1. 1. „*Agnitionem* „*veritatis*, quæ eſt *ſecundum pietatem*. Vide *Joh.* XVII. 17. *Jac.* 1. 27.

XXXII. *Agnoſcendus* eſt Deus, qualem Se nobis Verbo ſuo revelavit. Omnis autem Divina revelatio, ubi nobis innotuit, nos illicò ad aſſenſum obligat neceſſitate præcepti. *Act.* XXIV, 14. „Ut qui *credam omnibus*, *quæ in Lege & in Prophetis ſcripta ſunt*. At ſi neceſſitatem medii ſpectemus, ad ſalutem juxta Fœdus Euangelicum conſequendam, fundamentum fundamentorum eſt Jeſus Chriſtus: 1 *Cor.* III. 11. Quod ipſum tamen plura involvit.

Infantibus ſtatim proponuntur *Elementa doctrinæ Chriſtianæ*; Decalogus, Symbolum fidei, Oratio Dominica, Inſtitutio Sacramentorum, & Ordinis ac Diſciplinæ Eccleſiaſticæ. *Hebr.* VI, 1, 2. „Omiſſo „*qui in* Chriſto *rudes inchoat ſermone*, ad perfectionem „feramur: non jacientes rursùm *fundamentum reſipiſ*„*centiæ ab operibus mortuis*, *& fidei in Deum*, *Baptiſ*„*matum doctrinæ*, *ac manuum impoſitionis*, *& reſurre*„*ctionis*, *& judicii æterni*.

Proficientibus plures *articuli* traduntur: qui in *Catholicos* & *Theologicos* diſpeſci ſolent; *illi* ad fidem catholicè ſalutarem pertinent; *hi* ad accuratiorem ſcientiam Theologicam fundamento ſuperſtruuntur. 1 *Cor.* III, 12, 13. „Quodſi quis *ſuper ædificat ſuper* „*fundamentum hoc*, *aurum*, *argentum*, *lapides pretioſos*, „*ligna*, *fœnum*, *ſtipulam*; Cujuſque opus manifeſtum

fiet

fiet: &c. 1 *Tim.* I, 13. „ *Expressam formam* teneto *sa-*
„ *norum sermonum*, quos à me *audisti*, cum fide & cha-
„ ritate quæ (est) in Christo Jesû. Adde 2 *Tim.* II, 2.
III. 14.

XXXIII. Deus agnitus *colendus* est devotâ mente, atque omnibus viribus nostris.

Hoc enim postulat 1. Natura Dei sanctissima.

2. Mandata nobis præscripta, & seriò commendata.

3. Beneficia in nos collata; tùm naturæ, tùm gratiæ.

4. Nostra à Deo dependentia, ut realis, ità quoque moralis.

1 *Joh.* III, 3. *Quisquis habet hanc spem in eo* (sitam,)
„ *purum se conservat*, *sicut & ille purus est.* *Deut.* VI, 5.
„ *Diliges* ergò *Iehovam Deum tuum toto corde tuo*, *& to-*
„ *tâ animâ tuâ*, *& totâ fortitudine tuâ.* Psal. CXVI, 12.
„ *Quid reddam Iehovæ* (pro) *omnibus beneficiis ejus* (quæ
„ contulit) *in me?* *Act.* XVII, 27, 28. „ Ut *quærerent
Dominum*, - In *ipso* enim *vivimus*, *movemur*, *& sumus.*
Adde *Ioh.* XIII, 17. *Tit.* II, 11, - 14. 1 *Ioh.* I, 5. 6, 7.

XXXIV. Ex dictis patet, *primò*, gravissimè errare *Socinianos*, dùm Religionem duabus hisce partibus comprehendunt; Præceptis Divinis, & Promissis: atque item *Remonstrantes*, hisce tribus eam circumscribentes; Fide Divinorum promissorum, Obedientiâ Divinorum præceptorum, & debitâ Scripturis Reverentia. Neque enim Fides restringenda est ad Promissa Dei sola; sed ad omnes veritates, ab Ipso revelatas extendenda.

Deinde, non merè speculativam esse *Theologiam nostram*; (quod calumniantur *Remonstrantes*;) sed *maximè practicam.* Sic enim contemplamur Deum, & opera Ipsius, ac sermones veraces: ut omnis illa contemplatio perpetuam praxin requirat, & efficaciter promoveat. Sic contemplamur summum verum, ut simul agnoscamus ac diligamus summum bonum, ac devotè obediamus sanctissimo isti Domino. *Matth.* V. 8.
„ *Mundi corde*, - *videbunt Deum.*

XXXV.

XXXV. *Objectum secundarium*, sive *directionis*, Theologiæ nostræ, est totus Homo 1 *Thess.* v. 23. "Ipse autem Deus pacis *Sanctificet vos totos* : & *integer* "*vester spiritus*, *&* *anima*; *&* *corpus*, *inculpate* in ad-"ventum Domini nostri Jesû Christi *serventur*.

In Animâ scil. *Intellectus theoreticus* veritate Divinâ informandus; *practicus* notitia eorum, quæ ad officia nostra coram Deo pertinent: *voluntas* in Deum ritè dirigenda, & ad ea quæ Deus vult; ab oppositis verò avertenda: tùm *facultates* reliquæ, & *affectûs*, ipsaque *Corporis membra*, & consequenter *omnes actiones nostræ*, ad sanctum obsequium formanda. Vide 1 *Cor.* VI. 20. *Eph.* I, 18. *Prov.* XXIII, 26. *Luc.* X, 27. *Rom.* VI. 13. 1 *Cor.* X. 31.

XXXVI. Consequenter etiàm *Subjectum quo*, est primò Intellectus, tùm theoreticus, tùm practicus; ac porro Voluntas, & reliquæ facultates.

Sed *Subjectum quod*, *primariò* & *propriè* constituunt Electi efficaciter vocati - *Matth.* XI, 25, 26. "Gloriam "tibi tribuo, Pater; Domine cœli & terræ, quòd hæc "occultaveris sapientibus & intelligentibus; & ea *de-*"*texeris infantibus*. Etiàm Pater, quia *ità libuit apud Te*. XIII. 11. "*Vobis datum est nosse mysteria Regni cœ-*"*lorum*, illis autem non est datum. *Tit.* I, 1. "Secundùm *fidem electorum Dei*.

Secundariò tamen, & *per similitudinem quandam*, aliqui reprobi gratiæ solùm illuminantis & refrænantis participes facti. Vide *Hebr.* VI. 4, 5, 6. 1 *Tim.* I, 19. *Matth.* XIII, 20, 21.

XXXVII. *Finis primarius* ac *summus*, quem in hoc studio singulos seriò intendere oportet, est ipsius Dei gloria 1 *Petr.* II, 9. *Ut virtutes prædicetis illius*, *qui vos vocavit è tenebris in admirabilem lucem suam*. Confer *Prov.* XVI, 4. *Rom.* XI, 36. 1 *Cor.* X, 31.

Subordinatur illi Beatitudo nostra, & gloria æterna. *Psal.* I, 1, 2. "*Beatus vir*, qui - in *Lege Jehovæ* volun-

"tas ejus, & in lege ejus *meditatur* die ac nocte. 1 *Sam.* "II. 30. " Dicit Jehovah; -*Honorantes me honorabo.* "Adde *Ioh.* V, 39. XX, 31. *Rom.* I, 16. 2 *Tim.* III, 15.

Sed in reprobis *eventus per accidens* est, eorum convictio, & gravior condemnatio. *Luc.* XII, 47. "Ille "autem *servus*, qui *novit voluntatem* Domini sui, neque "se comparavit, neque se gessit ex ejus voluntate, *cæ*-"*detur multis* (*plagis.*) Adde *Ezech.* II, 5, 7. III. 27. 2 *Cor.* II, 15, 16. *Luc.* II, 34.

XXXVIII. *Beatitudo* ista in hac vitâ inchoatur; in alterâ consummabitur.

Caput rei est Communio nostra cum Deo. 1 *Ioh.* I, 3, 4. "Quod vidimus & audivimus, id *annunciamus* "vobis; *ut* & vos *communionem habeatis nobiscum*: & "*communio* nostra sit *cum Patre*, & *cum Filio ejus Iesu* "*Christo*. Et hoc *scribimus* vobis, *ut gaudium vestrum* "sit *plenum*. *Psal.* XXXIII. 12. *Beata* gens, *cujus Iehovah* "est *Deus*: populus, quem elegit in hæreditatem sibi.

Hoc bonum propterea 1. Deus promisit: Gen. XV, 1. XVII, 7.

2. Christus suo merito nobis acquisivit: 1 *Petr.* III, 18. *Eph.* II, 12, 13, 16, 19.

3. Atque intercessione suâ applicari petit: *Joh.* XVII, 11, 21, 22, 23. cum *Hebr.* VII, 25.

4. Fideles autem cum summâ oblectatione istud percipiunt: *Psal.* IV, 7, 8. XXXIII, 21, 22. XXXVI, 8, 9, 10. LXXIII, 25, 26.

XXXIX. Hinc ergò scaturiunt omnia πρὸς τὴν εὐζωΐαν, καὶ τὴν εὐδαιμονίαν, requisita. 2 *Petr.* I, 3, 4. "Prout Divina vis ipsius *omnia* nobis donavit, "*quæ ad vitam & pietatem (pertinent)*:-ut per hæc *efficeremini* "*Divinæ consortes naturæ*. Adde *Joh.* I, 16. *Col.* II, 9, 10. *Psal.* XXIII. *Eph.* I, 3. *Rom.* VIII, 31, 32. *Matth.* VI, 25,-33.

Ità scil. 1. sanctam & gloriosam Dei imaginem habemus

bemus nobis restitutam: *Col.* III, 10. *Eph.* IV, 24. *Rom.* VI, 11, 13. 1 *Thess.* V, 23, 24.

Et 2. pacem illam Dei, quæ omnem mentem exsuperat: *Phil.* IV, 7.

3. Spe servati sumus: *Rom.* VIII, 24. sed certissimâ, quæ minimè confundit expectantem: *Rom.* V, 3, 4.

Et 4. gaudium percipimus gloriosum, ineffabile, perpetuum: 1 *Petr.* I, 8, 9. 1 *Thess.* V, 16. In ipsis etiàm adversis: *Jac.* I, 2. *Rom.* V, 3, 4, 5. VIII, 17, 18, 28, 35, -

XL. Adeoque Θεολογία nostra verè etiàm est Θεοζωΐα, καὶ Θεουργία: ut Deo & Christo vivamus que operemur. *Rom.* VI, 11. „Colligite, vos-*vivere* "*Deo*, per Christum Jesum Dominum nostrum. XIV, 7, 8, 9. -*Domino vivimus*; &c. *Gal.* II, 19, 20. "-Ut "*Deo viverem.* - *Vivit in me Christus*; &c.

Scil. 1. Ipso intùs in nobis agente, & nos agere faciente: *Joh.* XV, 4, 5. 2 *Cor.* IV, 10. XIII, 5. *Gal.* II, 20. *Phil.* II, 13.

2. Per fidem ipsius: *Gal.* II, 20. *Eph.* III, 17.

3. Secundùm voluntatem ipsius: 1 *Petr.* IV, 2, 6. *Rom.* XII, 1, 2.

Ac tandem 4. in gloriam ipsius. 1 *Cor.* X, 31. *Phil.* I, 20. *Col.* III, 17.

Atque ista vita, essentialiter eadem, est æterna; quam modò habemus: *Joh.* III, 36. V, 24. XVII, 3. & quidem in nobis manentem: 1 *Joh.* III, 15. per Spiritum vivificantem, qui in nobis est; *Joh.* VI, 63, 2 *Cor.* III, 6. *Rom.* VIII, 11. idemque est Spiritus adoptionis, & arrhabo futuræ hæreditatis nostræ cœlestis: *Rom.* VIII, 15, 16, 17. 2 *Cor.* I, 21, 22. *Eph.* I, 13, 14, IV, 30.

XLI. *Perficietur* ista Beatitudo primùm in animâ separata; ac tandem *absolutissimè consummabitur* in personâ integra, quin & universa Ecclesiâ electorum, novissimo die, in beata resurrectione.

Ea excludet omnem dolorem ac miseriam: *Apoc.* XXI, 3, 4. omnemque imperfectionem abolebit: 1 *Cor.* XIII, 9, -12. Afferet autem bona, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt: 1 *Cor.* II, 9. dùm ipse Deus erit omnia in omnibus: 1 *Cor.* XV, 28. Quæ quidem pleniùs exponenda venient suo loco, in cap. de *Glorificatione.*

Sed veram ac solidam Beatitudinem, ipsumque Summum bonum, in natura temerè quæsiverunt, & promiserunt, *Philosophi Gentiles.*

XLII. *Media* Theologiæ sic feliciter consequendæ sunt, 1. potissimùm *SS. Literæ, Rom.* XV, 4. *Nam quæ „antè scripta sunt, ad nos docendos antè scripta sunt;* &c. Adde 2 *Tim.* III, 15, 16, 17. *Ioh.* XX, 31.

2. Ut rectè iis utamur; adsit humilis *Dei reverentia,* & pia *Precatio. Psal.* CXI, 10. "*Principium sapientiæ, timor "Iehovæ.* Adde *Prov.* I, 7. IX, 10. *Iob.* XXVIII, 28. *Psal.* XXV, 9, 12. Spiritus autem humiliationis & gratiæ, idem est precum: *Zach.* XII, 10. Hic ergò docet nos precari, atque ità quærere; & sic porrò facit ut inveniamus: *Iac.* I, 5. „Quodsi cui vestrùm *deest sapientia, petito à „Deo,* qui dat (eam) omnibus benignè, &c. Adde *Matth.* VII, 7. *Psalm.* XXV, 4, 5. CXIX, 12, 18, 26, 27. &c.

3. Adhibeatur sedula *Meditatio,* atque indefessum *Studium rerum Divinarum.*

Hùc pertinet primariò pia ac frequens *Lectio* S. Scripturæ; & secundariò etiàm scriptorum Ecclesiasticorum. 1 *Tim.* IV, 13. „ *Intentus esto lectioni.* Adde 2 *Tim.* III, 14, -17. IV, 13.

Accedat avida atque obediens *auditio* explicationum & applicationum: *Rom.* X, 17. *Eph.* IV, 11. 1 *Thess* V. 12, 13.

Nec non sancta *scrutatio,* ac prudens *discretio: Ioh.* V, 39. *Act.* XVII, 11. *Phil.* I, 10. 1 *Thess.* V, 21. 1 *Joh.* IV, 1.

Ac porrò diligens *ruminatio; Luc.* II, 19.

Itémque

Itémque modesta cum aliis *collatio*: *Col.* III, 16. 1 *Thess.* V, 11.

Tandem perpetua *applicatio* ad praxin: *Tit.* II, 11, 12. 2 *Tim.* III, 16. *Ioh.* XVII, 17. XIII, 17.

Istis autem ancillantur *Studia Linguarum*, Hebrææ potissimùm & Græcæ; ac porrò *Artium*, Grammaticæ, Rhetoricæ, & Logicæ: quin & *Philosophiæ sobriæ*: nec non *Historiarum*, *Geographiæ*, & *Chronologiæ*.

4. Necessario etiàm est *Militia spiritualis*: 1 *Tim.* VI, 12. „ *Decerta præclarum illud certamen fidei.*

Hîc autem strenué *resistendum* est *hostibus* nostris spiritualibus, eorumque *tentationibus*, *contra* Dei veritatem, justitiam, & sanctitatem; aut Verbi Divini sinceritatem: *Psal.* lxxIII, 2, 3, 13, 14, 16, 17.

Itemque ad superbiam; 1 *Cor.* VIII, 1. 1 *Petr.* V, 5, 6, *aut* disputationes curiosas, & contentiones acres; 1 *Tim.* I, 4. IV, 7. VI, 20, 21. 2 *Tim.* II, 16, 23, 24, 25. *Tit.* I, 14. III, 9.

Nec non ad remissionem, otium, aut profanitatem; *Rom.* XII, 11. *Phil.* III, 14, -18. 1 *Tim.* VI, 5.

Per omnia nitendum est Christo, ejusque robore; tenenda spiritualis armatura; & perseverandum in officiis nostris: *Phil.* IV, 13. 2 *Tim.* II, 1, 19. 1 Thess. V, 24. *Eph.* VI, 10, -18. 1 *Petr.* V, 8. 1 *Tim.* IV, 13, 15, 16. VI, 11, 12.

XLIII. Theologiæ supernaturali *repugnant* potissimùm *Infidelitas* Judæorum & Muhammedistarum; *Apostasia* Pontificiorum, nominatim in ipsorum *Theologiâ Scholasticâ*; *Hæreses* Socinianorum, Libertinorum, Anabaptistarum, Remonstrantium, &c. Itemque omnis *impietas*, *profanitas*, &c. contra supernaturalem Dei revelationem.

XLIV. *Distributio* Theologiæ nostræ desumenda est ex objecto subordinato; Religione: Sic autem *duæ ejus partes* occurrunt: prior, de Fide; sive rectâ Agnitione rerum credendarum, aut veritatum Divi-

nitûs nobis revelatarum: *posterior*, de Charitate; seu piâ Observantiâ eorum, quæ Deus nobis facienda præscripsit. Utramque tradit *Theologia docens*; earumque exercitio occupatur Theologia *utens*, seu ipsa *Religio* *Act*. XXIV, 14, 15, 16. „Ut qui *credam omnibus*, „*quæ in Lege & in Prophetis scripta sunt*. - Intereà verò „*ipse* (me) *exerceo, ad conscientiam* omni tempore *habendam sine offensâ*, apud Deum, & apud homines. Adde 1 *Tim*. I, 19. 2 *Tim*. I, 13. *Tit*. III, 8.

XLV. *Praxis* denique hæc esto: 1. Theologiam ipsius Dei piè admiremur, & celebremus! *Rom*. XI, 33, 34.

2. Theologiam unionis in Christo Mediatore & Capite nostro ità consideremus, ut per communionem nostram cum ipso, ex illâ plenitudine, nos etiàm pro nostro modulo repleamur! *Joh*. III, 34. I, 16. *Col*. II, 3, 9, 10.

3. Ad Theologiam visionis, in hoc mortali corpore degentes, à Domino peregrinantes, & fide interim ambulantes, aspiremus seriò! 2 *Cor*. V, 1, 6, 7. 1 *Joh*. III, 2. *Matth*. V, 8. cum XVIII, 10. *Phil*. I, 23.

4. Theologiam naturalem sic excolamus, ut ipsa supernaturali, sed verè salutari, ex gratiâ Dei in Christo, perficiatur & sanctificetur! *Rom*. I, 19, 20. *Act*. XVII, 26, 27, 28. cum *Tit*. I, 15, II, 11, -14.

5. Theologiæ nostræ Finem gloriosissimum sic intueamur seriò, & Media ejus propria ac necessaria sic adhibeamus religiosè, ut certò illum consequamur: neque unquàm reprobi, & qui incassùm laboraverimus, deprehendamur! *Hebr*. XI, 1, 13, 14, 16, 26. *Phil*. III, 8, -16. 1 *Cor*. IX, 23, -27.

Caput. II.

DE FIDE.

Quid *vox* aliàs notet; & quid hoc loco. *Quotuplex* Fides. 1. *Fides Divina.* Non potest ei subesse falsum. 2. *Objectiones* solvuntur. 3. Veritas *testimonio Divino* confirmata, quibus modis. *Requisita* ad Fidem constituendam. 4. Necessitas *Notitiæ* probatur. 5. Sententia *Pontificiorum.* *Objectio* solvitur. 6. *Fides implicita*, seu *Carbonaria.* 7. *Assensus* omninò necessarius; exclusâ Dubitatione. 8. *Objectum* Fidei Divinæ in universum. *Fides* merè *historica.* *Fides miraculorum*, activa, & passiva. 9. *Fides Euangelica.* *Temporaria.* 10. *Fides salvifica.* Ejus *fundamentum.* *Justificans.* 11. *Specialis applicatio* probatur contra *Pontificios.* 12. *Objectiones* solvuntur. 13. *Definitur* Fides salvifica. Est *virtus* habitualiter. 14. Quomodò se habeat ad *historicam*, & *temporariam*; itemque *miraculorum.* 15. *Subjectum quod.* 16. *Subjectum quo*; Intellectus. *Objectiones* solvuntur. 17. Ejus *origo.* 18. Efficacia *verbi.* 19. *Analysis fidei.* 20. *Methodus.* 21. *Fructûs.* 22. *Efficacia* ad *praxin pietatis* promovendam. 23. Solvitur *dubium*, An rectè dicatur *virtus*, aut *actûs obedientialis*; cum *objectionibus.* 24. *Usûs practici* hujus doctrinæ, 25.

I. Fides aliàs notat, dictorum conventorumque veritatem & constantiam. Ità dicimus, *Fidem alicui servare*, aut *præstare*; &c. Sed *hoc loco* est Actus credendi; sive, Actus mentis testimonio alterius assensum præbentis: quemadmodùm dicitur, *Fidem alicui habere*, vel *adhibere*. Spectatur hîc *Veritas in testimonio*, sive *in dictis* alterius; & qui de eâ *persuasus* est, *assensum* illi *præbet*, sive *credit*. Græcè πίστις nuncupatur; undè πιστεύω, *credo*; ex præterito passivo πέπεισται, *persuasus est*. Hebraïcè אֱמוּנָה; sed אָמֵן אֱמוּנָה; & אֱמֶת, *veritatem* designant. Verùm pro duplici *Testimonio*, vel *Divino*, vel *Humano*; Fides etiàm vel *Divina* spectari potest, vel *Humana*: quarum prior nunc nostræ considerationis est.

II. *Fides Divina* sequitur *testimonium Divinum*; & propter hujus primam & absolutè perfectissimam veritatem, certissima est & absolutè infallibilis. Sed aliter se habet *fides humana*. *Rom.* III, 4. „Imò esto *Deus* „*verax*; *omnis* autem *homo mendax*.

Hinc *fidei Divinæ* objectivè *non potest subesse falsum*: cùm proprium ejus objectum sit testimonium Divinum, quod necessariò verum est; quandoquidem fieri non potest, ut Deus mentiatur; vel aliquod falsum suo testimonio afferat; & sic credendum proponat. *Num.* XXIII, 19. „*Non est homo Deus*, *ut mentiatur*, &c. *Tit.* I, 2. „*Deus ille mentiri nescius*. *Hebr.* VI. 18. Per „duas res immutabiles, in quibus *fieri non potest*, *ut* „*mentitus sit Deus*, &c. Adde 1 *Sam.* XV, 29. 2 *Tim.* II, 13. *Joh.* III, 33. 1 *Joh.* V, 9, 10.

III. *Obj.* 1. Adam lapsus, fide Divinâ credere debuit, se cum omnibus posteris suis æternùm fuisse condemnandum: hoc tamen falsum fuisse patet ex eventû. Ergo, &c. *Resp.* Credere solùm debuit, se cum posteris

ris reum condemnationis, juxta ſanctionem, *Gen.* II. 17. adeóque condemnandum fuiſſe, niſi ſufficiens remedium interveniſſet: ſed hoc remedium excludere non debuit, aut potuit, fide Divinâ.

Obj. 2. Abraham ſimiliter credere debuit, *Gen.* XXII. filium ſuum Iſaacum per immolationem fuiſſe moriturum: &c. *Reſp.* Imò tantùm, ſe obligatum ad peragendam iſtam immolationem: ſed quid de eâ futurum eſſet, ex eventû, vel aliâ Dei revelatione, diſcere debuit.

Obj. 3. Moſes & Aharon credere debuerunt, aquas ad alloquium ſuum proſilituras fuiſſe ex petrâ; *Num.* XX, 8, & ſeqq. id enim Deus promiſerat: neque tamen factum eſt: ergò, &c. *Reſp.* Miraculum reipsâ ſecutum non eſt ad iſtud ſignum; quoniàm ſignum iſtud non præceſſit; ſed ab illis malè ac diffidenter neglectum fuit. Idem tamen effectus, ad aliud ſignum, ab illis interim adhibitum, ſecutus eſt; juxta promiſſionem Dei generalem, & decretum effectivum, quod eventû manifeſtatum eſt.

Obj. 4. Ezechias credere debuit, ſe brevi poſt alloquium Jeſaiæ moriturum; *Jeſ.* XXXVIII. quod tamen verum non fuiſſe, docuit eventus: ergò, &c. *Reſp.* Imò credere debuit, morbum iſtum ratione gravitatis ſuæ, & virium ipſius, fuiſſe lethalem; atque adeò ejus exitum futurum ad mortem; niſi per ſingularem praxin reſipiſcentiæ, humilemque ac fidelem deprecationem, extraordinariam ſanationem conſequeretur. Hoc autem factum eſt, quemadmodùm Deus ſolet in comminationibus ſæpiùs tacitam conditionem intelligere: *Ierem.* XVIII, 7, 8.

Obj. 5. Diſcipuli credere debuerunt, *Matth.* XVII, 20. Diabolum iſtum ipſorum operâ fuiſſe ejiciendum: quod tamen factum non eſt. *Reſp.* Factum non eſt; quia Diſcipuli non adhibuerunt media neceſſaria, jejunium, preces, & mandatum cùm fiduciâ conjunctum, ut exi-

ret Diabolus. Credere autem solummodò debuerunt, rem successuram fuisse, si media ritè adhibuissent; quod verum erat.

Obj.6. Reprobi, Euangelium audientes, tenentur credere, Christum pro ipsis etiàm mortuum: quod interim verum non est. *Resp.* Tenentur credere quod Euangelio proponitur; & sicut proponitur: sed non absolute, aut immediatè, Christum pro ipsis etiàm esse mortuum. Ad specialem ejusmodi applicationem procedendum est methodo, quam Euangelium præscribit: positis ponendis, &c.

IV. Hîc igitur occurrit veritas testimonio Divino propósita & confirmata, sive ab ipso Deo immediatè: sive mediatè per Angelos, aut Homines Θεοπνεύστους; sive ex istis etiàm per alios: sic tamen, ut ad externa media, accedat interna & immediata Spiritûs Sancti illuminatio & obsignatio. 1 *Thess.* II, 13. „*Gratias agimus Deo* sine intermissione, quòd *acceptum de Deo sermonem*, quem audistis *ex nobis, exceperitis*, non ut sermonem hominum, sed (sicut est verè) *ut Dei sermonem*: *qui etiàm agit in vobis, qui creditis.* 2 Cor. I, 21, 22. „*Qui nos confirmat* vobiscùm *in Christum*, & qui *unxit* „nos, *Deus (est.)* Qui etiàm *obsignavit* nos, *indiditque* „*arrhaabonem Spiritûs cordibus nostris.*

Sic ad hanc Fidem constituendam prorsùs *requiritur*, *tùm* Notitia veritatis Divinæ, *tùm* plenus animi Assensus & acquiescentia in istâ veritate, quia & quatenùs Divina est.

V. *Notitiam* ad Fidem omninò requiri, atque in ejus conceptû involvi, probatur: 1. quia Fides disertè appellatur *Cognitio*, aut *Scientia*, per synechdochen; *Jes.* LIII, 11. „*Scientiâ* sui justificabit justus Servus „meus multos. *Joh.* XVII, 3. Vide sup. cap. 1. th. 2. cum *Hab.* II, 4. „Justus autem *fide suâ vivet.*

Objecta fidei dicuntur etiàm *cognosci* aut *sciri*:
Joh.

Job. XIX, 25. „*Novi*, Redemtorem meum esse viven-„tem. 2 *Cor.* V, 1, 2. „*Scimus* enim nos, si terrestris „hujus domûs tabernaculum dissolutum fuerit, ædifi-„cium ex Deo habituros. Adde *Eph.* I, 17, 18, 19.

2. Cùm Fide *conjungitur Notitia*, tanquàm prorsùs necessaria ad eam constituendam: *Ioh.* VI, 69. „*Cre-„didimus & scimus*, te esse Christum illum, Filium Dei „viventis. 2 *Tim.* I, 12. *Novi* cui *crediderim.* III, 15. „Quæ (SS. Literæ) te possunt *sapientem reddere* ad sa-„lutem, per *fidem*, quæ est in Christo Jesû.

3. Ex ejus *origine*, aut *modo productionis*: *Rom.* X, 17. „Ergò *fides ex auditû* (est); auditus autem *per* „*Verbum Dei*. Veritas Verbo Dei proposita, auditû percipi debet; atque ità cognosci; ut Fides homini in generetur. Undè etiàm monet Apostolus, Col. III, 16. „*Sermo Christi* inhabitet in vobis copiosè *cum omni* „*sapientiâ*.

4. Ex *requisito consequente*: *Rom.* X, 9, 10. „*Si pro-„fessus fueris ore tuo* Dominum Jesum, & *credideris in* „*corde tuo*, quòd Deus eum suscitavit ex mortuis, ser-„vaberis. Nam *corde creditur* ad justitiam; *fit* autem „*ore professio* ad salutem. 1 *Petr.* III, 15. „(*Estote*) verò „semper parati ad *respondendum* (πρὸς ἀπολογίαν) „cum lenitate & timore, *cuivis petenti* à vobis *rationem* „ejus quæ in vobis est *spei*. *Matth.* XII, 32. — Quisquis „igitur *agnoscet Me coram hominibus*; agnoscam & Ego eum coram Patre Meo, qui est in cœlis. At verò Confessio illa, sive Agnitio coram hominibus, Notitiam omninò prærequirit, tanquàm Fide comprehensam.

VI. Errant ergò *Pontificii*, dùm asserunt, Fidem tantùm esse viam & gradum ad Notitiam; imò meiùs per Ignorantiam describi, quàm per Notitiam.

Obj. Jes. VII, 9. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Ergo Fides tantum est conditio prærequisita, & gradus

ad Intelligentiam. *Resp.* 1. Vitiosa est Vulgata Versio Latina in membro posteriori. Textus Hebraïcus habet; *non confirmabimini*; sive, *non eritis stabiles*. 2. Fides unius veritatis potest esse via & gradus ad cognoscendam aliam veritatem, quæ virtualiter in priori continetur. Undè tamen non sequitur, Fidem esse tantùm viam, &c. aut non statim involvere Notitiam illius veritatis, quæ actû creditur.

VII. Iidem mirum in modum prædicant *Fidem implicitam*, quam etiàm *Carbonariam* appellant; ut quis simpliciter credat, quod Ecclesia credit. Sed qui ignorat quid credat Ecclesia, non magis verè istud dicere potest; quàm cœcus, se ea videre quæ alii vident.

Obj. Atqui admittenda est Fides implicita: scil. ut credas vera esse, quæcunque Verbo Dei comprehensa sunt; quamvis omnium & singulorum explicitam Notitiam atque Intelligentiam non habeas.

Resp. Fides istic implicita est, quousque Notitia implicita: sed non simpliciter & tantùm implicita; non certè circa ipsa principia, & articulos potissimùm fundamentales Religionis Christianæ.

VIII. At non sufficit qualiscunque Notitia: hæc enim in profanis irrisoribus, Fidem minimè habentibus, frequenter reperitur: 2 *Petr.* III, 3, 4. Assensus omninò necessarius est; seu veritatis, quæ in Verbo illo inest, pia Agnitio. *Hinc* Joh. III, 33. „Qui *recipit* „*ejus testimonium*, is *obsignavit Deum veracem esse*. 1 *Joh.* V, 9, 10. „Si testimonium hominum *accipimus*, *testi*„*monium Dei majus* est: nam hoc est *testimonium Dei*, „quod testificatus est de Filio suo. Qui *credit in Filium* „*Dei, habet testimonium in seipso*; qui *non credit*, *Deo*, „*mendacem eum facit*; quia non credidit testimonio, quod testificatus est Deus de Filio suo.

Quin imò sicut *objectivè* hîc nobis proponitur Veritas Divina, absolutè summa & infallibilis; ità *subjectivè* Assensus debet esse firmissimus, omnem Dubitatio-

nem excludens: *Rom.* IV, 18,-21. „(Abrahamus) „*contra spem sub spe credidit*, - Ac *minimè infirmus fide*, „*non addubitavit incredulitate*: sed *corroboratus fuit fide*, „tributâ gloriâ Deo. Ac *plenè certioratus est*, (cum) „quod promiserat, posse etiàm efficere, *Jac.* I, 6, Po„stulet cum *fide*, *nihil ambigens*.

Quod æquè de rebus futuris accipiendum, acsi jàm „præsentes essent: summam enim certitudinem nobis „præstat Verbum Dei. *Hebr.* XI, I. „Est autem *fides*, „*illud quo subsistunt quæ sperantur*, & *qua demonstrat* „*quæ non cernuntur*. *Rom.* VIII, 25. „Si verò *quod non* „*videmus*, *speramus*, (nempè) per tolerantiam expe„ctamus. 38. „Nam *mihi persuasum est*, &c.

IX, *Objectum* Fidei Divinæ *in universum* est omne Verum Auctoritate Divinâ propositum & confirmatum. *Act.* XXIV, 14. Vide sup. cap. I. th. 32.

At siquis generatim solummodò credat, absque speciali applicatione,& spirituali fiduciâ,per gratiam duntaxat illuminantem & persuadentem; hæc *Fides* merè *historica* est: de quâ *Jac.* II, 19. Vide sup. cap. I. th. 10. Confer *Act.* XXVI, 27, 28.

Si effectus aliquis miraculosus spectetur, *Fides miraculorum* dicitur.

Hæc verò *activa* est in eo, qui miraculi patrandi causa instrumentalis moralis existit: *Matth.* XVII, 20. „Si habeatis *fidem*, quantulum est granum sinapis, *di*„*cetis monti huic*, *Transgreditor hinc illùc*; *& transgre*„*dietur*: *& nihil impossibile erit vobis*. Adde I Cor. XIII, „2. *Marc.* XVI, 17, 18. *Matth.* VII, 22, 23.

Passiva est in eo, qui effectum miraculosum recipit. *Matth.* IX, 29. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: „*Secundùm fidem vestram fiat vobis*. Adde *Actor*; XIV, 9, 10.

X. *Speciatim* tamen hic ea consideranda veniunt, quæ ad Fœdus Euangelicum pertinent, ad reconciliationem.

liationem nostrî cum Deo, & salutem per Christum; quæ est *Fides Euangelica.*

Si hæc solido fundamento & vivâ radice destituatur, atque interim gaudium aliquod temporarium ex perceptâ rei bonitate ac novitate adferat, *Fides temporaria* vocatur. *Matth.* XIII, 20, 21. „Qui vero in „petrosa semen excepit, is est, qui sermonem audit, „& eum statim *cum gaudio* accipit. *Non habet* autem „*radicem in sese,* sed *temporarius* est: ortâque afflictione, „vel persecutione, propter sermonem, statim *offenditur.* Adde *Hebr.* VI, 4, 5. *Actor.* VIII, 13, 21.

XI. At si pertendat ad veram unionem & communionem cum Christo, auctore vitæ spiritualis & salutis æternæ, adeóque actûs spiritualiter vitales & salutares producat, *Fides salvifica* nuncupatur. *Marc.* XVI, 16. „*Qui crediderit, servabitur.* *Eph.* II, 8. Gratiâ „enim illâ estis *servati per fidem.* Adde *Joh.* III, 16, 36. *Rom.* X, 9, 10, 11.

Hæc *nititur* duplici *testimonio Dei*; *exteriori*, in libro Scripturæ & prædicatione Euangelii: *Rom.* X, 17. Vide sup. th. 5. & *interiori*, in libro conscientiæ nostræ; ubi Spiritus Sanctus vitam spiritualem operatur, atque istam gratiam salutarem spiritui nostro attestatur. *Eph.* II, 5. „Etiàm nos, cùm in offensis *mortui* esse„mus, unà *vivificavit* cum Christo; (cujus) gratiâ estis „servati. 10. „Nam *ipsius sumus opus, conditi* in Chri„sto Jesu ad opera bona. I, 13, 14. „In quo etiàm *fi„de* (*ipsi*) *habitâ obsignati* estis *per Spiritum* illum pro„missionis *Sanctum:* Qui est *arrhabo hæreditatis nostræ,* „&c. Adde *Rom.* VIII, 2, 9, 14, 15, 16. 1 *Cor.* II, 12. 2, 1, 22. *Eph.* IV, 30.

Eadem quoque *Fides justificans* appellatur; quatenus videl. credimus, in Christum nobis à Deo factum justitiam: 1 *Cor.* 1, 30. & sic justificationem accipimus: *Rom.* I, 17. „*Justitia Dei* per illud (Euangelium) „retegitur ex *fide* in *fidem*; sicut scriptum est; (*Hab.* ii, 4.)

Justus

„*Justus* verò *ex fide vivet*. Adde *Cap*. III, 21, 22, 24-28. IV, 5; 22, -25. V, 1, 11; 18, 19. X, 3, 4, 10.

XII. Ineſt igitur in fide ſalvificâ *ſpecialis Applicatio bonorum Euangelicorum*. Probatur hoc contra *Pontificios*; 1. ex profeſſione fidelium: *Gal*. II, 20. „Vivo „per *fidem illam Filii Dei*, qui *dilexit me*, & *tradidit ſemet* „*ipſum pro me*. *Pſal*. XXIII, 1, - „Jehovah *paſtor meus* „(eſt): *non deficiam*. In tuguriis germinis *accubare fa-* „*cit me*, &c. Etiamſi ambulavero per vallem umbræ mortis, *non timebo malum*; quoniàm *Tu mecùm es*: &c. Adde *Job*. XIX, 25, *Phil*. I, 21, 23. *Rom*. VIII, 33, - 39. X, 9, 10. 2 *Cor*. V, 1, 2, 6. cum 2 *Cor*. IV, 13. „Quoniàm „habemus *eundem Spiritum fidei*, ſecundùm illud quod „ſcriptum eſt, (*Pſal*. CXVI, 10.) *Credidi*, & ideò *lo-* „*cutus ſum*, *nos* quoque *credimus*, quamobrem etiàm „*loquimur*. 2 *Petr*. I, 1. - „*æquè pretioſam fidem nobiſcùm* „ſortitis. Ac porrò verſ. 3. 4. „Prout Divina vis ip- „ſius *omnia nobis donavit*, quæ ad vitam & pietatem „(pertinent), *per agnitionem* illius qui vocavit nos ad „gloriam ac virtutem: Ex eo quod *maxima illa nobis* „*ac pretioſa promiſſa donavit*, &c.

2. Ex Spiritû illo fidei: 2 *Cor*. IV, 13. qui ſingulos verè Chriſtianos ducit: *Rom*. VIII, 9, 14. & docet ea, quæ Deus nobis gratificatus eſt: 1 *Cor*. II, 12. idemque eſt Spiritus adoptionis; teſtificans ſpiritui noſtro, nos eſſe filios & hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti: *Rom*. VIII, 15, 16, 17. eſtque arrhabo hæreditatis noſtræ cœleſtis, 2 *Cor*. I, 21, 22. *Eph*. I, 13, 14. IV, 30.

Quo etiàm 3. pertinet Calculus albus; & novum Nomen calculo iſti inſcriptum, quod ille ſolus novit, qui ipſum accipit; & Manna occultum: *Apoc*. II, 17.

4. Ex effectis: animi ſcil. fiducia, & libertate apud Deum, orta ex fide: *Eph*. III, 12. *Hebr*. IV, 16. ſpei robore: *Hebr*. XI, 1. & gloriatione, in ipſis etiàm adverſis, *Rom*. V, 2, 3.

XIII. *Obj*. 1. Objecta credenda paſſim terminis gene-

generalibus proponuntur: ergo, &c. *Resp.* Sed alibi quoque docetur specialis applicatio, ejusque modus ac methodus.

Obj. 2. Specialis ista applicatio carnalem securitatem inducit: &c. *Resp.* Neg. Imo ad pietatem promovendam validissima est: quô enim magis cognoscimus singularem Dei & Christi erga nos charitatem; eô magis obligamur ad gratitudinem, novam obedientiam, reverentiam, ac dilectionem vicissim præstandam. 1 *Joh.* III, 1, 2, 3. IV, 19. 2 *Cor.* V, 14, 15.

XIV. Ex superioribus conficitur *definitio*; Fides salvifica est virtus Theologica, qua Divinam veritatem eorum, quæ Deus Verbo suo revelavit, agnoscimus; & bona Euangelica speciatim ac fiducialiter nobis applicamus, per Spiritum Sanctum.

Virtutem dicimus habitualiter: quia in subjecto permanet; & actûs, tùm eliciti, tum imperati ex eâ producuntur. 2 *Tim.* I, 5. ,,Memoria repetens eam, quæ ,,*in te est*; non simulatam *fidem*, quæ *habitavit prius in* ,,aviâ tuâ *Loïde*, & matre tuâ *Eunicâ*; persuasus sum ,,autem, quod *in te* quoque. *Luc.* XXII, 32. Ego de- ,,precatus sum pro te, *ne deficiat fides tua*. *Eph.* III. 12. ,,In quo habemus *loquendi libertatem*, & *aditum cum fi-* ,,*duciâ, per fidem* ipsius. 17. ,,Ut *inhabitet Christus per* ,,*fidem in cordibus vestris*. *Galat.* V, 6. ,,*Fides per cha-* ,,*ritatem operans.*

XV. *Fides salvifica* eminenter in se continet id quod in merè *historicâ* & *temporariâ* inest: *illa* enim vera ac solida virtus Theologica est, ad vitam spiritualem pertinens; undè ejus expertes, dicuntur alienati à vitâ Dei, *Eph.* IV, 18. *hæ*, quasi umbræ, aliqualem ejus similitudinem mentiuntur; atque in multis, vitâ spirituali destitutis, existunt.

Consequenter, quæ th. 9, 10, & 11. proposita est *distinctio*, potiùs est vocis ambiguæ in sua significata; quàm generis in suas species: perperam verò crimi-

nantur Pontificii, plures à nobis Fidei species constitui. Graviter item errant *Remonstrantes*; ubi fidem salvificam à temporariâ non essentialiter, sed solâ duratione, distinguunt.

Similiter *Fides miraculorum*, ubi cum *salvificâ* in eodem singulari subjecto existit, non differt ab eâ realiter; sed tantùm respectû quodam ad objecta & effecta. Cæteroquin *Fides miraculorum* etiàm potest esse solùm *historica & temporaria*; cum adjuncto modo extensionis ad effecta miraculosa.

XVI. Fidei salvificæ *subjectum quod* sunt Homines electi efficaciter vocati. Hinc disertè *Fides electorum Dei* appellatur; *Tit.* 1, 1. & *credidisse* dicuntur, *quotquot ad vitam æternam erant ordinati*; *Act.* XIII, 48. atque item *prædestinati ad conformitatem imaginis Christi*, & sic porrò *vocati*; *Rom.* VIII, 29, 30.

Sed *fides merè historica*, *temporaria*, ut & *miraculorum*, reprobis quibusdam obtingunt: Ac talis ex consequenti agnoscenda est in omnibus, qui deficiunt ad æternam perniciem: 1 *Joh.* II, 19. „E *nobis egressi* „sunt; sed *non erant ex nobis*: nam *si fuissent ex nobis*, „*permansissent utique nobiscum*: sed (egressi sunt ex no„bis) ut patefieret, *non omnes esse ex nobis*.

XVII. *Subjectum quo* propriè & formaliter est Intellectus: ad hunc enim pertinet veritatem percipere, discernere, eique assentiri, etiàm cum speciali applicatione. Intellectus tamen sine Voluntate non existit, neque operatur: atque adeò dùm Intellectus in hoc negotio occupatur circa verum, quatenùs tale est, quod idem interim etiàm bonum est; Voluntas per Fidem excitata, in illud etiàm fertur; quatenùs bonum est; expetendo, diligendo, obedientiam imperando; & præstando, &c. qui tamen *imperati actûs Fidei* sunt; non *eliciti*.

Obj. 1. *Corde creditur*; *Rom.* X, 10. Cor autem voluntatem designat; non intellectum: ergo, &c. *Resp.*

Cor metonymicè & synecdochicè notat facultates interiores; etiàm intellectum. 1 *Reg.* III, 9. *Psal.* XIV, 1. cum X, 4.

Obj. 2. Fides est receptio boni sub ratione boni, & intima unio cum eodem: *Ioh.* I, 12. „Quotquot *ex-* „*ceperunt eum*; qui *credunt*. *Resp.* 1. Imò est perceptio, vel apprehensio veri, sub ratione veri, propter auctoritatem Divinam; ad quam sequitur receptio boni, ut talis, in voluntate: quatenùs istud verum, simul quoque bonum est. 2. Intima unio cum bono non est ipsa fides formaliter; sed ejus effectus. 3. *Ioh.* I, 12. dicuntur credentes, Christum excipere; sed per intellectus assensum testimonio Divino habitum.

Obj. 3. Fides est actus electionis; & sic fertur in bonum, quod istâ ratione fit nostrum: *Ioh.* VI, 35. „Qui *venit ad me*: qui *credit in me*. Ergò ad Voluntatem pertinet. *Resp.* 1. Non est formaliter actus electionis; sed assensûs: licet hunc etiàm sequatur electio voluntatis. 2. Credendo quod Christus sit nobis caussa salutis æternæ, intellectû formaliter in ipsum ferimur, & circa ipsum occupamur, ut verè talem; quanquam porro etiam voluntate & affectibus in ipsum ferimur, ut bonum: verùm isti sunt imperati actûs fidei.

Obj. 4. Fides, quâ credimus non tantùm Deum, aut Deo, sed in Deum, est vera & propria fiducia; quæ significat electionem & apprehensionem sufficientis ac idonei medii, in quo fundatur persuasio & expectatio boni futuri. *Psal.* LXXVIII, 22. „non *crediderunt in Deum*, neque *confisi erant in salute ejus*. Sic credere in Deum, est credendó adhærere Deo, ipsi inniti, in ipso acquiescere, tanquam in vitâ ac salute nostrâ omnisufficiente. *Deut.* XXX. 20. „*adhærendo ei*: „*nam ipse est vita tua*. *Resp.* 1. Fateor, quod credere

in

in Deum aliquando saltem idem notet ac assentiri testimonio Divino speciali, de salutari communione cum ipso: attamen ista fides non est formaliter fiducia, sed est ejus causa: *Eph.* III, 12. 2. Fides quidem est apprehensio sufficientis & idonei medii, in quo fundatur certissima expectatio boni futuri: at tunc medium illud spectatur sub ratione veri, testimonio Divino nobis confirmati. Sed non est propriè electio. 3. Fiducia rectè Fidei adjungitur, ut effectus suæ causæ: non verò ut ejus ratio formalis. 4. Adhærere Deo per voluntatem, sic ipsi inniti, & in ipso acquiescere, tanquàm in vitâ & salute nostrâ, sunt etiàm fructûs fidei, & actûs imperati.

Obj. 5. Crediturus, ex miseriæ sensû, & omnimodæ liberationis, cùm in se, tùm in aliis, defectû, necesse habet, se dedere Deo in Christo, tanquàm Servatori sufficienti, & fideli: hoc autem fieri non potest, nisi per consensum voluntatis: ergò, &c. *Resp.* Deditio ista non est formalis actus fidei; sed consequens, & imperatus.

Obj. 6. Particularis ista certioratio intellectûs, in quibusdam deest ad tempus: qui tamen fidem veram in cordibus suis habent interim latentem. *Resp.* 1. Ubi in verè fidelibus actualis illa certioratio deest ad tempus, non tamen deest habitualis certitudo. 2. Ut quandoque deest actualis illa certioratio, ità non minùs interdùm deest actualis fiducia, & cordis acquiescentia in Deo per Christum, tanquàm in vitâ ac salute nostrâ omnisufficiente.

XVIII. Ad Fidei illius *originem* quod attinet; probatur *Dei* efficientia in hoc negotio, eaque realis hyperphysica; 1. ex eo, quòd non alii quàm *docti à Deo, & tracti*, qui audiverunt à Patre, & didicerunt, veniant ad Christum, & credant: *Joh.* VI, 44, 45. Au-

diverunt videl. ſermonem Dei vivi, qui verè eſt incorruptibile *ſemen regenerationis* noſtræ: 1 *Petr*. I, 23.

2. In prædicatione Euangelii, neque is qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed Deus qui *dat creſcendi vim*: 1 Cor, III, 7. qui *adaperit cor*, ad attendendum iis, quæ per Miniſtros dicuntur; exemplo Lydiæ: *Act*.XVI, 14.

3. *Ex nobis ipſis non* ſumus *idonei* ad cogitandum quicquam; ac proindè neque ad credendum: ſed *omnis aptitudo noſtra à Deo* eſt: 2 *Cor*. III, 5, 6. qui nos *diſcernit*; & à quo *accepimus*, quicquid habemus: 1 *Cor*. IV. 7. qui nobis *dat*, etiàm *credere* in Chriſtum: *Phil*. I, 29. *Eph*.II, 8. *revelatus myſteria Regni cœlorum*, & communicans beneficia ſalutaria, quibus ipſi ſecundùm electionem placet: *Matth*.XI, 26, XIII, 11. *Act*. XIII, 48. *Rom*.VIII, 30.

4. Speciali appropriatione appellatur propterea *Spiritus fidei*; 2 *Cor*. IV, 13, *ſine quo nemo poteſt dicere Jeſum Dominum*: 1 Cor. XII. 3. Atque hoc contra *Pelagianos*, eorumque ſequaces, tenendum. Sed pluribus eandem veritatem aſtruemus ac defendemus infrà in cap. de Vocatione & regeneratione.

XIX. Interim neque Verbi Divini, aut Euangelii prædicati, efficacia hîc omittenda eſt. Diſertè Paulus, *Rom*. I, 16. „Non me pudet *Euangelii* Chriſti, *potentia* ſiquidem *eſt Dei* ad ſalutem cuivis *credenti*. Et *cap*. X. 17. Vide ſup. th. 5. §. 3. Verùm iſta efficientia propriè moralis eſt, per modum ſigni ad auditum ordinati, & ſignativè nobis repræſentantis veritates credendas: Attamen neceſſe eſt, ut efficacia realis hyperphyſica Spiritûs Sancti ad moralem illam accedat; cæteroquin ea effectum ſuum non ſortiretur. 1 *Cor*. III, 7. Quod probè diſtinguendum, propter *Swenkfeldianos*, & *Lutheranos*. Verbum quidem aptitudinem ſuam moralem & ſignativam habet procul dubio; ſed majori virtute opus eſt, ut homo prorsùs corruptus,

ptus, & spiritualiter mortuus, illi credat ad salutem. Hinc Spiritus Sanctus dicitur nobis *indere cor novum*, *Ezech.* XXXVI. 26. nos *iterùm creare*; 2 *Cor.* V, 17. *resuscitare*; *Eph.* II. 5. & *regenerare*. *Joh.* III, 5. Atque ità non solùm praestat, ut homo credere possit, si velit; sed etiàm, ut actû credat: quod contra *Jesuitas*, & *Remonstrantes*, observandum.

Obj. Sic videbitur Deus in nobis credere; non nos ipsi: quod absurdum. *Resp.* Neg. Deus in nobis efficit & ipsum Velle, & ipsum Agere; *Phil.* II, 13. interim nos formaliter Volumus, & Agimus. Similiter nos per gratiam Deí, & ex Spiritû fidei, Credimus: & consequenter etiàm Loquimur: 2 *Cor.* IV, 13.

XX. Ex superioribus sequitur, quid dicendum sit de *Analysi Fidei*. Si enim objectivè spectentur veritates credendae, analysis erit in Verbum Dei, quo veritates istae nobis innotuerunt, & quod supremam atque infallibilem auctoritatem habet, ut ipsi assentiamur in omnibus sic propositis, & confirmatis. Vide sup. th. 2. Verùm si subjectivè spectetur actus credendi in nobis; quâ scil. virtute effectum sit, ut nos non solùm credere potuerimus, sed reipsa etiàm credamus; cùm alii multi, quibus idem Verbum quoque fuit propositum, non credant tamen; analysis erit in Deum aut Spiritum Sanctum, cujus reali & hyperphysicâ virtute hoc in nobis effectum est: ut jàm probatum, th. 18. & 19.

XXI. *Methodus* autem potissimùm est hujusmodi: Spiritus Fidei in nobis operans, ipsumque habituale donum Fidei sese in actûs secundos exerens, efficit 1. ut peccata, corruptionem, vilitatem, turpitudinem, & universam miseriam nostram cum displicentià ac dolore agnoscamus; humiliter de nobis ipsis sentiamus, nos ipsos judicemus, atque in nobis, quantum ad nos ipsos & nostra, attinet, desperemus: *Matth.* IX, 13. XI, 28. *Jerem.* II, 19. 1 *Petr.* V, 5. 6. 1 *Cor.* XI, 31. *Jerem.* XVII, 5, 6. Quod est antecedens & praerequisitum

necessarium ad formales actus Fidei salvificæ:

2. Ut agnoscamus supremam, eamque salutarem veritatem universæ doctrinæ Scripturariæ: & speciatim Promissionum Euangelicarum; atque adeo plenitudinem gratiæ & salutis in Christo, ac admirandam Dei misericordiam in isto Mediatore: *Act.* xxiv, 14. *Rom.* 1, 16, 17. iii, 25. *Ioh.* 1, 16, 17. 1 *Tim.* ii, 5, 6. 1 *Ioh.* ii, 1, 2. Hoc autem pertinet ad Fidem generalem & Euangelicam.

3. Ut serio nobis expetamus unionem & communionem Christi, hoc bonum desideremus, hanc justitiam esuriamus & sitiamus; *Ies.* i, 19. lv, 1. *Psal.* xlii, 1, 2, 3. *Apoc.* xxii, 17. *Matth.* v, 6. *Phil.* iii, 9. Qui est actus imperatus fidei generalis Euangelicæ, & necessarium prærequisitum specialis fidei salvificæ.

4. Ut juxta promissiones Euangelicas, ex desiderio isto spirituali, attestante etiam Spiritu Sancto in nobis, agnoscamus Christum esse nostrum Servatorem; sic eum singuli recipiamus, ac nobis applicemus, vicissim apprehendentes eum, qui nos apprehendit prior: 2 *Cor.* iv, 13. *Rom.* viii, 16. *Ioh.* i, 12. 2 *Tim.* 1:12. *Gal.* ii, 20. *Phil.* iii, 12. Qui est formalis actus fidei salvificæ.

5. Ut porro agnoscamus, nos in communione Christi participes esse omnium & singulorum ejus beneficiorum; sic habere remissionem peccatorum, & jus vitæ æternæ: 1 *Ioh.* 1, 3. 1 *Cor.* 1, 30. *Act.* x, 43. *Ioh.* iii, 16, 36. v, 24. Qui est posterior actus, attamen etiam proprius, & elicitus, fidei salvificæ; cum quâdam consequentiâ.

6. Ut Patrem illum cœlestem, adeo misericordem ac beneficum, & Servatorem unicum perfectissimum, qui nos prior tantopere dilexit, vicissim diligamus, & sincerâ gratitudine ac novâ obedientiâ prosequamur jugiter: 1 *Ioh.* iv, 19. 2 *Cor.* v, 14, 15. *Psal.* cxvi, 1, 12, 13.

13. *Rom.* XII, 1, 2. *Tit.* II, 11, 12, 14. Qui est actus imperatus fidei salvificæ.

7. Ut observemus omnes actûs jàm commemoratos, eorumque sinceritatem in nobis: indè colligamus, nos esse verè fideles, translatos in statum gratiæ & regnum lucis, ac verè consortes bonorum modò recensitorum: atque adeò confidamus fore, ut potenter custodiamur, ac perficiamur ampliùs, virtute Dei & Christi; & suo tempore transferamur etiàm in statum gloriæ: 2 *Cor*, XIII, 5. 1 *Petr.* II, 9. *Eph.* V, 8. *Rom*, V, 1, -11. VIII, 17. 23, 24, 25; 31, -39. 1 *Petr.* 1, 5, -9. 1 *Thess.* V, 23, 24. 2 *Tim.* IV, 7, 8.

XXII. *Fructûs fidei* sunt saluberrimi, in quibus maximè *capitalis* est, 1 *unio & communio nostra cum Christo*, vitæ ac salutis æternæ causâ verissimâ; quem Verbo & Spiritû sic nobis propositum atque oblatum, credentes recipimus, amplectimur, tenemus; ut ipso, cum omnibus suis beneficiis, deinceps beati fruamur: *Ioh.* 1, 12. cum *Hebr.* XI, 11. ac porrò, *Ioh.* XV, 4. XVII, 20, 21. *Gal.* II, 20. *Cant.* II, 16.

Undè statim resultant, 2 *Justitia coram Deo*; immunitas à reatû, & jus vitæ æternæ, in isto Servatore nostro: *Rom.* I, 16, 17. III, 21, -28. VIII, 30. *&c.* X, 9, 10.

3. *Pax & Amicitia cum Deo*, quæ omnem mentem exsuperat: *Rom.* V, 1, 10, 11. *Phil.* IV, 7. *Coloss.* I, 19, 20, 21.

4. *Dignitas Filiorum Dei*; ex Adoptione, in illo verè unigenito & ὁμοουσίῳ: *Ioh.* 1, 12. *Gal.* III, 26.

Porrò autem hinc ampliùs promanant, 1. *Filialis libertas & fiducia* accedendi ad Patrem illum cœlestem: *Rom.* V, 2, VIII, 15, 16. cum *certâ persuasione*, quòd orationes nostræ exaudiendæ sint: 1 *Ioh.* V, 14, 15. *Matth*, V, 5, -11. XXI, 22. *Iohan.* XIV. 13, XV, 7, XVI, 34. *Iac.* 1, 5.

2. *Ius civitatis, familiæ, & hæreditatis cœlestis*; quæ

nobilissima & gloriosissima sunt privilegia: *Eph.* II, 18, 19. *Hebr.* XI, 9, 10, 13, 14, 16. *Phil.* III, 20, 21. *Rom.* VIII, 17.

3. *Victoria* mundi, aliorumque hostium & adversorum, in Duce & Capite nostro, qui prior vicit, & nos vincere facit: 1 *Ioh.* V, 4, 5. *Rom:* VIII, 37. *Ioh.* XVI, 31, 33.

4. *Exultatio pia*, & *Gloriatio humilis*, in tantâ illâ salute, & tàm admirandâ Dei gratiâ: *Rom.* V, 2, 3, 11. *Jac.* I, 2, 9.

Imò *insuper*, arctissimo nexû beneficiis illis *gloriosis* implicata sunt hæc *honesta & sancta*, 1. *Inhabitatio & vita ipsius Christi in nobis*; qui manifestè ostendit, qualis ipse sit; & nos imagini suæ similes reddit: *Ephes.* III, 17. *Gal.* II, 20. *Ioh.* XV, 4, 5. *Rom.* VIII, 29. 2 *Cor.* III, 18.

2. *Cordis & conscientiæ nostræ intima purificatio*; quatenùs hunc sanguinis Christi effectum & hanc Spiritûs Sancti virtutem, fide etiàm recipimus: *Act.* XV, 9. *Tit.* I, 15. *Joh.* XV, 3. *Hebr.* IX, 14. 1 *Cor.* VI, 11.

3. *Efficacia per charitatem*; dùm in veritate etiàm observamus bonitatem Dei & Christi, ejusque imaginis in proximo nostro; atque adeò fides actûs charitatis imperat: *Gal.* V, 6. 1 *Joh.* IV, 19. 2 *Cor.* V, 14, 15.

4. *Sancta totius vitæ, & omnium actionum nostrarum, gubernatio*: adeò ut, quicquid ex fide non est, peccatum sit: *Rom.* XIV, 23. & fides cooperetur operibus bonis, atque ex illis perficiatur; h. e. signativè vera ac viva declaretur, seu probetur, demonstratione τῦ ὅτι: *Iac.* II, 22. confer 2 *Cor.* XII, 9. Non verò formaliter iis perficiatur, quasi charitas esset forma fidei; quod perperàm contendunt *Pontificii*; cùm virtutes illæ specie differant: 1 *Cor.* XIII, 13. Quin & *opus fidei* celebratur, 1 *Thess.* I, 3. *Joh.* VI, 29, 30. re-

spectû

ſpectû praxios perpetuæ, quam requirit; & actuum tùm elicitorum, tùm imperatorum.

XXIII. Quò clariùs pateat fidei efficacia ad praxin pietatis promovendam, paucis adhùc notamus iſta ſequentia. 1. Per fidem ex Chriſto, & Spiritû Sancto, accipimus vires operandi ſpiritualiter.

2. Agnoſcimus normam nobis præſcriptam, tàm accuratè nos obligantem; atque adeò neceſſitatem præcepti.

3. Praxin iſtam Deo glorioſam, atque in Chriſto gratam eſſe; ſimulque nobis ſalutarem, tùm ut hic fruamur pace conſcientiæ ac beatitudine inchoatâ, tum ut eâdem viâ ac methodo adeamus poſſeſſionem & fruitionem hæreditatis ac gloriæ cœleſtis.

4. Univerſa Theologia noſtra, & potiſſimum doctrina gratiæ Euangelicæ, multis modis praxin accuratiſſimam, ſinceram, ac perpetuam, poſtulat: dum enim credimus Sanctitatem Jehovæ, & voluntatem ipſius eſſe ſanctificationem noſtram; facilè intelligimus, quid amicos & filios ipſius deceat: dum credimus Chriſtum, caput noſtrum ſanctiſſimum, vitamque, & mortem, ac reſurrectionem ejuſdem; omnia talem immutationem & conformationem requirunt, dum credimus, nos juſtificatione abſolvi à priori miſeriâ, & vitam æternam nobis adjudicari; quomodo peccatis ſerviemus amplius? quomodo non omni ſtudio incumbemus ſanctitati, quæ in vitâ æternâ non minus comprehenditur, quàm ipſa gloria? &c.

XXIV. Supereſt *dubium*, An fides Euangelica, & ſalvifica, rectè dicatur virtus, aut actus obedientialis Lege Divinâ præſcriptus? *Reſp.* Aff. quatenus primo Decalogi præcepto obligamur ad unius veri Dei rectam agnitionem; ac proindè etiam ad fidem omnium, ipſius auctoritate nobis propoſitorum & confirmatorum: quod ad veritates Euangelicas quoque extendi debet, ex hypotheſi iſtius revelationis.

Obj. 1. Omnis obedientia debet esse voluntaria: atqui Fides ad intellectum pertinet: ergò. *Resp.* Non credimus tamen actû, nisi concomitante voluntate: atque hactenus fides nostra etiàm voluntaria est.

Obj. 2. Fides ad Euangelium pertinet; cujus non est, actum obedientialem præscribere. *Resp.* Euangelium objecta sic credenda proponit; & promissiones addit, ut alacrius credamus: sed obligatio formaliter, quod credere debeamns, ad Legem pertinet.

Obj. 3. Theologi admodum solicitè Fidem à bonis operibus distinguunt. *Resp.* Fidei peculiaris est ratio, & valdè distincta à reliquis actibus obedientiæ, seu bonis operibus: quod satis manifestum evadit, si spectetur, 1. ejus subjectum quo; 2. objectum formale; 3. specialis usus ac respectus in negotio justificationis nostræ; & 4. ratio principii ad alios actûs obedientiæ. Atque hoc observandum contra *Socinianos* & *Remonstrantes*.

Obj. 4. Sic Fides erit species Observantiæ; â quâ tamen in Divisione Theologiæ cap. 1. th. 44. contradistinguebatur. *Resp.* Contradistinguitur tantum ratione objectorum, quæ traduntur in priori parte Theologiæ; & à nobis creduntur, non aguntur, aut fiunt: ad posteriorem vero partem referuntur agenda.

XXV. Ad *praxin* interim 1. revocetur *Methodus* jam indicata & confirmata th. 21.

2. Animum addant Fructûs illi præstantissimi, de quibus th. 22.

3. Sinceritatem vero exploremus potissimum, juxta quatuor postremos Fructûs ibidem propositos; collatis etiam iis, quæ th. 23. breviter notata sunt.

CAPUT III.

De Sacrâ Scripturâ.

Verbum Dei duobus modis consideratur. 1. *Scriptura*, quid hoc loco. Quomodò à Deo *inchoata*; & *perfecta*. 2. Ejus *definitio*: *Genus*. 3. *Causa efficiens princeps*; & *ministra*. *Subjectum recipiens*. *Finis proximus*: *ulterior*: *ultimus*. 4. *Partes* S. Scripturæ: *Libri Canonici*. 5. *Libri V. T.* Eorum *distributio*. 6. *Apocryphi*, perperàm illis adjecti à *Pontificiis*. *Conditiones*, quæ libros Canonicos faciunt. *Signa*, unde tales cognoscuntur. 7. *Libri N. T.* Eorum *distributio*. 8. *Editio* S. Scripturæ. *Primaria*. 9. *Librorum V. T.* Linguâ Hebraicâ. 10. *Particula* Chaldaicæ. De *Proselytis*. 11. *Librorum N. T.* Linguâ Græcâ. Quarè: *Euangelium Matthæi*; *Marci*. *Epistola ad Hebræos*. 12. *Editio secundaria*. *Translationum* necessitas probatur, contra *Pontif.* 13. *Attributa*. *Auctoritas*. 14. Hæc ab auctore *Deo*. Non ab *Ecclesiâ*; contra *Pontif.* 15. Solvuntur *Objectiones*. 16. Ejus *cognoscendæ Causa externa ministerialiter adjuvans*. 17. Principalior. 18. *Causa interior*. Non Enthusiasmus. 19. Αὐθεντίας *normæ*. *Historiæ* tantùm. 20. Auctoritas Divina convenit *toti S. Scripturæ*, & singulis ejus partibus, &c. 21. SS. Scriptores nusquàm *errârunt*. Nulla vera *dissensio*. Non loquuntur *secundùm erroneam hominum opinionem*. 22. *Apogra-*

graphorum fideliter factorum similis est ratio. Quomodò in iis cognoscatur *Divina auctoritas.* 23. Cur Deus *Autographa* interire siverit. *Objectio* de *Apographis* solvitur. 24. Versionibus non convenit formalis *αὐθεντία.* Nec speciatim *Vulgata Latina*; contra *Pontif.* Nec *Græca*, quæ dicitur LXX. *Interpretum.* 25. *Translationibus* fideliter factis quomodò conveniat Divina & Canonica *Auctoritas. Objectio* solvitur. 26. Quomodò ista auctoritas *cognoscatur.* 27. *Perfectio* S. Scripturæ, quæ. *Perfectio integralis*, quæ. Asseritur contra *Muhamm. Pontif. Socin.* & *Criticos* qu. 28. *Objectiones* solvuntur. 29. *Perfectio essentialis* quæ; & quomodò intelligenda. 30. Ea *probatur* 31. Adversantur *Traditiones non scriptæ. Judæorum Kabbalah*, & *Mischnajoth.* 32. *Pontificiorum* Traditiones non scriptæ. 33. *Objectiones* solvuntur. 34. *Perspicuitas* illius. *Objectivè* spectata *probatur.* 35. *Objectiones* solvuntur. 36. *Subjectivè* in hominibus, quomodò recipiatur, 37. Subjectiva *imperitia.* Quid hinc agendum. 38. *Necessitas.* Ea *probatur.* 39. Sententiæ *Pontif. Enthus.* & *Libert.* explicantur. *Objectiones* solvuntur. 40. *Adjuncta consequentia. Lectio.* Omnibus necessaria. *Probatur* c. *Pontif.* 41. *Objectiones* solvuntur. 42. Etiàm *Librorum* V. T. c. *Socin.* & *Anabapt.* 43. *Objectiones* solvuntur, 44. *Interpretatio realis*; *Sensus genuinus*: cujusque loci *unicus.* 47. *Pontificiorum* quadruplex refuta-

tur.

tur. 46. *Sensus* alicubi *compositus*. Quædam *virtualiter* comprehensa. 47. *Stylus*. *Communiter* spectatus. In consideratione *Grammaticâ*. *Rhetoricâ*. 48. *Verus modus* interpretandi. 49. *Jus* interpretandi *summum*. 50. *Subordinatum*: *Antecessorium*. 51. *Privatum*. 52. *Auctoritas* interpretationis. 53. *Judicium controversiarum Theologicarum*. Dei. Christi. Spiritûs S. Quomodò ipsius *S. Scripturæ*. 54. Quomodò *Antecessoribus Eccles.* conveniat. Et *quibusvis fidelibus*. Probatur. Quomodò *Magistratui Christiano*. 55. Judicium *ἀνυπεύθυνον non* convenit *Ecclesiæ Rom.* neque *Concilio generali*, neque *Papæ Rom.* 56. *Objectiones* solvuntur. 57. *Ratio humana* non judex, aut norma, controversiarum Theolog. c. *Socin.* 58. *Objectiones* solvuntur. 59. *Usûs Rationis* in his rebus. 60. Theologia nostra *argumentativa*: c. qu. *Pontif.* & *Anabapt.* 61. *Catechesis*. *Confessio* nostra. *Conciliorum* decreta. *Canones Synodi Nat. Dordr.* *Constitutiones Ecclesiast.* *Symbolum Apostolicum*. *Athanasianum*, &c. 62. *Revelationes Divinæ*. *Gentilium Prophetæ*. *Sibyllæ*. *Mercurius Trismegistus*. 63. Jud. *Talmud*. Muhamm. *Koran*; & *Suna*. 64. *Praxis* 65.

Prin-

I. PRincipium doctrinale universæ Theologiæ, atque adeò primò credendorum; est *Verbum Dei*; seu Revelatio Divinitùs nobis facta. Vide sup. cap. 2. th. 2. & 4.

Consideratur illud, *tùm* absolutè, & per se: *tùm* modaliter, & restrictè, quatenùs scriptum est; undè *Scripturam* appellamus.

Ἄγραφον autem fuit ante Mosen: interim sic etiam tunc Verbo Dei fidem habuerunt electi & vocati istorum temporum; ut ejus analysis esset in istam infallibilem Dei veritatem. Vide cap. 2. th. 4. & 20. Posteà datum est ἔγγραφον.

II. *Scriptura* hîc non *actum scribendi* designat; sed ipsum *opus scriptum*. Hoc *Deus* immediatè inchoavit in decalogo: *Exod* XXXI, 18, XXXII, 16. *Deut*. IX, 10, X, 4. sed perfecit mediatè; intercedente operâ hominum Θεοπνεύστων, Mosis & reliquorum Prophetarum, nec non Apostolorum & Euangelistarum. 2 *Tim*. III, 16. „*Tota Scriptura Divinitùs* (*est*) *inspirata*. 2 *Petr*. I, 19, 20, 21. „Habemus *firmissimum sermonem Propheticum*. „Illud primùm noveritis; *nullam Prophetiam Scriptu*„*ræ esse propriæ explicationis*. Non enim *libitu hominis* „*allata est olim* Prophetia: sed *acti à Spiritu Sancto locu*„*ti sunt sancti Dei homines*.

III. *Definitur* propterea; Syntagma librorum Θεοπνεύστως per viros Dei extraordinarios conscriptorum, atque Ecclesiæ traditorum, in communem ac perpetuum canonem fidei ac morum, ad salutarem ejus instructionem, & Dei ipsius gloriam.

Pro *genere* constituimus *Syntagma librorum*: ubi *libros* dicimus numero multitudinis; prout similiter *Scripturæ* appellantur, *Luc*. XXIV, 27. *Joh*. V, 39. *Act*. XVIII, 24. *Rom*. I, 2. XV, 4. quemadmodùm etiàm singulares *libri* indi-

indicantur, *Marc.* XII, 26. *Luc.* III, 4. IV, 17. XX, 42. *Joh.* XX, 30. *Act.* I, 20, VII, 42. Vulgò κατ' ἐξοχὴν *Biblia*, vel *SS. Biblia* dicuntur.

Syntagma autem; sicut collectivè *omnis*, vel *tota Scriptura* nuncupatur, 2 *Tim.* III, 16. & singulari notione *Scriptura*, *Joh.* II, 22. XX, 9. 2 *Petr.* I, 20.

Differentia sumta est à *causis efficientibus*, *subjecto recipiente*, & *causis finalibus*.

IV. *Causa efficiens princeps* est ipse Deus Opt. Max. *Causæ* verò *ministræ* fuerunt homines sancti, ad hoc opus extraordinariè efficaciter vocati, & infallibili Spiritûs Sancti inspiratione ac directione instructi: 2 *Tim.* III, 16. 2 *Petr.* I, 19, 20, 21. Vide sup. th. 2. Adde 2 *Sam.* XXIII, 1, 2. *Joh.* XVI, 13. *Rom.* III, 2. 1 *Petr.* I, 11.

Subjectum recipiens est Ecclesia, cui traditi sunt isti libri: Psal. CXLVII, 19. „Annunciat *Verbum suum* „*ipsi Jacob*; *Statuta sua*; & *Judicia sua*, *Israëli*. *Rom.* III, 2. *Eis credita* sunt *Eloquia Dei*. 2 *Petr.* I, 19. *Luc.* XVI, 29.

Finis proximus, ut sit communis & perpetuus canon Fidei ac morum: *Deut.* IV, 2. Vide sup. cap. 1. th. 6. *Rom.* XV, 4. „Quæ antè scripta sunt, *ad nos docendos* „*antè scripta* sunt: *ut* per tolerantiam & consolationem „Scripturarum, *spem retineamus*. 2 *Tim.* III, 16, 17. „*Tota Scriptura* Divinitùs (est) inspirata, & *utilis ad* „*doctrinam*, *ad redargutionem*, *ad correctionem*, *disciplinam* quæ (est) in justitiâ: *Ut perfectus sit homo Dei*, „*ad omne opus bonum perfectè instructus*. Vide etiàm 2 *Reg.* XXIII, 2, 3, 24. *Psal.* CXIX, 5, 9, 105, 153. „*Jes.* VIII, 20. 2 *Petr.* I, 19. Confer *Phil.* III, 16. „(*In* „*eo*) ad quo usque pervenimus, *eâdem incedamus regulâ* (κανόνι) *Gal.* VI, 16. „Et quicunque *secundùm hanc re-* „*gulam incedent*, pax (erit) super eos, & misericordia, „& super Israëlem Dei.

Finis ulterior est Ecclesiæ salutaris instructio; & consequenter beatitudo æterna: *Ioh.* xx. 31. ,,Hæc *scri-*,,*pta* sunt, *ut credatis* Jesum esse Christum illum, Fi-,,lium ejus. Vide etiàm *Psal.* xix, 8, 9. *Ioh.* v, 39. 2 *Petr.* 1, 19.

Ultimus verò est ipsius Dei Opt. Max. gloria: *Deut.* iv, 6, 7. ,,Ea est sapientia vestra, & intelligentia ve-,,stra, in oculis populorum, qui *audient omnia statuta i-*,,*sta*; & dicent: Utique populus sapiens & intelli-,,gens, gens magna ista! Quæ enim est gens (ità) ma-,,gna, cui sint Dii propinqui, *sicut est Iehovah Deus no-*,,*ster* in cunctis, pro quibus invocaverimus eum? Vide etiam *Psal.* cxlvii, 12, 19, 20.

Sed præcipuè agendum nunc erit specialiùs de *Partibus S. Scripturæ*, *Editione*, *Attributis*, & *Adjunctis consequentibus*.

V. *Partes S. Scripturæ* sunt Libri tùm V. tùm N. T. non omnes simul conscripti; sed prout Auctori supremo placuit eos successivè exarari, atque ita salutaris doctrinæ promulgationem dispensari: *Hebr.* 1, 1.

Quoniam verò omnes isti libri sunt communis & perpetuus *canon* fidei ac morum, *Canonici* appellari solent: *Phil.* iii, 16. *Gal.* vi, 16.

VI. *Libri V.* T. à Mosé & Prophetis Θεοπνεύστως sunt conscripti, & Ecclesiæ V. T. primùm traditi: *Psal.* CXLVII, 19, 20. *Rom.* iii, 2.

Hi minus accuratè à *Iudæis* distribuuntur, in Legem, Prophetas, & Hagiographa: melius ab *aliis* in Legales, Historicos, Poëticos & Propheticos; & Prophetici iterum in majores & minores. Sunt autem

Legales; *Gen. Exod., Levit., Num. cum Deuteronomio.*
Historici; *Josua, Iudic., Ruth, duo Sam., duo Reg. duo Chronic.*
Ezra, Nehem, Esther.
Poëtici; *Iob., Psal., Prov. Ecclesiast., Cant.*
Prophet. maj. *Jes. Jerem., Thren., Ezech., Dan.*

min. ------ ------ *Hoseah, Joël, Amos, Obad, Ion, Michah, Nahumque Habakuk, Zephaniah,* Restant *Haggæus, Zachariah,* cum *Malachiâ.*

VII. Istis verò non debent cum Papali *Concilio Tridentino* accenseri, *Liber Tobiæ, Historia Iudithæ, Sapientia Salomonis, Ecclesiasticus Iesû Siracidæ, Prophetia Baruchi, Additamentum ad librum Esthèræ*; ut & *Additamenta ad librum Danielis*, scil. *Precatio Azariæ, Hymnus trium juvenum in fornace, Historia Susannæ*, itemque *de Bele* & *Dracone*; ac tandem *duo Libri Maccabæorum*: non magis quàm *Liber tertius & quartus Ezræ, Precatio Manassis, tertius Maccabæorum*; &c. quorum priores quidem in *Vulgatâ Editione Pontificiorum* comparent; & tamen à dicto *Concilio* extra Canonem relinquuntur.

Verùm istis pariter desunt conditiones, quæ à priori libros Canonicos faciunt: videl. ut 1. scripti sint Divinâ inspiratione per Ministros extraordinarios: ac porrò 2. Divinitùs ordinati in Canonem fidei ac morum; & 3. Ecclesiæ eo fine ac modo Divinâ auctoritate traditi & commissi: 2 *Tim.* III, 15, 16, 17. 2 *Petr.* I, 19, 20, 21. *Deut.* IV, 1, 2. XXXI, 9, 24, 26. *Rom.* IV, 23, 24. XV, 4.

Neque consequenter adsunt signa quibus libri Canonici à posteriori cognoscuntur: scil. 1. ut sic olim ab Ecclesiâ fide Divinâ recepti sint; 2. sic usurpati; & 3. tali testimonio deinceps constanter commendati; atque interim 4. characteres Divinitatis fidelibus in iis manifesti sint, attestante unà Spir. S. in animis ipsorum: *Prov.* I, 23. *Ies.* LIX, 21, 1 *Thess.* II, 13. *Ioh.* IV, 42. XVII, 8.

Imò contrarium de istis libris perhibent monumenta Ecclesiæ V. T. ad extremum usque terminum; & Ecclesiæ N. T. per quatuor prima sæcula; atque ampliùs. Quò etiam pertinent confessiones *Bellarmini, Melchioris Cani, Sixti Senensis, Cardinalis Cajetani*, &c.

Propterea libri illi appellantur *Apocryphi*,h.e. *occulti*;quòd clam haberentur,ad usûs tantùm privatos;non autem publicè ad communem Ecclesiæ instructionem ac directionem. Confer Præfationem in Translatione Belgicâ iis præfixam.

VIII. *Libri* N. T. Divinâ etiam inspiratione per Apostolos & Euangelistas postea conscripti,atque Ecclesiæ Christianæ una cum Libris V. T. traditi sunt. Hi *dispescuntur* in Historicos, Dogmaticos, & unum Propheticum.

Historici sunt, *Matthæus, Marcus, Lucas, Iohan. Actaque Apostol.*

Dogmatici, *Rom.*, bis *Cor.*, *Gal.*, *Eph.*, *Phil.*, *Col.*, bis *Thessa.*, *deindè*

Binæ ad *Timotheum.*, *Tit.*, *Philem*,*Hebr.*; *Iacobi*:
Tunc binæ *Petre*; tres *Iohan.*; *Iud.*

Propheticus, ---- ---- ---- *Apocalypsis.*

IX. *Editio S. Scripturæ*, intelligitur, quâ Verbum Dei scripto exhibitum est Ecclesiæ, in communem fidei morumque regulam.

Estque *tùm* primaria, sic formaliter authentica; *tùm* secundaria, metaphrastica, sive per translationem.

Primaria, non solùm materialiter secundùm Rem contentam, ejusque methodicam dispositionem, Θεόπνευστος est, Divinâque auctoritate pollet; sed etiam formaliter, ratione Idiomatis, sive Linguæ.

Alia interim est *librorum V.* T. alia N. T.

X. Editio primaria *librorum V.* T. facta est Linguâ Hebraïca; quæ *Judaïca* appellatur, 2 *Reg.* XVIII, 26,28. *Nehem.* XIII, 24. communis enim fuit, & vernacula Ecclesiæ V. T. Sic igitur Deus tunc uni isti populo sibi fœderato familiariter tabulas fœderis sui salutaris tradidit. *Psal.* CXLVII, 19, 20. LXXXVI, 2, 3. *Rom.* III, 2. IX, 4. Gentiles verò isto tempore, ut erant *abalienati à civili statû Israëlis*; sic etiam *extranei quod ad pactorum promissiones* attinet, *spem non habentes*, &c.

&c. *Eph.* II, 12. Populo Dei & Prophetis barbari: *Ezech.* II, 16. suis ipsorum viis incedentes: *Act.* XIV, 16.

XI. *Aramicè* interim, seu *Chaldaïcè*, conscriptæ sunt quædam particulæ Biblicæ, sub captivitate scil. Babylonicâ, aut circa eam; & quidem istæ propiùs spectantes res Babylonicas: ut *Ezr.* IV, 8.-ad VI, 19. atque iterum VII, 12,-26. *Dan.* II, 4,-ad VIII. & *Jerem.* X, 11. Verum ista Lingua, sive potius Dialectus, non ita multum differt ab Hebraïcâ; eamque Judæi per istam captivitatem magis etiam cognoverunt, & usurpârunt.

Ad *Proselytos* quod attinet, illi deserto Gentilismo ad Judæorum sacra non solum, sed etiam ad Politiam Judaïcam, transibant eâdem operâ; vel saltem ad Festa celebranda quotannis se Hierosolymam conferebant. *Act.* II, 10. VIII, 27. cum *Deut.* XVI, 16. XXXI, 11, 12. Ac proindè eâdem quoque Editione Biblicâ utebantur; donec magno eorum commodo conficerentur Translationes in alias Linguas, sive ipsis vernaculas, sive saltem magis notas.

XII. *Librorum N. T.* editio primaria, facta est Linguâ Græcâ. Ecclesia enim N. T. colligebatur ex Judæis, & Gentilibus cujuscunque nationis. Idcircò potissimum deligenda erat Lingua, tunc maximè communis & nota; utpotè Græca; quoniam Græcorum Monarchia præcesserat: undè etiam Spiritus S. homines istius sæculi dispescit in *Judæos*, & *Græcos*; *Act.* VI, 1. *Rom.* I, 16. II, 9, 10. III, 9. 1 *Cor.* I, 24. *Gal.* III, 28.

Euangelium Matthæi Hebraïcè primitus conscriptum fuisse, (quod aliqui contendunt,) non admittimus: Deus enim ad ἰῶτα & apicem unum conservat, quod vult auctoritatem normalem in Ecclesiâ suâ obtinere; *Matth.* V, 18. atque eadem in usum fidelium, qui postremis sæculis vivent; etiam conscripta sunt, *Rom.* IV, 23, 24.

23, 24. XV, 4. 1 *Cor.* X, 11. At verò non Hebraïcam sed Græcam, istius Euangelii editionem Deus conservavit: & quidem talem, ubi non solùm voces quædam, sed etiàm sententiæ Hebraïcæ, aut Syriacæ, formaliter citantur; ac porrò in Græcum sermonem transferuntur: *Matth.* I, 23. XXVII, 46. quæ sic Hebraïcè conscribi non potuerunt.

Similiter neque admittimus, *Euangelium Marci* Latinè, vel *Epistolam ad Hebræos* Hebraicè primùm exaratam fuisse.

XIII. *Editio secundaria* est, quâ SS. Literæ, ex Linguis originalibus, in aliam qualemcunque translatæ, sic exhibentur, ut ab harum ignaris ad instructionem ac demonstrationem Theologicam intelligi & usurpari possint.

Istiusmodi *Translationes* non solùm ad Ecclesiæ ædificationem *utiliter* institui posse, sed etiàm ex voluntate Dei sub hâc œconomiâ *necessariò* institui debere, probatur contra *Pontificios* Scripturarum lucifugas; 1. Quia Deus omninò vult, ut Verbum suum scriptum familiariter legatur atque intelligatur ab omnibus, qui ad communionem istius Fœderis vocantur: patet hoc ex ipsis Editionibus primariis. At verò gentes quarumvis Linguarum sub hâc œconomiâ vocatæ sunt, atque ampliùs vocandæ: *Matth.* XXVIII, 19. *Profecti docete omnes gentes*, &c. Confer *Rom.* III, 29. *Eph.* II, 19, 20. *Phil.* II, 11. *Apoc.* V, 8.

2. Christus Apostolos non dimisit ad Euangelium omnibus gentibus prædicandum, nisi priùs omnium Linguarum notitiâ instructos; ut unusquisque audiret eos suâ propriâ linguâ loquentes, & magnifica Dei facta prædicantes: *Actor.* I, 4, 8. II, 4, 6, 8, 11. Quali dono variarum linguarum tunc etiàm plures fuerunt instructi; addito insuper in quibusdam aliis dono interpretationis verbalis: 1 *Cor.* XIV, 6, 13, 27, 28. unde conficitur, in quolibet cœtu etiàm Scripta Prophetica

tica & Apostolica alleganda, explicanda, & applicanda esse linguâ istic notâ.

3. Idem evincunt præcepta & exhortationes de Verbo Dei legendo, meditando, & aliis inculcando: *Deut.* VI, 6, - 9. XVII, 18, 19. XXXI, 11, 12, 13. *Psal.* I, 2. XIX, 9, — 12. CXIX, 1, &c. *Jes.* VIII, 20. *Luc.* XVI, 29. *Joh.* V, 39. XX, 31. *Act.* XVII, 11. *Rom.* IV, 23, 24. XV, 4. 1 *Cor.* X, 11. 2 *Tim.* III, 14, - 17. 2 *Petr.* I, 19. 1 *Joh.* I, 4. *Judæ*, 3. *Apoc.* I, 3. XXII, 18, 19. Ista enim fieri non possunt ab hominibus linguarum originalium ignaris, nisi per translationem.

4. Ex praxi, eventû, & salutari successû istius negotii, olim atque etiamnùm.

XIV. Succedunt *Attributa*; & quidem potissimùm *Auctoritas*, *Perfectio*, *Perspicuitas*, & *Necessitas*.

Auctoritas S. Scripturæ, est Divina ejus potestas, ad fidem & observantiam Deo debitam nos obligans.

Quoniàm Auctor ejus est ipse Deus Opt. Max. ut ostensum th. 4. indè manifesta est ejus in se *Divinitas*; atque in ordine ad homines, quibus tradita est, *Auctoritas*, & quidem *Divina*; ut ei fides haberi debeat, tanquàm verè Verbo Dei; & obedientia religiosa præstari debeat, juxta voluntatem mandati Divini istic expressam. Vide 1 *Thess.* II, 13. 1 *Ioh.* V, 9, 10.

XV. Manifestum est, omnis testimonii, mandati, legis, diplomatis, &c. *Auctoritatem*, ab *Auctore* suo propriè pendere, & arcessendam esse: atque adeò *Auctoritatem* S. Scripturæ, ab *Auctore* Deo.

Absurdè vero & impié *Pontificii* Auctoritatem S. Scripturæ, in ordine ad nos, suspendunt ab Ecclesiâ, & quidem Romanâ, ejusque Pontifice.

Nam 1. omnis Auctoritas est relativa; & in ordine ad alios, qui eâ obligantur: si ergo S. Scriptura, tanquam ipsius Dei Verbum scriptum, ab ipso Deo Auctoritatem in se habet, necessariò eandem sic habere debet in ordine ad homines, quibus S. Scri-

ptura data est in normam fidei ac morum.

2. Christus, tanquam αὐτόπιστος, negat, se *testimonium ab homine accipere*; cum de se aliud *majus* habeat; idem ergò tenendum de Deò, aut Christo, loquente in Verbo suo scripto. *Ioh.* v, 34, 36. cum 1 *Ioh.* v, 9. *Tit.* I, 1. 2 *Tim.* II, 13. *Hebr.* VI, 13, 18.

3. Vera Ecclesia *exstructa* est *super fundamento Apostolorum & Prophetarum*: *Eph.* II, 20. & *sanctificata in veritate Dei*, quæ est *Verbum ipsius*: *Ioh.* XVII, 17. Ipsa igitur in fide suâ nititur Verbo Dei, per Prophetas & Apostolos exhibito; atque in obedientiâ suâ similiter conformatur ad istam normam: non verò contrà Verbum Dei scriptum, ejusque Auctoritas obligatoria, nititur Ecclesiâ, tanquam fundamento.

4. Absurdè, & non sine crimine læsæ majestatis, subditi arrogarent sibi dignitatem, ex qua penderet potestas obligatoria Legis à Principe latæ, in ordine ad hos vel illos. Similiter autem hîc agunt Adversarii.

XVI. *Obj.* 1. Ecclesia est columna & stabilimentum veritatis; 1 *Tim.* III, 15. Ergò. *Resp.* 1. Ita scil. ut 1. Ecclesia, tanquam columna, erecta & stabilita sit super isto fundamento, Verbo Dei; sic coagmentata & confirmata in veritate, passivè: non verò contra ut Verbum Dei scriptum nitatur Ecclesiâ; sicut tectum aliquod columnâ ipsum sustentante, *architectonicè*. 2. Ut veritatem Verbi Divini aliis exhibeat, indicet, & suo modo attestetur: cujusmodi columnarum quarundam usus *politicus* est. 3. Nihil ibi speciatim de Ecclesiâ Romanâ.

Obj. 2. *Augustinus* alibi; *Non crederem S. Scripturæ, nisi me auctoritas Ecclesiæ Catholicæ moveret.* *Resp.* Non quicquid *Augustinus* dixit, aut credidit, verum est; neque ab ipsis Pontificiis, ut tale, admittitur: ex. gr. de Eucharistiâ dandâ infantibus. 2. Augustinus isto dicto ostendit, quâ methodo ipse perductus fuerit ad Divi-

Divinitatem S. Scripturæ agnoscendam; interveniente scilicet ministeriali testimonio Ecclesiæ, aut Antecessorum ejus.

XVII. Si *quæratur*, quomodò aliis innotescat Auctoritas S. Scripturæ? Hîc etiam Ecclesiæ sunt suæ partes; Antecessorum scil. Ecclesiasticorum, quin & singulorum fidelium, suo modo. De luce quippè testantur, ut alii quoque credant; non tamen sunt ipsa lux, aut lucis causa, vel ἀξιοπιστίας in eâ; sed luce illâ collustrati, testimonium ei apud alios perhibent. Vide *Joh.* 1, 7, 8. Confer exemplum Samaritanorum, & mulieris de Christo apud illos testantis; *Joh.* IV, 28, 29, 30, 39.-42. Apparitor, vel etiam quivis ex plebe, advenæ alicui, aliive ignaro, indicium facere potest, dicens; Iste est Consul civitatis; ille Prætor; Hoc Diploma Senatûs urbani, &c. Verùm istâ ratione nequaquam confert in Consulem, Prætorem, &c. talem dignitatem aut potestatem, &c. Non est causa rei constitutiva, vel effectiva; sed medium ejus cognoscendæ, quæ ante & citra istam cognitionem etiam verè talis est. Similiter indicatur, docetur, quòd sit, & qualis sit Auctoritas S. Scripturæ; ac suadetur, ut ei fides habeatur: ubi sic solùm occurrit *externa ministerialiter adjuvans causa* Auctoritatis istius cognoscendæ.

XVIII. *Principalior* est ipsa S. Scriptura, Verbum infallibile ipsius Dei Opt. Max. veritas αὐτόπιστος, lux propriis suis radiis fulgens; suæ Divinitatis & auctoritatis characteres clarissimos in se habens, & de se ostendens, ut certo agnoscantur à subjectis capacibus.

Huc pertinent 1. *Materia*, & *Forma* S. Scripturæ: Doctrina vera, sublimis ac sancta; & stylus simplex, sed majestatem Divinam interim referens; *Deut.* IV, 6, 7. Vide sup. th. 4.

2. Speciatim *Prophetiæ* tam multæ, ac variæ; quibus verif-

&c. xxxix, 34, -38. xli, 1, 1, -6, 7. *Psal.* CVI, 33.

3. Factis similiter improbatis, aut saltem nullo modo approbatis.

4. Quin & operibus, vires humanas absolutè excedentibus: quæ sic ad imitationem non sunt proposita. Cujusmodi sunt Opera creationis, Miracula, &c.

XXI. Observatâ hâc distinctione facilè intelligitur, quomodò Auctoritas Divina conveniat toti S. Scripturæ, & singulis ejus partibus, ac particulis: 2 *Tim.* III, 16. 2 *Petr.* I, 19, 20, 21. *Rom.* XV, 4. 1 *Cor.* VII, 25, 40. *Luc.* I, 41, 42, 67, 68. *Act.* VI, 8, 10. Quod contra *Gentiles* & *Muhammedanos* asserimus ac defendimus: & de libris N. T. non minùs, quàm V. T. contra *Judæos.*

Alia tamen est ratio Titulorum præfixorum ipsi Contextui sacro, Subscriptionum ad finem alicubi adjectarum, Distributionis in Capita, Supputationis Versuum, & si quæ sunt illis similia.

XXII. Quoniàm verò SS. Scriptores immediatè & efficaciter inter scribendum ubique acti fuerunt à Spiritû Sancto; 1. nusquàm ipsi de facto errârunt, neque errare potuerunt.

2. Nulla uspiàm occurrit vera dissensio, aut repugnantia: ubi verò species aliqua contrarietatis occurrit, spectandæ sunt regulæ oppositionis, & sic instituenda conciliatio; vel agnoscenda nostra ignorantia.

3. S. Scriptura ubique loquitur secundùm accuratam rerum veritatem, sive propriè id fiat, sive tropicè, nusquàm secundùm erroneam hominum opinionem; tàm in naturalibus, & moralibus, quàm in supernaturalibus. *Psal.* XII, 7. „Eloquia Jehovæ, *eloquia munda;* „argentum excoctum in fornace terrea, *defecatum septies.* XIX, 8, 9. „Lex Jehovæ *perfecta*, convertens „animam: testimonium Iehovæ *fidele, sapientem efficiens* parvulum. Præcepta Iehovæ *recta*, lætificantia

cor-

cor: præceptum Iehovæ *purum*, illuminans oculos. Confer sup. th. 4. & cap. 2. th. 2.

XXIII. Quæ hactenùs de Auctoritate S. Scripturæ dicta sunt, non solum sic accipi debent de *Autographis*, verùm etiàm de *Apographis* fideliter factis: prout Deus plurium codicum descriptionem, eorumque familiarem usum, disertè mandavit; *Deut.* XVII, 18, 19. cum *Jos.* 1, 8. *Psal.* 1, 2. *Joh.* V, 39. XX, 31. *Act* XVII, 11. *Rom.* IV, 23, 24. XV, 4. 1 *Cor*, X, 11. *Col.* III, 16. 1 *Tim.* IV, 13. 2, III, 14, -17.

Eadem interim Veritas, Divinitas, & Auctoritas in Apographis etiàm cognoscitur, 1. Exemplarium consensu.

2. Per characteres Divinitatis istic similiter conspicuos.

3. Accedit Ecclesiæ testimonium.

Et 4. potissimum, efficax Spiritûs Sancti persuasio, Fidem Divinam in nobis producens; quam ne quidem accuratissima manuum cognitio facere posset, aut qualiscunque hominum traditio & attestatio de Autographis, si ea superessent.

XXIV. Verùm *Autographa* interire Deus sivit: tùm quòd veris *Apographis* Ecclesiæ satis prospectum sit: tùm etiàm, ne cæteroquin una Ecclesia videretur ab aliâ dependere; aut reliquis imposita necessitas recurrendi perpetuò ad illam, ubi Autographa exstarent.

Obj. Atqui passim in Codicibus σφάλματα quædam irrepserunt, per Librariorum incuriam, vel inscitiam. *Resp.* Codices satis multos voluit Deus in Ecclesiâ suâ exstare; ut ubi dubium suboriretur, alii Codices consuli possent, atque ità scrupulus eximi. Sic interim per infirma operatur Deus, & potentiam suam demonstrat; atque hunc thesaurum in testaceis vasculis haberi voluit: 2 *Cor.* XII, 9. IV, 7.

XXV. Sed nullis planè *Versionibus* formalis ista

ἀυ-

αὐθεντία competit: nec speciatim *Vulgatæ Latinæ*; quam *Concilium Tridentinum* decrevit pro authenticâ habendam. Nam 1. est opus humano studio, non autem à viris Θεοπνεύστοις, concinnatum.

2. Ex variis auctoribus conflatum est.

3. Sæpiùs interpolatum & correctum, etiàm postquàm Concilium Tridentinum esset habitum, ac de eâ decretum condidisset; jussû Papæ *Sixti* V. ac deindè iterùm jussû *Clementis* VIII.

4. Interim fatentur auctores, alia, *quæ mutanda videbantur*, *consulto immutata* relicta esse, *ad offensionem populorum vitandam*, *&c.* Errores etiàm satis multi ac manifesti sunt.

Similiter existimandum de *Versione Græcâ*, quæ appellatur LXX. *Interpretum*: cujus etiam auctores 1. non fuerunt Θεόπνευστοι.

2. Quot, & quales fuerint isti Interpretes; & an integra Biblia V. T. per eos translata, incertum est.

3. Translationem illam adhùc puram exstare, non est certum; imò nec probabile.

4. Quæ isto nomine commendatur, plurimùm discrepat ab Editione Hebraïcâ, verè authenticâ.

XXVI. Diximus th. 13. faciendas etiam esse SS. Bibliorum Translationes in alias linguas; sicut autem in Ministris Christi, ac Dispensatoribus mysteriorum Dei, omninò requiritur, ut fidi reperiantur; 1 *Cor.* IV, 1, 2. ita in transferendis SS. Bibliis singularis cura & fides adhibenda est, ut originalis veritas quam optimè exprimatur; vocesque & phrases singulæ, pro ratione linguarum ac idiotismorum, exhibeantur quam proximè & efficacissimè.

In Bibliis autem fideliter translatis, agnoscenda est eadem *Divina & Canonica Auctoritas* materialiter, secundum rem contentam, ejusque methodicam dispositionem, & realem expressionem; sed mutato idiomate.

Obj.

Obj. Interpretes omnes fallibiles sunt. *Resp.* Attamen suppositâ fidelitate, & reali convenientiâ cum originalibus, non fefellerunt, nec falsi fuerunt actû Interpretes.

XXVII. *Translationum sinceritas*, saltem in rebus principalibus, ad fidem & mores potissimùm necessariis, earumque Divinâ tractatione; atque adeò *Canonica earum Auctoritas* secundum illud materiale, cognoscitur 1. ex collatione plurium Translationum.

2. Ex testimonio aliorum, sive fidelium, sive etiam infidelium, qui Linguas originales intelligunt.

3. Per characteres Divinitatis, qui etiam in Translationibus exprimuntur.

4. Accedit insuper Spiritûs Sancti attestatio, & persuasio interna, in cordibus nostris: quâ quidem luce subjectivè collustrati singuli, vident lucem illam objectivè, eamque pie agnoscunt; & sic fide Divinâ credunt, hoc reverâ esse Verbum Dei.

XXVIII. *Perfectio*, vel *sufficientia* S. Scripturæ est, quâ Systema Biblicum omnia fidei & vitæ Christianæ dogmata, ad salutem consequendam necessaria plene complectitur.

Hæc autem spectatur, *tùm*, integralis, *tùm* essentialis.

Integralis perfectio dicitur respectû partium integrantium; ut Systema S. Scripturæ etiam nunc omnes libros & omnes singulorum librorum partes, ac particulas comprehendat, prout Deus Ecclesiæ suæ dedit in canonem fidei ac morum.

Asserimus ergò, S. Scripturam non esse in universum corruptam, aut depravatam; multis ex eâ sublatis, aliisque perperam insertis; contra *Muhammedanos*, qui isto prætextû *Alkoranum* suum commendare solent.

Neque ullos libros intercidisse, nec pluribus locis immutatam ac depravatam esse S. Scripturam; contra

Pon-

Pontificios, Socinianos, & incautos quosdam *Criticos*.
Huc pertinent 1. diserta quædam *Testimonia*: *Psal.* XII, 7. XIX, 8, 9. Vide sup. th. 22. Adde *Psal.* XVIII, 31. XCIII, 5. CXIX, 140. *Prov.* XXX, 5. Item *Matth.* V, 18. „Amen quippè dico vobis; Usquedum Præterierit cœlum & terra, ἰῶτα *unum*, *aut unus apex ne- „quaquàm præterierit ex Lege*, usquedum omnia facta „fuerint. 1 *Petri* II, 2. „Ut modo geniti infantes, „*lac illud sermonis sincerum* expetite. 2, 19. *Habemus „firmissimum sermonem Propheticum*: quem bene facitis „quod attendatis, &c.
2. Argumentamur à *Fine*; cujus gratiâ SS. Literæ exaratæ sunt; quippe requirit, ut integræ exstent usque ad finem mundi: *Deuter.* XXXI, 26, 27. „Capite „librum istum Legis, & ponite eum in latere Arcæ fœ- „deris Iehovæ Dei vestri; sitque ibi contra te *in te- „stem*. -- Ecce adhuc me vivente vobiscum hodie, re- „belles estis Iehovæ; & quantò magis *postea quam mor- „tuus fuero*? *Jes.* VIII, 20. Vide sup. cap. 1. th. 6. *Luc.* XVI, 29. „*Habent Mosen & Prophetas*; *audiant eos*: *Rom.* IV, 23, 24. „*Non scriptum* est autem *propter „eum* (Abrahamum) *solùm*, quod (hoc) imputatum „fuerit ei: Sed *etiàm propter nos*, quibus futurum est „ut imputetur, &c. 1 *Cor.* X, 11. „Hæc autem typice „evenerunt eis (sub V. T.); *scripta* vero *sunt ad nostri „admonitionem, in quos fines sæculorum devenerunt*. *Joh.* XX, 31. *Rom.* XV, 4. *Tim.* III, 16, 17. Vide sup. th. 4.
3. A Providentiâ Dei speciali conservatrice: hanc enim non minus saltem circa S. Scripturam versari necesse est, quam circa Naturam. Quemadmodum igitur in Naturâ omnes creaturarum species perpetuo conservantur; etiam omnes & singulas S. Scripturæ partes conservari, statuendum est: quia maximè versatur circa fideles, & quidem in ordine ad salutem ipsorum æternam, & circa media ad eam promovendam necessaria. *Jes.* XLIX, 15, 16. *Matth.* X, 29, 30, 31. 1 *Petr.* 1, 5.

1, 5. cum *Ies.* lix, 21. Vide sup. Cap. 1. th. 29.

4. A Curâ & fidelitate Ecclesiæ; cui S. Scriptura commissa est, & quæ Providentiæ isti Divinæ subordinatur. *Psal.* CXLVII, 19, 20. *Rom.* III, 2. 1 *Tim.* III, 15. Vide sup. th. 4 & 16. cum *Matth.* XXVIII, 20. „Ecce, *Ego vobiscùm sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

XXIX. *Obj.* 1. *Numer.* XXI. 14. allegatur *Liber Bellorum Domini*, *Jos.* X. 13. *Liber recti*; & 1 *Reg.* XIV. 19. *Chronica Regum Israëlis.* Verùm isti libri in Canone sacro nunc non comparent: ergo. *Resp.* Isti libri non sunt, neque olim fuerunt, Canonici: undè nihil necesse fuit, eos semper conservari. At veritatem aliquam, quam Deus in Ecclesia omninò exstare voluit, ex illis allegavit, & comprobavit in libris verè Canonicis: Confer allegata ex *Arato*, *Menandro*, & *Epimenide*; *Act.* XVII, 28. 1 *Cor.* XV. 33. *Tit.* I. 12.

Obj. 2. Atqui etiam allegantur scripta *Nathanis*, *Gadi*, &c. 1 *Chron.* XXIX. 29. 2. IX, 29. *Resp.* Ista scripta vel exstant sub aliis titulis; in libris scil. Samuëlis, & Regum; vel Canonicæ non fuerunt.

Obj. 3. *Paulus* etiàm commemorat epistolam suam ad *Laodicenses*; *Col.* IV. 16. *Resp.* Apostolus 1. non dicit epistolam illam à se scriptam; 2. nec ad Laodicenses; 3. neque eam esse Canonicam. Sed epistolam aliquam scriptam Laodiceâ commendat, ut legatur à Colossensibus. 4. Si quæ Epistola à Paulo istic scripta intelligi deberet, cogitari posset de priori ad Timotheum, juxta ejus subscriptionem.

XXX. *Perfectio essentialis* dicitur ratione doctrinæ salutaris, istis libris comprehensæ, & per singulas partes diffusæ, multisque vicibus ac modis repetitæ, sic tamen ut ratione substantiæ indè ab initio Fœderis gratiæ semper fuerit eadem. *Heb.* XIII, 8. *Act.* X. 43. XV, 11. V. 12, 2 *Cor.* III. 11. 1 *Tim.* II, 5, 6. *Joh.* XIV, 6. I. 16. *Col.* I, 19, 20. Sic

Sic autem Systema S. Sripturæ indè ab initio sui continuit, & nunc etiam clarius continet omnia, quæ hominibus ad salutem consequendam necessaria sunt.

S. Literis interim comprehensa intelligimus, non solum eà, quæ formaliter, *αὐτολεξεὶ* & *κατὰ ῥητὸν* expressa sunt; sed etiàm, quæ virtualiter, *κατ' διάνοιαν*, *κατ' ἰσοδυναμίαν*, aut *κατὰ συνακολούθησιν*, continentur

Neque spectamus, quæcunque in Ecclesiâ unquàm Divinitùs dicta aut facta sunt; sed quæ hominibus ad salutem consequendam necessaria, tùm in credendis tùm etiàm in agendis. *Joh.* XX, 30, 31. „*Multa* vero „etiàm *alia signa edidit Jesus* in Discipulorum suorum „conspectû, quæ *non* sunt *scripta in hoc libro*: *Hæc au-* „*tem scripta sunt, ut credatis*, &c.

XXXI. Sententia ista orthodoxa *probatur*; 1. illustri illo testimonio, 2 *Tim.* III, 14, 17. „At tu *mane-* „*to in iis, quæ didicisti*, & *quæ tibi concredita sunt*: sciens „à quo didiceris: Teque à puero *sacras literas novisse*; „quæ te possunt *sapientem reddere ad salutem, per fidem*, „quæ est in Christo. *Tota Scriptura Divinitùs (est) in-* „*spirata*, &c. Vide sup. th. 4. Apostolus Euangelistam à falsis doctrinis dehortatur, docetque, in quibus post excessum suum ei perseverandum esset: ità scil. ut eum revocet ad *SS. Literas*. De iis autem asserit (*α*.) *posse sapientem reddere ad salutem*, &c. *Sapientia* habitum perfectum notat: hæc verò *in fide Christi ad salutem*, SS. Literis, tanquàm unico principio doctrinali, tribuitur. (*β*.) Docet, *Totam S. Scripturam esse Divinitùs inspiratam*: ab Auctore scil. Auctoritatem & Perfectionem arcessens; juxta *Iac.* I, 17. Verùm insuper (*γ*.) per partes hanc exequitur; *utilis ad doctrinam*, &c. Sic enim ejus usum demonstrat, non in uno tantùm, sed in omni genere ad salutem necessario; sive veritas fuerit docenda, sive falsitas redarguenda, sive mali mores cor-

rigendi,

rigendi, sive disciplina justitiæ inculcanda. Quin etiàm (δ.) totum negotium conficit, & planè hanc litem terminat; concludens: *ut Vir Dei* (h. e. Doctor Ecclesiæ ex ordinatione Dei; 1 *Reg.* XVII, 24. 1 *Tim.* VI, 11.) *perfectus* sit, in omnibus videl. istis partibus; & breviter *ad omne opus bonum perfectè instructus*. Ex perfectione effectûs patet perfectiò causæ.

2. Locis quibusdam V. T. *Exod.* XXIV, 3, 4. „Venit ergò *Moseh*, & *narravit* populo *omnia Verba Iehovæ*, *omniaque judicia*: & respondit totus populus voce unâ, ac dixerunt; *Omnia Verba*; quæ locutus est Jehovah, faciemus. Et *scripsit Moseh omnia verba Iehovæ*. Moses, quæ à Deo audivit, omnia populo narravit; eademque omnia scripto consignavit: ne ea oblivioni traderentur, imò ut etiàm posterorum usibus servirent; cum quibus Deus idem fœdus pepigit. *Exod.* XXXIV, 27. *Deut.* XXIX, 14, 15. XXXI, 9, 21.

Iterùm *Deut.* XXXI, 24, -27. „Cùm autem *finem fecisset* Moseh *scribendi verba Legis istius* in libro, donec ea *complerentur*: Præcepit Moseh Levitis portantibus arcam fœderis Jehovæ dicendo; Capite librum istum, &c. Vide sup. th. 28. Legis ergò scripturam absolvit Moses; omnesque ejus partes complevit: & pro posteris exemplar illud, tanquàm depositum ac testimonium, diligentissimè conservandum mandavit. Ita quidem ut *nemini quicquam addere*, vel *detrahere* liceret; sed præscriptum illud accuratissimè omnes sequi deberent, *non recedendo dextrorsùm vel sinistrorsùm*; *Deut.* IV, 1, 2. V, 38, 39. XII, 32. *Ios.* I, 7. XXIII, 6. *Prov.* XXX, 5, 6.

Insigne etiam est testimonium *Psal.* XIX, 8, 9. Vide sup. th. 22. Ubi disertè *perfectio* laudatur, & quidem ad convertendam animam, sapientiam efficiendam, cor lætificandum, &c.

3. Similia sunt testimonia N. T. *Luc.* XVI, 29. ubi de evitandâ condemnatione: *Habent Mosen & Prophe-*

23, 24. XV, 4. 1 *Cor.* X, 11. At verò non Hebraïcam sed Græcam, istius Euangelii editionem Deus conservavit: & quidem talem, ubi non solùm voces quædam, sed etiàm sententiæ Hebraïcæ, aut Syriacæ, formaliter citantur, ac porrò in Græcum sermonem transferuntur: *Matth.* I, 23. XXVII, 46. quæ sic Hebraïcè conscribi non potuerunt.

Similiter neque admittimus, *Euangelium Marci* Latinè, vel *Epistolam ad Hebræos* Hebraïcè primùm exaratam fuisse.

XIII. *Editio secundaria* est, quâ SS. Literæ, ex Linguis originalibus, in aliam qualemcunque translatæ, sic exhibentur, ut ab harum ignaris ad instructionem ac demonstrationem Theologicam intelligi & usurpari possint.

Istiusmodi *Translationes* non solùm ad Ecclesiæ ædificationem *utiliter* institui posse, sed etiàm ex voluntate Dei sub hâc œconomiâ *necessariò* institui debere, probatur contra *Pontificios* Scripturarum lucifugas; 1. Quia Deus omninò vult, ut Verbum suum scriptum familiariter legatur atque intelligatur ab omnibus, qui ad communionem istius Fœderis vocantur: patet hoc ex ipsis Editionibus primariis. At verò gentes quarumvis Linguarum sub hâc œconomiâ vocatæ sunt, atque ampliùs vocandæ: *Matth.* XXVIII, 19. *Profecti docete omnes gentes*, &c. Confer *Rom.* III, 29. *Eph.* II, 19, 20. *Phil.* II, 11. *Apoc.* V, 8.

2. Christus Apostolos non dimisit ad Euangelium omnibus gentibus prædicandum, nisi priùs omnium Linguarum notitiâ instructos; ut unusquisque audiret eos suâ propriâ linguâ loquentes, & magnifica Dei facta prædicantes: *Actor.* I, 4, 8. II, 4, 6, 8, 11. Quali donô variarum linguarum tunc etiàm plures fuerunt instructi; additô insuper in quibusdam aliis dono interpretationis verbalis: 1 *Cor.* XIV, 6, 13, 27, 28. unde conficitur, in quolibet cœtû etiàm Scripta Prophetica

tica & Apostolica alleganda, explicanda, & applicanda esse linguâ istìc notâ.

3. Idem evincunt præcepta & exhortationes de Verbo Dei legendo, meditando, & aliis inculcando: *Deut.* VI, 6, - 9. XVII, 18, 19. XXXI, 11, 12, 13. *Psal.* I, 2. XIX, 9, — 12. CXIX, 1, &c. *Jes.* VIII, 20. *Luc.* XVI, 29. *Joh.* V, 39. XX, 31. *Act.* XVII, 11. *Rom.* IV, 23, 24. XV, 4. 1 *Cor.* X, 11. 2 *Tim.* III, 14, - 17. 2 *Petr.* I, 19. 1 *Joh.* I, 4. *Judæ*, 3. *Apoc.* I, 3. XXII, 18, 19. Ista enim fieri non possunt ab hominibus linguarum originalium ignaris, nisi per translationem.

4. Ex praxi, eventû, & salutari successû istius negotii, olim atque etiamnùm.

XIV. Succedunt *Attributa*; & quidem potissimùm *Auctoritas, Perfectio, Perspicuitas,* & *Necessitas.*

Auctoritas S. Scripturæ, est Divina ejus potestas, ad fidem & observantiam Deo debitam nos obligans.

Quoniàm Auctor ejus est ipse Deus Opt. Max. ut ostensum th. 4. indè manifesta est ejus in se *Divinitas*; atque in ordine ad homines, quibus tradita est, *Auctoritas*, & quidem *Divina*; ut ei fides haberi debeat, tanquàm verè Verbo Dei; & obedientia religiosa præstari debeat, juxta voluntatem mandati Divini istìc expressam. Vide 1 *Thess.* II, 13. 1 *Joh.* V, 9, 10.

XV. Manifestum est, omnis testimonii, mandati, legis, diplomatis, &c. *Auctoritatem*, ab *Auctore* suo propriè pendere, & arcessendam esse: atque adeò *Auctoritatem* S. Scripturæ, ab *Auctore* Deo.

Absurdè vero & impié *Pontificii* Auctoritatem S. Scripturæ, in ordine ad nos, suspendunt ab Ecclesiâ, & quidem Romanâ, ejusque Pontifice.

Nam 1. omnis Auctoritas est relativa; & in ordine ad alios, qui eâ obligantur: si ergo S. Scriptura, tanquam ipsius Dei Verbum scriptum, ab ipso Deo Auctoritatem in se habet, necessariò eandem sic habere debet in ordine ad homines, quibus S. Scri-

ptura data est in normam fidei ac morum.

2. Christus, tanquam ἀυτόπιςος, negat, se *testimonium ab homine accipere*; cum de se aliud *majus* habeat; idem ergò tenendum de Deo, aut Christo, loquente in Verbo suo scripto. *Ioh.* V, 34, 36. cum 1 *Ioh.* V, 9. *Tit.* I, 1. 2 *Tim.* II, 13. *Hebr.* VI, 13, 18.

3. Vera Ecclesia *exstructa* est *super fundamento Apostolorum & Prophetarum: Eph.* II, 20. & *sanctificata in veritate Dei*, quæ est *Verbum ipsius: Ioh.* XVII, 17. Ipsa igitur in fide suâ nititur Verbo Dei, per Prophetas & Apostolos exhibito; atque in obedientiâ suâ similiter conformatur ad istam normam: non verò contrà Verbum Dei scriptum, ejusque Auctoritas obligatoria, nititur Ecclesiâ, tanquam fundamento.

4. Absurdè, & non sine crimine læsæ majestatis, subditi arrogarent sibi dignitatem, ex quâ penderet potestas obligatoria Legis à Principe latæ, in ordine ad hos vel illos. Similiter autem hîc agunt Adversarii.

XVI. *Obj.* 1. Ecclesia est columna & stabilimentum veritatis; 1 *Tim.* III, 15. Ergò. *Resp.* 1. Ita scil. ut 1. Ecclesia, tanquam columna, erecta & stabilita sit super isto fundamento, Verbo Dei; sic coagmentata & confirmata in veritate, passivè: non verò contra ut Verbum Dei scriptum nitatur Ecclesiâ; sicut tectum aliquod columnâ ipsum sustentante, *architectonicè*. 2. Ut veritatem Verbi Divini aliis exhibeat, indicet, & suo modo attestetur: cujusmodi columnarum quarundam usus *politicus* est. 3. Nihil ibi speciatim de Ecclesiâ Romanâ.

Obj. 2. *Augustinus* alibi; *Non crederem S. Scripturæ, nisi me auctoritas Ecclesiæ Catholicæ moveret. Resp.* Non quicquid *Augustinus* dixit, aut credidit, verum est; neque ab ipsis Pontificiis, ut tale, admittitur: ex. gr. de Eucharistiâ dandâ infantibus. 2. Augustinus isto dicto ostendit, quâ methodo ipse perductus fuerit ad Divi-

Divinitatem S. Scripturæ agnoscendam; interveniente scilicet ministeriali testimonio Ecclesiæ, aut Antecessorum ejus.

XVII. Si *quæratur*, quomodò aliis innotescat Auctoritas S. Scripturæ? Hîc etiam Ecclesiæ sunt suæ partes; Antecessorum scil. Ecclesiasticorum, quin & singulorum fidelium, suo modo. De luce quippè testantur, ut alii quoque credant; non tamen sunt ipsa lux, aut lucis causa, vel *ἀξιοπιστίας* in eâ; sed luce illâ collustrati, testimonium ei apud alios perhibent. Vide Joh. 1, 7, 8. Confer exemplum Samaritanorum, & mulieris de Christo apud illos testantis; Joh. IV, 28, 29, 30, 39.-42. Apparitor, vel etiam quivis ex plebe, advenæ alicui, aliive ignaro, indicium facere potest, dicens; Iste est Consul civitatis; ille Prætor; Hoc Diploma Senatûs urbani, &c. Verùm istâ ratione nequaquam confert in Consulem, Prætorem, &c. talem dignitatem aut potestatem, &c. Non est causa rei constitutiva, vel effectiva; sed medium ejus cognoscendæ, quæ ante & citra istam cognitionem etiam verè talis est. Similiter indicatur, docetur, quòd sit, & qualis sit Auctoritas S. Scripturæ; ac suadetur, ut ei fides habeatur: ubi sic solùm occurrit *externa ministerialiter adjuvans causa* Auctoritatis istius cognoscendæ.

XVIII. *Principalior* est ipsa S. Scriptura, Verbum infallibile ipsius Dei Opt. Max. veritas *αὐτόπιστος*, lux propriis suis radiis fulgens; suæ Divinitatis & auctoritatis characteres clarissimos in se habens, & de se ostendens, ut certo agnoscantur à subjectis capacibus.

Huc pertinent 1. *Materia*, & *Forma* S. Scripturæ: Doctrina vera, sublimis ac sancta; & stylus simplex, sed majestatem Divinam interim referens; *Deut.* IV, 6, 7. Vide sup. th. 4.

2. Speciatim *Prophetiæ* tam multæ, ac variæ; quibus

verissimè prædicta, quæ diu post, etiam ultra annorum aliquot centurias erant implenda, & suo tempore certissime impleta sunt. *Ies.* xli, 21, 22, 23. ,,Appropinquare facite litem vestram, dicit Jehovah: accedere facite fortia vestra, dicit Rex Jaacob. Accedere faciant, & *annucient nobis quæ eventura sint*: - aut *quæ futura sunt, narrate nobis. Annuciate, quæ ventura sunt in posterum*: & *cognoscemus, quòd Dii estis.*

3. Adjuncta *Amanuensium sinceritas*: quâ factum est ut gloriæ Divinæ, ac salutari Ecclesiæ instructioni unice intenti, & quæ Dominus mandabat conscribentes, non minus exposuerint proprios suos defectûs, infirmitates, peccata; quam virtutes ac bona opera. Quin & *Miracula*, quibus plurimi eorum Verbum Domini confirmârunt.

4. *Effecta* tum in *fidelibus* per S. Scripturam ad Religionem adductis; ubi spectanda eorum conversio, pietas, zelus, confessiones, martyria, &c. tum in *hostibus Ecclesiæ*, per eandem terrore sæpius perculsis, confusis, &c.

XIX. Sed *causa interior*, hyperphysicâ efficaciâ hominem idoneum reddens ad percipiendos & agnoscendos istos characteres Divinitatis, simulq; ad auscultandum instructionibus & suasionibus Ecclesiasticis, discussis mentis humanæ tenebris, sublatâ naturali voluntatis perversitate, &c. imo intime & efficacissime persuadens, est Spiritus Sanctus. 1 *Cor.* II, 12. ,,Nos vero non spiritum mundi *accepimus*; sed *Spiritum, qui (est) ex Deo*: ut *sciamus quæ Deus est nobis gratificatus*. 1 *Joh.* II, 27. ,,*Eadem unctio docet vos de omnibus.* Docet ergo maxime & primo de Principio Religionis Christianæ. Vide etiam *Psal.* CXIX, 18. *Prov.* I, 23. *Jes.* LIX, 21. *Matth.* XVI, 17. *Luc.* XXIV, 45. *Joh.* VI, 45. *Act.* XVI, 14. 2 *Cor.* III, 5. IV, 13, 16. *Eph.* I, 17, -20. 1 *Thess.* II, 13.

Quoniam vero docemus, istam Spiritûs Sancti doctrinam,

ctrinam, atteſtationem, & confirmationem, cum usû S. Scripturæ conjunctam eſſe; ſatis patet, adversûs *Pontificiorum* calumniam, nos procul abeſſe ab Enthuſiaſmis fanaticorum, præter, & ſæpe contra veriſſimum & conſtantiſſimum Dei Verbum. Quin & ipſorum Adverſariorum ſpiritus, in negotio Pontificis Romani, Traditionum non ſcriptarum, &c. ſpiritui illi Enthuſiaſtico proximus eſt.

XX. Tenenda interim *diſtinctio* inter αὐθεντίαν normæ, & hiſtoriæ tantum.

Αὐθεντία *normæ* nos obligat ad fidem habendam omnibus eo modo ac fine dictis, vitamque inſtituendam juxta iſtud præſcriptum; itemque ad imitationem talium factorum.

Hæc autem competit 1. dictis ipſius Dei abſolute omnibus.

2. Dictis bonorum Angelorum, & Hominum Θεοπνεύστως loquentium.

3. Dictis etiam aliorum, Θεοπνεύστως laudatis, vel approbatis; ſive iſtic directè; (vide *Job.* 1, 33. *Act.* XVII, 38. 1 *Cor.* XV, 33. *Tit.* I, 13, 13.) ſive alibi per ſimiles ſententias Θεοπνεύστους.

4. Actionibus ſimiliter laudatis, vel approbatis, & ad imitationem propoſitis.

Αὐθεντία *hiſtoriæ tantùm*, nos obligat ad credendum fide Divinâ ſic omnino facta vel dicta eſſe, quæ ita materialiter commemorantur in ſacro illo ſyſtemate; non autem ad imitationem illorum factorum; neque ut credamus, iſta recte atque ex vero dicta eſſe.

Ea convenit, 1. Dictis Diaboli, & Hominum infidelium, ex ſeſe loquentium; qualia in SS. Literis aliquoties commemorantur.

3. Dictis etiam fidelium, non loquentium Θεοπνεύστως; atque adeo vel aperte improbatis, vel ſaltem prorſus non approbatis. Vide *Iob.* XXXVIII, 1, 2,

&c. XXXIX, 34, -38. XLI, 1, 13-6, 7. *Psal.* CVI, 33.

3. Factis similiter improbatis, aut saltem nullo modo approbatis.

4. Quin & operibus, vires humanas absolutè excedentibus: quæ sic ad imitationem non sunt proposita. Cujusmodi sunt Opera creationis, Miracula, &c.

XXI. Observatâ hâc distinctione facilè intelligitur, quomodò Auctoritas Divina conveniat toti S. Scripturæ, & singulis ejus partibus, ac particulis: 2 *Tim.* III, 16. 2 *Petr.* I, 19, 20, 21. *Rom.* XV, 4. 1 *Cor.* VII, 25, 40. *Luc.* I, 41, 42, 67, 68. *Act.* VI, 8, 10. Quod contra *Gentiles* & *Muhammedanos* asserimus ac defendimus: & de libris N. T. non minùs, quàm V. T. contra *Judæos*.

Alia tamen est ratio Titulorum præfixorum ipsi Contextui sacro, Subscriptionum ad finem alicubi adjectarum, Distributionis in Capita, Supputationis Versuum, & si quæ sunt illis similia.

XXII. Quoniàm verò SS. Scriptores immediatè & efficaciter inter scribendum ubique acti fuerunt à Spiritû Sancto; 1. nusquàm ipsi de facto errârunt, neque errare potuerunt.

2. Nulla uspiàm occurrit vera dissensio, aut repugnantia: ubi verò species aliqua contrarietatis occurrit, spectandæ sunt regulæ oppositionis, & sic instituenda conciliatio; vel agnoscenda nostra ignorantia.

3. S. Scriptura ubique loquitur secundùm accuratam rerum veritatem, sive propriè id fiat, sive tropicè, nusquàm secundùm erroneam hominum opinionem; tàm in naturalibus, & moralibus, quàm in supernaturalibus. *Psal.* XII, 7. „Eloquia Jehovæ, *eloquia munda*; „argentum excoctum in fornace terrea, *defecatum se„pties.* XIX, 8, 9. „Lex Jehovæ *perfecta*, convertens „animam: testimonium Iehovæ *fidele*, *sapientem effi„ciens* parvulum. Præcepta Iehovæ *recta*, lætificantia

cor-

cor: præceptum Iehovæ *purum*, illuminans oculos. Confer ſup. th. 4. & cap. 2. th. 2.

XXIII. Quæ hactenùs de Auctoritate S. Scripturæ dicta ſunt, non ſolum ſic accipi debent de *Autographis*, verùm etiàm de *Apographis* fideliter factis: prout Deus plurium codicum deſcriptionem, eorumque familiarem uſum, disertè mandavit; *Deut.* XVII, 18, 19. cum *Joſ.* 1, 8. *Pſal.* 1, 2. *Joh.* V, 39. XX, 31. *Act* XVII, 11. *Rom.* IV, 23, 24. XV, 4. 1 *Cor.* X, 11. *Col.* III, 16. 1 *Tim.* IV, 13. 2, III, 14, -17.

Eadem interim Veritas, Divinitas, & Auctoritas in Apographis etiàm cognoſcitur, 1. Exemplarium conſensû.

2. Per characteres Divinitatis iſtic ſimiliter conſpicuos.

3. Accedit Eccleſiæ teſtimonium.

Et 4. potiſſimum, efficax Spiritûs Sancti perſuaſio, Fidem Divinam in nobis producens; quam ne quidem accuratiſſima manuum cognitio facere poſſet, aut qualiſcunque hominum traditio & atteſtatio de Autographis, ſi ea ſupereſſent.

XXIV. Verùm *Autographa* interire Deus ſivit: tùm quòd veris *Apographis* Eccleſiæ ſatis proſpectum ſit: tùm etiàm, ne cæteroquin una Eccleſia videretur ab aliâ dependere; aut reliquis impoſita neceſſitas recurrendi perpetuò ad illam, ubi Autographa exſtarent.

Obj. Atqui paſſim in Codicibus σφάλματα quædam irrepſerunt, per Librariorum incuriam, vel inſcitiam. *Reſp.* Codices ſatis multos voluit Deus in Eccleſiâ ſuâ exſtare; ut ubi dubium ſuboriretur, alii Codices conſuli poſſent, atque ità ſcrupulus eximi. Sic interim per infirma operatur Deus, & potentiam ſuam demonſtrat; atque hunc theſaurum in teſtaceis vaſculis haberi voluit: 2 *Cor.* XII, 9. IV, 7.

XXV. Sed nullis planè *Verſionibus* formalis iſta

αὐ-

αὐθεντία competit: nec speciatim *Vulgatæ Latinæ*; quam *Concilium Tridentinum* decrevit pro authenticâ habendam. Nam 1. est opus humano studio, non autem à viris Θεοπνεύστοις, concinnatum.

2. Ex variis auctoribus conflatum est.

3. Sæpiùs interpolatum & correctum, etiàm postquàm Concilium Tridentinum esset habitum, ac de eâ decretum condidisset; jussû Papæ *Sixti* V. ac deindè iterùm jussû *Clementis* VIII.

4. Interim fatentur auctores, alia, *quæ mutanda videbantur, consulto immutata* relicta esse, *ad offensionem populorum vitandam*, *&c.* Errores etiàm satis multi ac manifesti sunt.

Similiter existimandum de *Versione Græcâ*, quæ appellatur LXX. *Interpretum*: cujus etiam auctores 1. non fuerunt Θεόπνευστοι.

2. Quot, & quales fuerint isti Interpretes; & an integra Biblia V. T. per eos translata, incertum est.

3. Translationem illam adhùc puram exstare, non est certum; imò nec probabile.

4. Quæ isto nomine commendatur, plurimùm discrepat ab Editione Hebraïcà, verè authenticâ.

XXVI. Diximus th. 13. faciendas etiam esse SS. Bibliorum Translationes in alias linguas; sicut autem in Ministris Christi, ac Dispensatoribus mysteriorum Dei, omninò requiritur, ut fidi reperiantur; 1 *Cor.* IV, 1, 2. ita in transferendis SS. Bibliis singularis cura & fides adhibenda est, ut originalis veritas quam optimè exprimatur; vocesque & phrases singulæ, pro ratione linguarum ac idiotismorum, exhibeantur quam proximè & efficacissimè.

In Bibliis autem fideliter translatis, agnoscenda est eadem *Divina & Canonica Auctoritas* materialiter, secundum rem contentam, ejusque methodicam dispositionem, & realem expressionem; sed mutato idiomate.

Obj.

Obj. Interpretes omnes fallibiles sunt. *Resp.* Attamen suppositâ fidelitate, & reali convenientiâ cum originalibus, non fefellerunt, nec falsi fuerunt actû Interpretes.

XXVII. *Translationum sinceritas*, saltem in rebus principalibus, ad fidem & mores potissimùm necessariis, earumque Divinâ tractatione; atque adeò *Canonica earum Auctoritas* secundum illud materiale, cognoscitur 1. ex collatione plurium Translationum.

2. Ex testimonio aliorum, sive fidelium, sive etiam infidelium, qui Linguas originales intelligunt.

3. Per characteres Divinitatis, qui etiam in Translationibus exprimuntur.

4. Accedit insuper Spiritûs Sancti attestatio, & persuasio interna, in cordibus nostris: quâ quidem luce subjectivè collustrati singuli, vident lucem illam objectivè, eamque pie agnoscunt; & sic fide Divinâ credunt, hoc reverâ esse Verbum Dei.

XXVIII. *Perfectio*, vel *sufficientia* S. Scripturæ est, quâ Systema Biblicum omnia fidei & vitæ Christianæ dogmata, ad salutem consequendam necessaria plenè complectitur.

Hæc autem spectatur, *tùm*, integralis, *tùm* essentialis.

Integralis perfectio dicitur respectû partium integrantium; ut Systema S. Scripturæ etiam nunc omnes libros & omnes singulorum librorum partes, ac particulas comprehendat, prout Deus Ecclesiæ suæ dedit in canonem fidei ac morum.

Asserimus ergò, S. Scripturam non esse in universum corruptam, aut depravatam; multis ex eâ sublatis, aliisque perperam insertis; contra *Muhammedanos*, qui isto prætextû *Alkoranum* suum commendare solent.

Neque ullos libros intercidisse, nec pluribus locis immutatam ac depravatam esse S. Scripturam; contra

Pon-

Pontificios, *Socinianos*, & incautos quosdam *Criticos*.

Huc pertinent 1. diserta quædam *Testimonia*: *Psal.* XII, 7. XIX, 8, 9. Vide sup. th. 22. Adde *Psal.* XVIII, 31. XCIII, 5. CXIX, 140. *Prov.* XXX, 5. Item *Matth.* V, 18. „Amen quippè dico vobis; Usquedum Præte„rierit cœlum & terra, *ἰῶτα unum*, *aut unus apex ne„quaquàm præterierit ex Lege*, usquedum omnia facta „fuerint. 1 *Petr.* II, 2. „Ut modo geniti infantes, „*lac illud sermonis sincerum* expetite. 2, 19. *Habemus* „*firmissimum sermonem Propheticum*: quem bene facitis „quod attendatis, &c.

2. Argumentamur à *Fine*; cujus gratiâ SS. Literæ exaratæ sunt; quippe requirit, ut integræ exstent usque ad finem mundi: *Deuter.* XXXI, 26, 27. „Capite „librum istum Legis, & ponite eum in latere Arcæ fœ„deris Iehovæ Dei vestri; sitque ibi contra te *in te„stem*. -- Ecce adhuc me vivente vobiscum hodie, re„belles estis Iehovæ; & quantô magis *posteaquam mor„tuus fuero*? *Jes.* VIII, 20. Vide sup. cap. 1. th. 6. *Luc.* XVI, 29. „*Habent Mosen & Prophetas*; *audiant eos*. *Rom.* IV, 23, 24. „*Non scriptum* est autem *propter* „*eum* (Abrahamum) *solùm*, quod (hoc) imputatum „fuerit ei: Sed *etiàm propter nos*, quibus futurum est „ut imputetur, &c. 1 *Cor.* X, 11. „Hæc autem typice „evenerunt eis (sub V. T.); *scripta* vero *sunt ad nostri* „*admonitionem*, *in quos fines sæculorum devenerunt*. *Joh.* XX, 31. *Rom.* XV, 4. *Tim.* III, 16, 17. Vide sup. th. 4.

3. A Providentiâ Dei speciali conservatrice: hanc enim non minus saltem circa S. Scripturam versari necesse est, quam circa Naturam. Quemadmodum igitur in Naturâ omnes creaturarum species perpetuo conservantur; etiam omnes & singulas S. Scripturæ partes conservari, statuendum est: quia maximè versatur circa fideles, & quidem in ordine ad salutem ipsorum æternam, & circa media ad eam promovendam necessaria. *Jes.* XLIX, 15, 16. *Matth.* X, 29, 30, 31. 1 *Petr.* I, 5.

1. 5. cum *Ief.* lix, 21. Vide ſup. Cap. 1. th. 29.

4. A Curâ & fidelitate Eccleſiæ; cui S. Scriptura commiſſa eſt,& quæ Providentiæ iſti Divinæ ſubordinatur. *Pſal.* CXLVII, 19, 20. *Rom.* III, 2. 1 *Tim.* III, 15. Vide ſup. th. 4 & 16. cum *Matth.* XXVIII, 20. „Ecce, *Ego vobiſcùm ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.*

XXIX. *Obj.* 1. *Numer.* XXI. 14. allegatur *Liber Bellorum Domini, Joſ.* X. 13. *Liber recti*; & 1 *Reg.* XIV. 19. *Chronica Regum Iſraëlis.* Verùm iſti libri in Canone ſacro nunc non comparent: ergò. *Reſp.* Iſti libri non ſunt, neque olim fuerunt, Canonici: undè nihil neceſſe fuit, eos ſemper conſervari. At veritatem aliquam, quam Deus in Eccleſia omninò exſtare voluit, ex illis allegavit,& comprobavit in libris verè Canonicis: Confer allegata ex *Arato, Menandro,*& *Epimenide*; *Act.* XVII, 28. 1 *Cor.* XV. 33. *Tit.* I. 12.

Obj. 2. Atqui etiam allegantur ſcripta *Nathanis, Gadi,* &c. 1 *Chron.* XXIX. 29. 2. IX, 29. *Reſp.* Iſta ſcripta vel exſtant ſub aliis titulis; in libris ſcil. Samuëlis, & Regum; vel Canonicæ non fuerunt.

Obj. 3. *Paulus* etiàm commemorat epiſtolam ſuam ad *Laodicenſes*; *Col.* IV. 16. *Reſp.* Apoſtolus 1. non dicit epiſtolam illam à ſe ſcriptam; 2. nec ad Laodicenſes; 3. neque eam eſſe Canonicam. Sed epiſtolam aliquam ſcriptam Laodiceâ commendat, ut legatur à Coloſſenſibus. 4. Si quæ Epiſtola à Pauſo iſtic ſcripta intelligi deberet, cogitari poſſet de priori ad Timotheum, juxta ejus ſubſcriptionem.

XXX. *Perfectio eſſentialis* dicitur ratione doctrinæ ſalutaris, iſtis libris comprehenſæ, & per ſingulas partes diffuſæ, multiſque vicibus ac modis repetitæ, ſic tamen ut ratione ſubſtantiæ indè ab initio Fœderis gratiæ ſemper fuerit eadem. *Heb.* XIII, 8. *Act.* X. 43. XV, 11. V. 12, 2 *Cor.* III. 11. 1 Tim. II, 5, 6. *Joh.* XIV, 6. 1. 16. *Col.* I, 19, 20.

Sic

Sic autem Systema S. Sripturæ indè ab initio sui continuit, & nunc etiam clarius continet omnia, quæ hominibus ad salutem consequendam necessaria sunt.

S. Literis interim comprehensa intelligimus, non solum ea, quæ formaliter, *αὐτολεξεὶ* & *κατὰ ῥητὸν* expressa sunt; sed etiàm, quæ virtualiter, *κατ' διάνοιαν*, *κατ' ἰσοδυναμίαν*, aut *κατὰ συνακολούθησιν*, continentur

Neque spectamus, quæcunque in Ecclesiâ unquàm Divinitùs dicta aut facta sunt; sed quæ hominibus ad salutem consequendam necessaria, tùm in credendis tùm etiàm in agendis. *Joh.* XX, 30, 31. „*Multa* verò „etiàm *alia signa edidit Jesus* in Discipulorum suorum „conspectû, quæ *non* sunt *scripta in hoc libro*: *Hæc au-* „*tem scripta sunt, ut credatis*, &c.

XXXI. Sententia ista orthodoxa *probatur*; 1. illustri illo testimonio, 2 *Tim.* III, 14, 17. „At tu *mane-* „*to in iis, quæ didicisti*, & *quæ tibi concredita sunt*: sciens „à quo didiceris: Teque à puero *sacras literas novisse*; „quæ te possunt *sapientem reddere ad salutem, per fidem*, „quæ est in Christo. *Tota Scriptura Divinitùs (est) in-* „*spirata*, &c. Vide sup. th. 4. Apostolus Euangelistam à falsis doctrinis dehortatur, docetque, in quibus post excessum suum ei perseverandum esset: ità scil. ut eum revocet ad *SS. Literas*. De iis autem asserit (*α.*) *posse sapientem reddere ad salutem*, &c. *Sapientia* habitum perfectum notat: hæc verò *in fide Christi ad salutem*, SS. Literis, tanquàm unico principio doctrinali, tribuitur. (*β.*) Docet, *Totam S. Scripturam esse Divinitùs inspiratam*: ab Auctore scil. Auctoritatem & Perfectionem arcessens; juxta *Jac.* I, 17. Verùm insuper (*γ.*) per partes hanc exequitur, *utilis ad doctrinam*, &c. Sic enim ejus usum demonstrat, non in uno tantùm, sed in omni genere ad salutem necessario; sive veritas fuerit docenda, sive falsitas redarguenda, sive mali mores cor-

rigendi,

rigendi, sive disciplina justitiæ inculcanda. Quin etiàm (*δ.*) totum negotium conficit, & planè hanc litem terminat; concludens: *ut Vir Dei* (h. e. Doctor Ecclesiæ ex ordinatione Dei; 1 *Reg.* XVII, 24. 1 *Tim.* VI, 11.) *perfectus* sit, in omnibus videl. istis partibus; & breviter *ad omne opus bonum perfectè instructus.* Ex perfectione effectûs patet perfectiò causæ.

2. Locis quibusdam V. T. *Exod.* XXIV, 3, 4. „Venit ergò *Moseh*, & *narravit* populo *omnia Verba Iehovæ*, *omniaque judicia*: & respondit totus populus voce unâ, ac dixerunt; *Omnia Verba*; quæ locutus est „Jehovah, faciemus. Et *scripsit Moseh omnia verba Iehovæ.* Moses, quæ à Deo audivit, omnia populo narravit; eademque omnia scripto consignavit: ne ea oblivioni traderentur, imò ut etiàm posterorum usibus servirent; cum quibus Deus idem fœdus pepigit. *Exod.* XXXIV, 27. *Deut.* XXIX, 14, 15. XXXI, 9, 21.

Iterùm *Deut.* XXXI, 24, - 27. „Cùm autem *finem* „*fecisset* Moseh *scribendi verba Legis istius* in libro, do„nec ea *complerentur*: Præcepit Moseh Levitis portan„tantibus arcam fœderis Jehovæ dicendo; Capite li„brum istum, &c. Vide sup. th. 28. Legis ergò scripturam absolvit Moses; omnesque ejus partes complevit: & pro posteris exemplar illud, tanquàm depositum ac testimonium, diligentissimè conservandum mandavit. Ita quidem ut *nemini quicquam addere*, vel *detrahere* liceret; sed præscriptum illud accuratissimè omnes sequi deberent, *non recedendo dextrorsùm vel sinistrorsùm*; *Deut.* IV, 1, 2. V, 38, 39. XII, 32. *Ios.* I, 7. XXIII, 6. *Prov.* XXX, 5, 6.

Insigne etiam est testimonium *Psal.* XIX, 8, 9. Vide sup. th. 22. Ubi disertè *perfectio* laudatur, & quidem ad convertendam animam, sapientiam efficiendam, cor lætificandum, &c.

3. Similia sunt testimonia N. T. *Luc.* XVI, 29. ubi de evitandâ condemnatione: *Habent Mosen & Prophe-*

tas; *audiant illos*. Ac porrò de consequendâ vitâ æternâ, *Joh*. v, 39. ,,Scrutamini *Scripturas*: quia vos vi-,,demini vobis *in ipsis vitam æternam habere*: & illæ sunt ,,quæ *testificantur de Me*. Confer *vers*. 46, 47. & xx, 31. Vide sup. th. 4. Item *Luc*. xxiv, 25, 26, 27, 44.

Undè etiàm Paulus, *Actor*. xx, 27. ,,Non subter-,,fugi, quominùs *annunciarem* vobis *omne Dei consilium*: cum xxvi, 22. ,,Perstiti in hunc usque diem, testifi-,,cans (ista) tùm parvis, tùm magnis; *nec quicquam di-,,cens extra ea, quæ Prophetæ ac Moses futura prædixe-runt*. Confer xvii, 11. 1 *Cor*. iv, 6. *Rom*. xv, 4, 5. *Jac*. 1, 21, 25.

Iterùm *Gal*. 1, 8, 9. ,,*Etiamsi* nos, aut Angelus è ,,cœlo *euangelizet* vobis *præter* (*id*) *quod vobis euangeliza-,,vimus*, anathema esto. Ut antè diximus, etiàm nunc ,,iterùm dico; *Si quis* vobis *euangelizaverit præter* (*id*) ,,*quod accepistis, anathema esto*. Sicut etiàm ultimus liber N. T. atque adeò universus Canon, obsignatus est *Apoc*. xxii, 18, 19. ,,Enimverò unà testor cuivis au-,,dienti Verba Prophetiæ libri hujus; *Si quis adjecerit ,,ad hæc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto*: Et ,,*si quis abstulerit* (*aliquid*) *ex verbis libri* Prophetiæ *hu-,,ius, auferet Deus partem ejus è libro vitæ*, & ex urbe illâ ,,sancta, *& ex iis quæ scripta sunt in libro isto*.

4. Idem probamus ex ratione *Regulæ*, seu *Normæ*, ad quam fides & vita nostra exigenda: *Phil*. iii, 16. *Gal*. vi, 16. Vide sup. th. 4. Item *Jes*. viii, 20. sup. cap. 1. th. 6. Atqui Regulam perfectam esse oportet. S. Scriptura etiam *Testamentum* complectitur, & quidem *confirmatum*: *cui nihil adjiciendum*: *Gal*. iii, 15. Et passim usitatissima est appellatio tùm Veteris, tùm Novi Testamenti. Nihil ergò ad Perfectionem S. Scripturæ deest.

XXXII. Adversantur huic veritati *Traditiones non scriptæ*; seu *Verbum Dei non scriptum*; ubi hoc jactatur, tanquàm ad fidem ac mores vivendi e-

riàm

tiàm necessarium, ut salutem consequamur.

Tradere propriè de rebus dicitur, quæ de manû in manum dando transferuntur: metaphoricè significat *docere*; sive id fiat vivâ voce, sive scripto. Correlata autem sunt *Tradere*, & *Accipere*: 1 *Cor*. XI, 32 „Ego *accepi* a Domino, quód & tradidi vobis &c. XV, 3. „*Tradidi* enim vobis inprimis, quod & *accepi*, Christum „videlicet mortuum esse pro peccatis nostris, secun-„dùm *Scripturas*, &c.

Judæi præter *Legem* Dei *scriptam*; תּוֹרָה שֶׁבִּכְתָב jactant etiam *oralem*, תּוֹרָה שֶׁבְּעַל פֶּה: hanc autem contendunt, Mosi Divinitùs quoque revelatam fuisse; ac postmodùm longo tempore quasi per manûs successivè traditam, vivâ voce tantum; ejusdemque cum scriptura Divinæ auctoritatis. Suntque *Kabbalah*, & *Mischnah*.

קַבָּלָה (à קִבֵּל *accepit*,) partim *practica* est, quæ ferè Magica; partim *theoretica*, cujus tredecim species, seu modos, recensent: atque istis artibus ex literis transpositis, aut in numerum resolutis, vel aliter mutatis, itemque ex punctis & accentibus S. Scripturæ, innumera mysteria elici temerè ac superstitiosè dicunt.

מִשְׁנָיוֹת, δευτερώσεις, juxta eósdem, sunt peniores cerimoniarum ac præceptorum Legalium explicationes, dubiorum solutiones, & variæ constitutiones: quæ tandem satis diu post adventum Christi scripto comprehensæ, ac deinceps prolixis Rabbinorum commentariis (nomine גְּמָרָה, h. e. *complementi*) auctæ & gravatæ, sic pariter constituunt *corpus Talmudicum*; quasi Jus illorum, tam Canonicum, quam Civile.

Opponenda autém illis argumenta ex V. T. etiam modo producta, pro Perfectione S. Scripturæ.

Observandum item; quómodò *Servator* noster ad

Scripta Mosis ac Prophetarum semper provocaverit: Traditiones verò non scriptas nunquam commendaverit, neque approbaverit; imò disertè perstrinxerit, ut quibus illi mandata Dei facerent irrita, & frustra Deum colerent; *Matth.* xv, 3, 6, 9. ex *Jes.* xxix, 13. Quin & inter ipsos Iudæos rectiùs hâc saltem parte sensisse eos, qui קְרָאִים h. e. *Scripturarii* appellabantur; quod rejectis omnibus istis Traditionibus, solo Verbo Dei niterentur.

XXXIII. *Papale Concilium Tridentinum* etiam definivit, „Salutarem veritatem & morum disciplinam „contineri in *Libris scriptis*, & *sine scripto Traditioni-„bus*; quæ ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, „aut ab ipsis Apostolis, Spiritû Sancto dictante, quasi „per manûs traditæ, ad nos usque pervenerint. Ac porrò, „*omnes Libros*, *tàm V. quàm N. T. nec non Tradi-„tiones ipsas*, *pari pietatis affectû ac reverentiâ suscipit „veneratur*. Quam sententiam plenius exequuntur *Doctores Pontificii*.

Sic *Becanus Traditiones* etiam *V.T. Mosaïcas* præter S.Scripturam agnoscit, & a *Pharisaicis* distinguit. Idem *Traditiones* N. T. statuit tum *Divinas & Apostolicas*, partim de Dogmatibus fidei, partim de Moribus & Ritibus externis; quæ *parem cum Scripturâ auctoritatem* habeant: tum *Ecclesiasticas*, quæ post tempora Apostolorum a Prælatis Ecclesiæ introductæ sint, & *meritò à Christianis servari debeant*.

Verum per Argumenta nuper exhibita patet, dogmata qualiacunque, SS. Literis prorsus non comprehensa, vel necessaria non esse, aut etiam incerta; vel erronea & falsa.

Quin & Traditionum non scriptarum levitas atque incertitudo facilè etiam demonstratur ex Historiis Ecclesiasticis, antiquis Partibus, ipsisque Scriptoribus Pontificiis.

Sicut in antiquis Ecclesiæ Doctoribus pro Perfe-

ctione

ctione & Sufficientiâ S. Scripturæ satis luculenta quoque exstant testimonia.

XXXIV. *Obj.* 1. In Festorum solennibus, Sacrificiis,&c. multa per S. Scripturam determinata non sunt: in illis ergo observari debuerunt Traditiones non scriptæ. *Resp.* Quæcunque in illis erant necessaria, per S. Scripturam sufficienter determinata sunt: circumstantiæ quædam, de quibus istìc nihil determinatum est, libertati ac prudentiæ Sacerdotum relinquebantur.

Obj. 2. Ecclesia Judaïca instituit dies P*urim*; *Esth.* IX, 21, 22, 26. itémqve *Encænia*; 1 *Maccab.* IV, 59. cum *Ioh.* X, 22. Ergò etiàm nunc admitti debent instituta, & traditiones Ecclesiasticæ. *Resp.* In Mardochæo circa dies P*urim* videtur agnoscendus Spiritus Propheticus; & sic Divina auctoritas. Alioqui, sicut etiam in *Encæniis*, generatim spectari deberet officium gratitudinis, & quidem juxta istam œconomiam, dùm festa obtinebant, & sacrificia, &c. undè processerit institutio istiusmodi; sed citra necessitatem universalem ac perpetuam: atque sic non valet consequentia ad instituta, vel traditiones Ecclesiasticas, quæ omnes & semper obligarent necessariò.

Obj. 3. Cultus Leviticus sub N. T. abrogatus est; & nova Sacramenta instituta: ergo non eadem essentialis perfectio est librorum V. T. quæ librorum N. T. *Resp.* 1. Cultus Leviticus sub V. T. complectebatur adjuncta signa Euangelii promissionis, & Christi venturi: terminari propterea debuit, quantum ad observantiam attinet, cum istâ œconomiâ: *Hebr.* VII, -X. manente tamen eâdem doctrinâ, quantum ad ipsam essentiam. 2. Sacramenta nostra sunt sacra sigilla, pro N. Test. Divinâ auctoritate institura: sic tamen, ut res eadem signata sub V. T. quoque obtinuerit: (quamvis aliæ tunc fuerint circumstantiæ;) & signis isti œconomiæ convenientibus obsignata etiàm fuerit. Quin hæc

 ipsa

ipsa insuper signa, aliis quibusdam signis, atque etiam phrasibus, sic insinuata fuerunt; ut nova doctrina censeri prorsus non debeat. Vide inter alia, 1 *Cor.* x, 1,-4. *Ezech.* XXXVI, 25. *Zach.* XIII, 1. *Psal.* XXIII, 5. *Prov.* IX, 1, 5. *Jes.* lv, 1, 2.

Obj. 4. Non constat ex S. Scripturâ, quodnam ante institutam Circumcisionem, quin etiam deinceps in fæminis, fuerit remedium adversus peccatum originale. *Resp.* Imo satis constat, remedium adversus omnia electorum salvandorum peccata, semper fuisse gratiam Dei in Christo; sicut etiam nunc est: quam Circumsio suo tempore non contulit propriè; sed collatam obsignavit, juxta fœdus & promissionem Divinam. Vide *Gen.* III, 15. XVII, 7, 11. *Rom.* IV, 11. *Act.* x, 43. XV, 11. *Hebr.* XIII, 8.

Obj. 5. *Joh.* XVI, 12. „Adhùc *multa* habeo, *quæ* „*vobis dicam*; sed *nunc non potestis portare.* Ista ergo scripta non sunt; sed aliter postmodùm tradita. *Resp.* Quæ Apostoli tunc *capere non poterant*, & Christus isto tempore iis *non dixit*, quousque nobis ad salutem consequendam necessaria sunt, omnino *SS. Literis continentur.*

Obj. 6. 2 *Thess.* II, 15. Nempè igitur, fratres, „perstate, & *retinete traditiones, quas edocti estis*, tum per „*sermonem*, tum per epistolam nostram. Ergo necessariæ etiam sunt Traditiones non scriptæ. *Resp.* Thessalonicenses retinere debuerunt Traditiones, quas ab Apostolo acceperant: tum vivâ voce, per sermonem; tum per epistolam ad eos scriptam: undè nequaquàm sequitur, Apostolum quædam ad salutem necessaria Thessalonicensibus tradidisse solum vivâ voce; ut ea nec epistolis ad ipsos datis, nec aliis etiam scriptis Θεοπνεύστοις, comprehensa fuerint.

Obj. 7. *Hebr.* XIII, 17. *Obedite Ductoribus vestris, & obsecundate:* ergò recipi & observari debent, quæ à Prælatis Ecclesiæ constituuntur. *Resp.* Obediendum

est

est Antecessoribus Ecclesiasticis, dum excubantes pro animabus singulorum, tanquam rationem reddituri, ea docent, explicant, applicant, quæ ipse Dominus præscripsit; cujus illi Ministri solùm sunt. In applicatione istâ fit quidem particularium circumstantiarum prudens determinatio, boni ordinis & communis ædificationis causâ; sic tamen, ut rebus ità exigentibus determinatio illa variari possit ac debeat: 1 *Cor.* XIV, 40. *Gal.* V, 1. *Col.* II, 18.

XXXV. *Perspicuitas*, sive *Claritas*, est ea S. Scripturæ virtus, per quam omnia istìc ad salutem necessaria intelligi idonea sunt; quin & reipsâ, per gratiam Dei, intelliguntur à subjectis capacibus, attentè & accuratè legentibus.

Ista autem virtus spectanda, tùm *objectivè* in se; tùm quomodò *subjectivè* in hominibus recipiatur.

Objectivè, in se, sive in suo systemate, Verbum Dei esse clarum ac perspicuum, vel aptum intelligi, probamus 1. disertis quibusdam testimoniis: *Psal.* XIX, 8, 9. - *Præceptum Jehovæ purum: illuminans oculos.* CXIX, 105. „*Lucerna* pedi meo *Verbum tuum*; & *lumen* semitæ meæ. 130. Ostium verborum tuorum *illuminat*, 2 *Petr.* I, 19. „- Quem (*sermonem* Propheticum) benè facitis quòd „attendatis, *velut lucernam splendentem* in obscuro loco. „Adde *Prov.* VI, 23. 2 *Cor.* III, 8, 9. 11. IV, 4. *Deut.* XXX, 11, - 14. cum *Rom.* X, 6, 7. & *Actor.* XXVI, 22. Ergò Verbum Dei, SS. Literis expressum, lucis instar, per se, suis radiis, fulget, conspicitur, intelligitur.

2. Ex fine & effectis: S. Scriptura ex ordinatione Dei; non solùm Antecessores Ecclesiarum, aut adultos; sed adolescentes etiàm, & pueros, potest sapientes reddere ad salutem. 2 *Tim.* III, 15. „Te *à puero sacras* „*Literas novisse*, quæ te *possunt sapientem reddere ad sa-* „*lutem*, &c. *Psal.* CXIX, 130. - *Intelligere facit simpli-* „*ces. Prov.* I, 4. *Ad dandum simplicibus calliditatem*; „*puero scientiam & cogitationem.* 1 *Joh.* II, 13, 14. *Scri-*

„*bo vobis, patres, — adolescentes, -- pueruli*, &c. Adde Ioh. v, 39. xx, 31. *Act.* xvii, 11. Ergò S. Scriptura ex istâ Dei ordinatione, & juxta talem usum, in se clara est atque apta intelligi.

3. Ex consideratione Auctoris; qui *Lux* est: 1 *Ioh.* 1, 5. & Pater *Luminum*: *Iac.* 1, 17. ac proindè potuit Literas suas dare satis claras: imò etiàm voluit, juxta 1 *Tim.* ii, 4. *Quosvis homines vult servari, & ad agnitionem veritatis venire.* P*sal.* xxv, 14. *Secretum Iehovæ timentibus eum: & pactum ejus, ut scire faciat eos.* Ipse promisit, *Matth.* vii, 7. 11. se *petentibus daturum* liberaliter; non pro pane lapidem, &c. adeòque nec libros γρεπτὺς ἀγρεπτὺς. Ergò Scriptura, quâ Deus doctrinam salutarem comprehendit, objectivè clara est.

4. A conditione subjectorum recipientium: quibus Deus dedit, ut est *Ephes.* 1, 18. *illuminatos oculos mentis, ad sciendum, quæ sit spes illa vocationis.* Et 2 Cor. ii, 10, 12. *revelavit per Spiritum suum; - ut sciamus, quæ Deus est nobis gratificatus.* Consequenter, *vers.* 15. *Spiritualis homo dijudicat omnia.* Item *Ioh.* vi, 45. „Scriptum „est in Prophetis; *Erunt omnes docti à Deo.* vii, 17. „Siquis voluerit voluntatem ejus facere. *cognoscet de* „*doctrinâ*, utrùm ex Deo sit. 1 *Ioh.* ii, 27. *Ipsa unctio docet vos de omnibus.* Cum *Ioh.* xx, 31. *Rom.* xv, 4. 2 *Tim.* iii, 16. Ista autem subjectorum dispositio, & elevatio ad illum actum, objecti aptitudinem & claritatem omninò supponit.

XXXVI. *Obj.* 1. 2 *Petr.* iii, 16. „In quibus (de- „scriptis à Paulo in suis epistolis) sunt nonnulla *diffici-* „*lia intellectû*; quæ indocti, parumque stabiles, *detor-* „*quent*, ut & *reliquas Scripturas*, *suo ipsorum exitio.* Ergò Scriptura est obscura, & hominibus indoctis lectû periculosa. *Resp.* 1. Concedimus, in SS. Literis occurrere etiàm *quædam intellectû difficilia*; utpotè mysteria, sublimitate sua captum humanum (si hominem

merè

merè naturalem ſpectes, vel etiàm cognitionem adæquatam, & ἐξ ἰδιόλη,) excedentia: attamen iſta ſic accommodatè proponuntur, ut per gratiam Dei cognoſcere, & credere poſſimus, ſaltem τὸ ὅλη, quantum quidem ad ſalutem conſequendam opus eſt, quoniàm ex ordinatione Dei iſte eſt proprius S. Scripturæ finis. Vide ſup. th. 4. Quæ interim alicubi breviter & minùs clarè expreſſa ſunt; alibi magis apertè, diſtinctè, & fuſe traduntur in eodem ſyntagmate. 2. Quod homines indocti, parumque ſtabiles, quædam, vel etiàm plura SS. Literis comprehenſa, detorqueant ſuo ipſorum exitio; id vitio iſtorum ſubjectorum evenit: ſicut etiàm Euangelii prædicatio nonnullis ex accidenti eſt *odor mortis ad mortem*; 2 *Corinth.* II, 16. Confer *Hoſ.* XIV, 10.

Obj. 2. Eunuchus Æthiops Jeſaïam legens, & interrogatus nùm etiàm intelligeret; reſpondit: „*Quinam enim poſſim, niſi mihi quiſpiam dux viæ fuerit? Act.* VIII, 30, 31. Quin & David, ipſe Propheta, Deum rogavit, *Pſal.* CXIX, 18. „*Revela* oculos meos; & *aſpiciam mirabilia de Lege tuâ.* Ergo, &c. *Reſp.* 1. Eunuchus ille, Religionis Chriſtianæ vixdùm catechumenus, non ſatis intellexit prophetiam, *Ieſ.* LIII. quod per ipſius imperitiam factum eſt. Nec valet conſequentia à capite aliquo Prophetico, ad totum ſyſtema Biblicum. 2. David non petiit, ut S. Scriptura magis lucida redderetur; ſed ut oculi ſui revelarentur. Sic vitium *ſubjectivè* in ſe agnovit; non *objectivè* in S. Scripturâ.

XXXVII. Subjectivè claritas iſta varie recipitur in hominibus. 1. *Irregeniti*, omnis gratiæ ſupernaturalis expertes, atque adeo ſolâ naturali facultate intellectivâ prædtti, ſi S. Scripturam attente legant, plurima quidem grammatice & hiſtorice poſſunt intelligere; ſed Divinam, ſpiritualem, vivificam, & ſa-

lutarem eorum veritatem percipere non possunt; quin etiam contrario animo affecti sunt: *Rom.* VIII, 7. 1 *Cor.* II, 14. *Tit.* I, 15.

2. Quibus verò gratia saltem illuminans, refrenans, persuadens, & convincens obtigit, hi ulteriùs procedunt; & veritatem Divinam cum gaudio accipiunt, ac multa faciunt: *Matth.* XIII, 20, 21. *Marc.* VI, 20. Confer *Hebr.* VI, 4, 5. X, 26, 17. 2 *Petr.* II, 20, 21, 22. *Matth.* XII, 31, 32. Verùm salutaris intellectûs Verbi Divini subjecta capacia non sunt, propter suam indispositionem, *Hos.* XIV, 10. *Rom.* VIII, 7. 1 *Cor.* II, 14. 2, II, 16. *Eph.* II, 1, 5, IV, 18. *Tit.* I, 15. 2 *Petr.* III, 16. Quam subjectivam eorum impotentiam, nihil obstante objectivâ Verbi Divini claritate, asserimus contra *Socinianos* & *Remonstrantes*.

3. Regeniti vero, ex Spiritû regenerante spirituales nati; *Joh.* III, 6. Spiritûs vivificantis participes; VI, 63. sic novæ creaturæ, quibus omnia nova; 2 *Cor.* V, 17. ac speciatim oculi mentis illuminati; *Eph.* I, 18. ut mentem Christi habeant; 1 *Cor.* II, 16. & per fidem ejus vivant; *Gal.* II, 20. hi veritatem salutarem vividè, & cum sensû spirituali, percipiunt. 1 *Cor.* II, 15. *Spiritualis homo omnia dijudicat.* Confer *Psal.* XXXIV, 9. XXXVI, 9.

Observandum interim, jam sub N. T. magis plenam & distinctam dari notitiam, quàm fuit sub V. T. ubi doctrina de Christo venturo prophetica erat & typica: *Matth.* XI, 11, XIII, 16, 17. Talis tamen ac tanta etiam tunc obtinuit, quanta sub istâ fœderis œconomiâ ad salutem erat necessaria.

Præterea *infantes*, seu *incipientes*, distinguendi sunt ab *adolescentibus*; atque etiam *adultis* & *perfectis*; qui sic comparatè appellantur: *Hebr.* V, 12, 13, 14. 1 *Cor.* III, 1, 2, 3. 1 *Joh.* II, 12, 13, 14.

XXXVIII. Respectû subjectivæ imperitiæ, minus provecti quædam adhuc intelligere nequeunt absque

ductore;

ductore: *Act.* viii, 31. Confer *Luc.* xxiv, 25. Quin & provectiores confitentur, se *ex parte cognoscere:* 1 *Cor.* xiii, 9. & Deum precantur, ut major sibi detur illuminatio: *Psal.* cxix, 18, 34. 135.

Hinc profectui studendum est, in hâc vitâ jugiter: quo magis distinctè & profundè mysteria Divina intelligamus, veritatem illam firmiter credamus, bona Euangelica nobis applicemus, & sancta præcepta constanter ac sincerè observemus. Sic instandum est lectioni, meditationi, collationi; audiendæ sunt explicationes & applicationes Pastorum ac Doctorum: *Joh.* v, 39. 1 *Tim.* iv, 13. *Col.* iii, 16. *Act.* xvii, 11. *Eph.* iv, 12. ità videl. ut omnes explicationes & applicationes non aliunde, quam ex ipsis SS. Literis hauriantur; & ad easdem, tanquam ad lapidem Lydium, referantur: *Nehem.* viii, 8, 9. *Ies.* viii, 20. 2 *Tim.* iii, 16, 17. *Act.* xvii, 11. *Rom.* xii, 7. Unde patet, dum nihil necesse est lucem aliundè inferri S. Scripturæ, constare ei in suo syntagmate suam Claritatem, seu Perspicuitatem.

XXXIX. *Necessitas* hîc non absoluta, sed ex hypothesi voluntatis Divinæ intelligitur: juxta quam Ecclesia jam nunc S. Scripturâ carere non debet, aut potest, ob Divinam ordinationem hujus medii ad salutarem instructionem ac demonstrationem Theologicam.

Hæc astruitur 1. diserto testimonio, *Iudæ,* 3. „*Necesse habui vobis scribere,* &c.

2. Ex *mandatis* scribendi. Hæc autem occurrunt primò *generalia*, in vocationibus Prophetarum, Apostolorum, & Euangelistarum; ubi jussi sunt docere non tantum vivâ voce, sed pro re nata etiam scripto: *Matth.* xxviii, 19. *Docete omnes gentes*, &c. quod citra scriptionem sic fieri non potuit, ut ipsorum doctrina pertingeret *usque ad consummationem sæculi.* Vide etiam 2 *Tim.* iii, 16. 2 *Petr.* 1, 21. sup. th. 2. quæ

Divi-

Divina inſpiratio ſatis manifeſtum mandatum infert.

Accedunt *ſpecialia mandata*: *Exod.* XVII, 14. „Di-„xit Jehovah ad Moſeh, *Scribe* iſtud (pro) memoriali „*in libro*, &c. XXXIV, 27. *Scribe tibi verba hæc.* &c. Adde *Deut.* XXXI, 18. *Jerem.* XXX, 2. XXXVI, 2. *Apoc.* I, 11. Imo ipſe Deus ſcribendo præivit, ſuamque doctrinam ſcripto conſervari voluit. Vide ſup. th. 2. & 28.

Ac porro *mandata* deſcribendi, legendi, & meditandi S. Scripturam: *Deut.* XVII, 18, 19. XXXI, 6,-13. *Luc.* XVI, 30, 31. *Joh.* V, 39. 1 *Tim.* IV, 13. quæ quidem ſupponunt neceſſitatem ipſius *S. Scripturæ*.

3. Ex conſideratione finium: Deus S. Scripturam ordinavit ad ſalutarem Eccleſiæ inſtructionem, ac demonſtrationem Theologicam: *Ioh.* XX, 31. *Rom.* XV, 4. 2 *Tim.* III, 15, 16, 17. Vide ſup. th. 4. Adde *Luc.* XVI, 28, 29. *Ioh.* V, 39. 1 *Ioh.* I, 4.

4. Denique, Deus hoc modo nobis proſpectum voluit adverſus oblivionem hominum, fraudes Diaboli, & ſeductiones hæreticorum: *Deut.* XXXI, 26, 27. Vide ſup. th. 28. *Ieſ.* VIII, 19, 20. „Cùm autem dixe-„rint ad vos; Quærite à *Pythonibus*, & a *Divinis*, qui „garriunt, & loquuntur: (dicite illis;) Nùm popu-„lus à *Deo ſuo* requiret? pro vivis à mortuis? *Ad legem*, „*& ad teſtimonium* &c. *Luc.* I, 1,-4. Quoniàm *multi* „*aggreſſi ſunt* componere narrationem rerum quarum „plena fides nobis facta eſt:-*Viſum etiam eſt mihi*, omnia „alte (repetita) penitus aſſecuto, ordine illa ad te *ſcri-*„*bere*, præſtantiſſime Theophile: *Ut agnoſcas, cer-*„*tas eſſe res, quas auditione accepiſti.* 2 *Pet.* I, 16, - 19. „Non enim *arte compoſitas fabulas* ſecuti, &c. Et *habemus firmiſſimum illum ſermonem Propheticum*, &c. Adde 2 *Cor.* XI. 3; 13, 14, 15. cum *Gal.* I, 6, 9. *Phil.* III, 16. - 19.

XL. *Pontificii* mirum in modum extollunt Verbum ſcriptum in corde Eccleſiæ & Papæ: ſed *S. Scripturæ* neceſſitatem extenuant, vel negant, temerè interdùm jactan-

jactantes, eam fortuitis solùm occasionibus conscriptam esse, sine speciali mandato Divino, &c. contra quam modò ostensum est.

Pseudo-Enthusiastæ vero, & *Libertini*, infantibus quidem usum *S.S.* Literarum concedunt; sed viris eum minimè convenire contendunt.

Alia omninò mens fuit Regio Prophetæ : *Psal.* XIX, 12. CXIX. 18, 96. 99, 100. cum *Deut.* XVII. 18, 19. *Jos.* I, 7, 8. Apostolo Paulo, Timotheum Euangelistam ad electionem remittenti; 1. IV, 13. 2, III, 14, -17.

Obj. 1. Ecclesia est antiquior S. Scripturâ: ergo hæc non necessaria. *Resp.* Inepta est consequentia: Noah diù ante arcam extitit: hæc tamen necessaria fuit; postquam Deus eam ordinavit ac mandavit ad ipsius conservationem. Ecclesia etiam fuit ante Baptismum, imo & ante Circumcisionem; multôque magis (ad hominem argumentamur) ante Pontificem Romanum. Confer sup. th. 1.

Obj. 2. Ipsa veritas salutaris, fide recepta, facit Ecclesiam: ergo. *Resp.* Sed veritati illi docendæ ac probandæ, ex ordinatione Divinâ, nunc *S. Scriptura* inservit, tanquam regula certissima & constantissima.

Obj. 3. *Litera occidit; Spiritus vivificat*: 2*Cor.* III, 6. Ergo. *Resp.* Non ipsa S. Scriptura, ejusque usus apud fideles, istic *litera occidens* dicitur; (confer *Ioh.* V, 39. XX, 31. 1*Ioh.* 1, 4.) sed Lex ejusque ministerium condemnans; oppositè ad Euangelium, & gratiam vivificantem ac justificantem per Spiritum comitem. Vide *Prov.* I. 23. *Ies.* LIX, 21. *Gal.* II. 2. 5. 1 Thess. II. 13.

Obj. 4. 1 *Ioh.* II, 27. „Unctio, quam vos accepistis, „manet in vobis: *nec necesse habetis, ut quisquam vos do-* „*ceat.* Verùm eadem *unctio docet vos de omnibus*, &c. Ergo S. Scriptura aut Verbum externum, non est necessarium. *Resp.* Locus iste non ita accipi debet, quasi Spiritus intùs doceat, absque Verbo S. Scripturæ lecto, vel prædicato; aut quasi intus docti facile illo

carere

carere possint. Apostolus enim reipsâ scripsit ad eos, quos in hunc modum alloquitur: nec minus ad *patres*, quam ad *puerulos* & *adolescentes*, *vers.* 13. 14. Sed negat, necessum fuisse, ut docerentur tanquam ignari aut plane rudes; ipsi omnia ad salutem necessaria jam edocti, deque eorum veritate per Spiritum S. plene persuasi: adeo quidem, ut in iisdem manere deberent; non vero aliam aliquam doctrinam, sive in se novam, sive ipsis novam, accipere. Vide ibid. *vers.* 24. & 26. Confer etiam locum valde similem, *Gal.* 1, 6, 7, 8.

Obj. 5. Qui legere nesciunt; aut corporaliter cœci sunt, non tamen propterea, quod S. Scripturâ uti non possint, à salute æternâ excludi debent. Idem dicendum de iis, qui fortè in insulâ; vel apud infideles, per aliquem infidelem eodem delatum, ore tenus, sine exemplari Biblico, veritatem salutarem docerentur: ergò. *Resp.* 1. Priores non omninò destituuntur S. Scripturâ: nam ex isto principio doctrinali salutaria dogmata iis depromuntur, præleguntur, illustrantur, & confirmantur; quod ipsi etiàm per gratiam Spiritûs Sancti, omnibus verè fidelibus communem, agnoscere possunt & debent. 2. Posteriores, si verè crederent, æternùm quoque salvandi forent; tanquam habentes veritatem salutarem, ex eodem hoc principio doctrinali quoque depromtam. Ipsa salus à præsentiâ S. Codicis quidem suspensa non est; sed à gratiâ Dei in Christo, quæ isto Codice descripta, eoque mediante aliis ex ordine constituto tradi solet. Quarè etiàm existimandum est, siquidem Deo placeret Ecclesiam sibi illic stabilire, & conservare, futurum, ut SS. Biblia ad eos quoque deferrentur; utpotè per ordinationem Divinam necessaria ad benè esse, ad successivam instructionem, & ad stabilitatem Ecclesiæ.

XLI. Sequuntur *Adjuncta consequentia* S. Scripturæ; quæ potissimùm sunt ejus *Lectio*, & *Interpretatio*, itémque *Judicium* ex eâ *de Controversiis* Theologicis.

Lectio

Lectio S. Scripturæ, est Verbi Divini scripti, quatenùs scriptum est, usurpatio propria, ut sapientia salutaris indè hauriatur. Quod quidem non peculiare Antecessorum, sed omnium salutis suæ ac spiritualis instructionis avidorum commune officium esse, contra *Pontificios* probatur; 1. ex generalibus præceptis de familiari usu S. Scripturæ: *Deut.* VI, 6, -9. „*Erunt verba ista*, quæ Ego præcipio tibi, *super corde tuo*; & *repetes ea filiis tuis:* &c. Similiter XI, 18, -21. *Joh.* V, 39. *Scrutamini Scripturas*; &c. *Col.* III, 16. Vide sup. cap. I. th. 2. Adde *Deut.* XVII, 18, 19. *Jos.* I, 8.

2. Exemplis laudatis: 2 *Timoth.* III, 15. „Te à „*puero sacras Literas novisse*, &c. *Actor.* XVII, 11. de Beræensibus. „Iis autem, qui erant Thessalonicæ, fue„runt isti *generosiores*; ut qui receperint sermonem cum „omni alacritate, *quotidiè scrutantes Scripturas*, an hæc ità se haberent. VIII, 28, &c. de Eunucho Æthiope legente Jesaïam. 2 *Petr.* I, 19. Vide sup. th. 35.

3. Ex Divinâ ejus ordinatione ad communem instructionem & consolationem: *Deut.* XVII, 19. *Ut discat Jehovam Deum suum revereri, ad observandum*, &c. *Psal.* XIX, 8, 9. *Prov.* I, 2, -6. *Joh.* XX, 31. *Rom.* IV, 23, 24. XV, 4. 1 *Cor.* X, 11. 2 *Tim.* III, 16. 1 *Joh.* II, 12, 13, 14. Vide sup th. 4. & 28. §. 2.

4. Ex adjectâ salutis promissione: *Psal.* I, 1, 2. Vide sup. cap. I. th. 37. *Apoc.* I. 3. *Beatus, qui legit* --„verba „Prophetiæ hujus. *Joh.* V, 39. XX, 31. 2 *Tim.* III, 15. Vide sup. th. 31. §. 1. & 3.

Eandem veritatem confirmant in orthodoxâ antiquitate testimonia *Chrysostomi*, *Gregorii M.* aliorumque.

XLII. *Obj.* 1. Multa in SS. Literis occurrunt obscura, difficilia, ἀναντιωφανῆ: ergò. *Resp.* Nos perspicuitatem & veritatem modo probavimus. Quædam interim difficiliora, & sublimiora agnoscimus: verùm iis nausea abstergitur, & fastus deprimitur; sedulitas

tas verò ac piæ preces in lectoribus excitantur.

Obj. 2. Intercurrunt exempla peccatorum, etiam valde gravium, à viris sanctis commissorum; quæ scandalo futura plebi ea legenti: ergo. *Resp.* 1. Purissima est Lex Jehovæ; ad cujus normam vivendum est, & facta aliorum examinanda. 2. Sæpissimè etiàm commemoratur, quàm graviter Deus illa castigaverit, & quomodò pii pœnitentiam egerint, &c.

Obj. 3. Periculum est, ne hæreses oriantur ex istâ lectione: ergò. *Resp.* Sæpiùs quidem homines profani & impuri rebus optimis, sanctissimis, ac saluberrimis abutuntur suo vitio, & suo damno: nec tamen usus idcircò prohibendus est. Deus sapientissimus abusum illum providit absque dubio; attamen usum instituit, laudavit, &c. Filii alimentis, pharmacis, armis necessariis, &c. privandi non sunt; quod servi nequam iis fortè abutuntur.

XLIII. Lectionem istam non restringimus ad libros N. T. quasi lectio librorum V. T. sub hâc œconomiâ non esset necessaria, magnique adeò momenti; quod perperàm contendunt *Sociniani*, & *Anabaptistæ* aliqui.

Contrarium patet, 1. ex præcepto illo, *Joh.* v, 39. cum 46.

2. Ex Laudatâ praxi Berœensium; *Act.* xvii. 11.

3. Ex manifestâ utilitate, & quidem per tempora N. T. *Rom.* iv, 23, 24. xv. 4. 1 *Cor.* x, 11. 2 *Tim.* iii. 16, 17. 2 *Pet.* I, 19. *Jac.* 10. 11.

4. Speciatim etiàm ad convincendos Judæos, juxta exemplum Apollo: *Act.* xviii. 28. sicet etiàm Paulus intra limites Mosis & Prophetarum sese continuit: xxvi, 22, 23.

XLIV. *Obj.* 1. Salutaris veritas clariùs & pleniùs proponitur in libris N. T. Ergò. *Resp.* Imò major est claritas & plenitudo cognitionis, quæ hauritur ex libris V. T. & N. T. simul inter se collatis: bonum bono additum, facit majus bonum.

Obj. 2. Cerimoniæ V. T. abrogatæ sunt; Prophetiæ de Messiâ venturo impletæ, atque adeò cessant: Lex & Prophetæ usque ad Johannem: *Matth.* XI, 11. Ergò. *Resp.* 1. Cerimoniæ illæ, quoniàm abrogatæ sunt, nunc à nobis observari non debent: utilissima tamen est ad veritatem illustrandam & confirmandam veterum typorum collatio cum suo archetypo & complemento. 2. Quia Messias modò venit in carnem, iste ejus adventus non debet ampliùs expectari: attamen ipsa veritas accuratiùs etiàm cognoscenda est, ex Prophetiis pristinis. 3. In libris V. T. exstant quoque Prophetiæ nondùm prorsùs completæ: utpòte de iis, quæ pertinent ad Ecclesiàm N. T. quin imò de judicio extremo, cœlesti beatitudine, &c. Atque item doctrinæ plures, tùm ad fidem, tùm ad mores vivendi spectantes. 4. Ministerium Euangelii promissionis, de Christo in carnem venturo, terminum suum habuit in Johanne Baptistâ; qui Christum coram præsentem demonstravit. Verùm indè nequaquam sequitur, quod volunt Adversarii.

XLV. *Interpretatio* S. Scripturæ, (*realis* scil. sive *exegetica*: nam de *verbali*, sive *metaphrasticâ*, diximus sup. th. 13.) est Sensûs genuini, S. S. literis expressi, accommodata ad intellectum explicatio.

Sensus, qui hic eruitur, est quasi anima S. Scripturæ: illa scil. realis veritas, quam Spiritus S. per talia verba ac tales sententias, significatam voluit. Hoc rectè percepto, habemus mentem Christi; 1 *Cor.* 11. 16. & quidem ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam justitiæ, ad consolationem: 2 *Tim.* III, 16. *Rom.* XV, 4.

Genuinus est ille sensus, quem Spiritus Sanctus reverâ intendit; seque intendisse, tali contextû ostendit. Contextus enim verborum, est signum; sensus verò, rès signata.

Signum autem satis idoneum atque evidens procul

dubio adhibuit Sp. veritatis, nos ad salutem sapientes reddere volens: *Ioh.*XVI, 13. 2 *Tim.*III, 15. *Psal.*XIX. 8, 9. 10.

Imo quoniam *unum* & *verum* convertuntur; sensus verus ac genuinus cujusque loci, *unicus* propriè est: qui, cum ex ipso verborum contextû colligatur, *literalis*, sive *grammaticus*, appellari solet.

XLVI. *Pontificii*, præter sensum literalem, fingunt alium insuper *mysticum*: eumque porro faciunt *triplicem*, convenienter tribus virtutibus Theologicis, *Fidei, Spei, & Charitati.* Vocant autem *Allegoricum*: quandò verba Scripturæ, præter sensum literalem, ut loquuntur, significant aliquid pertinens ad fidem, vel ad Ecclesiam militantem: *Anagogicum*; quandò præter sensum literalem, significant aliquid pertinens ad spem, sive vitam æternam, vel ad Ecclesiam triumphantem: & *Tropologicum*, sive *Moralem*; quando præter sensum literalem, significant aliquid pertinens ad officia charitatis.

Absurdè: sapientissimus enim doctor veritatis, docet veritatem perspicuè, distinctè, & pure: undè etiam Adversarii concedere coguntur, Argumenta Theologica formari non posse, nisi ex sensû literali.

XLVII. Interim etiam nos fatemur, Veritatem illam à Spiritû Sancto intentam, aliquandò directè & immediatè proponi; aliquando mediatè, & interveniente signo aliquo reali. Verba semper sunt signa rerum sic ad cognoscendum propositarum: sed res illæ immediatè & proximè significatæ, quandoque sunt signa aliarum rerum sublimiorum. Atque hoc observandum in Typis, Parabolis, & Allegoriis: in quibus *sensus unus compositus* rectè agnoscitur.

Tenendum insuper ea, quæ διαῤῥήδην & *formaliter* in *SS.* Literis expressa sunt, alia κατὰ διάνοιαν & *virtualiter* in se complecti; quæ inde per legitimam

timam consequentiam deducenda sunt.

XLVIII. Occurrit interim etiam *Stylus* SS. Scripturæ; h. e. ille dictionum & sententiarum modus, quo Spiritus S. veritates expressas voluit.

Ubi *communiter* quidem tenendum; prout unusquisque Scriptor suum habuit stylum, per naturam gratiam, curam; sic eum convenienter à Spiritû Sancto assumtum & infallibiliter ductum fuisse. Hinc manifesta est in Scriptoribus sacris Styli varietas; ut & methodus arbitraria.

Specialiùs autem in consideratione *Grammaticâ*, stylus subinde variat; nec tamen minus purus est, quam in aliorum etiam Auctorum scriptis observari solet: agnoscendæ interim alicubi *Ellipses*, *Enallagæ*, *Hyperbata*, &c.

In consideratione item *Rhetorica*, Stylus alibi nudus & proprius; alibi improprius occurrit, & per *Tropos* ac *Figuras* coloratus.

Attamen Spiritui S. sua ubique constat veracitas, gravitas, ac majestas.

XLIX. *Verus modus interpretandi S. Scripturam* ille est, quem ipse *Spiritus S.* in SS. Literis ostendit. Requiritur autem attenta ipsius contextûs, antecedentium item & consequentium, nec non locorum parallelorum consideratio; modesto studio, accuratâ analysi, ac piis precibus in subsidium adhibitis. Sic per ipsam S. Scripturam, secundùm analogiam fidei, instituenda est omnis ejus explicatio.

Interim propria verborum significatio, quantum fieri potest, servanda est: neque ab eâ recedendum; nisi scopus & circumstantiæ textûs, vel analogia fidei, vel denique recta ratio ad evitandam veram ac manifestam contradictionem, id omnino requirat.

L. *Jus interpretandi* summum & αὐτοκρατορικὸν competit ipsi Deo: *Gen.* XVIII, 21. - *Judex totius terræ*, *Psal.* IX, 3, 5. *Altissimus*; - Judex *justitiæ*. L. 6.

Deus ipse Judex. Hic solus est omniscius, infallibilis, & S. Sripturæ auctor, ac proindè optimus interpres. 1 Joh. III, 20. *Deus novit omnia*. *Rom*. III, 4. *Deus verax; omnis autem homo mendax*. *Iob*. XXXVI, 22. *Quis est Doctor, sicut ipse?*

Attamen speciali quâdam appropriatione Jus istud competit *Filio*; τῷ Λόγῳ, *Ioh*. i, 1, 14. Sapientiæ hypostaticæ; *Prov*. VIII, 1, 12, 22, -31. Summo Prophetæ ac Doctori nostro; *Deut*. XVIII. 15, 18, 19. *Act*. III, 20, -23. In quo, ut plenitudo Deitatis inhabitat corporaliter, sic omnes thesauri sapientiæ & cognitionis sunt reconditi: *Col*. II. 3. 9. Vide etiam *Matth*. XXIII, 8, 10. XI, 27. *Hebr*. III, 1, 3, 4. *Ioh*. I. 17. 18. I *Cor*. I, 30. *Apoc*. III, 7.

Aliter idem jus tribuitur *Spiritui Sancto*: per quem proximè datur verbum sapientiæ, & cognitionis, atque adeo fides, & reliqua dona spiritualia: 1 *Cor*. XII. 3, 8, 9. *Jes*. XI, 2. XL. 13. *Ioh*. XVI, 7, 8. 13. 2 *Cor*. III. 18. Hic audiendus: *Apoc*. II, 7. 11. &c. Sed minimè ei resistendum: *Act*. VII. 51.

Spiritus autem *interpretationem suam pronunciat, tùm* externè in *SS*. Literis: ubi observanda textuum ἀκολουθία καὶ παραλληλία; accedente etiam passim Ministrorum, aliorumque fidelium, auxilio & indicio: *tùm* internè, secundùm easdem SS. Literas, per se efficaciter docens, persuadens, obsignans: 1 *Ioh*. II, 27. 2 *Cor*. IV, 13. I *Cor*. II, 12, 15, 16. XII, 11. *Rom*. VIII, 9, 14, 15, 16. *Eph*. IV, 30.

LI. *Ius* verò *subordinatum*, idque publicum & antecessorium, convenit publicis in Ecclesiâ Antecessoribus. Ubi non solùm spectantur Ministri extraordinarii, iique infallibiles: *Eph*. IV, 11, 12. 2 *Petr*. I, 21. *Matth*. X, 20. *Joh*. XVI, 13. *Act*. I, 4. sed etiàm ordinarii, fallibiles; Pastores, & Doctores: *Eph*. IV, 11. 1 *Tim*. V, 17. 2, III, 17. *Hebr*. XIII, 17. *Actor*. XX, 28.

tùm

tùm singuli in Verbo laborantes, & ministerium apud Ecclesiam suam implentes: 1 *Petr.* v, 2. *Tit.* I, 5. *Col.* III, 17. tum in Synodo congregati, & in commune Ecclesiæ bonum dona atque consilia sua conferentes: *Act.* xv, 6. &c.

Vocamus illud *antecessorium*, in ordine ad gregem, cujus sunt Pastores & Antecessores: *Hebr.* XIII, 17. 1 *Thess.* v, 12. Idem interim *subsequens* est respectû Dei, Christi, Spiritûs Sancti, ac S. Scripturæ. Et *ministeriale*; quatenus sunt Ministri Christi ac Dispensatores mysteriorum Dei; à quibus fidelitas requiritur: 1 *Cor.* IV, 1, 2. quoniam rationem reddituri sunt. *Hebr.* XIII, 17. ac proindè isti nec magisterium, nec dominium, sibi arrogare debent: *Matth.* XXIII, 8, 9, 10. XX, 25, 26, 27.

LII. *Privatum* & *omninò subsequens* jus interpretationis qualiscunque, competit omnibus & singulis, quibus Verbum Dei proponitur: ut ipsi quoque SS. Literas legant, meditentur, conferant: *Ioh.* v, 39. *Psal.* I, 2. *Act.* XVII, 11. sic de veritate doctrinæ persuasi, credant: 1 *Thess.* II, 13. v, 21. 1 *Ioh.* IV, 1. eandemque coràm aliis, cum instructione & exhortatione charitativâ profiteantur: *Rom.* x, 10. 1 *Petr.* III, 15. *Col.* III, 16. 1 *Thess.* v, 11.

LIII. Quantum attinet ad *Auctoritatem interpretationis*; in hâc spectandus est genuinus sensus S. Scripturæ, qui sic colligitur & proponitur. Ille autem, quatenus talis est, habet procul dubio auctoritatem Divinam; & ad fidem Divinam nos obligat. Formalis vero collectio, ac propositio, per homines fallibiles, absolute quidem fallibilis est; sed in hypothesi, quando & quatenus est collectio ac propositio genuini sensûs, quem Spiritus S. istic expressit, vera est; nec fallere potest: ac per istam veritatem Divinam omnino habet auctoritatem Divinam decisivam, & obligatoriam ad fidem & observantiam.

Nec in re ipsâ materialiter refert, sive per unum aliquem privatum, sive per Antecessorem Ecclesiasticum, sive per plures in Concilio congregatos, ista veritas proponatur: Auctoritas enim Divina gradus non admittit. Sed formaliter tamen, in ministeriali illo iudicio ac testimonio, discrimen satis insigne est: neque solùm major, vel minor, pro re natâ, probabilitas; sed etiam auscultandi necessitas, ex ordinatione Divinâ: *Eph.* IV, 11, 12, *Hebr.* XIII, 17 1 *Thess.* V, 12. 1 *Tim.* V. 17. 1 *Cor.* IV, 1. *Luc.* X, 16.

LIV. Superest ut dicamus de *Iudicio controversiarum Theologicarum.* Ex iis quæ præcesserunt th. 50. patet, *primò* Judicium supremum, autocratoricè decisivum, idemque solum absolute infallibile, competere ipsi Deo; & œconomice Christo; atque iterùm peculiari appropriatione, Spiritui Sancto: ob supremam & independentem sapientiam, veracitatem, ac potestatem judicialem, ipsamque S. Scripturæ inspirationem; quæ in tali Judicio maxime requiruntur.

Sic igitur ipse 1. absolute sapientissimus est.

2. Nec falli potest, nec fallere.

3. Intus animum hominis convincere potest efficaciter; judiciumque æternum ferre.

4. Sensum S. Scripturæ, tanquam ejus Auctor princeps, optime novit; ipsique quam maxime curæ est, ut ea ad fines suos certissime dirigatur.

Secundò, Expressa judicii *formula*, eaque perfectissima, continetur in ipsis *SS.* Literis: unde iis etiam metonymice *judicium* tribuitur. *Hebr.* IV, 12. „Vivus est „*sermo Dei*, - & *dijudicat cogitationes & conceptûs cordis*. scil. quatenus est utilis & efficax ad doctrinam, ad redargutionem, &c. 2 *Timoth.* III, 16, 17. *Rom.* XV, 4. Neque solum adhortatio dicitur *loqui* fidelibus, tanquam filiis; *Hebr.* XII. 5. sed etiam Moses, (h. e. Scriptura Mosaïca) *accusare* Judæos infideles; *Joh.* V, 45. & Lex eos *condemnare*; VII, 51. quod idem de verbis

Christi

Christi asseritur, xii, 48. Adde *Rom.* iii, 19. cum i, 16.

LV. *Tertiò*, Antecessoribus Ecclesiasticis suum quoque competit judicium; respectû Dei, & S. Scripturæ, quidem subsequens, & discretivum; attamen respectû gregis, cui sunt præpositi, antecessorium, & ministerialiter decisivum. Vide sup. th. 51.

Quartò, Judicium quoque subsequens, discretivum credendorum & faciendorum, competit omnibus ac singulis fidelibus ad ea agnoscenda, observanda, sincéreque ac prudenter applicanda, tum sibi, tum aliis ex charitate, & pro ratione donorum suorum.

Patet hoc etiam 1. ex diserto testimonio. 1 *Cor.* 11. 15. *Spiritualis homo* (h. e. à Spiritû S. illuminatus & regenitus) *dijudicat omnia.*

2. Ex mandatis: 1 *Cor.* x, 15. „Tanquàm intelli„gentibus loquor, ipsi *judicate.* 1 *Thess.* v, 21. Omnia „*probate*: quod *bonum* est, *tenete.* 1 *Ioh.* iv, 1. *Proba*„*te* spiritûs, an ex Deo sint.

3. Ex officio conscientiæ, sub Deo judicantis; quæque ipse præscripsit, agnoscentis, & nobis applicantis: *Rom.* 11, 14, 15. Vide sup. cap. 1. th. 16. §. 2. *Ioh.* iii, 19, 20, 21! „Per hoc *cognoscimus, nos ex veritate esse*: & „*coram ipso secura reddemus corda nostra.* Nam *si nos con*„*demnet cor nostrum*, potentior est Deus corde nostro; „& novit omnia. Dilecti, *si cor nostrum nos non con*„*demnet*, libertatem loquendi habemus apud Deum. Priùs ergò discernuntur & agnoscuntur ea, secundùm quæ judicium illud de statû nostro formari debet. Undè etiàm *Phil.* 1, 10. „Ut *exploretis, quæ discrepant.*

4. Exemplo Berœensium: *Act.* xvii, 11. Vide sup. th. 41. §. 2.

Sed & *Magistratus Christianus*, non tantùm quatenùs Christianus est, commune cum aliis fidelibus officium habet: verùm etiàm quatenùs Magistratus est, de veritate Divinâ ac salutari sibi propositâ cognoscere de-

bet, eamque in districtû suo admittere, fovere, defendere, & quantum potest promovere. Hoc enim est *Nutriciorum Ecclesiæ*; *Jes.* xlix, 23. & *Ministrorum Dei*; *Rom.* XIII, 1, -4. Confer exempla Asæ, 1 Reg. xv, 11, -15. Josaphati, XXII, 42, 43, 44. Joasi, 2 *Reg.* XII, 2, 3, 6, -. Ezechiæ, XVIII, 3, 4. Josiæ, XXII, 2.

LVI. Negamus ergò contra *Pontificios*, Judicium, illud supremum & infallibile, ἀνυπεύθυνον, tribuendum esse Ecclesiæ Romanæ, aut Concilio etiàm generali, aut denique Pontifici Romano.

Nam 1. soli Deo, in SS. Literis loquenti, id competere, probatum est satis.

2. Consentit Orthodoxa antiquitas: in promptû sunt testimonia *Augustini*, *Optati Milevitani*, *Chrysostomi*, *Basilii Magni*, &c.

3. Ecclesiæ Romanæ, Concilio qualicunque, Pontifici denique, nusquàm in SS. Literis tribuitur infallibilis veracitas, aut suprema illa & ἀνυπεύθυνος potestas. Aliter planè sonat ista comminatio, *Rom.* XI. 21. ,,Si Deus naturalibus ramis non pepercit, (vide) ,,*ne tibi quoque non parcat!*

4. Accedunt Confessiones ipsorum *Pontificiorum*; utpotè *Bellarmini*, de Conciliis, etiàm generalibus: *Adriani Florentii* Ultrajectensis, de Ecclesiâ Romanâ, ejusque capite Pontifice; qui disertè: *Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici*, allegato exemplo *Iohannis* XXII. &c. Addi possunt *Liberius* ad Arianismum prolapsus, & *Honorius* Monothelita factus, &c.

LVII. *Obj.* 1. Scriptura est litera mortua, judex mutus, &c. Ergò. *Resp.* Falsum & blasphemum est antecedens. Vide sup. th. 54.

Obj. 2. Deus in Scripturâ testatur de seipso, & in propriâ suâ causâ: id verò absurdum est: *Resp.* Cum Deus sit prima & summa veritas, ipse de se testari

potest;

poteſt; ipſique credendum eſt propter ſe: ſicut, etiàm jurat per ſe ipſum: *Hebr.* VI, 13. Confer *Ioh.* V, 34. 1 *Ioh.* V, 9, 10. Sed Eccleſiæ Romanæ, ejuſque Pontificis teſtimonium in propria causâ, meritò rejicitur.

Obj. 3. Iſtâ methodo probabitur ex.gr. Deitas Spiritûs Sancti ex S. Scripturâ; & viciſſim auctoritas S. Scripturæ per Spiritum Sanctum: atqui iſte eſt *Circulus*; abſurdus probandi modus. Ergò. *Reſp.* Nos Circulum in argumentationibus Theologicis nequaquam committimus. Diverſæ ſunt quæſtiones; & propterea etiàm diverſæ probationes. Quod ad veritates credendas objectivè attinet, unicè fidem reſolvimus in Scripturas Canonicas; ſed quod ad actum credendi ſubjectivè, ſolummodò analyſin facimus in Spiritum fidei. Vide ſup. cap. 2. th. 20. Verum ipſi *Pontificii* auctoritatem S. Scripturæ ab Eccleſiâ ſuſpendentes, Eccleſiam iterum ex Scripturâ probantes, ſeſe hinc expedire non poſſunt.

Obj. 4. Sub V. T. Judicium iſtiuſmodi competebat ſummo Pontifici, & Concilio magno: ergò non minus nunc ſub N. T. *Reſp.* 1. Judices, & Sacerdotes Iſraëlitici, quin & ipſe Moſes, juxta formulam Legis Divinæ judicare debuerunt: *Deut.* XVII, 11. *Ieſ.* VIII, 20. *Hebr.* III, 2, -5. Ergò judicium illud non fuit abſolutè ſummum, ſed miniſteriale. 2. A Moſe, aliiſque Miniſtris extraordinariis infallibilibus, non valet conſequentia ad ordinarios, etiàm ſub N. T. quaſi his propterea infallibilitas quoque competeret.

Obj. 5. Nemo nunc audit vocem Spiritus Sancti, aut S. Scripturæ, ſententiam ferentis: nec partes utrimque acquieſcunt iſti judicio, quòd pro unâ parte & contra alteram latum ſit. *Reſp.* Quoniàm ſententia quandoque reſcripto pronunciatur; & per ignorantiam, vel malitiam alicujus partis, ſæpè poſt latam ſententiam protenditur contentio; non eſt neceſſarium

Judicis requisitum, vivâ voce sententiam sic pronunciare, ut partes litigantes pariter audiant, & statim in eâ acquiescant. 2. Si hoc obtineat, nec ipse Papa Romanus Judex erit agnoscendus: ipsum enim sententiam sic non pronunciare; manifestissimum est. Viva ejus vox hîc non auditur; & plurimi ejus placitis non acquiescunt.

LVIII. Neque admittendum, cum *Socinianis*, eorumque sequacibus, *Rationem humanam* esse Judicem & Normam controversiarum Theologicarum; vel etiàm, quod affine est, & aliquis contendere nuper ausus fuit, Philosophiam esse Normam infallibilem interpretandi S. Scripturam.

Nam 1. veritates Theologicæ sunt suprà rationem, *mysteria* disertè vocantur, &c. 1 *Cor.* 11, 6, - 10. IV, 1. *Eph.* III, 3, 5. 1 *Tim.* III, 16.

2. Eorum notitia ac fides datur, quibus Deo placet; & quidem ex gratiâ speciali ac supernaturali: *Matth.* XI, 25, 26. XIII, 11. XVI, 17.

3. Ratio nostra nunc per naturam inepta & corrupta est, imò inimica adversus illas veritates; eôque minus judicialis ista auctoritas ei deferenda: *Gen.* VI, 5. VIII, 21. *Rom.* III, 10, 11, 12. *Ioh.* III, 6. XV, 5. 2 *Cor.* III, 5. *Tit.* 1, 15. *Eph.* II, 1, 5. *Rom.* VIII, 7. 1 *Cor.* II, 14.

4. Rationem hîc captivare debemus, & auctoritati Divinæ subjicere: 2 *Cor.* X, 5. *Matth.* XVI, 24.

LIX. *Ob.* 1. Cultus noster vocatur *rationalis*; *Rom.* XII. 1. ergò ad rationem naturalem debet exigi. *Resp.* Vocatur *rationalis*; quia non consistit propriè in exercitatione corporali: 1 *Tim.* IV, 8. Sed rationem, cujus hîc usus est, gratiâ supernaturali corrigi & sanctificari necesse est, ac dirigi juxta normam à Deo in *SS.* Literis præscriptam.

Obj. 2. Judicium demandatur ipsis hypocritis; *Ies.* V, 3. *Resp.* Non judicium quarumvis controversiarum

Theo-

Theologicarum, aut mysteriorum fidei; & quidem ex iis, quæ nunc post lapsum homini naturaliter insunt: sed justæ rejectionis & ἀναπολογησίας carnalium ac pertinacium Judæorum; ubi causa Dei justa erat satis manifestè.

Obj. 3. Philosophia est vera, certa, ac indubitata Rerum notitia, ex Principiis naturæ lumine cognitis deducta, atque apodicticè demonstrata: ergo illa tàm SS. Literas interpretandi, quàm interpretationes explorandi, certa est atque infallibilis Norma. *Resp.* Transeat antecedens: nego consequentiam: Philosophia enim sphæram veritatum naturalium non excedit; sed in SS. Literis plurimæ occurrunt veritates supernaturales, quarum illa idcircò norma esse non potest.

Obj. 4. Philosophia, cùm vera sit, ab omni errandi periculo libera est; cùm fallere nequeat, quodvis interpretamentum ad hanc exploratum, ad aliam deindè normam examinari prorsus non erit opus; neque, cùm immotis ac flecti nesciis nitatur fundamentis, partium studio ducetur; ac denique hominum animis, cùm certa sit atque indubitata, assensum extorquere, ac firmam adferre cognitionem poterit: habet ergò omnia requisita, quæ in interpretandi normâ desiderantur, &c. *Resp.* 1. Interim Philosophia, ut in subjecto existit, non est ab omni errandi periculo libera. 2. Continetur intra limites rationis naturalis: ac proindè veritas supernaturalis ad istam explorari non potest; nedùm sic, ut ad aliam normam examinari prorsus opus non sit. 3. Fundamentis naturalibus, quantumvis certis, niti tamen non potest veritas supernaturalis; utpotè sublimioris ordinis. 4. Consequenter Philosophia nullo modo ex suis principiis asserere potest veritates supernaturales; nedùm animis hominum circa illas assensum extorquere, ac firmam adferre cognitionem.

Obj. 5. Unusquisque optimus verborum suorum interpres est, quapropter, cùm Deus Philosophiæ auctor sit, ipsi etiàm adscribenda erit omnis interpretatio, quæ, Philosophiâ dirigente atque approbante, in medium adducitur. *Resp.* Verba Dei de veritatibus supernaturalibus exstant in *S. Scripturâ* satis plenè ac perspicuè; sed in Philosophiâ nullo modo; nedum in hâc Deus illas interpretari voluerit.

LX. Interim tamen aliquis usus in his rebus concedendus est Rationi, per gratiam Spiritûs *S.* illuminatæ & sanctificatæ: sic enim 1. est *subjectum* & *instrumentum recipiens*, atque *agnoscens*, veritates Theologicas.

2. *Conferens* inter se varia *SS.* Literarum testimonia, typos cum veritate, parallela cum parallelis, &c.

3. *Illustrans* ex debitâ Verbi Divini consideratione, analysi, collatione.

4. *Inferens* conclusiones Theologicas ex præmissis, tum merè Scripturariis, tum etiam lumine naturali ex parte aliquâ cognitis: in quibus conclusio dici debet supernaturalis, quia sphæram naturæ ipsa superat; & non nisi ope principii supernaturalis collecta est.

LXI. Omnino etiam tenendum, contra *Pontificios* quosdam, & rudes *Anabaptistas*, Theologiam nostram esse argumentativam.

Nam 1. *sapientia* est, ex principio suo conclusiones deducens: 2 *Tim.* III, 15. & *cultus* noster *rationalis*: *Rom.* XII, 1.

2. Idem evincunt phrases argumentativæ; *Act.* IV, 19. XVIII, 28. *Rom.* III, 28. VI, 11. 1 *Cor.* II, 14, 15. X, 15. XI, 13. XIV, 29. *Phil.* I, 10. 1 *Thess.* V, 21. *Tit.* I, 9, 11. *Hebr.* IV, 12. V, 14.

3. Quia ipse Christus, & Apostoli, per consequen-

tias disputarunt: *Matth.* XXII, 29, 31, 32. de resurrectione mortuorum. Vide etiàm *Luc.* XXIV, 25, -. *Joh.* V, 17, -. X, 24, -. *Act.* II, 15. -. XV, 8, -. *Rom.* IV, 5, -8. I *Cor.* XV, 13 -. &c.

Speciatim huc faciunt istæ illationes *Matth.* XXVIII, 6. *Non est hîc; surrexit enim. Joh.* VIII, 55. *Si dixero me non novisse Patrem, ero vobis similis,* videlicet mendax. *Gal.* II, 21. *Si justitia est per Legem Christus frustrà mortuus est.* Adde *Hebr.* VII, 7. X, 9.

4. Cæteroquin nulla posset fieri applicatio, sive in rebus fidei, sive in moribus vivendi.

Obj. Quod ratiocinando colligitur, non habet certitudinem infallibilem; atque adeò non est fidei Divinæ; quia ratio nostra est fallibilis. *Resp.* 1. Absoluta infallibilitas soli Deo propria est: sic ergò ratio nostra fallibilis. Quando tamen & quatenùs ex Verbo Dei legitimè procedit, quanquam etiam collatis principiis quibusdam naturalibus necessariæ veritatis, ex hypothesi nec fallitur, nec falli potest. 2. Quatenus ista ratiocinatio Divinâ revelatione potissimùm nititur, atque ex ea conclusionem colligit, quæ ex principiis naturalibus solis colligi nunquàm potuisset; talis conclusio etiàm verè supernaturalis est, & fidei Divinæ.

LXII. Sic explicata est veritas de *S. Scripturâ,* Theologiæ nostræ supernaturalis principio doctrinali, & fidei morumque Canone unico. *Catechesis,* aut *Confessio* nostra, (quicquid cavillentur *Remonstrantes*) talis Principii, aut Canonis, rationem non habet; licet materialiter præcipua saltem dogmata, & conclusiones Theologicas, ex unico illo Principio elicitas, fideliter exhibeat. Eadem medium quidem esse potest, quo novitates & heterodoxiæ facilius observentur ac dignoscantur, per modum indicis; sic tamen, ut analysis in ipsam S. Scripturam omnino facienda sit.

Idem dicimus de Orthodoxorum *Conciliorum Decretis*

cretis, ac nominatim de *Canonibus Synodi Nationalis Dordracenæ*: nec non de *Constitutionibus Ecclesiasticis* ubi ea, quæ ad Ecclesiarum ordinem & regimen spectant, sive agenda, sive toleranda, secundùm Verbum Dei, ad communem ædificationem, & scandalorum evitationem, prudenter applicata, proponuntur.

Quin & *Symbolum*, quod *Apostolicum* vocari solet non nisi materialiter tale est: at si formalem istam collectionem ac dispositionem spectes, ea nec ab Apostolis, nec à viris Apostolicis sic facta est; neque illud ab universâ Ecclesiâ sic antiquitus usurpatum. Consequenter non est *αὐτόπιστον*: sed tantùm *ἀξιόπιστον*, propter S. Scripturam, undè desumtum & congestum est: quemadmodum & *Symbolum Athanasianum*, *Nicenum*, *Constantinopolitanum*, aliaque orthodoxographa.

LXIII. *Revelationes Divinæ*, post obsignatum Canonem S. Scripturæ pro Ecclesiâ N. T. fidelibus quibusdam extra ordinem factæ, illis quidem objecta fidei suæ Divinæ etiàm fuerunt; non tamen Principium doctrinale Canonicum & commune.

Quæ verò *Pythonici Gentilium Prophetæ* aliquandò dixerunt, aut scripserunt, quamvis interdum veritati consentanea, à Spiritû Sancto tamen profecta non sunt: *Psal.* CXLVII, 19, 20. *Rom.* III, 2. IX, 4. *Eph.* II, 12. *Act.* XIV, 15, 16, 17. sed à patre mendaciorum: *Ioh.* VIII, 44. 1 *Cor.* X, 20. 2, IV, 4. Qui quidem simium Dei agens, cultum partibus quibusdam similem Patriarchali, aut Levitico, instituit: nec non arcana quædam revelavit; & futura prædicere conatus est, aut videri voluit; sed plerumque ambiguè. Nonnulla interim ex Prophetiis Divinis transtulit: ac veritatem aliquam de Christo interdum dixit; sed ut falleret: quapropter ipse Christus, & Apostoli, testimonium istiusmodi non admiserunt; *Matth.* VIII, 29. *Marc.* III. IV. 12. *Act.* XVI, 16, 17, 18.

Sibyllas

Sibyllas aliquandò extitisse, & carmina quædam conscripsisse, minimè negamus: sed quæ intercurrunt de Christo, aliisque mysteriis, tàm clara & plana, ut similia non reperiantur in veris Prophetiis V. T. ab aliis postmodùm composita, & Sibyllinis permixta, potiùs existimamus.

Idem dicimus de Scriptis *Mercurii Trismegisti*, aliorumque similium.

LXIV. De Judæorum *Talmude* diximus sup. th. 32.

Muhammedanorum *Korani* mentio quoque facta est th. 28. Est autem insulsa & impia rhapsodia, ex particulis quibusdam SS. Scripturæ, plærumque tamen depravatis, fabulis item Talmudicis, Judaïcis ac Gentilibus superstitionibus, & pseudo-Christianorum quorundam hæresibus, per Muhammedem Arabicis rhytmis collecta, & SS. Literis perperàm substituta.

Ejusdem furfuris est *Suna*, Muhammedis lex ἄγραφος; sed à sectatoribus ejus postmodùm in Scripturam redacta.

Usque adeò illa distant à Principiis veræ Theologiæ ac fidei Divinæ.

LXV. Pro *praxi* autem hæc erunt: 1. Omnes & singulos S. Scripturæ libros hoc animo, & scopo, & modo legamus ac meditemur jugiter; ut fidem & mores juxta canonem illum ἀκριβῶς instituamus: *Psal.* xl, 9. cxix, 4, 5, 9. 10, 11. 1 *Sam.* 111, 10. *Phil.* 111. 16. *Apoc.* 11. 7.

2. Universam *S. Scripturam*, tanquàm verissimum Verbum ipsius Dei, solius sapientis, infallibilis, omnipotentis, agnoscamus & recipiamus: 1 *Thess.* 11. 13. *Psal.* cxix, 86, 89. 141, 142. Ne quis corrumpat, aut pervertat, vel minimam ejus particulam: *Matth.* v, 18, 19. *Hos.* xiv, 10. 2 *Pet.* 111. 16. Nemò contemnat,

temnat, aut negligat: *Psal* CXIX, 21, 118, 119. 155.

3. Illius verò intuitû contemnamus ac rejiciamus qualiacunque contraria dogmata, ratiocinationes, & revelationes: *Matth*.XV, 6, 9. 2 *Cor*.X, 5. *Col*. II, 8, *Luc*.XVI, 29, 31. *Gal*. I, 8, -12.

4. Grato animo agnoscamus instructissimum illum salutis thesaurum, apothecam locupletissimam, donum perfectissimum: *Psal*.CXIX, 96. religiosè observantes istam αὐτάρκειαν; intra illas lineas continentes nos ipsos, & ad easdem revocantes alios, quantum in nobis: *Col*. III, 16. *Phil*. III, 16. 1 *Joh*. I. 3, 4.

5. Istâ luce nos oblectemus, in eâ ambulemus, donec merus dies illucescat: 2 *Petr*. I, 19. cum *Joh*. V, 35. VIII, 56. *Psal*.XXXVI, 9, 10. XIX, 12. CXIX, 103. In obscuris & dubiis hùc confugiamus: *Psal*.CXIX, 98, 99, 100. 104, 105. *Actor*. XVII, 11. 2 *Tim*. III. 15, 16. Hoc pio studio peregrinationem nostram consolemur, *Psal*. CXIX, 25, 28, 50, -56. *Rom*.XV, 4.

6. Sic rationem nostram moderemur; atque in SS. Literis nos piè exerceamus; ut genuinum sensum assequamur: 1 *Cor*.X, 15. *Matth*.XVI, 24. XI, 25, 26, 27. XIII, 11, -1 *Cor*.XIV, 9, 12, 20. Præ aliis autem hoc agant Antecessores: 2 *Tim*. III, 17. II, 15. 1, IV, 16. *Tit*. I, 9, 10, 11. Quæ verò rectè percepta sunt, teneamus constanter: *Apoc*. III, 3, 11. in opera convertamus: *Joh*.XIII, 17. & ad aliorum ædificationem pro virili nostrâ conferamus: 1 *Thess*.V, 11.

CAPUT

CAPUT. IV.

DE DEO.

Terminus Deus. *Existentia* Dei probatur c. *Atheos*. 1. Quomodò ad salutem *cognoscendus*. Essentia. 2. Vivens. Spiritus. Descriptio. 3. Nomina. 4. Deus non nomen officii, sed naturæ: c. *Socin.* probatur, & defenditur. 5. Non appellativum; sed *proprium*. *Obj.* solv. 6. אֵלֹהִים אֱלוֹהַּ notat pluralitatem personarum. *Obj.* solv. 7. Epitheta. Tituli. אֶהְיֶה, יְהֹוָה, יָהּ. Κύριος. 8. Nomen יְהֹוָה non fictitium. c. *Remonstr.* Non habet virtutem patrandi miracula. Non est. ἀνεκφώνητον. c. *Jud.* 9. Soli vero Deo proprium. c. *Socin* & *Remonstr.* *Obj.* solv. 10. Tituli, vel Attributa, loco Nominum. Nomina usurpata tùm οὐσιωδῶς, tùm ὑποστατικῶς. 11. *Attributa* Dei. Quomodò per naturam investiganda. 12. Attributa *primi generis*. 13. *Primitas*. 14. Deus *à se*. 15. *Simplicitas*. Quid Compositio. Illa in Deo probatur, c. *Socin.* & *Remonstr.* 16. *Objectiones* solvuntur. 17. *Consectaria* Simplicitatis. 18. Dei *unitas*. 19. *Immutabilitas* c. *Socin.* &c. 20. *Objectiones* solv. 21. *Invisibilitas*: c. *Vorst* 22. *Impalpabilitas*. 23. *Ineffigiabilitas*: c. *Pontif.* 24. *Infinitas*: primò Essentiæ. 25. *Æternitas*: & quidem *Successione carens*. 26. *Objectiones* solvuntur. 27. *Immensitas*: c. *Socin.* *Anabapt.* &

Remonstr. 28. Etiam *extra mundum*. 29. *Speciales modi* præsentiæ Divinæ. 30. *Objectiones* solv. 31. *Incomprehensibilitas* prob. & defend. 32. Attributa *secundi generis*. 33. *Intellectus* Dei. 34. *Scientia simplicis intelligentiæ. Idea* possibilium. *Scientia visionis*. Quæstio. 35. Deus *definitè novit* omnia. Contingentia, & libera, &c. *Obj.* solv. 36. *Scientia media* refut. 39. *Objectiones* solv. 40. Intellectus Dei *simplicissimus*, & *immutabilis*. 41. *Independens*. 42. *Voluntas* Dei. Ejus objectum. *Sanctitas* Jehovæ. 43. Objectum *præjacens*. *Terminans*. In genere entis. 44. *Amor* Dei. *Amor benevolentiæ*. *Complacentiæ*. 45. *Gratia. gratis dans Gratum faciens. Gratia Gratìs data*. 46. *Misericordia* Dei. *Generalis*. *Specialis*. 47. *Patientia*. *Longanimitas*. 48. *Bonitas* Dei in genere *moris*. *Iustitia*. 49. In *dictis*. *Veracitas*. *Fides*. *Constantia*. 50. In *factis*. *Regimine*. *Jurisdictione*. 51. *Remuneratio bonorum* operum. 52. *Punitio peccatorum*. 53. *Pœnarum exactio* pertinet ad *Justitiam*: c. *Socin*. 54. *Justitia punitiva* perpetuò existit in Deo, ipsique essentialis est. 55. Ejus *exercitium* positis peccatis est *necessarium*. 56. *Objectiones* solv. 57. *Iustitia distributiva* præmiorum *ex debito*: itemque *commutativa*, non in Deo. *Malum* per se non objicitur Voluntati Divinæ. 58. Voluntatis Div. *infinitas*. Non *Velleitas*. *Obj.* solv. 59. Ejusdem *simplicitas*. Distinctio in *realem*, & *moralem*: *Occultam*, & *revelatam*. *Beneplaciti*, & *signi*. *Mandati*.

dati. 60. Sine intrinsecâ diversitate. 61. *Independentia. Obj.* solv. 62. Malè distinguitur in *absolutam* & *conditionatam. Antecedentem*, & *consequentem. Libertas complacentiæ: exercitii: specificationis.* 63. *Potentia* Dei. 64. *Infinita. Obj.* solv. 65. *Simplicissima.* Distinguitur tamen in *absolutam*; & *ordinatam. Impossibilia.* 66. *Independens. Radix possibilitatis & impossibilitatis.* 67 *Potestas,* seu *Dominium* Dei. Circa *possibilia.* 68. Circa *creaturas existentes. Rationales.* 69. *Independens.* Non *fundatur* propriè in beneficio creationis, aut maleficio creturæ peccantis, aut contractû cum creaturâ rationali. c. *Remonstr.* 70. *Objectiones* solv. 71. Sic *incommunicabilis.* Potestas *Magistratuum. Christi Mediatoris.* 72. *Gloria* Dei. Undè *innotescat* Dei excellentia. Qualem *cultum* inferat. 73. *Cultus religiosus* Deo proprius. 74. Ex eo rectè probatur *vera Deitas*, contra *Arianos*, & *Socin. Exc.* & *Obj.* solv. 75. *Beatitudo* Dei. 76. *Usûs practici.* 77.

I. PRogredimur ad objectum primarium Theologiæ nostræ, *Deum*: qui terminus animum nostrum elevat ad conceptum & contemplationem entis primi, summi ac perfectissimi.

Deum esse, contra *Atheorum* monstra, satis probat *Natura*: per ipsam *conscientiam* omnibus hominibus ingenitam, quæ dictat numen aliquod religiosè agnoscendum & colendum esse; honesti & turpis discrimen; justam eorum, quæ hic aguntur, retributionem expectandam: undè animorum stimuli, heroïci quo-

rundam impetûs, aliorum terrores, communis consensus, & qualiacunq; Religionis ubiq; gentium exercitia.

2. Ex reliquis *creaturis*, per demonstrationem τοῦ ὅτι. Spectantur autem essentia, facultates, operationes; omnia dependentia, mutabilia, mutanda: undè adscenditur ad causam primam, immutabilem, perfectissimam; in causarum enim subordinatione non datur progressus in infinitum; sed necessariò subsistendum in primâ:

3. Speciatim ex *judiciis*, eventis quibusdam insolitis, portentis, prophetiis, ac miraculis: quæ mentem nostram evehunt supra causas omnes naturales, ad Judicem supremum, & Auctorem naturæ universæ, qui legibus ejus non tenetur.

4. Ex *concordi discordiâ*, & tendentiâ omnium rerum ad certum aliquem finem; cujus directionis analysis in causas creatas fieri nequit. Confer. sup. cap. 1. th. 14, - 19.

II. Verùm cùm Theologia naturalis ad salutem nunc non sufficiat, & fide opus sit. (*Hebr.* XI. 6. Vide cap. 1. th. 22, 23, 24.) Deum fide magistrâ, & ratione utcunque ministrâ, contemplabimur tùm *in se*, scil. in *essentia*, & in *personis*, tum in *actionibus* suis.

Essentiam Dei rectè appellari probatur contra *Antitrinitarios*; 1. Quia S. Scriptura disertè præit: *Prov.* VIII, 14.

2. Ex paronymis: Deus se vocat אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה, *Exod.* III, 14. Item *Apoc.* 1, 4. 8. dicitur, ὁ ὢν, ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος.

3. Occurrunt etiàm synonyma: utpotè φύσις Θεοῦ, *Gal.* IV, 8. 2 *Petr.* 1, 4. μορφὴ Θεοῦ, *Phil.* II, 6. Qui termini non physicè, sed prorsus hyperphysicè sumendi sunt.

4. Appellatur denique Θεότης, *Col.* II, 9. & Θειότης *Rom.* I, 20.

III. Essentia Dei *vivens* est; *Deut.* V. 20. XXXII. 40.

1 *Sam.*XVII, 36. *Jerem.*V. 2. 1*Ioh.*4, V, 20. *Ioh.*4. V. 26 *Psal.*XXXVI, 10. 1 *Tim.*VI, 16.

Sed vita illa *spiritualis*: *Ioh.* IV, 24. *Deus est spiritus.* Hoc est, vera substantia, aut potiùs ὑπερεσία, molis corporeæ expers, sed intellectû & efficaciâ præcellens. *Ies.*XXXI, 3. *Rom.* XI, 33, 36. IX, 19. *Eph.* I, 11. *Act.*XVII, 25, 28. *Psal.*XCIV, 9, 10.

Verùm hæc ἐσία ὑπερέσιος non habet *genus* supra se; ut nec *species*, vel *individua*, æquali secùm gradû: neque *differentiam constitutivam*; ipse actus primus ac purissimus. Consequenter propriè *definiri* non potest Deus infinitus. Interim describitur pro nostro modulo, *Essentia spiritualis seipsa vivens.* Nisi quis addi malit; *tribus personis subsistens, Pater, Filius & Spiritus Sanctus.*

IV. Deus, cùm per essentiam suam unicus sit, *nomine* discretivo non indiget; quo ab aliis ejusdem speciei, vel generis, distingueretur. Ipse tamen, ut nos propriùs in sui notitiam adduceret, seque à creaturis ac idolis clariùs discerneret, *nomina* quædam adhiberi voluit. *Nomen* diserte appellatur, *Gen.* XXXII, 29. *Jud.* XIII, 18. *Prov.* XXX, 4. *Exod.* III, 13, 14. VI, 2. *Jes.* XLII, 8. &c. Imò metonymice *Nomen Dei*, aut κατ' ἐξοχὴν *Nomen*, quandóque usurpatur pro ipso Deo, aut ejus voluntate, potentiâ, auctoritate, vel gloriâ: *Lev.* XXIV, 11, 15, 16. 1 *Sam.* XVII, 45. *Psal.* LXXXVI, 9, 11. LXXXIX, 17, 25. CXVI, 13, 17. *Mich.* VI, 9. *Matth.* XVIII, 20. XXVIII, 19. *Phil.* II, 10.

Frequentissimum est Hebraïcum nomen אֱלֹהִים, sicut Græcum Θεός, & Latinum *Deus*.

V. Hîc autem *primò* contra *Socinianos* asserimus, quòd nomen *Deus*, sicut & ejus synonyma, in usû proprio, non sit nomen *officii*; sed *essentiæ*, vel *naturæ*.

1. Nam non deducitur ab alio Nomine, aut verbo, muneris alicujus functionem significante: ut quidem

Imperator ab imperando; Rex, à regendo; &c.

2. Nec abstractum ejus *Deitas* formaliter officium exprimit; sed ipsam *naturam* entis perfectissimi: nam procul dubio synonyma sunt *Deitas*, & *Natura* vel *Forma Dei*.

3. Neque supponitur aliud nomen ipsam naturam significans, cui deinceps superaddatur hoc nomen *Deus*, tanquam denotans ejus officium. Sic *homo* aliquis, puta *Carolus*, &c. est *Rex*, &c.

Obj. Magistratûs appellantur אֱלֹהִים, ratione officii ac potestatis; non ratione naturæ: ergò, &c. *Resp.* Nego consequentiam: Magistratûs isto nomine non appellantur proprie; sed propter qualemcunque similitudinem analogicam. *Vulpes* metaphorice dicitur de homine vafro; atque tunc qualitatem notat, non naturam: verùm inde nequaquam sequitur, etiàm in usû proprio non significare naturam, sed qualitatem.

VI. *Deinde*, quòd idem hoc nomen non sit *appellativum*, sed *proprium*: significat enim ens naturâ suâ singularissimum: *Joh.* XVII, 3.

Obj. 1. Angeli, & Magistratûs, *Dii* appellantur: *Psal.* VIII, 6. cum *Hebr.* II, 7. Item *Psal.* LXXXII, 6. *Exod.* IV, 15, 16. VII, 1, 2. XXII, 8, 9. *Joh.* X, 35. *Resp.* Non usû nativo istius nominis; sed metaphorice & analogice.

Obj. 2. Etiam idola. *Resp.* Hoc fit abusive, & μιμητικῶς. Vide *Jud.* XI, 24. *Am.* V, 26. cum *Jerem.* XVI, 20. *Hos.* VIII, 6. *Psal.* XCVI, 5. Confer etiàm. 1. *Cor.* VIII, 5. 2 *Thess.* II, 4. cum *Joh.* XVII, 3. 1 *Joh.* V, 20.

VII. Cæterum nomen אֱלוֹהַּ *singulari numero* occurrit, *Deut.* XXXII, 17. *Job.* III, 4, 23. XII, 4. XXXVI, 2 *Psal.* L, 22. *Hab.* III, 2. sed alibi sæpissime *pluraliter* אֱלֹהִים: & cum eo *nomina adjectiva*, & *verba*, tum *pluraliter*, tum *singulariter*, construuntur. Vide *Gen.* XX, 13. *Deut.* V, 26. *Jos.* XXIV, 19. *Jer.* X, 10. Etiàm

plu-

pluraliter in primâ personâ. *Gen.* I, 26. III, 22. XI, 7. *Ies.* VI, 8. Scilicet ad exprimendam essentiam in se quidem unicam, pluribus interim personis subsistentem.

Obj. 1. Uni idolo idem nomen plurale tribuitur; neque tamen ibi notat pluralitatem personarum, Ergò neque in vero Deo. *Resp.* Idolum sic appellatur abusivè; quatenùs triuni vero Deo substituitur.

Obj. 2. Idem etiàm usurpatur de unâ personâ Divinâ: ut *Psal.* xlv, 8. *Resp.* Nimirum, quatenùs ei competit essentia pluribus personis subsistens, per ἐμπεριχώρησιν.

VIII. Ut autem à Diis nuncupatitiis planiùs se discerneret verus Deus, Nomen suum insignibus quibusdam epithetis circumscripsit; ut *Deus Abrami, Isaaci,* & *Jacobi*: *Exod.* III, 6. *Deus magnus*: *Tit.* II, 13. *Unus verus Deus*: *Joh.* XVII, 3. *Verus Deus & vita aetena*: 1 *Joh.* v, 20. *Supra omnes Deus benedictus in saecula*: *Rom.* IX, 5. Imò & Nomina quaedam sibi prorsùs peculiaria reservavit; atque ità revelavit: ut אֶהְיֶה, *Exod.* III, 14. essentiam illam eminentissimam denotans; ut & cognatum ei יְהֹוָה, *Exod.* IV, 30. alias יְהוִה, *Ezech.* II. 4. ante contractè יָהּ, *Psal.* CXXXV, 4. cujus periphrasis est, ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *Apoc.* I, 4, 8.

LXX. Interpretes illud per Κύριος reddiderunt; quod in libris N. T. etiam servatum; tùm quod propter literarum necessarium defectum, illud ipsum materialiter Graece exprimi non possit; tum quod fortassis verbum κυρῶ (*sum*) respexerint, & sic satis convenire existimaverint.

IX. Nomen illud יְהוָה, à numero literarum, quibus constat, appellari solet τετραγράμματον.

Sed porro observandum contra *Remonstrantes*, id non esse fictitium; sed ab ipso Deo sic revelatum, ac in S. Scripturâ à viris Θεοπνεύστοις consignatum, & quidem plurimis vicibus ac locis.

Item contra *Judæos*, illud nomen, aut ejus interpretationem, non habere peculiarem virtutem aliquam patrandi miracula: nam omnia nomina sunt tantùm moraliter significativa rerum; nec possunt miracula patrari, nisi virtute ipsius Dei, qui isto nomine indicatur.

Atque iterùm contra eosdem, & quosdam alios, illud nomen non esse materialiter ἀνεκφώνητον: sed legendum & pronunciandum secundùm proprias suas literas & vocales. Nam 1. proprius finis scriptorum est, sic legi & pronunciari.

2. Hoc memoriali Deus ab omnibus aliis, & nominatim à λεγομένοις Θεοῖς, emphaticè discerni voluit: P*sal.* lxxx, 111, 19. Sed usus iste nullus est, nisi illud nomen sic legatur & pronuncietur.

3. In compositis pronunciatur ab iis ipsis, qui contrarium statuunt: ut in יְהוֹשָׁפָט, יְהוֹנָתָן, יְהוֹצָדָק, יְהוֹחָנָן, &c.

4. Satis etiam probobile est, ex famâ illius nominis Gentiles *Jovem* appellasse: &c.

X. Asserimus insuper contra *Socinianos*, eorumque sequaces *Remonstrantes*, idem hoc nomen soli vero Deo esse omninò proprium; adeò ut nulli unquàm creaturæ communicetur in casû recto: & consequenter, ex ejus attributione veram Deitatem rectè colligi. Ideò 1. toties & tàm emphaticè Deus hoc suum nomen dixit, quo maximè dignosci voluit.

Et 2. suum memoriale appellavit; *Exod.* 111, 13. vi, 1, 2. *Psal.* lxxx111, 19. *Hos.* x11, 6.

3. Negavit se id aliis communicaturum: *Jes.* xl11, 8.

Obj. 1. Atqui Angelus aliquis interdùm appellatur יְהֹוָה: ut *Gen.* xv111, 1, 13, 14, & alibi. *Resp.* Intelligendus tunc Angelus increatus, qui Angelus fœderis dicitur. *Mal.* 111, 1. & faciëi i *Ies.* lx111, 9. Filius Dei, in consideratione œconomicâ.

Obj.

Obj. 2. Ad Arcam fœderis dicebatur, *Surge, Iehovah*, &c. *Num.* x, 35, 36. *Resp.* Imo oratio ista dirigebatur ad ipsum Deum, per occasionem Arcæ fœderis, quæ erat singulare symbolum præsentiæ Divinæ.

Obj. 3. Hierosolyma vocatur *Iehovah ibi*; *Ezech.* XLVIII, 35. *Resp.* Sic urbs ipsa non vocatur *Iehovah*; sed de urbe prædicatur singularis præsentia gratiæ Divinæ.

XI. Accedunt insuper Tituli, aut Attributa, quæ instar Nominum de Deo in SS. Literis quandoque usurpantur: utpotè שַׁדַּי Omnisufficiens: *Exod.* VI, 2. *Ezech.* I, 24. אֵל Potens; *Ies.* XLIII, 10. אֲדֹנָי, Dominus; *Ies.* III. 17. Vide etiam *Jes.* IX, 5. *Act.* XVII, 14. 1 *Tim.* VI, 15. *Apoc.* XV, 3. Item קָדוֹשׁ, Sanctus; *Job.* VI, 10. עֶלְיוֹן, Excelsus; *Gen.* XIV, 18. Vide etiam *Jes.* LVII. 15. *Luc.* I, 32. Nec non metonymicè שְׁמַיָּא, οὐρανὸς, Cœlum, *Dan.* IV, 26. *Matth.* XXI, 25. *Luc.* XV, 18. & metaphorice צוּר, Rupes; *Deuteron.* XXXII, 18, 30. &c.

Porro autem *Nomina* de Deo usurpantur vel οὐσιωδῶς, *essentialiter*, ut significent ipsam essentiam, tribus personis communem: *Gen.* I, 1. *Exod.* III, 6. *Deut.* X, 17. vel ὑποστατικῶς; *personaliter*; ut hanc, vel illam personam distincte designent, *Joh.* III, 16. XVII, 3. *Act.* XX 28. *Rom.* IX, 5. 1 *Cor.* II, 8. XII, 6.

XII. Ampliùs vero cognoscitur essentia Dei per *Attributa.* Hæc sunt perfectiones, quæ de essentiâ Dei verè prædicantur, & distincte explicant qualis ea sit.

Iis investigandis ancillatur quodammodo Natura, 1. *Per viam negationis*; ubi dum creaturas contemplamur, ut Creatorem ex iis cognoscamus, omnem imperfectionem in creaturis obviam à Deo interim removemus.

 2. Per

2. *Per viam causalitatis*, cùm omnes rerum creatarum perfectiones Deo, tanquàm causæ primæ, acceptas ferimus; atque adeo virtualiter easdem ipsi tribuimus.

3. *Per viam eminentiæ*; ubi quidquid perfectionis in creaturis, id longe eminentiùs Deo inesse colligimus; tanquàm causæ omnis illius, citrà ullam sui diminutionem, aut mutationem.

XIII. Sunt autem Attributa, vel *Primi generis*, sive *essentiæ* ut sic; vel *Secundi generis*, sive *vitæ*.

Attributa primi generis, incommunicabilia dici solent; quia ità Deo propria sunt, ut nulli creaturæ competere possint. Suntque potissimùm *Primitas*, *Simplicitas*, & *Infinitas*.

XIV. *Primitas*, sive *Independentia* vocatur, quâ Deus absque causâ, absque principio sui, seipso est sufficientissimè id quod est. Hinc 1. ipse *primus*, *principium*, Ἄλφα, *summus*, vocatur; *Apoc*. 1, 4, 8. *Ies*. xliv, 6.

2. אֵל שַׁדַּי *Gen*. xvii, 1. in quo *fons vitæ*: Psal. xxxvi, 10. *Pater spirituum*: *Hebr*. xii, 9. *Pater luminum*: *Iac*. 1, 17. *ex quo omnia sunt*: *Rom*. xi, 36. *Joh*. I, 3. *Nehem*. ix, 6.

3. Ex causarum subordinatione; in quâ non datur progressus in infinitum, sed in *primâ* subsistendum est necessariò.

XV. Cùm ergò Deus dicitur esse *à se*, phrasis ista sumitur 1. negativè; quòd non sit ab alio. 2. Impropriè, ut significetur, Deum esse, per naturam suam, & per sufficientiam suam, ens primum, & actum purissimum. Eo ipso autem, quod essentia Dei prima sit, & actus primus, existentia est de Dei essentiâ; unde statim apparet *absoluta* Dei *necessitas ad existendum*, & *actualitas purissima*, cui nulla competit potentia passiva; propter sibi-sufficientiam primam, καὶ ἀναίτιον, καὶ ἄναρχον.

Sim-

XVI. *Simplicitas* à Deo omnem compositionem removet; & simul asserit in ipso omnem omninò perfectionem inesse actû purissimo.

Est autem *compositio*, plurium, quæ se habent ut potentia & actus, unio.

Simplicitatem contrà *Socinianos* & *Remonstrantes* probamus; 1. ex Dei Primitate, & Independentiâ modo assertâ: quæ omnem in Deo potentiam passivam, omnem perfectibilitatem excludit; & omnem causam unientem, perficientem, mutantem ipsius Dei omnino removet.

2. Ex terminis simplicibus & abstractis, de Deo in S. Scripturâ usurpari solitis: quod sit *principium*; *Apoc.* 1,8. *Lux*; *Joh.* 1,9. 1 *Joh.* 1,5. *charitas*; 1 *Joh.* IV,8,16. *vita æterna*: 1 *Joh.* V,20.

3. Nulla in Deo datur *Compositio realis*, imo nec *rationis*: utpote, non *ex partibus quantitativis & integrantibus*: est enim essentia spiritualis, non habens partem extra partem; sed omnia intime penetrans, &c. *Joh.* IV, 24. cum *Jes.* XXXI, 3. *Luc.* XXIV, 39. cum *Act.* XVII, 27, 28. 1 *Reg.* VIII, 27. *Jer.* XXIII, 23, 24.

Non ex *materiâ & formâ*: nam istæ corporum partes essentiales sunt.

Neque ex *substantiâ & accidentibus*: accidentia enim substantiæ sic accidunt, eique tanquàm subjecto inhærent, ut eam perficiant, aut mutent: quod ab ipsâ causâ primâ ac summâ prorsus alienum est; ubi etiàm nulla mutatio, nec conversionis obumbratio: *Jac.* I, 17.

Imo neque *ex subjecto & modo*: quia nunquàm fuit in potentiâ ad modum aliquem recipiendum.

Neque *ex essentiâ & esse*: quia ipsum esse omnino est de ejus essentiâ, tanquam actû purissimo.

Nec denique *ex genere & differentiâ*: quæ Deo etiàm non convenire, ostensum est sup. th. 3.

XVII. *Obj.* 1. Deo membra corporea tribuuntur in

in Sacris. *Resp.* 1. Illa improprie, metaphorice & metonymice de Deo dicta, Θεοπρεπῶς intelligenda sunt.

Obj. 2. In Deo sunt *intelligere*, *velle*, & *posse*; item *justitia* & *misericordia*; quæ compositionem arguunt. *Resp.* Ista intrinsece in Deo omnino unum idemque sunt; quamvis respectû objectorum & effectorum ratione distinguantur.

Obj. 3. *Actiones Dei externæ* obstant Simplicitati *Resp.* Istæ, si *activè* spectentur, sunt ipsa simplicissima Dei essentia; actuans extrà se in tempore, quæ ab æterno futura decrevit: *passivè* autem, sunt ipsæ creaturæ: unde jam nulla compositio in Deo colligi potest.

Obj. 4. *Actiones Dei internæ*, utpote *decretum*, &c. *Resp.* Decretum, si consideretur ut *actus vitalis* ipsius Dei, est ipsissima Dei essentia: si autem cogitemus de actûs istius *tendentiâ* & *terminatione* ad talia objecta, habemus tantùm respectum; qui non componit, &c.

Obj. 5. In Deo datur personarum pluralitas & distinctio: ergo, &c. *Resp.* Nulla tamen hinc inferri potest compositio in Dei essentiâ: ibi enim nunquàm fuit aliqua potentia passiva, aut perfectibilitas; sed æternus actus purissimus.

Obj. 6. In Christo saltem insignis est compositio, non tantum humanæ naturæ ex partibus suis essentialibus, & integrantibus, &c. sed etiàm personæ τοῦ Λόγου cum istâ humanâ naturâ. *Resp.* 1. Non agimus nunc de humanâ naturâ Christi; sed de essentiâ, vel naturâ Divinâ absolute. 2. Filius Dei assumendo humanam naturam, non accepit proprie aliquam perfectionem: sed naturæ isti contulit modum subsistendi: ac proinde Christus Θεάνθρωπος, totum quidem extraordinarium est; non tamen sic, ut essentia Divina censeri debeat pars componens, ad totum aliquod perfectius constituendum; aut quasi illa prius fuissent in potentiâ passivâ perfectibili-

XVIII. Ex *Simplicitate* sequitur de Attributis Dei in

in genere; 1. quod non differant ab essentiâ Divinâ, & à se invicem, realiter: sed tantum ratione ratiocinatâ, sive ex naturâ rei virtualiter; ratione objectorum & effectorum.

2. Quod vere prædicentur de Deo, tàm in abstracto, quam in concreto; & consequenter etiam de se invicem.

3. Quod nullam intrinsecam intensionem, aut remissionem, admittant.

4. Quod nullum eorum, ut in Deo est, ab aliis possit separari; propter realem identitatem.

XIX. Specialius ex Simplicitate patescit *Unitas*; quâ Deus sic est distinctus a quolibet alio, ut nullus alius istius naturæ, aut conditionis, præter ipsum agnosci debeat, vel esse possit.

Evincitur hæc 1. testimoniis *S.* Scripturæ: utpote *Deut.* VI, 4. „Audi Israël; Jehovah Deus noster, *Je-*„*hovah unus* est. *Jes.* XLIV, 6. „Ego primus, & ego „novissimus; & *præter me non est Deus*. 8. Itaque vos testes mei, *an sit Deus præter me*, &c. *Marc.* XII, 32. *Joh.* XVII, 3. *Rom.* XVII, 29, 30. 1 *Cor.* VIII, 5, 6. *Eph.* IV, 6. 1 *Tim.* II, 5.

2. Ex Dei Primitate, & Infinitate: qui enim est *Ante omnia*, & per quem *omnia consistunt*, (*Col.* I, 17.) is necessario unicus est: infinitum autem non est commensurabile alteri; sed omnia alia excedit: ac proinde Unicum est necessario. Speciatim duæ potentiæ activę infinitæ sine manifestâ contradictione statui non possunt: vel enim una alteri poterit resistere, vel non poterit; &c.

3. Nihil est quod pluralitatem Deorum inferre possit in creatione, conservatione, aut gubernatione; sed omnia unitatem spirant.

4. Speciatim Deorum generationes, & contentiones mutuæ, à Gentilibus olim descriptæ ac traditæ,

prorsus

prorsùs adversatur veræ Deitati: ita *πολυθεότης* est *ἀθεότης*; unde Gentiles dicuntur fuisse *absque Deo in mundo*, *Eph.*II, 12.

XX. Ex *Simplicitate* Dei porrò deducimus, tùm ipsius in se *Immutabilitatem*; tum relate ad sensûs nostros, *Invisibilitatem*, atque *Impalpabilitatem*; & in ordine ad artem *εἰκαστικὴν*, *Ineffigiabilitatem*.

Immutabilitas est, quâ Deus in se prorsùs idem, sibique semper similis manet.

Hæc veritas contra *Socinianos*, *Vorstium*, aliosque, probatur; primo disertis *Scripturæ* testimoniis: tùm *generaliter*, & quidem positive: *Psal.*CII, 27. 28. *Hebr.* I, 11, 12. „(Cœli) peribunt; *Tu stabis*. Omnes ipsi „mutabuntur; *Tu* autem *idem es*. *Exod.* III, 14. *Ero qui ero*. *Apoc.*I, 8. *Rom.* I, 20. Ac porro negative: *Mal.* III, 6. *Ego Jehovah non mutor*. Jac.I, 17. „Apud „quem *non* est *transmutatio*, aut *conversionis obumbratio*. Tum *specialius*: 1 *Tim.*I, 17. „Regi sæculorum *im-„mortali -- gloria in sæcula sæculorum*. VI, 16. *Rom.* I, 23. Item *Psal.*CII, 28. *Hebr.* I, 12. *Anni tui non deficiunt*. *Num.*XXIII, 19. „*Non* est vir *Deus*, ut *mentiatur*: & „filius hominis, ut *pœniteat eum*: An ipse *dixit*, & non „*faciet*: & *locutus est*, & non *stabiliet* illud? *Prov.* XIX, 21. *Psal.* CXVII, 2. 2 *Tim.* II, 13, 19.

Accedunt Rationes: 1. à *Simplicitate*: nam actus ille purissimus excludit omnem mutabilitatem.

2. Ab Independentiâ: quæ removet omnem caussam mutationis in Deo.

3. Ab Infinitate: sic enim nihil addi, vel etiàm adimi potest.

4. Speciatim respectû Volitionis: ubi summa Sapientia, conjuncta cum Omnipotentiâ, nullam mutationem admittit.

XXI. *Obj.* 1. Incarnatio Filii Dei satis manifestam mutationem arguit; ac porro ejus passiones, mors, &c. Ergo.

Ergo. *Resp.* Θεὸς ὁ λόγος factus est homo ἀτρέπτως: *active* naturam humanam assumsit, sine mutatione Deitatis. Idem ὑποστατικῶς dicitur passus, mortuus, &c. sed propriè secundum humanitatem.

Obj. 2. Deus ex non creatore aliquandò factus est creator: ergò. *Resp.* Creatio activè spectata, est æterna Dei efficientia, per quam mundus in principio temporis productus est: unde nulla mutatio in ipso creatore colligi potest.

Obj. 3. Nunc existunt alia objecta, quàm olim: alia ergo nunc Deus cognoscit: & sic mutata est ipsius scientia. *Resp.* Objectorum mutatio non mutat ipsam Dei scientiam.

Obj. 4. Volitio Divina libera est: alia ergo esse potest: & sic mutabilis est. *Resp.* Volitionis terminatio alia esse posset absolute, & in sensû diviso; non autem ex hypothesi, & in sensû composito.

Obj. 5. Deo tribuitur pœnitentia: *Gen.* XI, 6. &c. Ergò. *Resp.* Tribuitur ἀνθρωποπαθῶς; sed intelligenda est Θεοπρεπῶς, ut notet mutationem effectûs, non affectûs.

XXII. Relate ad *Aspectum ocularem*, Deum *Invisibilem* dicimus: non solùm hoc, sed etiam in futuro sæculo. Et probamus contra *Vorstium*; 1. Ex eo, quòd Deus diserte ἀόρατος appelletur, 1 *Tim.* I, 17. *Hebr.* XI, 27. Adde 1 *Tim.* VI, 16. *Joh.* I, 18: *Exod.* XXXIII, 20.

2. Ex omnimodâ Dei Simplicitate & Infinitate, quæ emanantes radios, & oculorum corporalium receptivitatem, prorsus à Deo removent.

Obj. At nonnulli Deum vidisse, aut visuri, dicuntur: *Gen.* XVIII, 1, 2. XXXII, 30. *Exod.* XXIV, 10. *Jud.* XIII, 22. 1 *Reg.* XXII, 19. *Psal.* XVII, 15. *Matth.* V, 8. 1 *Cor.* XIII, 12. *Hebr.* XII, 14. 1 *Joh.* III, 2. *Resp.* Ista intelligenda, non de oculari visione ipsius essentiæ Divinæ

in

in se: sed partim de symbolo aliquo extraordinario, ad gloriam & voluntatem aliquam Dei sic manifestandam; sicut etiam quodammodo fit per omnes res creatas: Rom. 1, 20. sed propius in humanâ Christi naturâ: undè Joh. XIV, 9. *Qui Me vidit, vidit Patrem.* Partim de visione propheticâ quâlicunque: partim etiàm de visione illa mentali, seu notitiâ, quæ familiarem gratiæ, vel etiàm gloriæ fruitionem involvit; juxtà *Matth.* XVIII, 10. Vide sup. cap. 1. th. 9.

XXIII. Ratione *Tactûs* Deo competit *Impalpabilitas*, & quidem propter suam Simplicitatem: nam

Tangere, vel tangi, nisi corpus, nulla potest res.

Undè Christus *Luc.* XXIV, 39. de se resuscitato: *Palpate* „Me; & videte: quia *spiritus carnem & ossa non habet*; „sicut me videtis habere: cum Joh. IV, 24. *Deus est spiritus.*

Obj. *Act.* XVII, 27. „Ut quærant Dominum, si forte *palpando eum invenirent*: Ergo saltem palpari potest. *Resp.* Istud metaphoricè ad mentem pertinet.

XXIV. Respectu artis εἰκαστικῆς, Deus est *Ineffigiabilis*. Unde etiam *Jes.* xl, 18. *Cui assimilabitis Deum; & quid similitudinis ornabitis ei?* Scil. per Simplicitatem suam Deus lineamentorum, terminationum, & figurationum expers est. Item *Deut.* IV, 15. „*Non vidistis ullam imaginem* in die, quâ locutus est Jehovah ad vos in „Choreb, è medio ignis. Ne forte corrumpamini; & „*faciatis* vobis *sculptile, imaginem alicujus similitudinis.* Confer *Act.* XVII, 29. Rom. 1. 22, 23.

Contra hanc veritatem, & disertum secundum Decalogi præceptum, gravissime peccant *Pontificii*, practice *Anthropomorphitæ.*

XXV. Sequitur *Infinitas*; quæ talem ac tantam in Deo perfectionem designat, ut nullos terminos aut fines habeat; sed eos omnes conceptibiles excedat. Hæc autem consideranda est, tum respectû ipsius *Essentiæ*; tum respectû *Durationis* & *Spatii ubicalis*; tum denique in ordine ad *Intellectum.* Re-

Respectu *Essentiæ*, Deus infinitus est modo perfectissimo, & quam maximè positivo; ut omnes perfectionum modos & gradus, qui in creaturis reperiuntur in Divinâ essentiâ sint èminenter; omnesque fines conceptibiles ipse excedat actû simplicissimo & sufficientissimo. Hinc *Col.* 11, 9. *Omnis plenitudo Deitatis*, *Psal.* cxlv, 3. - *Magnitudinis ejus non est investigatio. Job.* xi, 7, 8, 9. *Num investigatione Deum invenies? Num usque ad perfectionem Omnisufficientis* (שַׁדַּי) *invenies*, &c.

Hæc Infinitas etiàm facilè deducitur ex Independenti essentiæ Divinæ sufficientiâ superiùs assertâ th. 14. Qui enim tanquam causa absolute prima & Dominus supremus, reliquis entibus fines suarum perfectionum assignavit; adeò ut nec ulli fines absolute possibiles dici, aut concipi possint, nisi dependenter ab ipso: is omnem imperfectionem, non solum privativam, sed & negativam, excludit; omnemque perfectionem conceptibilem includit eminenter; & omnes limites suâ naturâ excedit.

Non intelligitur autem hoc loco Infinitas mathematica, potentialis, aut syncategorematica; sed metaphysica, actualis, & categorematica, quam sic satis explicuimus modò.

Obj. Omnia entia habent essentiam suam certam, distinctam, definitam; ac proindè etiàm Deus. Essentiæ rerum consistunt in indivisibili. *Resp.* Deus habet essentiam certam, & ab omnibus distinctam, hoc ipso quòd ea infinita sit. Atque illud indivisibile essentiæ Divinæ, intrinsecâ suâ perfectione infinitum est.

Creaturarum distantia à Divinâ perfectione, denominari solet *infinita*: quia nulla est earum ad hanc affinitas, aut proportio æqualitatis, vel commensurationis: *finiti enim ad infinitum nulla est proportio*. Interim illa à se invicem distinguuntur propriis suis perfectionibus, eârumque gradibus, vel etiàm speciebus.

XXVI. Infinitas *Durationis* est *æternitas* strictè di-

ſta; quæ non tantum principium & finem, ſed etiam ſucceſſionem prioris & poſterioris excludit. Undè rectè à *Boëthio* deſcribitur, *interminabilis vitæ tota ſimul ac perfecta poſſeſſio.* Differt autem à *Tempore* ſtrictè dicto, quod hoc tribuatur ſolis corporibus: & ab Ævo; quod eſt ſpirituum finitorum, principium durationis ſuæ habentium, atque indè ſucceſſionem, ſed non finem. Illa probatur teſtimoniis ſacris; *Gen.* XXI, 33. *Rom.* XVI, 26. ubi ἀυτολεξεὶ *æternus* appellatur. Adde *Jeſ.* LVII, 15. XLIV, 6. *Jer.* X, 10. *Rom.* I, 20. I *Tim.* I, 17. *Apoc.* I, 4, 8, 17. XXI, 6, *Pſal.* XC, 2, 4.

Eadem patet ex Dei Primitate & Simplicitate. Quæ ut eſſentiæ, ſic etiam exiſtentiæ ac durationis Divinæ principium, omnemque variationem, excludunt; & actum puriſſimum inferunt; ipſamque adeo æternitatem.

Hanc vero Æternitatem carere ſucceſſione, preſſiùs probamus; 1. ex *Pſal.* XC, 4. cum 2 *Petr.* III, 8. *Unus dies apud Dominum, ut mille anni, & mille anni, ut unus dies.* Supereminentia igitur durationis Divinæ, temporum differentias & ſucceſſionem non habet.

2. Ex omnimodâ Dei Immutabilitate, de quâ th. 20. annorum enim, aliorumque temporum ſucceſſio, & converſio, inſignem mutationem infert.

3. Exiſtentia eſt actus eſſentiæ; & duratio, exiſtentiæ permanentia, quæ ſe neceſſario habet convenienter eſſentiæ. Conſequenter æterna Dei duratio, eſt ipſa ejus eſſentia; cujus Simplicitas partes, earumque ſucceſſionem, non admittit.

XXVII. *Obj.* 1. Anni, dies, præteritum, futurum, &c. tribuuntur Deo in Sacris. *Reſp.* Scil. ἀνθρωποπαθῶς; ſed intelligenda θεοπρεπῶς.

Obj. 2. Deus coëxiſtit temporum noſtrorum differentiis, ergo ſucceſſionem habet: aut cæteroquin noſtræ temporum differentiæ ſibi invicem coëxiſtent; quia

quia æternitati *Divinæ* coëxistunt. *Resp.* Dei duratio manet semper eadem; sed illa coëxistentia ad nostra tempora est inadęquata: nequaquàm ergo propter æternitatis coëxistentiam, nostrum præteritum, præsens, & futurum coïncidunt.

Obj.3. Tempus mundi idem est cum æternitate Dei: nam etiam illud principio caret: mundus enim creatus est in tempore; ipsum vero tempus creatum non est, æternum ergo est. *Resp.* Tempus mundi non est æternum, aut increatum: Deus enim creando res successivas, eâdem operâ tempus produxit: undè rectè *concreatum* dicitur.

XXVIII. Infinitas respectû *Spatii*, sive *ubi*; est *Immensitas*; quâ Deus absolutissimè ubique existit; nec ullos fines habet suæ præsentiæ vel quasi. Deus igitur non est in loco, vel ubi *circumscriptivè*; quæ affectio corporum propria est: nec *definitivè*; quæ spirituum finitorum: sed *repletivè* totus est intrà totum mundum, ejusque partes singulas; & totus extra eum, ubi sibi ipsi præsens existit. Atque hoc contra *Socinianos*, *Anabaptistas*, & *Remonstrantes* asserimus.

Vulgò dicitur; *Enter, præsenter, Deus hîc, & ubique, potenter.* Primò, *enter*: h. e. Deus in toto mundo præsens existit per *essentiam* suam infinitam. *Deut.* IV, 39. *Jos.* II, 11. *Jehovah est in cœlis desuper, & super terram desubter.* *Jerem.* XXIII, 23, 24. ,,Nunquid *Deus de propinquo* Ego, dixit Jehovah; & non Deus *de longinquo?* *Psal.* CXXXIX, 7, - 10. ,,Quò ibo à Spiritû Tuo; & quò ,,à faciebus Tuis fugiam? Si ascendero *cœlos*, *ibi Tu*: ,,& stratum fecero *infernum*; *eccè Tu*: Assumsero pennas auroræ, habitavero in novissimo *maris*; etiàm *ibi* ,,manus Tua ducet me, & tenebit me dextra Tua. Adde *Jes.* VI, 1. LXVI, 1. *Act.* VII, 48, 49, 50. XVII, 24, 25, 27, 28.

Secundò; *præsenter*; h. e. per intimam notitiam & observationem omnium eorum, quæ in illo fiunt. Psal.

XXXIII, 13, 14, 15. E cœlis respexit Iehovah; & vidit omnes filios hominum: - considerans omnia opera eorum. Hebr. IV, 13. „Non est creatura invisibilis in conspectû ejus: omnia „autem nuda & aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis ne„gotium. Psal. CXXXIX, 12, 13. Jerem. XXIII, 24.

Tertiò, potenter; h. e. per potentem operationem: Hebr. I, 3. - Sustinet omnia verbo suo potente: Joh. V, 17. „Pater Meus adhuc operatur, & Ego operor. 1 Cor. XII, 6. Agens omnia in omnibus.

XXIX. Sic ergò Deus hîc & ubique existit. Sed neque spatiis rerum creatarum comprehenditur: aut iis adæquatè coëxistit ipse infinitus: extra mundum in se ipso etiàm existit, qui ante mundum conditum extitit similiter. Probatur hoc specialiùs; 1. disertis testimoniis: 1 Reg. VIII, 27. „Cœli, & cœli cœlorum non continent Te: quantô minùs domus hæc, quam ædificavi. 2 Chron. II, 6. „Quis obtinebit potestatem ad ædifi„candum Ei domum? nam cœli, & cæli cælorum non com„prehendent Eum; & quis ego, ut ædificem Ei domum? „Quin imò ad suffiendum ad facies Ejus. Ubi ipsam Dei essentiam designant pronomina Te, Eum, &c. non scientiam, potentiam, aut operationem ab essentiâ diversam; qualis etiàm non datur per Dei Simplicitatem, nedùm existere posset, ubi essentia Divina non existeret. Memoratur domus, non ad habitationem; sed ad suffitum faciendum. Habitationis conceptus, etiàm cœlorum incapacitas, &c. ad essentiam pertinent. Quomodò cæteroquin extra cœlos cœlorum, & sic extra mundum universum, existeret Dei scientia, vel potentia, vel operatio, &c?

2. Ex infinitâ Dei perfectione: quæ requirit, ut existat in omni spatio conceptibili.

3. Ex Potentiâ: Deus extra hunc mundum potest operari, similiter ut ante mundum conditum. Ubi autem potest operari, ibi potest existere; imò existit, qui est actus purissimus.

3. *Ex* Immutabilitate: ante mundum conditum extitit Deus in se, modo infinito; non autem definito ad actualia spatia hujus mundi: ergò etiàm nunc similiter.

XXX. Observandi autem speciales quidam modi præsentiæ Divinæ, respectû operationum ac manifestationum: 1. *In humanâ Christi naturâ* inhabitat Deitas, per unionem hypostaticam: *Col.* II, 9. *Joh.* I, 14. 1 *Tim*, III, 16. *Rom.* I, 3, 4. IX, 5.

2. In *Ecclesiâ universâ* est Deus, per Spiritum unientem, charismata distribuentem, & salutariter gubernantem, 1 *Cor.* XII, 11, 12, 13, *Joh.* XVII, 21. *Matth.* XXVIII, 20.

3. In *singulis Fidelibus*, per Spiritum fidei, sanctificationis, adoptionis, consolationis, & corroborationis: *Joh.* XIV, 23, 16, 17. 2 *Cor.* IV, 13. *Rom.* VIII, 14,-17, 26. *Gal.* IV, 6, 7. *Psal.* CXLV, 18.

4. In *Prophetis*, Spiritû πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως sapientiam ac voluntatem suam revelante: 1 *Petr.* I, 11. *Hebr.* I, 1.

5. In *Cælo*, speciali gloriæ ac majestatis suæ manifestatione: *Jes.* XLVI, 1. *Matth.* XVIII, 10. *Hebr.* XII, 22, 23. *Phil.* III, 20, 21. *Joh.* XIV, 2, 3.

6. In *Inferno*, iræ & justitiæ suæ vindicativæ executione: *Psal.* CXXXIX, 8. *Matth.* X, 28. 2 *Thess.* I, 9. *Marc.* IX, 44, 46.

XXXI. *Obj.* 1. Deus *in cælis* esse dicitur; *Matth.* VI, 9. & *habitare lucem inaccessam*; 1 *Tim.* VI, 16. *Resp.* 1. *in cælis* est speciali modo præsentiæ gloriosæ; talem sese istic demonstrando, non autem existendo istic tantùm, nec alibi. 2. Sed *Lux* Dei *inaccessa*, est ipsa ejus gloria & majestas, creaturis incomprehensibilis: sic ipse *lux* esse dicitur; 1 *Joh.* I, 5. Vide ibid. *vers.* 7. & *Psal.* CIV, 1, 2. Non verò est locus aliquis, à Deo diversus.

Obj. 2. Deus, 1 *Reg.* XIX, 11, 12, negatur fuisse in

vehementi vento, itemque in terræ motû, & in igni, sed in leni aurâ. *Resp.* Istud dicitur de extraordinari symbolo specialis cujusdam præsentiæ Divinæ, pro revelatione Propheticâ.

Obj. 3. Ipse negavit, se affore immorigeris; *Num* XIV, 42. Ergò non est prorsùs ubique. *Resp.* Negavit de speciali modo præsentiæ, secundùm gratiam & beneficentiam.

Obj. 4. Absurdè statuitur, Deum adesse in locis impuris, interesse actionibus obscœnis, esse in Diabolis, &c. Idcircò mandavit, ut excrementa in castris Israëlitarum statim terrâ obtegerentur; *Deut.* XXIII, 12, 13, 14. Ergò. *Resp.* 1. Deus simplicissimus & sanctissimus rerum immundarum præsentiâ pollui minimè potest. In ipso existunt, vivunt, & moventur creaturæ qualescunque: *Act.* XVII, 28. etiàm Diaboli, & homines pessimi. Undè cæteroquin eorum efficientia non certè independens est à Deo, ejusque Providentia. Nec Judicem suum effugere ullo modo possunt. 2. In castris Israëlitarum, sub istâ œconomia, voluit Deus observari munditiem cerimonialem. Confer Ezech. IV, 12, 13.

Obj. 5. Absurda *est existentia* Dei *atomica* & *atopica*. *Resp.* Simplicitas Dei indivisibilitatem infert; & Infinitas localitatem physicam & circumscriptivam excludit. Deus totus, non per partes, coëxistit creaturis singulis; sed non adæquatè.

Obj. 6. Mera figmenta sunt *Spatia imaginaria* extra mundum. *Resp.* At non dicimus, existere spatia realia, vel actualia, extra mundum: sed Deum existere ibi in se; similiter ut ante mundum conditum. *Tertullianus*: "Ante omnia Deus erat solus; *ipse sibi* & mundus, & "*locus*, & omnia. Deus etiàm per absolutam suam potentiam operari potest, & creaturas producere; & spatia actuare: ista igitur possibilia sunt, & sic concepibilia, atque imaginaria.

Respectû

XXXII. Respectû *Intellectûs creati* Deus est *Incomprehensibilis*: *Psal.* CXLV, 3. *Magnitudinis ejus non est investigatio.* *Job.* XI, 9. *Num investigatione Deum invenies?* v, 9. *Rom.* XI, 33, 34. 1 *Tim.* VI, 16. Et manifesta est ratio, ex objecti infinitate, & subjecti finiti disproportione ad ipsum.

Consequenter nulli creaturæ, in quocunque statû, convenit cognitio Dei *comprehensiva*, & *adæquata*; imò nequidem ullius attributi Divini: sed solùm *apprehensiva*, & *inadæquata*.

Obj. 1. Sic omnis nostra cognitio de Deo erit erronea: cognoscemus enim aliter, quam se habet ipsa veritas in Deo. *Resp.* Imò verè cognoscimus in Deo illas perfectiones, quæ verè & formalitèr in ipso sunt; simulque agnoscimus, eas Deo inesse modo perfectiori, quam comprehendere possumus.

Obj. 2. 1 *Joh.* III, 2. *Videbimus eum, sicuti est*: ergò comprehensivè. *Resp.* Istud intelligendum est tùm de oculari visione humanæ Christi naturæ; tùm de notitiâ essentiæ *Divinæ* propinquiore, ad beatitudinem nostram ordinatâ; non tamen comprehensivâ.

Obj. 3. 1 *Cor.* XIII, 12. *Cognoscemus* DEUM, *ut ab ipso cogniti sumus*: Atqui nos à Deo cogniti sumus comprehensivè: ergò, &c. *Resp.* Illud non est accipiendum de convenientiâ adæquatâ; sed de similitudine quâdam analogicâ. Confer *Rom.* VIII, 29. *Psal.* I, 6.

XXXIII. Succedunt *Attributa vitæ*, sive *secundi generis*; quæ etiam *communicabilia* appellari solent; respectû communicationis alicujus analogicæ. *Vita* Dei consideratur, vel ut *simpliciter actuosa*; vel *secundùm eminentiam*: priori consideratione occurrunt *Intellectus*, *Voluntas*, & *Potentia*; Posteriori autem, *Potestas*, *Gloria*, & *Beatitudo*.

XXXIV. *Intellectus* DEI est, quo ipse omnes omninò veritates cognoscit modo sibi convenienti: h. e. infinitè, simpliciter, & independenter. 1 *Tim.* I, 17.

Soli sapienti - 1Sam. II, 3. *Deus scientiarum. Psal.* XCIV, 9, 10. Vide sup. cap. 1. th. 3.

Dico *infinitè*: ipse enim Intellectus Dei infinitus est; cùm 1. secundùm rem sit ipsa Dei essentia. 2. & modus intelligendi, convenienter naturæ Divinæ, absolutè perfectissimus sit; adeòque infinitus, atque item 3. respectû objectorum, cognoscat omnia absolutè cognoscibilia. 1 *Joh.* III, 20. *Novit omnia.* Similiter *Joh.* XXI, 17. Item *Psal.* cxlvii, 5. *Jes.* lv, 9. *Rom.* XI, 33.

Novit autem seipsum adæquatè: *Matth.* XI, 17. 1 *Cor.* II, 10, 11. Vide sup. cap. 1. th. 3.

Et omnia alia à se perfectissimè: *Hebr.* IV, 13. *Omnia sunt nuda, & intimè patentia oculis ejus. Act.* XV, 18. *Nota sunt* Deo *ab* (omni) *ævo omnia opera sua.*

XXXV. *Scientia* Dei ratione objectorum distinguitur, in *naturalem, necessariam*, sive *simplicis intelligentiæ*; & in *liberam*, sive *visionis.*

Scientia simplicis intelligentiæ rerum quidditates simpliciter spectat, ut se habent citra respectum ad liberam Decreti Divini terminationem: sive in signo rationis antecedenter ad Decretum, quò pertinet ipsa *Dei essentia, personæ, sufficientia*, & *omnipotentia*, atque hinc *res possibiles.*

In mente Divinâ igitur sunt *ideæ omnium possibilium.* Istæ autem *ideæ* sunt perfectiones ipsius essentiæ Divinæ, prout imitabiles & expressibiles sunt extra Deum, & sic ab ipso cognoscuntur. A supereminenti enim & infinitâ potentiâ Dei activâ, denominantur *res possibiles*; quatenùs videlicet per illam produci, aut actuari, possunt.

Scientia libera consideratur, ut in signo rationis consequens ad liberum Dei Decretum. *Visionis* autem appellatur; quia Deus per eam videt, aut prævidet, determinatam rerum existentiam sub qualicunque temporis differentiâ.

Quæritur, Utrùm Deus res præsciat, quia futuræ sunt;

ſunt; an vero futuræ ſint, quia Deus eas præſcit? *Reſp.* Affirmandum potiùs eſt prius: veritas enim rei, quæ eſt per Dei Decretum, naturâ præcedit veritatem cognitionis. Attamen ſi adeo late ſumatur Præſcientia, ut ipſum Dei Decretum complexû ſuo involvat; ut *Rom*, VIII, 29. XI, 2. dicendum erit poſterius: & hoc ſenſu Præſcientia Dei rectè dicitur *practica*. Ceteroquin in iſtâ enunciatione, *Hæc res futura eſt, quia* DEUS *eam præſcit*, agnoſcenda ſaltem eſt illatio Logica, à poſteriori.

XXXVI. Hâc igitur Scientiâ viſionis Deus *omnia & ſingula* per ſuum Decretum *definita* novit accuratiſſimè: utpotè *naturalia*, & *neceſſaria*: *Pſal.* CXLVII, 4, 8, &c. *Numerans numerum ſtellarum: omnibus eis nomina vocabit.* &c. CXXXIX, 15, 16. *Non occultum fuit corpus meum à Te, quandò factus fui in occulto*, &c.

Atque item *contingentia*, & *libera*; tùm *bona*, tùm *mala*; etiàm *occultiſſima*, & nominatim *cogitationes intimas*: *Pſal.* LVI, 9. „*Motionem meam numerâſti*: Tu „pone *lachrymam meam in utere Tuo*: nonne *in libro Tuo*? &c. CXXXIX, 2, 3. *Tu cognoviſti ſedere meum, & reſurgere meum, &c.* 13. *Tu poſſediſti renes meos. Gen.* VI, 5. „Et *vidit Jehovah, quòd* multa malitia hominis in terrâ; „& *omnis imaginatio cogitationum cordis ejus* tantùm mala omni die. Adde *Pſal.* XXXIII, 15. XL, 10. LXIX, 6. XC, 8. XCIV, 11. 1 *Reg.* VIII, 39. *Rom.* VIII, 27. *Apoc.* II, 20.

Ac denique *minima*: *Matth.* X, 29, 30. „*Unus paſ*„*ſerculus non* cadet ſuper terram, *ſine Patre veſtro*: Ve„ſtri autem & *capilli capitis omnes numerati ſunt.*

Obj. 1. Atqui Deus *Abrahamum tentâſſe*, ſeu *explorâſſe*, dicitur; *Gen.* XII, 1. &c. & *deſcendiſſe, ut videret*, qualia eſſent hominum opera: *Gen.* XVIII, 2. *Reſp.* Iſta accipienda ſunt de pleniori, per certa ſpecimina, manifeſtatione eorum, quæ non Deo, ſed tum ipſis illis hominibus, tum etiam

in se: sed partim de symbolo aliquo extraordinario, ad gloriam & voluntatem aliquam Dei sic manifestandam; sicut etiam quodammodo fit per omnes res creatas: Rom. 1, 20. sed propius in humanâ Christi naturâ: undè Joh. XIV, 9. *Qui Me vidit, vidit Patrem.* Partim de visione propheticâ quâlicunque: partim etiàm de visione illa mentali, seu notitiâ, quæ familiarem gratiæ, vel etiàm gloriæ fruitionem involvit; juxtà *Matth.* XVIII, 10. Vide sup. cap. 1. th. 9.

XXIII. Ratione *Tactûs* Deo competit *Impalpabilitas*, & quidem propter suam Simplicitatem: nam

Tangere, vel tangi, nisi corpus, nulla potest res.

Undè Christus *Luc.* XXIV, 39. de se resuscitato: *Palpate* „Me; & videte: quia *spiritus carnem & ossa non habet*; „sicut me videtis habere: cum Joh. IV, 24. *Deus est spiritus.*

Obj. *Act.* XVII, 27. „Ut quærant Dominum, si forte *palpando eum invenirent*: Ergo saltem palpari potest. *Resp.* Istud metaphoricè ad mentem pertinet.

XXIV. Respectu artis εἰκαστικῆς, Deus est *Ineffigiabilis*. Unde etiam *Jes.* xl, 18. *Cui assimilabitis Deum; & quid similitudinis ornabitis ei?* Scil. per Simplicitatem suam Deus lineamentorum, terminationum, & figurationum expers est. Item *Deut.* IV, 15. „*Non vidistis ullam imaginem* in die, quâ locutus est Jehovah ad vos in „Choreb, è medio ignis. Ne forte corrumpamini; & „*faciatis* vobis *sculptile, imaginem alicujus similitudinis.* Confer *Act.* XVII, 29. *Rom.* 1. 22, 23.

Contra hanc veritatem, & disertum secundum Decalogi præceptum, gravissime peccant *Pontificii*, practice *Anthropomorphitæ.*

XXV. Sequitur *Infinitas*; quæ talem ac tantam in Deo perfectionem designat, ut nullos terminos aut fines habeat; sed eos omnes conceptibiles excedat. Hæc autem consideranda est, tum respectû ipsius *Essentiæ*; tum respectû *Durationis* & *Spatii ubicalis*; tum denique in ordine ad *Intellectum*. Re-

Respectu *Essentiæ*, Deus infinitus est modo perfectissimo, & quam maximè positivo; ut omnes perfectionum modos & gradus, qui in creaturis reperiuntur in Divinâ essentiâ sint èminenter; omnesque fines conceptibiles ipse excedat actû simplicissimo & sufficientissimo. Hinc Col. 11, 9. *Omnis plenitudo Deitatis*, Psal. cxlv, 3. *Magnitudinis ejus non est investigatio*. Job. xi, 7, 8, 9. *Num investigatione Deum invenies? Num usque ad perfectionem Omnisufficientis* (שדי) *invenies*, &c.

Hæc Infinitas etiàm facilè deducitur ex Independenti essentiæ Divinæ sufficientiâ superiùs assertâ th. 14. Qui enim tanquam causa absolute prima & Dominus supremus, reliquis entibus fines suarum perfectionum assignavit; adeò ut nec ulli fines absolute possibiles dici, aut concipi possint, nisi dependenter ab ipso: is omnem imperfectionem, non solum privativam, sed & negativam, excludit; omnemque perfectionem conceptibilem includit eminenter; & omnes limites suâ naturâ excedit.

Non intelligitur autem hoc loco Infinitas mathematica, potentialis, aut syncategorematica; sed metaphysica, actualis, & categorematica, quam sic satis explicuimus modò.

Obj. Omnia entia habent essentiam suam certam, distinctam, definitam; ac proindè etiàm Deus. Essentiæ rerum consistunt in indivisibili. *Resp*. Deus habet essentiam certam, & ab omnibus distinctam, hoc ipso quòd ea infinita sit. Atque illud indivisibile essentiæ Divinæ, intrinsecâ suâ perfectione infinitum est.

Creaturarum distantia à Divinâ perfectione, denominari solet *infinita*: quia nulla est earum ad hanc affinitas, aut proportio æqualitatis, vel commensurationis: *finiti enim ad infinitum nulla est proportio*. Interim illa à se invicem distinguuntur propriis suis perfectionibus, cùmque gradibus, vel etiàm speciebus.

XXVI. Infinitas *Durationis* est *æternitas* strictè di-

ѐta; quæ non tantum principium & finem, ſed etiam ſucceſſionem prioris & poſterioris excludit. Undè reƈtè à *Boëthio* deſcribitur, *interminabilis vitæ tota ſimul ac perfeƈta poſſeſſio*. Differt autem à *Tempore* ſtriƈtè diƈto, quod hoc tribuatur ſolis corporibus: & ab Ævo; quod eſt ſpirituum finitorum, principium durationis ſuæ habentium, atque indè ſucceſſionem, ſed non finem. Illa probatur teſtimoniis ſacris; *Gen.* XXI, 33. *Rom.* XVI, 26. ubi ἀυτολεξεὶ *æternus* appellatur. Adde *Jeſ.* LVII, 15. XLIV, 6. *Ier.* X, 10. *Rom.* I, 20. 1 *Tim.* I, 17. *Apoc.* I, 4, 8, 17. XXI, 6, *Pſal.* XC, 2, 4.

Eadem patet ex Dei Primitate & Simplicitate. Quæ ut eſſentiæ, ſic etiam exiſtentiæ ac durationis Divinæ principium, omnemque variationem, excludunt; & aƈtum puriſſimum inferunt; ipſamque adeo æternitatem.

Hanc vero Æternitatem carere ſucceſſione, preſſiùs probamus; 1. ex *Pſal.* XC, 4. cum 2 *Petr.* III, 8. *Unus dies apud Dominum, ut mille anni, & mille anni, ut unus dies*. Supereminentia igitur durationis Divinæ, temporum differentias & ſucceſſionem non habet.

2. Ex omnimodâ Dei Immutabilitate, de quâ th. 20. annorum enim, aliorumque temporum ſucceſſio, & converſio, inſignem mutationem infert.

3. Exiſtentia eſt aƈtus eſſentiæ; & duratio, exiſtentiæ permanentia, quæ ſe neceſſario habet convenienter eſſentiæ. Conſequenter æterna Dei duratio, eſt ipſa ejus eſſentia; cujus Simplicitas partes, earumque ſucceſſionem, non admittit.

XXVII. *Obj.* 1. Anni, dies, præteritum, futurum, &c. tribuuntur Deo in Sacris. *Reſp.* Scil. ἀνθρωποπαθῶς; ſed intelligenda Θεοπρεπῶς.

Obj. 2. Deus coëxiſtit temporum noſtrorum differentiis; ergo ſucceſſionem habet: aut cæteroquin noſtræ temporum differentiæ ſibi invicem coëxiſtent; quia

quia æternitati Divinæ coëxistunt. *Resp.* Dei duratio manet semper eadem; sed illa coëxistentia ad nostra tempora est inadæquata: nequaquàm ergo propter æternitatis coëxistentiam, nostrum præteritum, præsens, & futurum coïncidunt.

Obj. 3. Tempus mundi idem est cum æternitate Dei: nam etiam illud principio caret: mundus enim creatus est in tempore; ipsum vero tempus creatum non est, æternum ergo est. *Resp.* Tempus mundi non est æternum, aut increatum: Deus enim creando res successivas, eâdem operâ tempus produxit: undè rectè *concreatum* dicitur.

XXVIII. Infinitas respectû *Spatii*, sive *ubi*; est *Immensitas*; quâ Deus absolutissimè ubique existit; nec ullos fines habet suæ præsentiæ vel quasi. Deus igitur non est in loco, vel ubi *circumscriptivè*; quæ affectio corporum propria est: nec *definitivè*; quæ spirituum finitorum: sed *repletivè* totus est intrà totum mundum, ejusque partes singulas; & totus extra eum, ubi sibi ipsi præsens existit. Atque hoc contra *Socinianos*, *Anabaptistas*, & *Remonstrantes* asserimus.

Vulgò dicitur; *Enter, præsenter, Deus hîc, & ubique, potenter.* Primò, *enter*: h. e. Deus in toto mundo præsens existit per *essentiam* suam infinitam. *Deut.* IV, 39. *Ios.* II, 11. *Iehovah est in cœlis desuper, & super terram desubter: Ierem.* XXIII, 23, 24. „Nunquid *Deus de propinquo* Ego, dixit Jehovah; & non Deus *de longinquo?* *Psal.* CXXXIX, 7, - 10. „Quò ibo à Spiritû Tuo; & quò „à faciebus Tuis fugiam? Si ascenderò *cœlos*, *ibi* Tu: „& stratum fecero *infernum*; *eccè* Tu: Assumsero penn„nas auroræ, habitavero in novissimo *maris*; etiàm *ibi* „manus Tua ducet me, & tenebit me dextra Tua. Adde *Ies.* VI, 1. LXVI, 1. *Act.* VII, 48, 49, 50. XVII, 24, 25, 27, 28.

Secundò; *præsenter*; h. e. per intimam notitiam & observationem omnium eorum, quæ in illo fiunt. Psal.

XXXIII, 13, 14, 15. *E cœlis respexit Iehovah; & vidit omnes filios hominum: - considerans omnia opera eorum.* Hebr. IV, 13. „Non est creatura *invisibilis in conspectû ejus: omnia* „autem *nuda & aperta sunt oculis ejus*, ad quem nobis ne-„gotium. *Psal.* CXXXIX, 12, 13. *Jerem.* XXIII, 24.

Tertiò, *potenter*; h. e. per potentem operationem: *Hebr.* I, 3. - *Sustinet omnia verbo suo potente*: *Joh.* V, 17. „Pater Meus adhuc *operatur*, & Ego *operor*. 1 *Cor.* XII, 6. *Agens omnia in omnibus*.

XXIX. Sic ergò Deus hîc & ubique existit. Sed neque spatiis rerum creatarum comprehenditur: aut iis adæquatè coëxistit ipse infinitus: extra mundum in se ipso etiàm existit, qui ante mundum conditum extitit similiter. Probatur hoc specialiùs; 1. disertis testimoniis: 1 *Reg.* VIII, 27. „*Cœli*, & *cœli cœlorum non continent* Te: quantò minùs *domus* hæc, quam ædificavi. 2 *Chron.* II, 6. „Quis obtinebit potestatem ad ædifi-„candum Ei *domum?* nam *cœli*, & *cæli cælorum non com-„prehendent Eum*; & quis ego, ut ædificem Ei *domum?* „Quin imò *ad suffiendum* ad facies Ejus. Ubi ipsam Dei essentiam designant pronomina *Te*, *Eum*, &c. non scientiam, potentiam, aut operationem ab essentiâ diversam; qualis etiàm non datur per Dei Simplicitatem; nedùm existere posset, ubi essentia Divina non existeret. Memoratur domus, non ad habitationem; sed ad suffitum faciendum. Habitationis conceptus, etiàm cœlorum incapacitas, &c. ad essentiam pertinent. Quomodò cæteroquin extra cœlos cœlorum, & sic extra mundum universum, existeret Dei scientia, vel potentia, vel operatio, &c?

2. Ex infinitâ Dei perfectione: quæ requirit, ut existat in omni spatio conceptibili.

3. Ex Potentiâ: Deus extra hunc mundum potest operari, similiter ut ante mundum conditum. Ubi autem potest operari, ibi potest existere; imò existit, qui est actus purissimus.

3. Ex Immutabilitate: ante mundum conditum extitit Deus in se, modo infinito; non autem definito ad actualia spatia hujus mundi: ergò etiàm nunc similiter.

XXX. Observandi autem speciales quidam modi praesentiae Divinae, respectû operationum ac manifestationum: 1. *In humanâ Christi naturâ* inhabitat Deitas, per unionem hypostaticam: *Col.* II, 9. *Joh.* I, 14. 1 *Tim.* III, 16. *Rom.* I, 3, 4. IX, 5.

2. In *Ecclesiâ universâ* est Deus, per Spiritum unientem, charismata distribuentem, & salutariter gubernantem, 1 *Cor.* XII, 11, 12, 13. *Joh.* XVII, 21. *Matth.* XXVIII, 20.

3. In *singulis Fidelibus*, per Spiritum fidei, sanctificationis, adoptionis, consolationis, & corroborationis: *Joh.* XIV, 23, 16, 17. 2 *Cor.* IV, 13. *Rom.* VIII, 14,-17, 26. *Gal.* IV, 6, 7. *Psal.* cxlv, 18.

4. In *Prophetis*, Spiritû πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως sapientiam ac voluntatem suam revelante: 1 *Petr.* I, 11. *Hebr.* I, 1.

5. In *Caelo*, speciali gloriae ac majestatis suae manifestatione: *Jes.* xlvi, 1. *Matth.* XVIII, 10. *Hebr.* XII, 22, 23. *Phil.* III, 20, 21. *Joh.* XIV, 2, 3.

6. In *Inferno*, irae & justitiae suae vindicativae executione: *Psal.* CXXXIX, 8. *Matth.* X, 28. 2 *Thess.* I, 9. *Marc.* IX, 44, 46.

XXXI. *Obj.* 1. Deus *in caelis* esse dicitur; *Matth.* VI, 9. & *habitare lucem inaccessam*; 1 *Tim.* VI, 16. *Resp.* 1. *in caelis* est speciali modo praesentiae gloriosae; talem sese istic demonstrando, non autem existendo istic tantùm, nec alibi. 2. Sed *Lux* Dei *inaccessa*, est ipsa ejus gloria & majestas, creaturis incomprehensibilis: sic ipse *lux* esse dicitur; 1 *Joh.* I, 5. Vide ibid. *vers.* 7. & *Psal.* CIV, 1, 2. Non verò est locus aliquis, à Deo diversus.

Obj. 2. Deus, 1 *Reg.* XIX, 11, 12, negatur fuisse in

vehementi vento, itemque in terræ motû, & in igni; ſed in leni aurâ. *Reſp.* Iſtud dicitur de extraordinario ſymbolo ſpecialis cujuſdam præſentiæ Divinæ, pro revelatione Propheticâ.

Obj. 3. Ipſe negavit, ſe affore immorigeris; *Num*, XIV, 42. Ergò non eſt prorsùs ubique. *Reſp.* Negavit de ſpeciali modo præſentiæ, ſecundùm gratiam & beneficentiam.

Obj. 4. Abſurdè ſtatuitur, Deum adeſſe in locis impuris, intereſſe actionibus obſcœnis, eſſe in Diabolis, &c. Idcircò mandàvit, ut excrementa in caſtris Iſraëlitarum ſtatim terrâ obtegerentur; *Deut.* XXIII, 12, 13, 14. Ergò. *Reſp.* 1. Deus ſimpliciſſimus & ſanctiſſimus rerum immundarum præſentiâ pollui minimè poteſt. In ipſo exiſtunt, vivunt, & moventur creaturæ qualeſcunque: *Act.* XVII, 28. etiàm Diaboli, & homines peſſimi. Undè cæteroquin eorum efficientiæ non certè independens eſt à Deo, ejuſque Providentia. Nec Judicem ſuum effugere ullo modo poſſunt. 2. In caſtris Iſraëlitarum, ſub iſtâ œconomia, voluit Deus obſervari munditiem cerimonialem. Confer *Ezech.* IV, 12, 13.

Obj. 5. Abſurda *eſt exiſtentia* Dei *atomica* & *atopica*. *Reſp.* Simplicitas Dei indiviſibilitatem infert; & Infinitas localitatem phyſicam & circumſcriptivam excludit. Deus totus, non per partes, coëxiſtit creaturis ſingulis; ſed non adæquatè.

Obj. 6. Mera figmenta ſunt *Spatia imaginaria* extra mundum. *Reſp.* At non dicimus, exiſtere ſpatia realia, vel actualia, extra mundum: ſed Deum exiſtere ibi in ſe; ſimiliter ut ante mundum conditum. *Tertullianus*: „Ante omnia Deus erat ſolus; *ipſe ſibi* & mundus, & „*locus*, & omnia. Deus etiàm per abſolutam ſuam potentiam operari poteſt, & creaturas producere; & ſpatia actuare: iſta igitur poſſibilia ſunt, & ſic conceptibilia, atque imaginaria.

Reſpectû

XXXII. Respectû *Intellectûs creati* Deus est *Incomprehensibilis* : *Psal.* cxlv, 3. *Magnitudinis ejus non est investigatio. Job.* xi, 9. *Num investigatione Deum invenies?* v, 9. *Rom.* xi, 33, 34. 1 *Tim.* vi, 16. Et manifesta est ratio, ex objecti infinitate, & subjecti finiti disproportione ad ipsum.

Consequenter nulli creaturæ, in quocunque statû, convenit cognitio Dei *comprehensiva*, & *adæquata*; imò nequidem ullius attributi Divini: sed solùm *apprehensiva*, & *inadæquata*.

Obj. 1. Sic omnis nostra cognitio de Deo erit erronea: cognoscemus enim aliter, quam se habet ipsa veritas in Deo. *Resp.* Imò verè cognoscimus in Deo illas perfectiones, quæ verè & formalitèr in ipso sunt; simulque agnoscimus, eas Deo inesse modo perfectiori, quam comprehendere possumus.

Obj. 2. 1 *Joh.* iii, 2. *Videbimus eum, sicuti est:* ergò comprehensivè. *Resp.* Istud intelligendum est tùm de oculari visione humanæ Christi naturæ; tùm de notitiâ essentiæ Divinæ propinquiore, ad beatitudinem nostram ordinatâ; non tamen comprehensivâ.

Obj. 3. 1 *Cor.* xiii, 12. *Cognoscemus* Deum, *ut ab ipso cogniti sumus* : Atqui nos à Deo cogniti sumus comprehensivè: ergò, &c. *Resp.* Illud non est accipiendum de convenientiâ adæquatâ; sed de similitudine quâdam analogicâ. Confer *Rom.* viii, 29. *Psal.* 1, 6.

XXXIII. Succedunt *Attributa vitæ*, sive *secundi generis*; quæ etiam *communicabilia* appellari solent; respectû communicationis alicujus analogicæ. *Vita* Dei consideratur, vel ut *simpliciter actuosa*; vel *secundùm eminentiam*: priori consideratione occurrunt *Intellectus*, *Voluntas*, & *Potentia*; Posteriori autem, *Potestas*, *Gloria*, & *Beatitudo*.

XXXIV. *Intellectus* Dei est, quo ipse omnes omninò veritates cognoscit modo sibi convenienti: h. e. infinitè, simpliciter, & independenter. 1 *Tim.* 1, 17.

Soli sapienti - 1 Sam. II, 3. *Deus scientiarum. Psal.* XCIV, 9, 10. Vide sup. cap. 1. th. 3.

Dico *infinitè*: ipse enim Intellectus Dei infinitus est; cùm 1. secundùm rem sit ipsa Dei essentia. 2. & modus intelligendi, convenienter naturæ Divinæ, absolutè perfectissimus sit; adeòque infinitus, atque item 3. respectû objectorum, cognoscat omnia absolutè cognoscibilia. 1 *Joh.* III, 20. *Novit omnia.* Similiter *Joh.* XXI, 17. Item *Psal.* CXLVII, 5. *Jes.* LV, 9. *Rom.* XI, 33.

Novit autem seipsum adæquatè: *Matth.* XI, 27. 1 *Cor.* II, 10, 11. Vide sup. cap. 1. th. 3.

Et omnia alia à se perfectissimè: *Hebr.* IV, 13. *Omnia sunt nuda, & intimè patentia oculis ejus. Act.* XV, 18. *Nota sunt* DEO *ab* (omni) *ævo omnia opera sua.*

XXXV. *Scientia* DEI ratione objectorum distinguitur, in *naturalem, necessariam*, sive *simplicis intelligentiæ*; & in *liberam*, sive *visionis*.

Scientia simplicis intelligentiæ rerum quidditates simpliciter spectat, ut se habent citra respectum ad liberam Decreti Divini terminationem: sive in signo rationis antecedenter ad Decretum, quò pertinet ipsa *Dei essentia, personæ, sufficientia,* & *omnipotentia*, atque hinc *res possibiles.*

In mente Divinâ igitur sunt *ideæ omnium possibilium.* Istæ autem *ideæ* sunt perfectiones ipsius essentiæ Divinæ, prout imitabiles & expressibiles sunt extra Deum, & sic ab ipso cognoscuntur. A supereminenti enim & infinitâ potentiâ Dei activâ, denominantur *res possibiles*; quatenùs videlicet per illam produci, aut actuari, possunt.

Scientia libera consideratur, ut in signo rationis consequens ad liberum Dei Decretum. *Visionis* autem appellatur; quia Deus per eam videt, aut prævidet, determinatam rerum existentiam sub qualicunque temporis differentiâ.

Quæritur, Utrùm Deus res præsciat, quia futuræ

sunt;

sunt; an vero futuræ sint, quia Deus eas præscit? *Resp.* Affirmandum potiùs est prius: veritas enim rei, quæ est per Dei Decretum, naturâ præcedit veritatem cognitionis. Attamen si adeo late sumatur Præscientia, ut ipsum Dei Decretum complexû suo involvat; ut *Rom,* VIII, 29. XI, 2. dicendum erit posterius: & hoc sensu Præscientia Dei rectè dicitur *practica.* Ceteroquin in istâ enunciatione, *Hæc res futura est, quia* DEUS *eam præscit,* agnoscenda saltem est illatio Logica, à posteriori.

XXXVI. Hâc igitur Scientiâ visionis Deus *omnia* & *singula* per suum Decretum *definita* novit accuratissimè: utpotè *naturalia,* & *necessaria: Psal.* cxlvII, 4, 8, &c. *Numerans numerum stellarum: omnibus eis nomina vocabit.* &c. CXXXIX, 15, 16. *Non occultum fuit corpus meum à Te, quandò factus fui in occulto,* &c.

Atque item *contingentia,* & *libera*; tùm *bona,* tùm *mala*; etiàm *occultissima,* & nominatim *cogitationes intimas: Psal.* lvI, 9. ,,*Motionem meam numerâsti*: Tu ,,pone *lachrymam meam in utere Tuo:* nonne *in libro Tuo?* &c. CXXXIX, 2, 3. *Tu cognovisti sedere meum, & resurgere meum, &c.* 13. *Tu possedisti renes meos. Gen.* VI, 5. ,,Et *vidit Jehovah, quòd* multa malitia hominis in terrâ; ,,& *omnis imaginatio cogitationum cordis ejus* tantùm mala omni die. Adde *Psal.* XXXIII, 15. xl, 10. lxIx, 6. xc: 8. xcIv, 11. 1 *Reg.* VIII, 39. *Rom.* VIII, 27. *Apoc.* II, 20.

Ac denique *minima*: *Matth.* x, 29, 30. ,,*Unus passerculus non* cadet super terram, *sine Patre vestro*: Ve- ,,stri autem & *capilli capitis omnes numerati sunt.*

Obj. 1. Atqui Deus *Abrahamum tentâsse,* seu *explorâsse,* dicitur; *Gen.* XII, 1. &c. & *descendisse, ut videret,* qualia essent hominum opera: *Gen.* XVIII, 2. *Resp.* Ista accipienda sunt de pleniori, per certa specimina, manifestatione eorum, quæ non Deo, sed tum ipsis illis hominibus, tum etiam

aliis minùs erant manifesta. Confer *Joh.* II, 24, 25.

Obj. 2. Deus non novit malos: *Matth.* VII, 23. XXV, 13. *Resp.* Scil. de notitia *approbationis*, aut *specialis dilectionis*; de quâ vide *Psal.* 1, 6. 2 *Tim.* II. 19.

XXXVII. *Contingentia* & *libera* Deus non solum scit, cùm ea sûnt *præsentia*, & *præterita*; sed etiàm præscit *futura*. Atque hoc contrà *Socinianos* adstruimus: 1. Ex eo quòd Deus omnia cognoscat; 1 *Joh.* III, 20. & specialiùs, ex *Psal.* CXXXIX, 2. 4. *Intellexisti cogitationem meam à longè*: *Non est sermo in linguâ meâ*: *ecce Jehovah*, *Tu nosti ipsum totum.*

2. Futura contingentia habent determinatam veritatem suæ futuritionis per Dei Decretum; consequenter Deo nota sunt per Scientiam visionis. *Act.* XV. 18. Vide sup. th. 34. cum *Eph.* I, 11. *Omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ. Act.* II, 23. IV, 28.

3. Ex prophetiis, earumque complemento: Undè *Tertullianus* adversùs *Marc.* lib. 2. cap. 4. *De præscientiâ verò quid dicam? quæ tantos habet testes, quantos fecit Prophetas. Jes.* XLVI. 9, 10, 11. „Recordamini priorum à sæculo: quoniàm Ego Deus &c. *Annuncians* „*ab exordio novissimam*; & *à quondam, quæ non facta sunt*: „dicens; Consilium meum stabit, &c. *Vocans ab Oriente Volucrem*, de terrâ longinquâ *virum consilii mei*: etiàm *locutus sum*; etiam *adducam illud*. Vide speciatim quæ Abrahamo prædicta: *Gen.* XV, 13.-16, XVIII, 18, 19. quæ Jacob nepotibus & filiis suis prænunciavit, *Gen.* XLVIII, 19, -XLIX, 1, - & Moses Israëlitis; *Deut.* XXXI, 16, 20. XXXII, 1. -Insignis est prædictio Prophetæ illius Judæi de Altari Bethelis: 1 *Reg.* XIII, 2, 3. quæ impleta: 2 *Reg.* XXIII, 16, 17, 18. Achabo & familiæ ejus accuratè prædictum fuit excidium, 1 Reg. XXI, 19, - XXII, 17, - 28. complementum sequitur ibidem, *vers.* 30, - 38. & 2 Reg. IX, 24. - X, 7, - 11. Adde plurima illustria in *Daniele*, & reliquis Prophetis, de Regnorum translationibus, eversionibus, &c. ac po-

tissimum de Christi nativitate, vitâ, passionibus, morte, &c.

4. Denique, ex Dei Immutabilitate, Æternitate, & Primitate, evidens est, ipsum non minus objectorum scibilium, quamdiu futura sunt, habere notitiam, quàm cum eadem sunt præsentia.

XXXVIII. *Obj.* 1. Quæ certò præsciuntur, habent veritatem determinatam: futura igitur contingentia & libera non certò præsciuntur. *Resp.* Futurorum contingentium & liberorum veritas determinata est extrinsecè à parte Dei; non autem intrinsecè ex natura rei.

Obj. 2. Contingentiæ & libertati repugnat omnis necessitas. *Resp.* Verum est antecedens de necessitate intrinsecâ, absolutâ, consequentis; non vero de extrinsecâ, hypotheticâ, consequentiæ.

XXXIX. Præscientia igitur Dei non est *conjecturalis*, aut *conditionata*, sed *certa* & *absoluta*. Neque admittendum *Jesuiticum* δόγμα, à *Remonstrantibus* etiam adoptatum, de *Scientia in* Deo *Mediâ*; quâ Deus fingitur, ante omnem actum voluntatis suæ, prævidisse, quid creatura rationalis, in his vel illis rerum circumstantiis posita, pro innatâ sua libertate, esset actura; sic tamen, ut illa posset, si vellet, facere oppositum.

Verum 1. S. Scriptura causis secundis in se consideratis, circa actum voluntatis Divinæ derogat actuum liberorum determinationem. *Jerem*. X. 23. *Novi Jehovah, quod non est hominis via ejus; nec viri ambulantis, vel præparare gressum suum*. Adde *Rom*. XI, 35. 1 *Cor*. IV, 7. 2 *Cor*. III, 5.

2. Determinatio ista Deo, ut causæ primæ, adscribitur. *Jes*. XLVI. 10. „Consilium meum stabit, & *omnem voluntatem meam faciam*. *Prov*. XVI, 9. „Cor hominis „cogitabit viam suam, & *Jehovah parabit gressum ejus*. XXI, 1. „Ut rivuli aquarum, *cor Regis in manu Jehovæ: super omne, quod voluerit, inclinabit illud*. Adde

Rom.

cta; quæ non tantum principium & finem, sed etiam successionem prioris & posterioris excludit. Undè recte à *Boëthio* describitur, *interminabilis vitæ tota simul ac perfecta possessio*. Differt autem à *Tempore* strictè dicto, quod hoc tribuatur solis corporibus: & ab Ævo; quod est spirituum finitorum, principium durationis suæ habentium, atque indè successionem, sed non finem. Illa probatur testimoniis sacris; *Gen*. XXI, 33. *Rom*. XVI, 26. ubi αὐτολεξεὶ *æternus* appellatur. Adde *Jes*. LVII, 15. XLIV, 6. *Ier*. X, 10. *Rom*. I, 20. 1 *Tim*. I, 17. *Apoc*. I, 4, 8, 17. XXI, 6, *Psal*. XC, 2, 4.

Eadem patet ex Dei Primitate & Simplicitate. Quæ ut essentiæ, sic etiam existentiæ ac durationis Divinæ principium, omnemque variationem, excludunt; & actum purissimum inferunt; ipsamque adeo æternitatem.

Hanc vero Æternitatem carere successione, pressius probamus; 1. ex *Psal*. XC, 4. cum 2 *Petr*. III, 8. *Unus dies apud Dominum, ut mille anni, & mille anni, ut unus dies*. Supereminentia igitur durationis Divinæ, temporum differentias & successionem non habet.

2. Ex omnimodâ Dei Immutabilitate, de quâ th. 20. annorum enim, aliorumque temporum successio, & conversio, insignem mutationem infert.

3. Existentia est actus essentiæ; & duratio, existentiæ permanentia, quæ se necessario habet convenienter essentiæ. Consequenter æterna Dei duratio, est ipsa ejus essentia; cujus Simplicitas partes, earumque successionem, non admittit.

XXVII. *Obj*. 1. Anni, dies, præteritum, futurum, &c. tribuuntur Deo in Sacris. *Resp*. Scil. ἀνθρωποπαθῶς; sed intelligenda θεοπρεπῶς.

Obj. 2. Deus coëxistit temporum nostrorum differentiis; ergo successionem habet: aut cæteroquin nostræ temporum differentiæ sibi invicem coëxistent; quia

quia æternitati Divinæ coëxistunt. *Resp.* Dei duratio manet semper eadem; sed illa coëxistentia ad nostra tempora est inadęquata: nequaquàm ergo propter æternitatis coëxistentiam, nostrum præteritum, præsens, & futurum coïncidunt.

Obj. 3. Tempus mundi idem est cum æternitate Dei: nam etiam illud principio caret: mundus enim creatus est in tempore; ipsum vero tempus creatum non est; æternum ergo est. *Resp.* Tempus mundi non est æternum, aut increatum: Deus enim creando res successivas, eâdem operâ tempus produxit: undè rectè *concreatum* dicitur.

XXVIII. Infinitas respectû *Spatii*, sive *ubi*; est *Immensitas*; quâ Deus absolutissimè ubique existit; nec ullos fines habet suæ præsentiæ vel quasi. Deus igitur non est in loco, vel ubi *circumscriptivè*; quæ affectio corporum propria est: nec *definitivè*; quæ spirituum finitorum: sed *repletivè* totus est intrà totum mundum, ejusque partes singulas; & totus extra eum, ubi sibi ipsi præsens existit. Atque hoc contrà *Socinianos*, *Anabaptistas*, & *Remonstrantes* asserimus.

Vulgò dicitur; *Enter, præsenter, Deus hîc, & ubique, potenter.* Primò, *enter*: h. e. Deus in toto mundo præsens existit per *essentiam* suam infinitam. *Deut.* IV, 39. *Ios.* II, 11. *Iehovah est in cœlis desuper, & super terram desubter. Ierem.* XXIII, 23, 24. „Nunquid *Deus de propinquo* Ego, dixit Jehovah; & non Deus *de longinquo?* *Psal.* CXXXIX, 7, - 10. „Quò ibo à Spiritû Tuo; & quò „à faciebus Tuis fugiam? Si ascenderò *cœlos*, *ibi Tu*: „& stratum fecero *infernum*; eccè Tu: Assumsero pennas auroræ, habitavero in novissimo *maris*; etiàm *ibi* „manus Tua ducet me, & tenebit me dextra Tua. Adde *Ies.* VI, 1. LXVI, 1. *Act.* VII, 48, 49, 50. XVII, 24, 25, 27, 28.

Secundò; *præsenter*; h. e. per intimam notitiam & observationem omnium eorum, quæ in illo fiunt. Psal.

XXXIII,13,14,15. *E cœlis respexit Iehovah; & vidit omnes filios hominum: - considerans omnia opera eorum.* *Hebr.* IV, 13. „*Non* est creatura *invisibilis in conspectû ejus: omnia* „autem *nuda & aperta sunt oculis ejus*, ad quem nobis ne-„gotium. *Psal.* CXXXIX, 12, 13. *Jerem.* XXIII, 24.

Tertiò, *potenter*; h. e. per potentem operationem: *Hebr.* I, 3. - *Sustinet omnia verbo suo potente*: *Joh.* V, 17. „Pater Meus adhuc *operatur*, & Ego *operor*. 1 *Cor.* XII, 6. *Agens omnia in omnibus.*

XXIX. Sic ergò Deus hîc & ubique existit. Sed neque spatiis rerum creatarum comprehenditur: aut iis adæquatè coëxistit ipse infinitus: extra mundum in se ipso etiàm existit, qui ante mundum conditum extitit similiter. Probatur hoc specialiùs; 1. disertis testimoniis: 1 *Reg.* VIII, 27. „*Cœli*, & *cœli cœlorum non continent* Te: quantò minùs *domus* hæc, quam ædificavi. 2 *Chron.* II, 6. „Quis obtinebit potestatem ad ædifi-„candum Ei *domum*? nam *cœli*, & *cœli cœlorum non com-*„*prehendent Eum*; & quis ego, ut ædificem Ei *domum*? „Quin imò *ad suffiendum* ad facies Ejus. Ubi ipsam Dei essentiam designant pronomina *Te*, *Eum*, &c. non scientiam, potentiam, aut operationem ab essentiâ diversam; qualis etiàm non datur per Dei Simplicitatem; nedùm existere posset, ubi essentia Divina non existeret. Memoratur domus, non ad habitationem; sed ad suffitum faciendum. Habitationis conceptus, etiàm cœlorum incapacitas, &c. ad essentiam pertinent. Quomodò cæteroquin extra cœlos cœlorum, & sic extra mundum universum, existeret Dei scientia, vel potentia, vel operatio, &c?

2. Ex infinitâ Dei perfectione: quæ requirit, ut existat in omni spatio conceptibili.

3. Ex Potentiâ: Deus extra hunc mundum potest operari, similiter ut ante mundum conditum. Ubi autem potest operari, ibi potest existere; imò existit, qui est actus purissimus.

3. Ex

3. Ex Immutabilitate: ante mundum conditum extitit Deus in se, modo infinito; non autem definito ad actualia spatia hujus mundi: ergò etiàm nunc similiter.

XXX. Observandi autem speciales quidam modi præsentiæ Divinæ, respectû operationum ac manifestationum: 1. *In humanâ Christi naturâ* inhabitat Deitas, per unionem hypostaticam: *Col.* II, 9. *Joh.* I, 14. 1 *Tim.* III, 16. *Rom.* I, 3, 4. IX, 5.

2. In *Ecclesiâ universâ* est Deus, per Spiritum unientem, charismata distribuentem, & salutariter gubernantem, 1 *Cor.* XII, 11, 12, 13, *Joh.* XVII, 21. *Matth.* XXVIII, 20.

3. In *singulis Fidelibus*, per Spiritum fidei, sanctificationis, adoptionis, consolationis, & corroborationis: *Joh.* XIV, 23, 16, 17. 2 *Cor.* IV, 13. *Rom.* VIII, 14,-17, 26. *Gal.* IV, 6, 7. *Psal.* CXLV, 18.

4. In *Prophetis*, Spiritû πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως sapientiam ac voluntatem suam revelante: 1 *Petr.* I, 11. *Hebr.* I, 1.

5. In *Cœlo*, speciali gloriæ ac majestatis suæ manifestatione: *Jes.* XLVI, 1. *Matth.* XVIII, 10. *Hebr.* XII, 22, 23. *Phil.* III, 20, 21. *Joh.* XIV, 2, 3.

6. In *Inferno*, iræ & justitiæ suæ vindicativæ executione: *Psal.* CXXXIX, 8. *Matth.* X, 28. 2 *Thess.* I, 9. *Marc.* IX, 44, 46.

XXXI. *Obj.* 1. Deus *in cœlis* esse dicitur; *Matth.* VI, 9. & *habitare lucem inaccessam*; 1 *Tim.* VI, 16. *Resp.* 1. *in cœlis* est speciali modo præsentiæ gloriosæ; talem sese istic demonstrando, non autem existendo istic tantùm, nec alibi. 2. Sed *Lux* Dei *inaccessa*, est ipsa ejus gloria & majestas, creaturis incomprehensibilis: sic ipse *lux* esse dicitur; 1 *Joh.* I, 5. Vide ibid. *vers.* 7. & *Psal.* CIV, 1, 2. Non verò est locus aliquis, à Deo diversus.

Obj. 2. Deus, 1 *Reg.* XIX, 11, 12, negatur fuisse in

vehementi vento, itemque in terræ motû, & in igni; sed in leni aurâ. *Resp.* Istud dicitur de extraordinario symbolo specialis cujusdam præsentiæ Divinæ, pro revelatione Propheticâ.

Obj. 3. Ipse negavit, se affore immorigeris; *Num*, XIV, 42. Ergo non est prorsùs ubique. *Resp.* Negavit de speciali modo præsentiæ, secundùm gratiam & beneficentiam.

Obj. 4. Absurdè statuitur, Deum adesse in locis impuris, interesse actionibus obscœnis, esse in Diabolis, &c. Idcircò mandavit, ut excrementa in castris Israëlitarum statim terrâ obtegerentur; *Deut.* XXIII, 12, 13, 14. Ergò. *Resp.* 1. Deus simplicissimus & sanctissimus rerum immundarum præsentiâ pollui minimè potest. In ipso existunt, vivunt, & moventur creaturæ qualescunque: *Act.* XVII, 28. etiàm Diaboli, & homines pessimi. Undè cæteroquin eorum efficientia non certè independens est à Deo, ejusque Providentia. Nec Judicem suum effugere ullo modo possunt. 2. In castris Israëlitarum, sub istâ œconomia, voluit Deus observari munditiem cerimonialem. Confer *Ezech.* IV, 12, 13.

Obj. 5. Absurda *est existentia* Dei *atomica* & *atopica*. *Resp.* Simplicitas Dei indivisibilitatem infert; & Infinitas localitatem physicam & circumscriptivam excludit. Deus totus, non per partes, coëxistit creaturis singulis; sed non adæquatè.

Obj. 6. Mera figmenta sunt *Spatia imaginaria* extra mundum. *Resp.* At non dicimus, existere spatia realia, vel actualia, extra mundum: sed Deum existere ibi in se; similiter ut ante mundum conditum. *Tertullianus*: „Ante omnia Deus erat solus; *ipse sibi* & mundus, & „*locus*, & omnia. Deus etiàm per absolutam suam potentiam operari potest, & creaturas producere; & spatia actuare: ista igitur possibilia sunt, & sic conceptibilia, atque imaginaria.

Respectû

XXXII. Respectû *Intellectûs creati* Deus est *Incomprehensibilis* : *Psal.* cxlv, 3. *Magnitudinis ejus non est investigatio.* *Job.* xi, 9. *Num investigatione Deum invenies?* v, 9. *Rom.* xi, 33, 34. 1 *Tim.* vi, 16. Et manifesta est ratio, ex objecti infinitate, & subjecti finiti disproportione ad ipsum.

Consequenter nulli creaturæ, in quocunque statû, convenit cognitio Dei *comprehensiva*, & *adæquata*; imò nequidem ullius attributi Divini: sed solùm *apprehensiva*, & *inadæquata*.

Obj. 1. Sic omnis nostra cognitio de Deo erit erronea: cognoscemus enim aliter, quam se habet ipsa veritas in Deo. *Resp.* Imò verè cognoscimus in Deo illas perfectiones, quæ verè & formalitèr in ipso sunt; simulque agnoscimus, eas Deo inesse modo perfectiori, quam comprehendere possumus.

Obj. 2. 1 *Joh.* iii, 2. *Videbimus eum, sicuti est*: ergò comprehensivè. *Resp.* Istud intelligendum est tùm de oculari visione humanæ Christi naturæ; tùm de notitiâ essentiæ Divinæ propinquiore, ad beatitudinem nostram ordinatâ; non tamen comprehensivâ.

Obj. 3. 1 *Cor.* xiii, 12. *Cognoscemus Deum, ut ab ipso cogniti sumus*: Atqui nos à Deo cogniti sumus comprehensivè: ergò, &c, *Resp.* Illud non est accipiendum de convenientiâ adæquatâ; sed de similitudine quâdam analogicâ. Confer *Rom.* viii, 29. *Psal.* 1, 6.

XXXIII. Succedunt *Attributa vitæ*, sive *secundi generis*; quæ etiam *communicabilia* appellari solent; respectû communicationis alicujus analogicæ. *Vita Dei* consideratur, vel ut *simpliciter actuosa*; vel *secundùm eminentiam*: priori consideratione occurrunt *Intellectus*. *Voluntas*, & *Potentia*; Posteriori autem, *Potestas*, *Gloria*, & *Beatitudo*.

XXXIV. *Intellectus Dei* est, quo ipse omnes omninò veritates cognoscit modo sibi convenienti: h. e. infinitè, simpliciter, & independenter. 1 *Tim.* 1, 17.

Soli sapienti - 1 Sam. II, 3. *Deus scientiarum. Psal.* XCIV, 9, 10. Vide sup. cap. 1. th. 3.

Dico *infinitè*: ipse enim Intellectus Dei infinitus est; cùm 1. secundùm rem sit ipsa Dei essentia. 2. & modus intelligendi, convenienter naturæ Divinæ, absolutè perfectissimus sit; adeòque infinitus, atque item 3. respectû objectorum, cognoscat omnia absolutè cognoscibilia. 1 *Joh.* III, 20. *Novit omnia.* Similiter *Joh.* XXI, 17. Item *Psal.* cxlvII, 5. *Jes.* lv, 9. *Rom.* XI, 33.

Novit autem seipsum adæquatè: *Matth.* XI, 17. 1 *Cor.* II, 10, 11. Vide sup. cap. 1. th. 3.

Et omnia alia à se perfectissimè: *Hebr.* IV, 13. *Omnia sunt nuda, & intimè patentia oculis ejus. Act.* XV, 18. *Nota sunt Deo ab* (omni) *ævo omnia opera sua.*

XXXV. *Scientia Dei* ratione objectorum distinguitur, in *naturalem, necessariam,* sive *simplicis intelligentiæ*; & in *liberam,* sive *visionis.*

Scientia simplicis intelligentiæ rerum quidditates simpliciter spectat, ut se habent citra respectum ad liberam Decreti Divini terminationem: sive in signo rationis antecedenter ad Decretum, quò pertinet ipsa *Dei essentia, personæ, sufficientia,* & *omnipotentia,* atque hinc *res possibiles.*

In mente Divinâ igitur sunt *ideæ omnium possibilium.* Istæ autem *ideæ* sunt perfectiones ipsius essentiæ Divinæ, prout imitabiles & expressibiles sunt extra Deum, & sic ab ipso cognoscuntur. A supereminenti enim & infinitâ potentiâ Dei activâ, denominantur *res possibiles*; quatenùs videlicet per illam produci, aut actuari, possunt.

Scientia libera consideratur, ut in signo rationis consequens ad liberum Dei Decretum. *Visionis* autem appellatur; quia Deus per eam videt, aut prævidet, determinatam rerum existentiam sub qualicunque temporis differentiâ.

Quæritur, Utrùm Deus res præsciat, quia futuræ

sunt;

sunt; an vero futuræ sint, quia Deus eas præscit? *Resp.* Affirmandum potiùs est prius: veritas enim rei, quæ est per Dei Decretum, naturâ præcedit veritatem cognitionis. Attamen si adeo late sumatur Præscientia, ut ipsum Dei Decretum complexû suo involvat; ut *Rom*, VIII, 29. XI, 2. dicendum erit posterius: & hoc sensu Præscientia Dei rectè dicitur *practica*. Ceteroquin in istâ enunciatione, *Hæc res futura est, quia Deus eam præscit*, agnoscenda saltem est illatio Logica, à posteriori.

XXXVI. Hâc igitur *Scientiâ* visionis Deus *omnia & singula* per suum Decretum *definita* novit accuratissimè: utpotè *naturalia*, & *necessaria*: *Psal.* CXLVII, 4, 8, &c. *Numerans numerum stellarum: omnibus eis nomina vocabit.* &c. CXXXIX, 15, 16. *Non occultum fuit corpus meum à Te, quandò factus fui in occulto*, &c.

Atque item *contingentia*, & *libera*; tùm *bona*, tùm *mala*; etiàm *occultissima*, & nominatim *cogitationes intimas*: *Psal.* LVI, 9. „*Motionem meam numerâsti*: Tu „pone *lachrymam meam in utre Tuo*: nonne *in libro Tuo*? &c. CXXXIX, 2, 3. *Tu cognovisti sedere meum, & resurgere meum, &c.* 13. *Tu possedisti renes meos.* *Gen.* VI, 5. „Et *vidit Jehovah, quòd* multa malitia hominis in terrâ; „& *omnis imaginatio cogitationum cordis ejus* tantùm mala omni die. Adde *Psal.* XXXIII, 15. XL, 10. LXIX, 6. XC, 8. XCIV, 11. 1 *Reg.* VIII, 39. *Rom.* VIII, 27. *Apoc.* II, 20.

Ac denique *minima*: *Matth.* X, 29, 30. „*Unus passerculus non* cadet super terram, *sine Patre vestro*: Ve„stri autem & *capilli capitis omnes numerati sunt.*

Obj. I. Atqui Deus *Abrahamum tentâsse*, seu *explorâsse*, dicitur; *Gen.* XII, 1. &c. & *descendisse, ut videret*, qualia essent hominum opera: *Gen.* XVIII, 2. *Resp.* Ista accipienda sunt de pleniori, per certa specimina, manifestatione eorum, quæ non Deo, sed tum ipsis illis hominibus, tum etiam

in se: sed partim de symbolo aliquo extraordinario, ad gloriam & voluntatem aliquam *Dei* sic manifestandam; sicut etiam quodammodo fit per omnes res creatas: Rom. 1, 20. sed propius in humanâ Christi naturâ: undè Joh. XIV, 9. *Qui Me vidit, vidit Patrem.* Partim de visione propheticâ quâlicunque: partim etiàm de visione illa mentali, seu notitiâ, quæ familiarem gratiæ, vel etiàm gloriæ fruitionem involvit; juxtà *Matth.* XVIII, 10. Vide sup. cap. 1. th. 9.

XXIII. Ratione *Tactûs* Deo competit *Impalpabilitas*, & quidem propter suam Simplicitatem: nam

Tangere, vel tangi, nisi corpus, nulla potest res.

Undè Christus *Luc.* XXIV, 39. de se resuscitato: *Palpate* „Me; & videte: quia *spiritus carnem & ossa non habet*; „sicut me videtis habere: cum Joh. IV, 24. *Deus est spiritus.*

Obj. *Act.* XVII, 27. „Ut quærant Dominum, si forte *palpando eum invenirent*: Ergo saltem palpari potest. *Resp.* Istud metaphoricè ad mentem pertinet.

XXIV. Respectu artis εἰκαστικῆς, Deus est *Ineffigiabilis*. Unde etiam *Jes.* xl, 18. *Cui assimilabitis Deum; & quid similitudinis ornabitis ei?* Scil. per Simplicitatem suam Deus lineamentorum, terminationum, & figurationum expers est. Item *Deut.* IV, 15. „*Non vidistis ullam imaginem* in die, quâ locutus est Jehovah ad vos in „Choreb, è medio ignis. Ne forte corrumpamini; & „*faciatis* vobis *sculptile, imaginem alicujus similitudinis.* Confer *Act.* XVII, 29. Rom. 1. 22, 23.

Contra hanc veritatem, & disertum secundum Decalogi præceptum, gravissime peccant *Pontificii*, practice *Anthropomorphitæ*.

XXV. Sequitur *Infinitas*; quæ talem ac tantam in Deo perfectionem designat, ut nullos terminos aut fines habeat; sed eos omnes conceptibiles excedat. Hæc autem consideranda est, tum respectû ipsius *Essentiæ*; tum respectû *Durationis & Spatii ubicalis*; tum deniquè in ordine ad *Intellectum*.

Respectu *Essentiæ*, Deus infinitus est modo perfectissimo, & quam maximè positivo; ut omnes perfectionum modos & gradus, qui in creaturis reperiuntur in Divinâ essentiâ sint èminenter; omnesque fines conceptibiles ipse excedat actû simplicissimo & sufficientissimo. Hinc *Col.* 11, 9. *Omnis plenitudo Deitatis*, *Psal.* cxlv, 3. *Magnitudinis ejus non est investigatio. Job.* xi, 7, 8, 9. *Num investigatione Deum invenies? Num usque ad perfectionem Omnisufficientis* (שַׁדַּי) *invenies*, &c.

Hæc Infinitas etiàm facilè deducitur ex Independenti essentiæ Divinæ sufficientiâ superiùs assertâ th. 14. Qui enim tanquam causa absolute prima & Dominus supremus, reliquis entibus fines suarum perfectionum assignavit; adeò ut nec ulli fines absolute possibiles dici, aut concipi possint, nisi dependenter ab ipso: is òmnem imperfectionem, nòn solum privativam, sed & negativam, excludit; omnemque perfectionem conceptibilem includit eminenter; & omnes limites suâ naturâ excedit.

Non intelligitur autem hoc locò Infinitas mathematica, potentialis, aut syncategorematica; sed metaphysica, actualis, & categorematica, quam sic satis explicuimus modò.

Obj. Omnia entia habent essentiam suam certam, distinctam, definitam; ac proindè etiàm Deus. Essentiæ rerum cònsistunt in indivisibili. *Resp.* Deus habet essentiam certam, & ab omnibus distinctam, hoc ipsò quòd ea infinita sit. Atque illud indivisibile essentiæ Divinæ, intrinsecâ suâ perfectione infinitum est.

Creaturarum distantia à Divinâ perfectione, denòminari solet *infinita*: quia nulla est earum ad hanc affinitas, aut proportio æqualitatis, vel commensurationis: *finiti enim ad infinitum nulla est proportio*. Interim illa à se invicem distinguuntur propriis suis perfectionibus, earumque gradibus, vel etiàm speciebus.

XXVI. Infinitas *Durationis* est *æternitas* strictè di-

cta; quas non tantum principium & finem, sed etiam successionem prioris & posterioris excludit. Undè recte à *Boëthio* describitur, *interminabilis vitæ tota simul ac perfecta possessio*. Differt autem à *Tempore* strictè dicto, quod hoc tribuatur solis corporibus: & ab Ævo; quod est spirituum finitorum, principium durationis suæ habentium, atque indè successionem, sed non finem. Illa probatur testimoniis sacris; *Gen.* XXI, 33. *Rom.* XVI, 26. ubi αὐτολεξεὶ *æternus* appellatur. Adde *Jes.* LVII, 15. XLIV, 6. *Ier.* X, 10. *Rom.* I, 20. 1 *Tim.* I, 17. *Apoc.* I, 4, 8, 17. XXI, 6, *Psal.* XC, 2, 4.

Eadem patet ex Dei Primitate & Simplicitate. Quæ ut essentiæ, sic etiam existentiæ ac durationis Divinæ principium, omnemque variationem, excludunt; & actum purissimum inferunt; ipsamque adeo æternitatem.

Hanc vero Æternitatem carere successione, pressius probamus; 1. ex *Psal.* XC, 4. cum 2 *Petr.* III, 8. *Unus dies apud Dominum, ut mille anni, & mille anni, ut unus dies*. Supereminentia igitur durationis Divinæ, temporum differentias & successionem non habet.

2. Ex omnimodâ Dei Immutabilitate, de quâ th. 20. annorum enim, aliorumque temporum successio, & conversio, insignem mutationem infert.

3. Existentia est actus essentiæ; & duratio, existentiæ permanentia, quæ se necessario habet convenienter essentiæ. Consequenter æterna Dei duratio, est ipsa ejus essentia; cujus Simplicitas partes, earumque successionem, non admittit.

XXVII. *Obj.* 1. Anni, dies, præteritum, futurum, &c. tribuuntur Deo in Sacris. *Resp.* Scil. ἀνθρωποπαθῶς; sed intelligenda θεοπρεπῶς.

Obj. 2. Deus coëxistit temporum nostrorum differentiis; ergo successionem habet: aut cæteroquin nostræ temporum differentiæ sibi invicem coëxistent; quia

quia æternitati Divinæ coëxistunt. *Resp.* Dei duratio manet semper eadem; sed illa coëxistentia ad nostra tempora est inadæquata: nequaquàm ergo propter æternitatis coëxistentiam, nostrum præteritum, præsens, & futurum coïncidunt.

Obj. 3. Tempus mundi idem est cum æternitate Dei: nam etiam illud principio caret: mundus enim creatus est in tempore; ipsum vero tempus creatum non est, æternum ergo est. *Resp.* Tempus mundi non est æternum, aut increatum: Deus enim creando res successivas, eâdem operâ tempus produxit: undè rectè *concreatum* dicitur.

XXVIII. Infinitas respectû *Spatii*, sive *ubi*; est *Immensitas*; quâ Deus absolutissimè ubique existit; nec ullos fines habet suæ præsentiæ vel quasi. Deus igitur non est in loco, vel ubi *circumscriptivè*; quæ affectio corporum propria est: nec *definitivè*; quæ spirituum finitorum: sed *repletivè* totus est intrà totum mundum, ejusque partes singulas; & totus extra eum, ubi sibi ipsi præsens existit. Atque hoc contra *Socinianos*, *Anabaptistas*, & *Remonstrantes* asserimus.

Vulgò dicitur; *Enter, præsenter, Deus hîc, & ubique, potenter.* Primò, *enter*: h. e. Deus in toto mundo præsens existit per *essentiam* suam infinitam. *Deut.* IV, 39. *Jos.* II, 11. *Jehovah est in cœlis desuper, & super terram desubter. Jerem.* XXIII, 23, 24. ,,Nunquid *Deus de pro-* ,,*pinquo* Ego, dixit Jehovah; & non Deus *de longinquo? Psal.* CXXXIX, 7, - 10. ,,Quò ibo à Spiritû Tuo; & quò ,,à faciebus Tuis fugiam? Si ascendero *cœlos*, *ibi Tu*: ,,& stratum fecero *infernum*; eccè Tu: Assumsero pennas auroræ, habitavero in novissimo *maris*; etiàm *ibi* ,,manus Tua ducet me, & tenebit me dextra Tua. Adde *Jes.* VI, 1. LXVI, 1. *Act.* VII, 48, 49, 50. XVII, 24, 25, 27, 28.

Secundò; *præsenter*; h. e. per intimam notitiam & observationem omnium eorum, quæ in illo fiunt. Psal.

XXXIII, 13, 14, 15. *E cœlis respexit Iehovah; & vidit omnes filios hominum: - considerans omnia opera eorum.* *Hebr.* IV, 13. „*Non* est creatura *invisibilis in conspectû ejus: omnia* „autem *nuda & aperta sunt oculis ejus*, ad quem nobis ne„gotium. *Psal.* CXXXIX, 12, 13. *Jerem.* XXIII, 24.

Tertiò, *potenter*; h. e. per potentem operationem: *Hebr.* I, 3. - *Sustinet omnia verbo suo potente*: *Joh.* V, 17. „Pater Meus adhuc *operatur*, & Ego *operor.* 1 *Cor.* XII, 6. *Agens omnia in omnibus.*

XXIX. Sic ergò Deus hîc & ubique existit. Sed neque spatiis rerum creatarum comprehenditur: aut iis adæquatè coëxistit ipse infinitus: extra mundum in se ipso etiàm existit, qui ante mundum conditum extitit similiter. Probatur hoc specialiùs; 1. disertis testimoniis: 1 *Reg.* VIII, 27. „*Cœli, & cœli cœlorum non continent* Te: quantô minùs *domus* hæc, quam ædificavi. 2 *Chron.* II, 6. „Quis obtinebit potestatem ad ædifi„candum Ei *domum?* nam *cœli, & cœli cœlorum non com„prehendent Eum*; & quis ego, ut ædificem Ei *domum?* „Quin imò *ad suffiendum* ad facies Ejus. Ubi ipsam Dei essentiam designant pronomina *Te, Eum*, &c. non scientiam, potentiam, aut operationem ab essentiâ diversam; qualis etiàm non datur per Dei Simplicitatem; nedùm existere posset, ubi essentia Divina non existeret. Memoratur domus, non ad habitationem; sed ad suffitum faciendum. Habitationis conceptus, etiàm cœlorum incapacitas, &c. ad essentiam pertinent. Quomodò cæteroquin extra cœlos cœlorum, & sic extra mundum universum, existeret Dei scientia, vel potentia, vel operatio, &c?

2. Ex infinitâ Dei perfectione: quæ requirit, ut existat in omni spatio conceptibili.

3. Ex Potentiâ: Deus extra hunc mundum potest operari, similiter ut ante mundum conditum. Ubi autem potest operari, ibi potest existere; imò existit, qui est actus purissimus.

3. Ex Immutabilitate: ante mundum conditum extitit Deus in se, modo infinito; non autem definito ad actualia spatia hujus mundi: ergò etiàm nunc similiter.

XXX. Observandi autem speciales quidam modi praesentiae Divinae, respectû operationum ac manifestationum: 1. *In humanâ Christi naturâ* inhabitat Deitas, per unionem hypostaticam: *Col.* II, 9. *Joh.* I, 14. I *Tim*, III, 16. *Rom.* I, 3, 4. IX, 5.

2. In *Ecclesiâ universâ* est Deus, per Spiritum unientem, charismata distribuentem, & salutariter gubernantem, I *Cor.* XII, 11, 12, 13. *Joh.* XVII, 21. *Matth.* XXVIII, 20.

3. In *singulis Fidelibus*, per Spiritum fidei, sanctificationis, adoptionis, consolationis, & corroborationis: *Joh.* XIV, 23, 16, 17. 2 *Cor.* IV, 13. *Rom.* VIII, 14, -17, 26. *Gal.* IV, 6, 7. *Psal.* CXLV, 18.

4. In *Prophetis*, Spiritû πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως sapientiam ac voluntatem suam revelante: I *Petr.* I, 11. *Hebr.* I, 1.

5. In *Cælo*, speciali gloriae ac majestatis suae manifestatione: *Jes.* XLVI, 1. *Matth.* XVIII, 10. *Hebr.* XII, 22, 23. *Phil.* III, 20, 21. *Joh.* XIV, 2, 3.

6. In *Inferno*, irae & justitiae suae vindicativae executione: *Psal.* CXXXIX, 8. *Matth.* X, 28. 2 *Thess.* I, 9. *Marc.* IX, 44, 46.

XXXI. *Obj.* 1. Deus *in cælis* esse dicitur; *Matth.* VI, 9. & *habitare lucem inaccessam*; 1 *Tim.* VI, 16. *Resp.* 1. *in cælis* est speciali modo praesentiae gloriosae; talem sese istic demonstrando, non autem existendo istic tantùm, nec alibi. 2. Sed *Lux* Dei *inaccessa*, est ipsa ejus gloria & majestas, creaturis incomprehensibilis: sic ipse *lux* esse dicitur; 1 *Joh.* I, 5. Vide ibid, *vers.* 7. & *Psal.* CIV, 1, 2. Non verò est locus aliquis, à Deo diversus.

Obj. 2. Deus, 1 *Reg.* XIX, 11, 12, negatur fuisse in

vehementi vento, itemque in terræ motû, & in igni; sed in leni aurâ. *Resp.* Istud dicitur de extraordinario symbolo specialis cujusdam præsentiæ Divinæ, pro revelatione Propheticâ.

Obj. 3. Ipse negavit, se affore immorigeris; *Num.* XIV, 42. Ergò non est prorsùs ubique. *Resp.* Negavit de speciali modo præsentiæ, secundùm gratiam & beneficentiam.

Obj. 4. Absurdè statuitur, Deum adesse in locis impuris, interesse actionibus obscœnis, esse in Diabolis, &c. Idcircò mandavit, ut excrementa in castris Israëlitarum statim terrâ obtegerentur; *Deut.* XXIII, 12, 13, 14. Ergò. *Resp.* 1. Deus simplicissimus & sanctissimus rerum immundarum præsentiâ pollui minimè potest. In ipso existunt, vivunt, & moventur creaturæ qualescunque: *Act.* XVII, 28. etiàm Diaboli, & homines pessimi. Undè cæteroquin eorum efficientia non certè independens est à Deo, ejusque Providentia. Nec Judicem suum effugere ullo modo possunt. 2. In castris Israëlitarum, sub istâ œconomia, voluit Deus observari munditiem cerimonialem. Confer *Ezech.* IV, 12, 13.

Obj. 5. Absurda *est existentia* Dei *atomica* & *atopica*. *Resp.* Simplicitas Dei indivisibilitatem infert; & Infinitas localitatem physicam & circumscriptivam excludit. Deus totus, non per partes, coëxistit creaturis singulis; sed non adæquatè.

Obj. 6. Mera figmenta sunt *Spatia imaginaria* extra mundum. *Resp.* At non dicimus, existere spatia realia, vel actualia, extra mundum: sed Deum existere ibi in se; similiter ut ante mundum conditum. *Tertullianus*: „Ante omnia Deus erat solus; *ipse sibi* & mundus, & „*locus*, & omnia. Deus etiàm per absolutam suam potentiam operari potest, & creaturas producere; & spatia actuare: ista igitur possibilia sunt, & sic conceptibilia, atque imaginaria.

Respectû

XXXII. Respectû *Intellectûs creati* Deus est *Incomprehensibilis* : *Psal.* cxlv, 3. *Magnitudinis ejus non est investigatio. Job.* XI, 9. *Num investigatione Deum invenies?* v, 9. *Rom.* XI, 33, 34. 1 *Tim.* VI, 16. Et manifesta est ratio, ex objecti infinitate, & subjecti finiti disproportione ad ipsum.

Consequenter nulli creaturæ, in quocunque statû, convenit cognitio Dei *comprehensiva*, & *adæquata*; imò nequidem ullius attributi Divini: sed solùm *apprehensiva*, & *inadæquata*.

Obj. 1. Sic omnis nostra cognitio de Deo erit erronea: cognoscemus enim aliter, quam se habet ipsa veritas in Deo. *Resp.* Imò verè cognoscimus in Deo illas perfectiones, quæ verè & formalitèr in ipso sunt; simulque agnoscimus, eas Deo inesse modo perfectiori, quam comprehendere possumus.

Obj. 2. 1 *Joh.* III, 2. *Videbimus eum, sicuti est:* ergò comprehensivè. *Resp.* Istud intelligendum est tùm de oculari visione humanæ Christi naturæ; tùm de notitiâ essentiæ Divinæ propinquiore, ad beatitudinem nostram ordinatâ; non tamen comprehensivâ.

Obj. 3. 1 *Cor.* XIII, 12. *Cognoscemus* DEUM, *ut ab ipso cogniti sumus:* Atqui nos à Deo cogniti sumus comprehensivè: ergò, &c. *Resp.* Illud non est accipiendum de convenientiâ adæquatâ; sed de similitudine quâdam analogicâ. Confer *Rom.* VIII, 29. *Psal.* 1, 6.

XXXIII. Succedunt *Attributa vitæ*, sive *secundi generis*; quæ etiam *communicabilia* appellari solent; respectû communicationis alicujus analogicæ. *Vita* Dei consideratur, vel ut *simpliciter actuosa*; vel *secundùm eminentiam*: priori consideratione occurrunt *Intellectus*. *Voluntas*, & *Potentia*; Posteriori autem, *Potestas*, *Gloria*, & *Beatitudo*.

XXXIV. *Intellectus* DEI est, quo ipse omnes omninò veritates cognoscit modo sibi convenienti: h. e. infinitè, simpliciter, & independenter. 1 *Tim.* 1, 17.

Soli sapienti - 1 Sam. 11, 3. *Deus scientiarum. Psal.* XCIV, 9, 10. Vide sup. cap. 1. th. 3.

Dico *infinitè*: ipse enim Intellectus Dei infinitus est; cùm 1. secundùm rem sit ipsa Dei essentia. 2. & modus intelligendi, convenienter naturæ Divinæ, absolutè perfectissimus sit; adeóque infinitus, atque item 3. respectû objectorum, cognoscat omnia absolutè cognoscibilia. 1 *Joh.* III, 20. *Novit omnia.* Similiter *Joh.* XXI, 17. Item *Psal.* CXLVII, 5. *Jes.* LV, 9. *Rom.* XI, 33.

Novit autem seipsum adæquatè: *Matth.* XI, 17. 1 *Cor.* II, 10, 11. Vide sup. cap. 1. th. 3.

Et omnia alia à se perfectissimè: *Hebr.* IV, 13. *Omnia sunt nuda, & intimè patentia oculis ejus. Act.* XV, 18. *Nota sunt Deo ab* (omni) *ævo omnia opera sua.*

XXXV. *Scientia Dei* ratione objectorum distinguitur, in *naturalem, necessariam,* sive *simplicis intelligentiæ*; & in *liberam,* sive *visionis.*

Scientia simplicis intelligentiæ rerum quidditates simpliciter spectat, ut se habent citra respectum ad liberam Decreti Divini terminationem: sive in signo rationis antecedenter ad Decretum, quò pertinet ipsa *Dei essentia, personæ, sufficientia,* & *omnipotentia,* atque hinc *res possibiles.*

In mente Divinâ igitur sunt *ideæ omnium possibilium.* Istæ autem *ideæ* sunt perfectiones ipsius essentiæ Divinæ, prout imitabiles & expressibiles sunt extra Deum, & sic ab ipso cognoscuntur. A supereminenti enim & infinitâ potentiâ Dei activâ, denominantur *res possibiles*; quatenùs videlicet per illam produci, aut actuari, possunt.

Scientia libera consideratur, ut in signo rationis consequens ad liberum Dei Decretum. *Visionis* autem appellatur; quia Deus per eam videt, aut prævidet, determinatam rerum existentiam sub qualicunque temporis differentiâ.

Quæritur, Utrùm Deus res præsciat, quia futuræ sunt;

sunt; an vero futuræ sint, quia Deus eas præscit? *Resp.* Affirmandum potiùs est prius: veritas enim rei, quæ est per Dei Decretum, naturâ præcedit veritatem cognitionis. Attamen si adeo late sumatur Præscientia, ut ipsum Dei Decretum complexû suo involvat; ut *Rom*, VIII, 29. XI, 2. dicendum erit posterius: & hoc sensu Præscientia Dei rectè dicitur *practica.* Ceteroquin in istâ enunciatione, *Hæc res futura est, quia* DEUS *eam præscit*, agnoscenda saltem est illatio Logica, à posteriori.

XXXVI. Hâc igitur Scientiâ visionis Deus *omnia* & *singula* per suum Decretum *definita* novit accuratissimè: utpotè *naturalia*, & *necessaria: Psal.* CXLVII, 4, 8, &c. *Numerans numerum stellarum: omnibus eis nomina vocabit.* &c. CXXXIX, 15, 16. *Non occultum fuit corpus meum à Te, quandò factus fui in occulto*, &c.

Atque item *contingentia*, & *libera*; tùm *bona*, tùm *mala*; etiàm *occultissima*, & nominatim *cogitationes intimas: Psal.* LVI, 9. „*Motionem meam numerâsti*: Tu „pone *lachrymam meam in utere Tuo:*nonne *in libro Tuo?* &c. CXXXIX, 2, 3. *Tu cognovisti sedere meum, & resurgere meum, &c.* 13. *Tu possedisti renes meos. Gen.* VI, 5. „Et *vidit Jehovah, quòd* multa malitia hominis in terrâ; „& *omnis imaginatio cogitationum cordis ejus* tantùm mala omni die. Adde *Psal.* XXXIII, 15. XL, 10. LXIX, 6. XC, 8. XCIV, 11. 1 *Reg.* VIII, 39. *Rom.* VIII, 27. *Apoc.* II, 20.

Ac denique *minima*: *Matth.* X, 29, 30. „*Unus passerculus non* cadet super terram, *sine Patre vestro*: Vestri autem & *capilli capitis omnes numerati sunt.*

Obj. 1. Atqui Deus *Abrahamum tentâsse*, seu *explorâsse*, dicitur; *Gen.* XII, 1. &c. & *descendisse, ut videret*, qualia essent hominum opera: *Gen.* XVIII, 2. *Resp.* Ista accipienda sunt de pleniori, per certa specimina, manifestatione eorum, quæ non Deo, sed tum ipsis illis hominibus, tum etiam

 aliis,

aliis minùs erant manifesta. Confer *Joh.* II, 24, 25.

Obj. 2. Deus non novit malos: *Matth.* VII, 23. XXV, 13. *Resp.* Scil. de notitia *approbationis*, aut *specialis dilectionis*; de quâ vide *Psal.* 1, 6. 2 *Tim.* II. 19.

XXXVII. *Contingentia* & *libera* Deus non solum scit, cùm ea sûnt *præsentia*, & *præterita*; sed etiàm præscit *futura*. Atque hoc contrà *Socinianos* adstruimus: 1. Ex eo quòd Deus omnia cognoscat; 1 *Joh.* III, 20, & specialiùs, ex *Psal.* CXXXIX, 2. 4. *Intellexisti cogitationem meam à longè: Non est sermo in linguâ meâ: ecce Jehovah, Tu nosti ipsum totum.*

2. Futura contingentia habent determinatam veritatem suæ futuritionis per Dei Decretum; consequenter Deo nota sunt per Scientiam visionis. *Act.* XV. 18. Vide sup. th. 34. cum *Eph.* I, 11. *Omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ. Act.* II, 23. IV, 28.

3. Ex prophetiis, earumque complemento: Undè *Tertullianus* adversùs *Marc.* lib. 2. cap. 4. *De præscientiâ verò quid dicam? quæ tantos habet testes, quantos fecit Prophetas. Jes.* XLVI. 9, 10, 11. „Recordamini priorum à sæculo: quoniàm Ego Deus &c. *Annuncians* „*ab exordio novissimam*; & *à quondam, quæ non facta sunt*: „dicens; Consilium meum stabit, &c. *Vocans ab Oriente Volucrem*, de terrâ longinquâ *virum consilii mei*: etiàm *locutus sum*; etiam *adducam illud*. Vide speciatim quæ Abrahamo prædicta: *Gen.* XV, 13.-16, XVIII, 18, 19. quæ Jacob nepotibus & filiis suis prænunciavit, *Gen.* XLVIII, 19, - XLIX, 1, - & Moses Israëlitis; *Deut.* XXXI, 16, 20. XXXII, 1. - Insignis est prædictio Prophetæ illius Judæi de Altari Bethelis: 1 *Reg.* XIII, 2, 3. quæ impleta: 2 *Reg.* XXIII, 16, 17, 18. Achabo & familiæ ejus accuratè prædictum fuit excidium, 1 Reg. XXI, 19, - XXII, 17, - 28. complementum sequitur ibidem, *vers.* 30, - 38. & 2 Reg. IX, 24. - X, 7, - 11. Adde plurima illustria in *Daniele*, & reliquis Prophetis, de Regnorum translationibus, eversionibus, &c. ac potissimum

tissimum de Christi nativitate, vitâ, passionibus, morte, &c.

4. Deinque, ex Dei Immutabilitate, Æternitate, & Primitate, evidens est, ipsum non minùs objectorum *scibilium*, quamdiu futura sunt, habere notitiam, quàm cum eadem sunt præsentia.

XXXVIII. *Obj*. 1. Quæ certò præsciuntur, habent veritatem determinatam: futura igitur contingentia & libera non certo præsciuntur. *Resp*. Futurorum contingentium & liberorum veritas determinata est extrinsecè à parte Dei; non autem intrinsecè ex natura rei.

Obj. 2. Contingentiæ & libertati repugnat omnis necessitas. *Resp*. Verum est antecedens de necessitate intrinsecâ, absolutâ, consequentis; non vero de extrinsecâ, hypotheticâ, consequentiæ.

XXXIX. Præscientia igitur Dei non est *conjecturalis*, aut *conditionata*, sed *certa* & *absoluta* Neque admittendum *Jesuiticum* ἄῤῥημα, à *Remonstrantibus* etiam adoptatum, de *Scientia in Deo Mediâ*; quâ Deus fingitur, ante omnem actum voluntatis suæ, prævidisse, quid creatura rationalis, in his vel illis rerum circumstantiis posita, pro innatâ sua libertate, esset actura; sic tamen, ut illa posset, si vellet, facere oppositum.

Verum 1. S. Scriptura causis secundis in se consideratis, circa actum voluntatis Divinæ derogat actuum liberorum determinationem. *Jerem*. X. 23. *Novi Jehovah, quod non est hominis via ejus; nec viri ambulantis, vel præparare gressum suum*. Adde *Rom*. XI, 35. 1 *Cor*. IV, 7. 2 *Cor*. III, 5.

2. Determinatio ista Deo, ut causæ primæ, adscribitur. *Jes*. XLVI. 10. „Consilium meum stabit, & *omnem voluntatem meam faciam*. *Prov*. XVI, 9. „Cor hominis „cogitabit viam suam, & *Jehovah parabit gressum ejus*. XXI, 1. „Ut rivuli aquarum, *cor Regis in manu Jehovæ: super omne, quod voluerit, inclinabit illud*. Adde

Rom.

Rom. XI, 36. 1 Cor. IV, 7. Eph. I, 11. Phil. II. 12. Iac. IV. 14.

3. Creaturæ, ante omnem actum voluntatis Divinæ consideratæ, sunt merè possibiles; ac proindè tales etiàm earum affectiones; sed nulla earum determinatio, aut certa futuritio: affectiones enim non possunt excedere conditionem subjecti sui.

4. Dùm sic statuitur, ante omnem actum voluntatis Divinæ, ejusmodi rerum necessitas, ex possibili tantùm circumstantiarum concursû, & voluntate creaturæ possibilis, cui ipse Deus etiàm sit obnoxius; verè introducitur *fatuissimum fatum.*

XL. *Obj.* 1. Istâ ratione tollitur in creaturis rationalibus liberum arbitrium. *Resp.* Arbitrium creatum non est concipiendum, nisi perpetuò à causâ primâ dependens.

Obj. 2. Contradicentium pars altera semper vera est, altera falsa, etiam ante omnem actum voluntatis Divinæ. Ergò. *Resp.* Imò neutra pars potest dici verè futura, nisi per Decretum Dei.

Obj. 3. Deus scivit, & dixit, Kehilitas udituros Sauli Davidem, 1 *Sam.* XXIII, 12, non ex Decreto; aliter enim evenit, ac proinde ista non fuit Scientia visionis, Deus tamen de futuritione quâdam locutus est: ergò nec scientia Simplicis intelligentiæ fuit: consequenter media. *Resp.* Scivit & dixit, juxtà Decretum: decreverat autem, ut talis foret animus Kehilitarum circa Saulem & Davidem: sic ista traditio virtualiter erat futura. Interim etiam aliis mediis saluti Davidis prospectum voluit, quod ex eventû patet.

Obj. 4. Tyrii & Sidonii dicuntur pœnitentiam acturi fuisse, si vidissent miracula Christi; *Matth.* XI, 21. Istud autem pertinet ad Scientiam mediam. *Resp.* Animus Tyriorum & Sidoniorum minùs erat obstinatus; quin imò, juxta Decretum Dei, dispositus ad agendam pœnitentiam in sacco & cinere, si modo ta-

lis causa procatarctica accessisset. Sic etiàm pœnitentia illa virtualiter erat futura; atque adeo pertinebat ad Scientiam visionis.

XLI. Intellectum Dei quoque *simplicissimum* dicimus: sicut *Boëthius*: *Uno mentis cernit in ictu, Quæ sint, quæ fuerint, veniantque*. Unde non est in Deo distinctio inter *facultatem* intelligendi, *habitum* scientiæ aut sapientiæ, & *actum secundum*.

Nec admittendus *discursus*, aut à notioribus ad ignotiora *processus*, neque item *compositio*, & *divisio*: nec formalis *abstractio* & *præcisio* universalium à singularibus.

Consequenter *immutabilis* quoque & *infallibilis* est hæc Dei Scientia, etiam de creaturis contingentibus. Nam 1. Actus purissimus omnem potentiam perfectibilem excludit.

2. Perfectissima intelligendi facultas simul & semel omnia comprehendit.

3. Dei intellectus est ipse Deus.

4. Totam suam essentiam unico actu cognoscit; in quâ etiam sunt omnia alia virtualiter & eminenter.

XLII. Intellectus Dei quoque *independens* est: quapropter Deus cognoscit per essentiam suam; non per species intelligibiles.

Nam 1. Deus in agendo est prorsùs independens.

2. Scientia Dei æterna est; sed nihil æternum præter ipsum Deum.

3. In Deo nullum est accidens, ut substantia alia ab ipsius naturâ.

4. Ipsa Dei essentia est idea expressiva omnium perfectionum: sed nulla est idea aliunde impressa menti Divinæ.

Ex quo fonte etiam sponte ruunt errores de fide & meritis prævisis, Scientiâ mediâ, &c.

XLIII. Sequitur *Voluntas* Dei; perfectio, quâ Deus vult & amat se, ac sibi consentanea; repugnantia

vero

vero aversatur; *Jes.* xlvi, 10. *Omnem voluntatem meam faciam.* *Matth.* vi, 10. *Fiat voluntas tua.* *Rom.* ix. 19. *Voluntati ejus quis obstitit?*

Objectum Voluntatis generatim est Bonum cognitum: Divinæ Voluntatis, bonum Divinum cognitum; ipse Deus, & alia in ordine ad Deum quatenus talia. Ipse bonus est independenter & infinite; atque ita solus: *Matth.* xix, 17. Talem ipse se cognoscit perfectissime; atque etiam amat perfectissime, qui est ipsa charitas: 1 *Joh.* iv, 8. Hinc *Joh.* iii. 35, xv, 20. *Pater diligit Filium:* Alia bonitatem habent à Deo communicatam & limitatam: *Joh.* I, 17. 1 *Cor.* iv. 7. *Rom.* xi, 35, 36. Ea autem vult in ordine ad se: *Prov.* xvi, 4. *Omnia operatur Jehovah propter se ipsum:* *Rom.* xi, 36. *In ipsum sunt omnia.* 1 *Cor.* x, 31. *Omnia ad gloriam Dei facite.* Contraria vero aversatur: *Hab.* I, 13. *Puriores oculis, quam ut aspicias malum,* *Psal.* v, 5, 6, 7. „*Non es* „Deus fortis, qui *delectetur improbitate: non est com*„*moraturum apud Te malum. Non consistunt insani* è re„gione *oculorum Tuorum. Odisti omnes, qui operam dant* „*iniquitati,* &c. xviii, 26, 27.

Atque hæc est ipsa *Sanctitas* *Jehovæ*: *Lev.* xix, 2. San„cti estote: quia *Sanctus sum* Ego, *Jehovah* Deus *vester.* *Jes.* vi. 2. 3. 1 *Sam.* II, 2. *Apoc.* xv, 3, 4. Eadem *Rectitudo* appellatur: itemque *Justitia*, acceptione *universali.* *Deut.* xxxii, 4: „Rupis illius opus est perfectum; „omnes enim vitæ illius sunt *Jus*: Deus fortis fidelis, „& expers iniquitatis, *justus & rectus* est, *Psal.* xi, 7. „Confer 1 *Joh.* 1, 5. II, 29.

XLIV. Dum autem Deus in suâ Sufficientiâ & Omnipotentiâ cognoscit etiàm *Possibilia*, circa hæc quoque versatur ipsius Voluntas; scil. ut *objectum præjacens*. Aliis ergò relictis in abysso suæ Omnipotentiæ, & in statu meræ Possibilitatis; satis multa & varia, æterno Voluntatis suæ actu constituit ad statum Existentiæ in tempore promovere; idque ad Gloriam

suam.

suam. Atque hoc appellamus *Objectum terminans*, vel *terminatum*, Voluntatis Divinæ ad extra; prout hoc summum bonum summopere est communicativum sui ad extra, tùm *in genere entis*, tùm *in genere moris*: Psal. XXXIII, 5. *Amat justitiam & judicium*; *Benignitate Jehovæ plena est terra*, CXLV, 7, - 10, 17.

In genere entis communicat Deus bonitatem suam, creaturas extra se faciendo, iisque benefaciendo realiter, per creationem & providentiam realem: atque hîc præcipue occurrunt *Amor*, *Gratia*, *Misericordia*, & *Tolerantia*.

XLV. *Amor* DEI est Voluntas creaturis benefaciendi, & approbandi cum complacentia, quæ in iis bona sunt. Appellatur etiam *Benignitas*, vel *Beneficentia*. Spectatur autem vel *intrinsecè* in ipso Deo: & sic simplicissime semper idem est: vel *extrinsecè*, respectû effectorum in creaturis; & sic valde dissimilis & inæqualis est.

Omnes quidem creaturas Deus quodammodo amat: *Matth*. V. 44, 45. *Act*. XIV, 16, 17. XVII, 25. speciali tamen modo hic amor se exerit erga electos & fideles in Christo: Joh. XVII, 21, 22. 1 Joh. I, 3. Estque vel *Benevolentiæ*, vel *Complacentiæ*.

Amor benevolentiæ est, quo Deus electis vult benefacere, priusquam in ipsis sint ulla moraliter bona: Joh. III, 16. *Ità* DEUS *dilexit mundum*, *ut Filium illum suum unigenitum dederit*; *ut quisquis credat in eum*, *non pereat*, &c. *Rom*. V, 8. 1 *Joh*, III, 1. Estque tùm *ordinativus*, in decreto; tùm *collativus*, in executione.

Amor complacentiæ est, quo Deus opus suum in electis approbat. *Hebr*. XI, 6, 6. „Priusquam transferre„tur, testimonium obtinuerat, quod *gratus* fuerit DEO. *Ioh*. XIV, 21. XVI, 26, 27.

XLVI. *Gratia* hoc ab Amore differt, quod in objectis meritum, propriamve operum dignitatem, excludat: *Rom*. XI, 6. „Quodsi *per gratiam*, *non* jam *ex operibus*:

peribus: alioquin gratia jam non est gratia. Confer *Rom.* IV, 5, 6. *Eph.* II, 7, 8, 9. &c.

Gratia gratis dans, *proprie* in ipso Deo est. Sed ejus effecta in nobis recipiuntur varia: undé diserte, 1 *Pet.* IV, 10. *varia Dei gratia*: metonymice scil. nomen istud laxe sumtum, ad bona Naturæ etiam extendi potest: sed usus obtinuit, ut *Gratia* speciali significatû contradistinguatur à *Naturâ*. Huc pertinent *primò* dona salutaria in Christo, ut fides, spes, charitas, &c. Qui vero ea accipiunt, ipsi Deo placent, sive grati & accepti sunt in Christo, & dona illa in ipsis; unde *Gratia gratum faciens* appellatur. *Eph.* I, 6. „Ad laudem „gloriosæ suæ *gratiæ*, quâ nos *gratis acceptos fecit* in illo Dilecto. Sic Apostoli passim Ecclesiis *gratiam* precantur, eique *pacem* frequenter adjungunt.

Verùm *insuper* sunt *charismata* quædam ad Christum & Euangelium quoque spectantia, sed cum salute æternâ individuum nexum non habentia: ut gratia illuminans, & generatim persuadens, fides miraculorum, donum prophetiæ, &c. quæ quidem ex vero appellari solet *gratia gratis data*; sed hominum ea præditum per se non facit Deo gratum & acceptum in Christo. Vide 1 *Cor.* XII, 1, - 11. 28, - 31: XIII, 1, 2, 3. Huc etiam revocanda est *gratia* utcunque *illuminans* & *refrænans* in Gentilibus, aliisque infidelibus; ipsorum Theologia, & qualiscunque animi probitas, &c. Vide *Ioh.* I, 9. *Gen.* XX, 6.

XLVII. *Misericordia Dei*; est gratia ipsius erga objecta misera, ut iis subveniat in malo tristi. *Exod.* XXXIV, 6, *Iehovah misericors. Luc.* VI, 36. *Pater vester misericors est. Eph.* II, 4. *Deus dives misericordiâ. Psal.* LXXXVI, 15: CIII, 8. *Thren.* III, 22.

Hæc *generali consideratione* ad omnes creaturas analogice extendi potest: 1 *Tim.* IV, 10. *Ps.* XXXVI, 7. CIV. CXLVII. sed *speciali ac salutari modò* respicit homines electos; qui propterea *vasa misericordiæ* appellantur, *Rom.*

Rom. IX, 23. Hinc *Tit.* III, 4, 5. „Postquam *benigni-*
„*tas* & erga *homines amor* apparuit *Servatoris nostri Dei*,
„non ex operibus nostris, quæ fecerimus nos, sed *ex*
„*suâ misericordiâ servavit* nos, &c. *Psal.* CIII, 13.
„Ut miseretur pater filiorum, *miseretur Jehovah timen-*
tium ipsum. Confer *Ioh.* III, 16. *Rom.* III, 24, 25.
Psal. XXXVI, 8.

XLVIII. P*atientia*, seu *Tolerantia*, est Misericordia ergà creaturas peccatrices, quatenùs iis Deus adhùc multifariàm benefacit, pœnas differendo, vel æquiter temperando, quantum per Justitiam fieri potest. *Rom.* II, 4, 5. *An divitias-Tolerantiæ ac iræ cohibitæ contemnis?* &c. Hæc etiàm *Longanimitas* appellatur, propter diuturnam pænarum dilationem; *Exod.* XXXIV, 6. *Psal.* CIII, 8. CXLV, 8.

XLIX. Succedit *Bonitas* DEI communicativa sui *in genere moris* ad creaturas intellectuales: & hîc præcipuè occurrit *Iustitia.* DEUS nimirùm voluit non solùm veritates cognoscendas & credendas proponere, atque sic normam *notitiæ & fidei* constituere; verùm insuper Legem præscribere, quâ præciperet *agenda*, prohiberet *fugienda*; juxta quam denique ipse se gereret in *remunerando*, & in *puniendo.*

Justitia hæc, est quasi habitus, aut constans voluntas, juris: & consideratur tùm in *dictis*, tum in *factis.*

L. *Justitia in dictis* est DIVINA virtus, exerens sese in revelationum convenientiâ cum naturâ & decreto ipsius DEI, & consequenter cum hujus executione.

Huc pertinet 1. *Veracitas*, quæ respicit convenientiam orationis cum re. *Joh.* VIII, 26 „Qui me misit, *verax* est. *Rom.* III, 4. „Imò esto *Deus verax*. *Ioh.* XIV, 6. *Tit.* I, 2. *Hebr.* VI, 17, 18.

2. *Fides*, quæ respicit sinceritatem, ad præstandum id quod dictum est. *Psal.* CXVII, 2. *Fides Iehovæ in sæculum.* 2 *Tim.* II, 13. *Ille fidus manet.*

3. *Constantia*, quæ respicit perseverantiam proposi-

ti Divini, & immutabilem executionem eorum quæ ipse prædixit. *Psal.* XXXIII, 4. *Omne opus ejus est constans.* *Mal.* III, 6. *Jac.* I, 17. *Num.* XXIII, 19. I *Sam.* XV, 29.

LI. *In factis*, generalior est consideratio *Regiminis*; specialior *Jurisdictionis*.

Regimine, omnes creaturas summâ æquitate & rectitudine gubernat ὁ αὐτοδίκαιος: *Deut.* XXXII, 4. *Omnes illius viæ sunt jus. Psal.* XXXIII, 4, 5.

Jurisdictio spectat solas creaturas intellectuales, cultum rationalem Domino suo debentes. *Rom.* XII, 1.

Estque vel *Legislatoria*, vel *Legis executoria*.

Illa mandat agenda, prohibet omittenda, obedientibus promittit præmia, immorigeris vero sanctionem pœnarum comminatoriam proponit. *Iac.* IV. 12. *Unus est Legislator, qui potest servare & perdere.* Adde *Rom.* X, 5. *Deut.* XVXVII, 26.

Hæc convenienter ad illam, judicia infert, & secundum opera mercedem tribuit. *Jerem.* XVII, 10. „Scrutator cordis, -- : idque ut *dem cuique secundùm vias suas, secundùm fructum actionum suarum.* Adde *Rom.* II, 6. 2 *Cor.* V, 10. quæ Retributio est vel *remuneratoria* bonorum operum, vel *punitoria* malorum.

LII. *Renumeratio* bonorum operum fit secundùm promissionem gratuitam: *Psal.* XVIII, 24, 25, 26. *Rom.* II, 6, 7. 2 *Thess.* I, 5, 6, 7. 2 *Tim.* IV, 8. Deus scil. ultro promittendo se fecit nobis debitorem: *Jes.* XLV, 19. 1 *Tim.* IV, 8. nec se ipsum abnegare potest: 2 *Tim.* II, 13. Quin & *sua dona in illis coronat*; non eorum *merita* propriè dicta: 1 *Cor.* IV, 7. *Rom.* XI, 35, 36. *Luc.* XVII, 10. Tenenda interim insignis differentia Fœderis Legalis, & Euangelici; quæ suo loco explicabitur.

LIII. *Punitio peccatorum* est vel *castigatoria* & *emendatoria* amicorum ac filiorum Dei lapsorum: 1 *Cor.* XI, 32. *Dùm judicamur, à Domino erudimur, ne cum mundo condemnemur*, *Hebr.* XII, 5, - 11. Vel *refrænatoria* electo-

electorum nondùm vocatorum; aut præparatoria ad eorum conversionem: *Act.* IX, 3, 4, 5, 9. Vel denique *satisfactoria* pro peccatorum demerito, quæ se exerit tùm adversùs reprobos; tùm exeruit in Christo, vice & loco electorum, fidelium, resipiscentium.

LIV. De *Justitia vindicativa* tenendùm est contra *Socinianos*; *primò*, quòd pœnarum exactio in Sacris non solùm referatur ad severitatem, iram, indignationem, &c. sed etiam ad justitiam: aperte enim 1. Deus *justus* prædicatur, & *judicia* ejus *justa*, ob pœnas inflictas: 2 *Chron.* XII, 5, 6. *Nehem.* IX, 33. *Psal.* XI, 6, 7. CXXIX, 4, 5. *Thren.* I, 18. *Dan.* IX, 14. *Apoc.* XVI, 5. 6, 7. XIX. 2*Rom.* III, 5. 6. 2 *Thess.* I, 6.

2. Appellatur *vindex justitiæ*: *Psal.* IX, 5, 6. & *dies justi judicii*: Rom. II, 5. Adde *Act.* XVII, 31. *Apoc.* XIX. II, 15.

3. Ad δικαίωμα Dei pertinet pœnas infligere, Rom. I. 32.

4. Justitia puniens vocatur δίκη: *Act.* XXVIII, 4. Confer 2 *Thess.* I, 9. *Judæ*, 7. Item *Hebr.* II, 2. Rom. III, 8, XIII, 4. 1 *Thess.* IV, 6. *Luc.* XXI, 22. 2 *Thess.* I, 8. *Hebr.* X, 30. 1 *Petr.* II, 14. Rom. XII, 19.

Exc. Modus pœnarum refertur ad justitiam; non ipsæ pœnæ. *Resp.* 1. De ipsis pœnis satis patet ex allegatis plurimis. 2. Si Iustitia requirat talem modum pœnarum, non certe permittit peccata relinqui prorsus impunita: modus enim sine re modificatâ existere non potest.

LV. *Secundò*, Justitia punitiva non est propriè effectus Voluntatis Divinæ, aut motio transiens: (quod illi volunt:) sed est aliquid perpetuò existens in Deo, ipsique essentiale. Nam 1. est ipsa Dei sanctitas, puritas, rectitudo, amor justitiæ, & odium seu aversatio peccatorum *Exod.* XX, 5. *Deut.* XXV, 16. *Ios.* XXIV, 19. *Psal.* V, 5, 6, 7. XI, 5, 6, 7. XL. 8. *Prov.* XI, 20. XV, 9. XVII, 15.

xvii, 15. *Ies.* i. 13, 14, 15. *Zach.* viii, 17. *Hab.* i, 13. *Rom.* iii, 5, 6. 2 *Theß.* i, 6. 1 *Joh.* i, 5.

2. Hinc Deus dicitur *ignis consumens*: *Deut.* iv, 24. *Jes.* xxxiii, 14. *Hebr.* xii, 29. cum *Exod.* xxxiv, 7. *Num.* xiv, 8. *Psal.* xxxiv, 17. *Nah.* i, 3.

3. Consequenter *ira Dei*, vel *excandescentia*, memoratur: *ἀνθρωπωπαθῶς*: *Exod.* xxxii, 10, 11. *Num.* xi, 1. xvi, 22. xxv, 3, -11. *Psal.* ii, 5, 12. vi, 2. *Joh.* iii, 36. *Rom.* i, 18. ii, 5. 8. ix, 22. xi, 22. *Eph.* v, 6. *Col.* iii, 6. *Apoc.* vi, 16, 17. undè tantus terror hominum peccatorum: *Ies.* xxxi, 11, 14. vi, 5. *Jud.* xiii, 22. Confer quæ de Simplicitate & Immutabilitate Dei diximus sup. th. 16. & 20.

4. Hinc impedimentum, ne Deus peccatoribus amplius parcat, aut benefacere pergat: *Gen.* vi, 7. *Deut.* xxxii, 29, 30. *Psal.* lxxxi, 11, 12, 13. *Ies.* lix, 2. *Jer.* v, 25.

Obj. Atqui Deus *tardus ad iram* dicitur; & modò *irasci*; modo *iram deponere*, &c. Ergo. *Resp.* Ità quidem *ἀνθρωποπαθῶς* de egressû & effectû pœnali. Verùm indè nequaquàm sequitur, quod volunt Adversarii.

LVI. *Tertiò*, Egressus, sive exercitium justitiæ punitivæ, posito peccato, est necessarium; ità ut Deus peccatum impunitum relinquere non possit. Hoc probatur, 1. ex S: Scripturæ testimoniis: *Exod*, xxxiv, 7. *Qui ullo pacto non absolvit sontem*; *Gen.* xviii, 25. *Nunquid Iudex universæ terræ non faciet justitiam?* *Jos.* xxiv, 19. *Deus fortis zelotes est; non feret defectionem vestram, peccata vestra.* Confer alia modo allegata: & 2 *Tim.* ii, 13. *Seipsum abnegare non potest.*

2. Ex conditione Pœnarum; quæ cùm sint malum triste, & sic non appetibiles, procedere non possunt ab indifferenti actû voluntatis Divinæ: *Ezech.* xviii, 23, 32. Natura igitur Dei sanctissima eas exigit, quatenùs sunt bonum justitiæ.

3. Ex naturâ ipsius Peccati; quod ad pœnam Meriti rationem habet: adsunt enim omnes conditiones Meriti propriè dicti, quæ hoc versiculo continentur.

Da tua; sed quæ non debes; proportio & adsit:
Non aliter Meritum dixeris esse tuum.

Peccata enim, ut sic, non à Deo, sed ab ipso peccante procedunt: *Iac.* I, 13. Ipsa prorsus debita non sunt; sed contraria obedientia debita est. Convenientissima denique proportio est, ut pro malo turpi retribuatur malum triste; & quidem pro ratione ejus qui offensus est.

4. Illud *δικαίωμα* Dei naturæ nostræ impressum est: R*om.* 1, 32. 11, 14, 15. Undè apud Gentiles effata illa; Ἔχει Θεὸς ἔκδικον ὄμμα.

Aspiciunt oculis Superi mortalia justis.

R*aro antecedentem scelestum Deseruit pede pœna claudo.*

Lento gradu ad vindictam sui Divina procedit ira; tarditatemque supplicii gravitate compensat.

Item Conscientia judiciorum post hanc vitam, Theologia mythologica de Nemesi, Rhadamanto, &c.

Clarius tamen hoc jus suum Deus expressit in Lege per Mosen scripta. D*eut.* XXVII, 26. &c.

LVII. *Obj.* 1. De jure suo privato homines singuli remittere possunt: multo magis ergo Deus. *Resp.* Nego consequentiam: Rectores publici de jure publico remittere non possunt, pro libitu, & quasi jure dominii; nec Deus de jure suo naturali & judiciali.

Obj. 2. Deus ad extra operatur liberè: Ergo. R*esp* Ità tamen, ut nihil naturæ suæ repugnans facere possit: quin ex hypothesi, ad extrà operatur etiàm necessariò.

Obj. 3. Atqui pœnas differre potest. R*esp.* Sed quod differtur, non aufertur.

Obj. 4. Quæ peccantur adversus præcepta juris

 Divini

Divini positivi, prorsus non habent necessitatem ex naturâ Dei. *Resp.* Etiam illa, ex hypothesi istius legis, repugnant obedientiæ, Deo per naturam suam debitæ; & sic non possunt non per justitiam ipsius naturalem puniri.

LVIII. Justitiæ *distinctio* apud *Philosophos* usitata, in Deo locum non habet. Neque enim *Distributiva præmiorum*, secundum proportionem geometricam, tanquàm ex debito à parte creaturarum, ipsi convenit: neque *commutativa*, secundum proportionem arithmeticam; quæ in privatis contractibus spectatur. Quoniam nihil boni in nobis est, vel à nobis procedere potest, quod per se vim habeat Deum nobis obligandi; tùm propter summam ipsius ἐξουσίαν, & potestatem in nos; tum propter omnimodam nostri ab ipso dependentiam, & obligationem ad ipsum.

Vidimus objectum Voluntatis Divinæ, *Bonum*, tum in genere entis, tum in genere moris. *Malum* formaliter est quid privativum; adeòque per se non cognoscibile, nec appetibile. Etiam *malum triste*, quatenus malum est: *Ezech.* XVIII, 23, *An ullo pacto delector morte morientis?* Alia vero est ratio *mali tristis*, per modum *pœnæ*: sic enim est bonum justitiæ; atque eatenùs appetibile ex hypothesi peccati, *Deut.* XXVIII, 63. *Prov.* I, 26. XVI, 4. *Ies.* I, 24.

Malum turpe, sive *peccati*, in se prorsus non est appetibile Deo, per Naturam ipsius sanctissimam. Objicitur tamen Voluntati Divinæ, ut *permissibile* & *ordinabile*: quod alibi explicabitur.

LIX. Cæterum Voluntati Divinæ etiam competit *Infinitas, Simplicitas*, & *Independentia*:

Infinitas 1. in se: quia secundum rem est ipsa Dei essentia. 2. Respectû objectorum, tum ipsius Dei, tum aliorum à Deo. Vide sup. th. 43, 44. & 3. ratione modi volendi; qui est absolutè perfectissimus.

Consequenter non est in Deo Voluntas aliqua, aut

volitio,

volitio, imperfecta, quæ *velleitas* in Scholis appellatur. *Psal.* cxv, 3. „Deus noster in ipsis cœlis est; *quicquid placet, facit. Prov.* xix; 21. *Jes.* xiv, 27. xlv, 10. *Rom.* ix, 19. *Eph.* i. 11. Repugnat nimirum *tùm* Dei omnipotentiæ, *tùm* ipsius sapientiæ; *tùm* nostræ dependentiæ, *tùm* denique nostræ impotentiæ in ordine ad Deum.

Obj. 1. Deo tribuitur *expectatio uvarum*, dum proferebantur *labruscæ*: *Jes.* v, 4. Ergò, &c. *Resp.* Exspectatio ista notat, quod Deus Israëlitis tempus satis longum concesserit, quo debuissent resipiscere, bona opera præstare, ipsum glorificare, &c. Sed illi meram hyprocrisin & pertinaciam produxerant.

Obj. 2. Etiàm *votum* Deo adscribitur, *Deut.* v, 29. *Ps.* lxxxi. 14. *Resp.* Ità emphaticè & ἀνθρωποπαθῶς proponitur bonum hominibus salutare, per Dei promissionem; adeoque illis appetendum.

LX. *Simplicitas* illi etiàm convenit: quia Deus unico actû vult, quicquid vult. Interim Voluntas Dei, respectu objectorum, distinguitur in *realem*, sive *decernentem* de existentia & eventû eorum, quæ fierent in genere entis: & in *moralem*, sive *disponentem* de regulis vivendi creaturarum rationalium, in genere moris.

Affinis est distinctio in *Voluntatem occultam*, & *revelatam*. Juxta *Deut.* xxix, 29. *Quæ occulta sunt penes Jehovam Deum nostrum sunto; at quæ revelata, nobis & filiis nostris usque in sæculum revelata sunt.*

Voluntas occulta dicitur respectu eorum, quæ Deus decrevit facere, vel permittere; sed hactenùs neque per eventum, neque per prophetiam, manifestavit, Consequenter ista rationem normæ non habet; nec in eâ curiosi esse debemus. Vide *Luc.* xiii, 23, 24. *Act.* 1, 6, 7, 8.

Voluntas autem *revelata* dicitur de iis, quæ Verbo Dei exposita nos obligant ad fidem & obedientiam.

Similis etiàm est distinctio in *Voluntatem beneplaciti*

& ſigni. *Illa* ipſum Dei decretum notat: ſive effectivum, ſive permiſſivum & ordinativum. *Pſal.* cxv, 3. *Matth.* xi, 25, 26. *Luc.* xii, 32, *Hæc* verò *generatim* notat indicium qualecunque, quo Deus nobis aliquid ſignificatum vult; ſive ut ſimpliciter credatur, quo pertinent *prædictio*, *impletio*, & *rei vel facti commemoratio*: ſive ut actiones noſtræ ad illam normam dirigantur, quo pertinent tum *præceptum*, *promiſſio*, *exhortatio*, *invitatio*, *ſuaſio*; tum *prohibitio*, *comminatio*, *dehortatio*, *cautio*, &c. Speciatim tamen ipſum *mandatum*: undè *Voluntas* quoque *mandati* appellatur.

LXI. Ex his non debet colligi ulla Voluntatis Divinæ intrinſeca diverſitas, nedùm contrarietas ad ſeipſam; aut mutatio: quæ non niſi in rebus volitis locum habent. ex. gr. 1. Quòd judicium extremum ſit futurum, eſt Voluntatis revelatæ & ſigni; quando autem futurum ſit, eſt Voluntatis occultæ & beneplaciti. 2. Deus omnes homines *obligavit* ad ſanctificationem nominis ſui, juſtitiam in dictis & factis; &c. quod eſt Voluntatis revelatæ, ſigni, & mandati; decrevit tamen permittere plurima peccata contraria; hoc autem eſt Voluntatis occultæ, quamdiu non innoteſcit ipſo eventu, vel alio indicio.

3. Deus voluit Abrahamum mandato probatorio obligare ad mactationem filii ſui; quod erat Voluntatis revelatæ & mandati: decreverat tamen, ut mactatio illa non perageretur: ſcil. ut aries aliquis ejus loco offerretur, &c. quod priùs erat Voluntatis occultæ & beneplaciti, ſed poſteà alloquio Divino, ipſoque eventu, plene manifeſtatum eſt.

LXII. *Independentia* denique competit Voluntati Divinæ: quoniam Deus eſt abſolute cauſa prima; & principium movens, immobile. Recte *Thomas Aquinas*; „Deus vult hoc eſſe propter hoc, ſed non propter „hoc vult hoc.

Obj. 1. Deus vult finem, & media ad finem: ergo:

Reſp.

Resp. Vult finem, aut causam finalem, non sibi formaliter, sed creaturis.

Obj. 2. Operatur omnia propter gloriam suam; quæ finis est: ergo. *Resp.* Non tamen volitio ipsius movetur, vel causatur proprie à gloriâ suâ: sed Deus omnia alia dirigit ad gloriam suam actu independente & simplicissimo.

Obj. 3. Salus electorum est causa prædicati Euangelii. *Resp.* Sed non volitionis Divinæ de prædicando Euangelio.

Obj. 4. Propter preces fidelium vult Deus misericordiam exerere: propter peccata vult improbos punire: &c. ergo. &c. *Resp.* Preces habent rationem medii ad effectus misericordiæ; Peccata sunt causæ demeritoriæ pœnarum; quemadmodum fides, resipiscentia, &c. media salutis; sed non volitionis Divinæ.

LXIII. Male igitur à *Pelagianis* Voluntas Dei distinguitur in *absolutam* & *conditionatam*: eo sensû, ut volitio quædam Divina suspendatur à conditione actus humani. Itemque, in *antecedentem*, & *consequentem*: ita scil. ut Deus antecedenter ad arbitrium creaturæ aliquid vellet; sed consequenter ad illud vellet ejus oppositum.

Observandi denique *modi* quidam *Libertatis Divinæ* circa objecta: Deus enim 1. amat seipsum ex necessitate naturæ suæ; sed interim cum summa ratione; quæ est *libertas complacentiæ*. 2. Natura Divina absolute habet se indifferenter ad attributa Sapientiæ, Potentiæ, Bonitatis, extra se exerenda: attamen exerit ea necessariò, ex hypothesi Decreti sui de creatione faciendâ, &c. Estque *libertas contradictionis*, sive *exercitii*. 3. Denique Deus voluit istas potius creaturarum species producere, quam alias: & hæc est *libertas contrarietatis*, sive *specificationis*.

LXIV. Succedit nunc *Potentia*, perfectio scil. sufficien

ficientissima, qua Deus est potens exequi ex se, quicquid Voluntati suæ est consentaneum. 1 *Chron.* XXIX. 11, 12. ,, Tua est, ô Jehovah, *magnitudo & potentia*: in manû Tuà *vis & potentia.* &c. *Jes.* IX, 5. *Ierem.* XXXII, 18. *Matth.* VI, 13. 2 *Chron.* VI, 18. *Hebr.* I, 3. *Apoc.* I, 8. IV. 8. XV, 3. Potentia igitur Dei non est *passiva, perfectibilis, receptiva* formæ alicujus: ista enim non est perfectio, sed imperfectio, Divinæ naturæ nequaquam conveniens. Verùm *activa*: id est, talis efficientia, qua Deus hoc agit, ut creaturæ tales tali tempore ac modo existant: undè oritur relatio rationis, à parte Dei; sed realis, à parte creaturarum.

LXV. Potentia hæc Divina, verè *infinita* est; sive eam *in se* spectes: *Gen.* XVII, 1. XXXV, 11. *Ruth.* I, 20, 21. sive *objecta*: *Luc.* I, 37. sive *modum* operandi: *Jes.* xl, 26. 28. *Eph.* I. 19. III, 20. *Phil.* III, 21.

Obj. 1. Potentia Dei contrahitur & restringitur per ipsius Voluntatem: infinita ergò non est. *Resp.* Non de ipsâ Dei Potentiâ propriè istud intelligi debet, sed de ejus objectis.

Obj. 2. Intellectus Dei excedit ipsius Potentiam: nam cognoscit etiàm seipsum; sed non potest seipsum producere: Potentia igitur infinita non est. *Resp.* Intellectus & Potentia Dei secundum rem sunt unum idemque; atque ut ille ad omnia absolutè cognoscibilia refertur; ita hæc ad omnia absolute possibilia fieri, vel produci: undè ipse Deus excluditur; quod ad perfectionem ejus pertinet.

LXVI. Eadem in se *simplicissima* est: *unica* & *immutabilis*. Interim pro distincta habitudine objectorum, secundùm Voluntatem Dei, distingui solet in *absolutam* & *ordinatam*.

Potentia Dei absoluta est omnium absolutè possibilium; seu omnium eorum, quæ non repugnant naturæ Divinæ, nec contradictionem implicant. *Matth.* III, 9. ,, Dico vobis, *Deum posse etiam ex lapidibus istis excitare*

filios

filios Abrahamo, XIX, 26. XXVI, 35. *Marc.* I, 27. XIV. 36. Luc. I, 37. XVIII, 27.

Cum autem dicitur aliquid absolutè *impossibile*; id ab objecto Potentiæ excluditur, tanquàm contradictorium naturæ Divinæ, vel etiàm veritati ideæ Divinæ: utpotè *alter Deus*; *Deum mori*, *aut mentiri*; *hominem destitui animâ rationali*; *factum infectum reddi*; &c.

De eadem tenendus hic canon; *à potentiâ Dei absolutâ ad effectum non valet consequentia.*

Potentia Dei ordinata, aliàs *actualis*, est eorum quæ Deus ut futura decrevit. De hac *Rom.* XI. 32. *Potens est Deus rursùm eos inserere.* 25. *Nolim enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc*, &c. Adde *Psal.* CXV, 3. CXXXV, 6. *Eph.* I, 11.

Impossibile vero respectu hujus Potentiæ est, fieri ea, de quibus Deus Decreto suo constituit ut non fierent; non fieri ea, de quibus constituit ut fierent: vel etiàm aliter fieri, quàm Deus decrevit. Sic impossibile erat, Christum non nasci tali tempore & loco, non pati talia & per tales, &c: Judicium extremum incidere in annum modo præteritum 1666. &c.

Obj. 1. Non extiterunt ab æterno, imò nondùm existunt objecta Potentiæ ordinatæ: ergo hæc non est actus purus. *Resp.* Est actus purus & ab æterno effectivus eorum, quæ decreta sunt: sic tamen ut effecta existant in tempore, ac suo ordine; sive fuerint opera naturæ, sive gratiæ: *Jac.* I, 17. „*Omnis donatio bona, & „omne integrum donum*, est supernè descendens *à Patre „luminum*; apud quem *non* est *transmutatio*, *aut conversionis obrumbatio.*

Obj. 2. In objectis Potentiæ absolutæ plurima sunt, quæ nunquam existent: ergò, &c. *Resp.* Omnia absolutè possibilia, in Dei sufficientiâ eminenter & virtualiter insunt: ac proindè etiam ista Potentia sic est actus purus.

LXVII. Potentia De[i qu]o[q]ue *Independens* est, idque

facilè patet, sive eam *in se*, sive *respectû objectorum*, sive in *modo operandi spectemus*.

Undè sequitur, res esse possibiles, quia Deus eas potest producere: non autem Deum eas posse producere, quia possibiles sunt: ita ut Potentia Dei sit causa omnis possibilitatis in creaturis. Vide *Jes*.xli. 4. xliv. 6. *Apoc*. I, 8, *Rom*. XI, 36.

Quin & impossibilitatis ratio ad Deum similiter referenda est: quod facilè demonstratur per æquipollentiam enunciationum, *impossibile est esse*, & *necesse est non esse*; itemque *impossibile est non esse*, & *necesse est esse*: omnis autem necessitas fundatur, vel in naturâ Dei, vel in ipsius decreto, qui *seipsum abnegare non potest*; 2 *Tim*. II. 13.

LXVIII. *Potestas*, seu *Dominium Dei* sequitur, estque jus illud infinitum & independens, quo omnia alia à Deo, ipsius Dei sunt; ac proindè Deus de illis omnibus disponere potest, quicquid vult. *Psal*. cxlv, 1, *Regnum Tuum, Regnum est omnium sæculorum, & Dominium Tuum in unamquamque generationem*. I *Tim*.VI, 15. *Solus Princeps, Rex ille regum & Dominus dominorum*. Vide etiam *Deut*. XXXII, 4. *Job*.XXV, 2. *Psal*. lxvi. 7. cxv. 3. *Prov*. XVI, 4. *Dan*.IV, 3, 34, 35. *Matth*. XX, 15. *Rom* IX, 20, 21. XI, 36:

In *objectis* Potestatis Divinæ *prior* est consideratio possibilium, *altera* est creaturarum *actu* existentium.

Ad *possibilia* quod attinet, circa ea versatur divina Potestas, quatenùs Deus ex his determinavit ad futuritionem, quæ voluit; & quidem talem, qualis eventu manifestatur: ità ut ipsa futuritio, & consequenter actualis existentia creaturarum, referenda sit ad Voluntatem Dei, ut principium imperans primò primum, ex infinitâ plenitudine Potestatis suæ *Thren*. III. 37. *Ecquo dicente existit aliquid, si Dominus non præceperit?* Confer *Act*. II. 23. IV. 28. Quod sic ad creaturas rationales, earumque statum æternum, etiam extendi

extendi debet. Rom. IX, 21, 24. „An non *habet pote-* „*statem figulus*, &c. Quid si verò *volens ostendere iram,* & *notam facere potentiam suam*, *pertulit* multâ cum iræ cohibitione *vasa iræ compacta ad interitum* : & *ut notas faceret divitias gloriæ suæ*, *erga vasa misericordiæ*, *quæ* „*præparavit ad gloriam?* Quos etiam vocavit, &c.

LXIX. Quantum ad *creaturas actu existentes*; non minus etiam circa illas extendit sese divina Potestas, sivè sint rationales, sive irrationales. 1 *Chron.* XXIX, 12. *Dominium habet in omnia.* *Dan.* II, 21. *Ipse mutat tempora, ac tempestates, transfert reges, & constituit reges.* *Psal.* XXIV, 1. L. 10. 11, 12. 15. CXV, 16. *Act.* XVII. 24. &c. Pro ista potestate Deus universæ huic naturæ leges suas constituit: *Gen.* I, 1. 4, 6, 9. 11, 14, - VIII, 22. *Job.* XXXVII, 12. *Psal.* CIV, 5, - *Prov.* VI, 6, 7, 8. XXX. 24, -- *Ierem.* VIII, 7. Sed præter & supra eas, operatur Auctor ac Dominus naturæ & ordinis naturalis, Providentiâ suâ extraordinariâ, in miraculis. *Luc.* I, 37. VII, 21. 22. *Matth.* VIII, 8, - 26, -.

Creaturæ autem rationales spectari possunt, *tùm* in genere entis; *tùm* in genere moris. *Priori modo* circa eas exercet Deus suum Dominium, eas gubernando pro suo arbitrio, etiam ignorantes, providentiâ suâ reali: quod contra *Pelagianissantes* ex Verbo Dei luculenter ostenditur, ex *Gen.* L. 20. 2 *Sam.* XVI, 10. *Ies.* X, 5, 6, 7, 15. &c. *Posteriori modo*, Dominium suum exerit Deus providentiâ morali, leges ferendo, faciendo, exequendo. *Gen.* II, 16, 17. III, 3, 16, - 19, 22, 23, 24. VI, 2, 3, 5, 7, 9, 11, -- IX, 1, &c.

Ex eo quod Deus sit absolutè verax, & seipsum abnegare non possit, ac creaturæ concipi nequeant, nisi cum perpetuâ dependentiâ à causâ primâ, *Prov.* XVI, 4. *Rom.* XI, 36. sequitur, quod Deus non possit sese abdicare isto dominio. Hæc ratio etiam postulat, ut Deus creaturis rationalibus nihil alienum à naturâ suâ proponat.

Pro

Pro jure Dominii sui Deus etiam potest peccata parentum imputare filiis, eaque in his punire; quin & regum, subditis. Speciatim huc pertinet imputatio peccati Adami, ad omnes ejus posteros fœderaliter in ipso censitos. *Rom.* v, 12, - 19. item nostrorum peccatorum, ad Christum. 2 *Cor.* v, 15, 19, 21. *Gal.* III, 13.

Pro jure Dominii sui Deus etiàm potest peccata parentum imputare filiis, eaque in his punire; quin & regum, subditis. Speciatim huc pertinent imputatio peccati Adami, ad omnes ejus posteros fœderaliter in ipso censitos. *Rom.* v, 12, - 19. item nostrorum peccatorum, ad Christum, 2 *Cor.* v, 15, 19, 21. *Gal.* III. 13.

Obj. *Ezech.* XVIII. 4. *Anima quæ peccat, morietur*; & 17. *Filius non portabit iniquitatem patris*, &c. Ergo. *Resp.* Istic proponitur specialis conditio, ad Israëlitarum hypocrisin ac perversitatem detegendam & convincendam: quæ non debet extendi ultra propositum; nedùm applicari possit ad utrumque Adamum.

LXX. Dominium illud Dei initio diximus *independens*: idque propter absolutam naturæ suæ perfectionem ac eminentiam. Consequenter Deus jus suum de se habet: *Rom.* XI, 35, 36.

Malè itaque *Remonstrantes* contendunt, omne fundamentum juris Divini in creaturam rationalem esse, 1. *Beneficium creationis.* 2. *Maleficium creaturæ peccatricis*, & 3. *contractum cum illâ initum.*

Verùm *creatio* per modum beneficii, non est fundamentum juris Divini: Deus enim jam antecedenter in ipsa possibilia dominatum suum habet. Beneficium quidem ad gratitudinem obligat alterum; sed per se Dominium, aut Principatum non infert.

Peccatum similiter non fundat potestatem Dei: Princeps enim semper habet suam potestatem, etiam puniendi, licet nemo peccet: sed peccatum solummodò est causa demeritoria pœnæ in tali subjecto: & conditio sine quâ non, ad justum exercitium istius potestatis.

Fœde-

Fœderatio denique, & *contractus cum creaturis*, *hoc* habet, quod Deus per *συγκατάβασιν* creaturis sese quodammodo obstringat ultro, creaturas de obligatione earum ad ipsum magis convincat, & obligationem istam ad specialia quædam applicet pro re natâ. Sed omnibus illis datur prius, Potestatem Dei formaliter inferens; infinita scil. Præstantia Naturæ potentissimæ, & sanctissimæ.

LXXI. *Obj.* 1. Pater quilibet habet potestatem in filium, quamvis doctiorem: ergo non ratione ἐξοχῆς, sed propter beneficium generationis. *Resp.* Imò non ob generationis beneficium; sed propter ἐξοχὴν paternitatis, ex ordinatione Divinâ.

Obj. 2. Unus quis in Aristocratiâ vel Democratiâ concives suos corporis & animi dotibus longè superans, non debet propterea statim Rex constitui: ergò Præstantia per se non fundat Potestatem. *Resp.* 1. Præstantia ista non est infinita: nec reliqui omnes ab isto uno dependent: ut quidem hîc. 2. Interim si istic de Rege eligendo consultatio ineatur, ille reliquis est præferendus, absque proprio respectû antecedentis beneficii, vel aliorum maleficii, vel contractûs mutui.

Obj. 3. Angeli hominibus multo præstantiores sunt: neque tamen potestatem in eos habent. Ergò, &c. *Resp.* Angelorum præstantia ab ipso Deo dependet; & sic limitata est, ut illi cum hominibus unam politiam non constituant: ac proindè mirum non est, quod eorum supra homines præstantia non inferat potestatem in eos.

LXXII. Potestas Dei verè infinita, & independens, haud dubiè incommunicabilis est ad alios, eo modo quo ipsi competit. Speciatim Potestatem in statum conscientiæ internum & æternum sibi propriam ipse servavit. *Ezech.* XVIII, 4. *Omnes animæ meæ sunt. Matth.* X, 28.

x. 28. - *Timete eum, qui potest animam & corpus conjicere in gehennam*, *Jac.* XIV. 12. *Rom.* XIV, 10, 11, 12. Sed in statû externo ac temporali, Magistratui potestatem dedit, sibi quodammodò vicariam, ab ipso dependentem, & gloriæ ipsius servientem: *Rom.* XIII, 1, - 6. 1 *Petr.* II, 13, 14. *Deut.* I, 17. 2 *Chron.* XIX, 17, 18.

Christus œconomicè consideratus hoc accepit, quod in humanâ naturâ evectus sit supra omnes creaturas; ac in eâ reluceat suprema ista potestas; sic tamen, ut proprium ejus subjectum quo, sit natura Divina. Vide *Matth.* XXVIII, 19. *Psal.* II, 6, - 9. LXXII, 1, 2, CX, 1, 2, 3. *Joh.* V, 22, 27. *Act.* XVII, 31. *Rom.* XIV, 9.

LXXIII. Succedit *Gloria* Dei: infinita scil. illa excellentia, quâ ipse in se dignus est æstimari, ut excedens omnes omnino creaturarum perfectiones in infinitum; quapropter etiam omnes creaturæ rationales suam ad Deum omnimodam subjectionem humiliter, sincerè, & sanctè debent agnoscere; ipsique soli cultum religiosum præstare. De hâc 1 *Chron.* XXIX, 10. - 13. „*Benedictus, Jehovah*, Deus Israëlis patris nostri, à sæculo usque in sæculum. *Tua est, ô Iehovah, gloria*, &c. *Psal.* XIX, 2. *Cœli enarrant gloriam Dei fortis.* *Psal.* VIII, 2. XLVII, 2, 3. *Jes.* VI, 3. *Rom.* IX, 5. *Apoc.* IV, 9. 10, 11.

Innotescit nobis hæc Dei excellentia, *tum* per opera creationis, conservationis; naturæ, gratiæ, misericordiæ, justitiæ, &c. *tùm* per doctrinam SS. Literarum; *tùm* denique per manifestationem in conscientiis singulorum. *Psal.* XIX, 2. *Rom.* I, 19, 20, 21. *Ioh.* II, 11. Exprimitur autem *per lucem inaccessam*; 1 *Tim.* VI, 16. per *indumentum decoris, majestatis, lucis*; *Psal.* CIV, 1, 2. item per *densam tenebrositatem*; *Exod.* XIX, 16. XX, 21, XVI. 10, 1 Reg. VIII, 11, 12: *Heb.* XII, 18. Interim media illa, per quæ innotescit in nobis divina illa Excellentia, prudenter distingui debent ab istâ Excellentiâ; quæ sola est verum objectum formale cultûs divini.

Excel-

Excellentia qualiſcunque hominum, in humanâ ſocietate, fundat honorem; quem communiter *civilem* appellamus: ſed iſte ſuam latitudinem & ſuos gradus habet. At vero Excellentia Dei, quia infinita eſt, fundat honorem ſibi reſpondentem; quem *religioſum* vocamus: qui propterea quoque ipſi ſoli proprius eſt.

LXXIV. Probatur hoc, 1. ex primo Decalogi præcepto: *Exod.* XX, 2, 3. *Ego ſum Iehovah Deus tuus, ne ſunto tibi Dii alieni ante faciem meam.* Confer, *Gal.* IV, 8. *Rom.* I, 21, - 25. *Matth.* IV, 10.

2. Ex *Jeſ.* XLII, 8. *Ego ſum Iehovah: - gloriam meam alteri non dabo; nec laudem meam ſculptilibus.*

3. Ne quidem Angelis, utpote dignitate finitis, cultus ille competit. *Apoc.* XIX, 10. XXII, 8, 9. *Col.* II, 18.

4. Ex fiduciâ in ſolo Deo collocandâ. *Jerem.* XVII, 5. *Pſal.* LXII, 10. CXVIII, 8, 9. CXLVI, 3, 4. item 1 *Chron.* XVI, 12. nec non *Eph.* V, 5. *Col.* III, 5. *Iob.* XXXI, 24. *Phil.* III, 19. & 1 *Sam.* XV, 23.

LXXV. Conſequenter orthodoxa Antiquitas contrà *Arianos*, *Photinianos*, & ſimiles rectè hinc probavit veram Deitatem Filii & Spiritûs Sancti; quemadmodum & nos etiamnum contra *Socinianos* eandem veritatem aſſerimus.

Nec eſt quòd *excipiant*, Chriſtum quâ Mediatorem adorandum eſſe; adeoque veram ipſius Deitatem ex adoratione colligi non poſſe: merito enim illud negamus, ſi particula *quâ* ſumatur *reduplicativè*; quamvis verum ſit, ſi ſumatur *ſpecificativè*. *Hebr.* I, 6. II, 9. *Phil.* II. 6, - 11. *Apoc.* V, 12. cum *Joh.* XVII, 5. V, 23. ſicut eo ſensû reverâ illam particulam ſumpſerunt orthodoxi Theologi, qui Chriſtum quâ Mediatorem adorandum eſſe dixerunt.

Sic etiam Pater, aut Deus abſolutè, adoratur quatenùs Deus eſt; non autem quâ creator, aut conſervator, formaliter, ſive reduplicative: licet per creationem, ſi-

miliaque opera soli vero Deo propria, innotescat vera Deitas; atque ità excitemur, ad eam cultû ipsi debito prosequendam. *Psal.* xix, 2, 3. *Ies.* xl, 26. *Rom.* I, 20. *Apoc.* iv, 11. 1 *Petr.* iv, 19.

Obj. Alia etiam religiose colenda sunt, ob sanctitatem relativam, in ordine ad Deum: *Exod.* III, 5. xix, 12. *Gen.* xxviii, 16, 17. *Eccles.* v, 1. &c. Ergò.

Resp. Non ipsis locis, quorum ibi fit mentio, reverentia erat præstanda: sed Deo speciali modo illic præsenti.

Idem dicendum de Tabernaculo, Arcâ Fœderis, Templo, &c.

LXXVI. Restat *Beatitudo*; actus consummatissimus, quo Deus omnes perfectiones absolute conceptibiles, tùm essentiæ, tum vitæ, ejusque eminentissimæ, in se habet independenter, simplicissime, & infinite; atque hoc ipsum plenissime cognoscit, quàm maxime vult, eo fruitur perfectissime, cum acquiescentiâ. 1 *Tim.* I, 11. *Euangelium Beati Dei.* vi, 15. *Beatus ille.*

Hùc pertinet etiam appellatio אֵל שַׁדַּי, *Gen.* xvii, 1.

Ac descriptio *Psal.* xvi, 10. xxxvi, 10. *Fons vitæ.*

Nec non consideratio eorum, quæ *oculus non vidit*, &c. *quæ paravit Deus iis, à quibus ipse diligitur*; 1 *Cor.* II, 9. Istud enim est verissimum principium, ac fons omnis nostræ Beatitudinis. Confer 2 *Cor.* xv, 28.

LXXVII. Ex dictis quædam colligimus pro *praxi*. 1. Quicquid entis menti nostræ occurrit præter Deum, hoc omne ad ipsum referamus, tanquam ad ens primum, & in ejus gloriam: *Jes.* xl, 26. *Rom.* xi, 36. *Act.* xvii, 25, 28, 1 *Cor.* x, 31.

2. Nomina Dei non-nisi sanctè & religiose usurpemus: *Exod.* xx, 7. *Eccl.* v, 1. xii, 1. *Mal.* iv. 2.

3. Ex Dei Primitate nostram, & omnium aliorum ab ipso dependentiam, recte æstimemus: *Rom.* xi, 36. *Act.* xvii, 28.

4. Simplicitati nobis mandatæ, serio demus operam:

tam: 1 Cor. v, 7, 8. *Hebr.* xii, 1. 1 *Petr.* II, 1, 2.

5. In Dei Immutabilitate, conſtanter incorruptibilitatem & gloriam quæramus: *Rom.* II, 7.

6. Sic Deum inviſibilem requiramus puro corde, ut ipſum fide videamus, ac tandem ipſo fruamur: *Jeſ.* lv, 1, 2, 3, 6. *Pſal.* xvi, 8, 11, 10. *Matth.* v, 8. *Hebr.* xi, 17.

7. Deſideria noſtra piè ad Infinitum illum, atque Æternum, excitemus, dirigamus; qui ſolus eâ æternùm perfectiſſimè ſatiare poteſt: *Pſal.* xlii, 2, 3, xxiii, 1, - xvi, 5, 8, 11. xxxvi, 8, - 11. 2 *Cor.* iv, 16, 17, 18. v. 1, -

8. Immenſum, nobis ſemper præſentem, omnia etiàm abſtruſiſſima intimè cognoſcentium, ex animo vereamur. *Hebr.* iv, 11, 13. *Pſal.* cxxxix, 1, -. 2 *Chron.* xxiv, 22. *Job.* xxi, 23.

9. Ex tenuitatis noſtræ circa Dei cognitionem conſcientiâ humiliemur profundiſſimè: 1 *Cor.* xiii, 11, 12. *Gal.* iv, 8, 9. 2 *Petr.* I, 19.

10. In Dei Sapientiâ humiliter & piè quæramus ſapientiam veram: *Col.* iii. 10. *Jac.* I, 5.

11. Sanctiſſimæ ipſius Voluntati noſtram voluntatem ſubjiciamus & conformemus: *Matth.* vi, 10. xxvi, 42. *Act.* xxi, 13, 14.

12. Ex Sanctitate, Amore, Gratiâ, Miſericordiâ, Patientiâ, &c. noſtram ad eas virtutes analogicam conformationem diſcamus: *Levit.* xix, 2. *Matth.* xxii, 37. v, 44, 45. vi, 12. *Gal.* vi, 1. *Jac.* v, 19, 20.

13. Omnipotenti ejus manui nos quàm humillimè ſubmittamus; ſimulque impotentiam noſtram agnoſcentes, omnem adverſus hoſtes noſtros ſpirituales corroborationem in ipſo quæramus: 1 *Petr.* v, 6. 2 *Cor.* xii, 9. *Joh.* x. 28, 29, *Rom.* viii, 28.

14. Supremæ Poteſtati Omnipotentis Dei conſcientias noſtras omnino, & quidem ſoli, ſubjiciamus: *Rom.* xiv, 9, - *Jerem.* x, 7. *Apoc.* xv. 4.

15. Ipsi gloriam suam deferamus sincerè ac promptè: *Psal.* CIII, 1, 2. *Luc.* I, 46, 47, 74, 75. *Matth.* VI, 9, 13. *Rom.* XI, 36. 1 *Cor.* X, 31.

16. In Deo Beatissimo omnem nostram beatitudinem unicè quæramus: *Psal.* XXXIII, 12. LXXIII, 25, 26. 1 *Joh.* I, 3, 4.

CAPUT V.

De Personis Divinis.

E*Xistentia. Perseitas. Suppositum.* 1. *Subsistentia*, ὑπόστασις, abstractè: concretè. *Persona.* 2. *Essentia Divina* quomodò prædicetur de *Personis. Tres Personæ* sunt in unâ *Essentia.* Et *Personæ* istæ in *se invicem. Personæ Divinæ* descriptio. *Terminus* ἔγγραφος: & alii hic usitati. *Numerus.* 3. Probatur Personarum *pluralitas.* 4. *Trinitas*; ex V. T. collatis locis N. T. 5. Ex testimoniis N. T. 6. Probantur *singulæ Personæ. Pater.* Ejus *Personalitas.* 7. *Vera Deitas.* 8. *Distinctio* à Filio, & Sp. S. 9. An rectè *dicatur*, Fons & principium totius Deitatis? 10. *Filius.* Ejus *Personalitas.* 11. *Deitas*, probatur ex *Nominibus.* 12. *Operibus.* 14. *Cultû.* 15. *Proprietates distinctivæ.* 16. De voce *Spiritûs.* Spiritûs Sancti *Personalitas.* 17. *Deitas*, ex *Nominibus.* 18. *Attributis.* 19. *Operibus.* 20. *Cultû.* 21. *Distinctio* à Patre & Filio. 22. Trium Personarum *identitas essentialis.* τὸ ὁμοούσιον. *Paritas* & *Similitudo.* Filius & Spir. S. etiàm αὐτόθεος. ἐμ-

περι-

περιχώρησις. 23. Rejicitur *Atheismus. Arianismus*, *Socinianismus. Sabellianismus.* 24. Discrimen inter *Generationem*, & *Spirationem. Illa* non rectè explicatur per actum *Intellectûs*; & *hæc* per actum *Voluntatis.* 25. *Relationes reales. Processiones.* Notiones. *Proprietates personales. Actûs notionales. Potentiæ notionales. Relationes rationis.* Origo Filii, & Spiritûs Sancti. 26. Quomodò *Persona Divina* differat ab *Essentia*, 27. Quomodò *Personæ* distinguantur à *se invicem.* 28. *Objectiones* solvuntur. 29. Dogma hoc *fundamentale* est, & ad salutem *creditû necessarium.* c. *Remonstr. Obj.* solv. 30. *Usûs practici.* 31.

I. SEquitur, ut Essentiam Dei consideremus relate in suis *Personis.*

Existentia in genere est Actualitas *Entis*: primò quidem *Substantiæ*; cui *Perseitas* competit: sed analogice etiam *Accidentis*; cujus esse est *inesse.*

Interim *Substantiæ secundæ* existunt in *primis*; sicut & aliæ *partes* in suo *toto.* Quæ autem incommunicabiliter, complete, & ultimate per se existunt, strictiore sensû *subsistere* dicuntur; & absolute *supposita* vocantur, Græcis ὑφιστάμενα. Animam verò separatam, aliamve partem seorsùm existentem, *Suppositum partiale* dicimus.

II. *Subsistentia*, Græce ὑπόστασις aliàs rem quamlibet sub aliâ stantem, & eam quodammodo sustentantem, notat: sed specialius interdum *abstractè* usurpatur, ut designet modum entitativum, quo natura substantialis ultimo, complete, & incommunicabiliter ter-

minatur in existendo: qui modus etiàm *suppositalitas* appellatur; sed specialissime in intellectualibus *personalitas*. *Concretè* autem significat naturam substantialem tali modo subsistendi terminatam.

Suppositum intellectuale *persona* appellatur; Græce πρόσωπον: quæ nonnullis à *personando* dicta videtur: sed verba valent usû. Interim non displicet allusio, quasi *per se una*; aut *per se sola*. Describitur plenius, *Substantia prima, intelligens, incommunicabilis, non pars alterius, nec ab alio sustentata.*

111. *Essentia Dei* unica est. Vide sup. cap. 4. th. 19. sed *communis* tribus Personis, ut & Attributa ejus.

Consequenter Essentia non *prædicatur* de Personis, ut Species de suis Individuis: una enim eademque Essentia singularissima, existit in tribus Personis concrete.

Recte etiam dicimus, *tres Personas* esse in unâ istâ Essentiâ; quatenùs in communione ejusdem numero Essentiæ conveniunt. Imò etiam, *Personas* istas *esse in se invicem*; quatenùs communis Essentia in singulis Personis existit. Vide *Joh.* x, 38. xiv, 11. xvii, 21.

Persona Divina est ipsa Essentia Divina peculiari modo subsistendi à coëssentialibus distincta.

Estque terminus ille ἔγγραφος. *Hebr.* 1, 3. de Filio; *Character personæ* (τῆς ὑποστάσεως) *illius*; scil. Patris. Confer 1 Joh. v, 7. „*Tres sunt, qui testifican-* „*tur* in Cœlo, *Pater, Sermo & Spiritus Sanctus.* Unicæ istius Essentiæ Tres sunt Personæ testificantes. Undè *Triada*, vel *Trinitatem* rectè appellamus; non *Triplicitatem*.

Numerus autem ille est tantum Denominatio Personarum plurium verè distinctarum.

Aliæ voces in hoc mysterio etiam usurpari solitæ, utpotè, τρόπος ὑπάρξεως, ὁμοούσιος, ἐμπεριχώ-

γησις, &c. secundum rem Scripturariæ sunt: quod observandum contra *Antitrinitarios*; & *Pontificios*, ad Traditiones non scriptas hîc confugientes.

IV. In Mysterio hoc probamus *primò* pluralitatem personarum, per testimonia sacra V. T. *Gen.* 1, 1, 2. „in principio *creavit* Deus (בָּרָא אֱלֹהִים) cœlum & „terram. – *& Spiritus Dei incubat* superficiei aquarum. Et *vers.* 26, 27. „Posteà dixit *Deus Faciamus* homi„nem ad imaginem *nostram*. III, 22. Dixit Jehovah Deus. Eccè homo, estne sicut *unus ex nobis*? XI, 7. „Agedùm *descendamus*, *& confundamus* ibi sermonem eorum. XIX, 24. „*Jehovah* demisit, pluviam sulphu„ris, & ignis, *à Iehova* Psal. xlv: 8. „Unxit Te, ô „*Deus*, *Deus Tuus*, oleo gaudii præ consortibus Tuis. Confer *Hebr.* 1. 8, 9, Iterùm P*sal.* cx. 1. „Dixit *Jehovah* D*omino meo*; Sede ad dexteram meam, cum *Matth.* XXII, 42, 43. 44. Item P*rov.* XXX, 4. „Quod est *nomen Hujus*, & quod *nomen Filii ipsius*? *Jes.* XLVIII, „16. „Nunc enim *Dominus Iehovi* mittit *Me*, & S*piritus* „ejus. His adde D*an.* IX, 17. cum P*sal.* lxxx, 15, 16. & *Hos.* 1. 7.

V. *Secundò* adstruimus nominatim Trinitatem, & quidem hâc vice ex locis quibusdam V. T. collatis potissimum cum locis N. T. utpotè P*sal.* XXXIII, 6. „*Verbo* J*ehovæ* cœli facti sunt: & S*piritu* oris ejus, to„tus exercitus eorum, cum J*oh.* 1, 1: 3, 10. „*In princi*„*pio erat Sermo ille*, & Sermo ille erat apud Deum, „eratque *ille Sermo Deus*. - *Omnia per Hunc facta* sunt; „& *absque Eo factum est nihil* quod factum sit. - Et *mun*„*dus per Eum factus est*: sed mundus Eum non agnovit. „Nec non *Hebr.* I, 10. Ad *Filium*: Et T*u* in initio „*Dominus*, *terram fundasti*; & *opera manuum* T*uarum* „*sunt cœli*. *Ies* VI, 1, 3, 8, 9. „Tum vidi *Iehovam* insi„dentem solio celso. De Seraphim autem. Inclamans alter ad alterum dicebat; *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus est* „*Jehovah* T*zebaoth*. - Deindè audivi vocem Domi-

 ni,

„ni, dicentis : Quem missurus sum, & *quis iturus est* „*nobis*? Cui dixi ; En egò : mitte me, Tum dixit : „ut *dicas populo isti : Audite indesinenter, at ne intel-* „*ligatis*, &c. cum *Ioh.* XII, 36.-41. Hæc locutus est „*Iesus* : - Propterea non poterant credere, quia iterùm *dixit Esaias* ; *Excæcavit oculos eorum*, &c. *Hæc dixit* „*Esaias*, quandò *vidit gloriam* Ejus, & *locutus est de* „Eo. Nec non *Act.* XXVIII, 25, 26. Benè sanè *Spiri-* „*tus Sanctus locutus est per Esaiam Prophetam* patribus „nostris, dicens ; *Vade ad populum istum*, & dic ; *Au-* „*dietis, & non intelligetis*, Ità scil. τρισάγιον illud ad tres Personas pertinet. Confer trinam Jehovæ mentionem in solenni benedictione ; *Num.* VI, 24, 25, 26. Iterum *Ies.* LXI, 1. *Spiritus Domini* Iehova est super *Me*, „ad Euangelizandum mansuetis, &c. cum *Luc.* IV, „17, - 22. Tunc datus est Ei (Christo) liber *Esaiæ* „Prophetæ : cumque explicuisset librum, invenit lo- „cum, in quo scriptum erat, *Spiritus Domini super Me*, „propterea quòd *unxit me*, &c. Cœpit autem eis dice- „re ; Certè hodiè *impleta est hæc Scriptura* audientibus „vobis &c. Ergo Filius Christus loquebatur de Jehovâ Patre, & Spiritû Ejus.

Similiter *Jes.* LXIII, 7, - 11. „Benignitates *Jehovæ* „commemorabo : Nam dixit : Utique populus Meus „sunt : - *Angelus faciei ejus* servavit eos : - Nam ipsis „rebellantibus, & dolore afficientibus *Spiritum san-* „*ctitatis ejus*, &c. Confer etiam 2 *Sam.* XXIII, 2. *Hag.* 2, 5, 6.

VI. *Tertiò*, clariora interim sunt testimonia N. T. utpotè *Matth.* III, 16, 17. „Baptizatus *Iesus* - vidit „*Spiritum Dei* descendentem quasi columbam ; - & eccè, vox adfuit *è cælo* - Hic est *Filius ille Meus*, &c. XXVIII, 19. - „Baptizantes eos in nomen *Patris*, & *Filii*, & *Spiritus Sancti*. 2 *Cor.* XIII, 13. „Gratia Domini „*Iesu Christi*, charitas *Dei*, & communicatio *Spiritus*

Sancti

,,*Sancti* sit cum omnibus vobis. 1 *Joh.* v,17. *Tres* sunt qui ,,*testificantur* in cœlo; *Pater*, *Sermo*, & *Spiritus Sanctus*. His adde *Joh*, XIV, 16, 17. XV. 26. *Luc*.. I. 35. *Rom*. I, I, - 4. VIII, II, *Gal*. IV, 4, 6.

VII. *Quartò* denique consideranda veniunt illa S S. Literarum testimonia, quæ singulas Personas Divinas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum diserte tradunt, & distinctam earum personalitatem, ac veram Deitatem planè àdstruunt.

Patrem hîc appellamus respecctû Filii. æterni, & ὁμουσίας: *Hebr*.I,5. cum *Psal*. *II*,7. & 2 *Sam*. VII, 14. Nam *cui* dixit unquàm *Angelorum*; *Filius* Meus es Tu: ,,Ego hodiè *genui* Te; Ac rursùm; *Ego ero Ei Pater*, & *Ipse* erit *Mihi Filius*.

Quantum ad ipsius *Personalitatem*: expresse *Hebr*. I,3. De Filio; quòd sit *character Personæ illius*: scil. Patris. Ipsi etiam competit vita, intellectus, voluntas, dominium, gloria, operationes, paternitas: *Joh*. v, 26. *Pater habet vitam in Seipso*. 17. *Pater* Meus usque adhùc *operatur*. *Matth*. XI, 25, 26, 27. ,,*Gloriam* Tibi ,,tribuo Pater, *Domine* cœli & terræ; quod hæc *occul*,,*taveris* à sapientibus & intelligentibus: & *retexeris* ea ,,infantibus. Etiàm Pater, quia *ita placuit* Tibi. Omnia ,,*Mihi tradita* sunt à Patre Meo: & nemo *novit Filium*, ,,nisi *Pater*, &c. Vide etiàm *Joh*. XVII, I.

VIII. *Deitas* autem ejus evincitur, I. Nominibus Divinis: *Joh*. III, 16. Ità *Deus* dilexit mundum, ut *Filium suum unigenitum miserit*, &c. Adde VIII, 54. XVII, I. 3.

2. Attributis: *Apoc*. I, 4. de Patre; ὁ ὤν, ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος: undè satis patet Æternitas & Immutabilitas. *Joh*. v, 26. *Habet vitam in Se ipso*. Quæ est Independentia, *Matth*. XI, 25. *Pater*, *Domine cœli & terræ*. Quod est Dominium verè supremum.

3. Operibus Divinis: *Act*. IV, 24, - 27. *Domine*, Tu

Tu es ille Deus, qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia
,,*quæ in iis sunt.* - Congregati sunt in hâc civitate verè
,,adversùs sanctum *Filium Tuum Jesum, quem unxisti,*
,,Herodes, &c. Ut facerent quæcunque *manus Tua*
,,*& consilium Tuum priùs prædestinavit* ut fierent. Nunc
,,igitur, Domine, *dispice in minas eorum*; & *da Servis*
,,*Tuis, ut cum omni libertate loquantur sermonem Tuum,*
,,*Manu Tuâ à Te extensâ ad sanandum, signisque & pro-*
,,*digiis editis* per nomen sancti *Filii tui Jesû.*

4. Denique ex Cultû & Honore religioso: *Phil.* 2, 11. - *ad Gloriam Dei Patris. Matth.* XVIII, 19. *Baptizantes eos in nomen Patris*; -. Confer *Matth.* XI, 25, -. *Joh.* XVII, 1, -. *Act.* IV, 24 -.

IX. *Distinctio* Patris à Filio & Spiritû Sancto est in Notionibus, seu Proprietatibus quibusdam characteristicis; quales sunt 1. *Aseitas personalis*: Pater prorsùs non habet originem ab alio; sed per se subsistentiam suam & *vitam habet in Se ipso*: cùm ipse *Filio dederit vitam habere in Se ipso*; *Ioh.* V, 26. Ἀγέννητον Veteres dixerunt: Scholastici *Innascibilitatem* vocant; sed & *Inspirabilitatem* rectè addidissent.

2. *Generatio activa*; quæ est actus peculiaris primæ Personæ, per quem ipsa est principium secundæ. Unde illa *Pater*, secunda autem *Filius* dicitur. Atque adeò Filius verè est ὁμοούσιος καὶ αὐτόθεος; ejusdem numero Essentiæ, ac veræ Deitatis: Vide *Hebr.* I, 3. *Joh.* V, 26. *Psal.* 2, 7. cum *Hebr.* I, 5, V, 5. *Act.* XIII, 33.

3. *Spiratio activa cum Filio*; quæ est actus notionalis; per quem Pater cum Filio est principium tertiæ Personæ; quæ indè *Spiritus Sanctus* appellatur. *Ioh.* XV, 26. Advocatus ille, quem Ego *mittam* vobis *à Patre*: *Spiritus* ille veritatis, qui *à Patre emanat.*

4. *Primitas ordinis personalis in subsistendo*: Pater enim prior est Filio, & Spiritû Sancto; cùm istarum Personarum *principium* sit.

5. Pri-

5. *Primitas ordinis personalis in operando*, Pater enim operatur à se; Filius à Patre; & Spiritus Sanctus ab utroque. Vide *Eph.* III, 15. *Joh.* III, 16, 17. *Gal.* IV, 6. *Ioh.* XV, 26. *Hebr.* I, 2. *Psal.* XXXIII, 6. 1 *Cor.* 2, 10.

X. *Quæritur*, an Pater rectè dicatur fons & principium totius Deitatis; *Resp.* Plures Theologi orthodoxi sic quidem loquuntur sano sensu; attamen modus iste loquendi est ἀκυρόλογος, non accuratus: Deitas enim est natura Divina, cujus absolutè nullum est principium, nullus fons. Præterea, si Pater esset principium totius Deitatis, suæ quoque Essentiæ principium foret: quod absurdum. Sed prima Persona est principium ejus, quòd Persona secunda & tertia habeant eandem quoque veram Deitatem. Atque hoc benè tenendum contra *Vorstium* & *Episcopium*.

XI. *Filius Hebr*, 1, 3. dicitur *character personæ* Patris; sed & ipse persona: competit enim ipsi existentia: *Joh.* VIII, 58. 1 *Tim.* III, 16. vita; *Joh.* V, 26. intellectus, voluntas, & variæ operationes; quæ non possunt nisi personæ competere: *Matth.* XI, 27. „Neque „*Patrem* quisquam *novit*, nisi *Filius*, & cuicunque *vo*„*luerit Filius retegere*.

Obj. *Prov.* VIII. *Sapientia* appellatur: ergò. *Resp.* Sed ea hypostatica intelligenda est necessariò: idcircò dicitur *amare amatores suos*, *uncta ante sæculum*, *edita ante abyssos*, &c. *vers.* 17, 23. 24. 25.

XII. Probatur porrò ejus vera *Deitas*, *primo* Nominibus Divinis: tùm attributive, tùm subjectivè. *Joh.* 1, 1. *Erat Sermo ille Deus*. cum 14. Et *Sermo ille factus est caro*. 1 *Tim.* III. 16. *Deus conspicuus factus est in carne*. *Act.* XX, 28. „Ad pascendam Ecclesiam *Dei*, quam *suo* „*ille proprio sanguine acquisivit*. *Phil.* II, 6. „ Cùm esset *in formâ Dei*, non duxit rapinam esse *parem cum Deo*. Imò etiàm additis illustribus epithetis, *Jes.* IX, 5. „Puer natus est nobis, *Filius* datus est nobis: Vocabi„tur nomen ejus *Admirabilis*, *Consiliarius*, *Deus fortis*.

Pater

miliaque opera soli verò Deo propria, innotescat vera Deitas; atque ità excitemur, ad eam cultû ipsi debito prosequendam. *Psal.* xix, 2, 3. *Ies.* xl, 26. *Rom.* 1, 20. *Apoc.* iv, 11. 1 *Petr.* iv, 19.

Obj. Alia etiam religiose colenda sunt, ob sanctitatem relativam, in ordine ad Deum: *Exod.* iii, 5. xix, 12. *Gen.* xxviii, 16, 17. *Eccles.* v, 1. &c. Ergò. *Resp.* Non ipsis locis, quorum ibi fit mentio, reverentia erat præstanda: sed Deo speciali modo illic præsenti.

Idem dicendum de Tabernaculo, Arcâ Fœderis, Templo, &c.

LXXVI. Restat *Beatitudo*; actus consummatissimus, quo Deus omnes perfectiones absolute conceptibiles, tùm essentiæ, tum vitæ, ejusque eminentissimæ, in se habet independenter, simplicissime, & infinite; atque hoc ipsum plenissime cognoscit, quàm maxime vult, eo fruitur perfectissime, cum acquiescentiâ. 1 *Tim.* 1, 11. *Euangelium Beati Dei.* vi, 15. *Beatus ille.*

Hùc pertinet etiam appellatio אֵל שַׁדַּי, *Gen.* xvii, 1.

Ac descriptio *Psal.* xvi, 10. xxxvi, 10. *Fons vitæ.*

Nec non consideratio eorum, quæ *oculus non vidit*, &c. *quæ paravit Deus iis, à quibus ipse diligitur*; 1 *Cor.* 11, 9. Istud enim est verissimum principium, ac fons omnis nostræ Beatitudinis. Confer 2 *Cor.* xv, 28.

LXXVII. Ex dictis quædam colligimus pro *praxi.* 1. Quicquid entis menti nostræ occurrit præter Deum, hoc omne ad ipsum referamus, tanquam ad ens primum, & in ejus gloriam: *Jes.* xl, 26. *Rom.* xi, 36. *Act.* xvii, 25, 28, 1 *Cor.* x, 31.

2. Nomina Dei non-nisi sanctè & religiose usurpemus: *Exod.* xx, 7. *Eccl.* v, 1. xii, 1. *Mal.* iv. 2.

3. Ex Dei Primitate nostram, & omnium aliorum ab ipso dependentiam, recte æstimemus: Rom. xi, 36. *Act.* xvii, 28.

4. Simplicitati nobis mandatæ, serio demus operam:

ram: 1 Cor. v, 7, 8. Hebr. XII, 1. 1 Petr. II, 1, 2.

5. In Dei Immutabilitate, constanter incorruptibilitatem & gloriam quæramus: Rom. II, 7.

6. Sic Deum invisibilem requiramus puro corde, ut ipsum fide videamus, ac tandem ipso fruamur: Jes. lv, 1, 2, 3, 6. Psal. XVI, 8, 11, 10. Matth. v, 8. Hebr. XI, 17.

7. Desideria nostra piè ad Infinitum illum, atque Æternum, excitemus, dirigamus; qui solus eâ æternùm perfectissimè satiare potest: Psal. xlII, 2, 3, XXIII, 1, - XVI, 5, 8, 11. XXXVI, 8, - 11. 2 Cor. IV, 16, 17, 18. V. 1, -

8. Immensum, nobis semper præsentem, omnia etiàm abstrusissima intimè cognoscentium, ex animo vereamur. Hebr. IV, 11, 13. Psal. CXXXIX, 1, -. 2 Chron. XXIV, 22. Joh. XXI, 23.

9. Ex tenuitatis nostræ circa Dei cognitionem conscientiâ humiliemur profundissimè: 1 Cor. XIII, 11, 12. Gal. IV, 8, 9. 2 Petr. I, 19.

10. In Dei Sapientiâ humiliter & piè quæramus sapientiam veram: Col. III. 10. Jac. I, 5.

11. Sanctissimæ ipsius Voluntati nostram voluntatem subjiciamus & conformemus: Matth. VI, 10. XXVI, 42. Act. XXI, 13, 14.

12. Ex Sanctitate, Amore, Gratiâ, Misericordiâ, Patientiâ, &c. nostram ad eas virtutes analogicam conformationem discamus: Levit. XIX, 2. Matth. XXII, 37. V, 44, 45. VI, 12. Gal. VI, 1. Jac. V, 19, 20.

13. Omnipotenti ejus manui nos quàm humillime submittamus; simulque impotentiam nostram agnoscentes, omnem adversus hostes nostros spirituales corroborationem in ipso quæramus: 1 Petr. v, 6. 2 Cor XII, 9. Joh. X. 28, 29, Rom. VIII, 28.

14. Supremæ Potestati Omnipotentis Dei conscientias nostras omnino, & quidem soli, subjician[illegible] Rom. XIV, 9, - Ierem. X, 7. Apoc. XV. 4.

15. Ipsi gloriam suam deferamus sincerè ac promptè: Psal. CIII, 1, 2. Luc. I, 46, 47, 74, 75. Matth. VI, 9, 13. Rom. XI, 36. 1 Cor. X, 31.


16. In Deo Beatissimo omnem nostram beatitudinem unicè quæramus: Psal. XXXIII, 12. LXXIII, 25, 26. 1 Joh. I, 3, 4.

Caput V.

De Personis Divinis.

Existentia. Perseitas. Suppositum. 1. Subsistentia, ὑπόστασις, abstractè: concretè. Persona. 2. Essentia Divina quomodò prædicetur de Personis. Tres Personæ sunt in unâ Essentia. Et Personæ istæ in se invicem. Personæ Divinæ descriptio. Terminus ἔγγραφος: & alii hic usitati. Numerus. 3. Probatur Personarum pluralitas. 4. Trinitas; ex V. T. collatis locis N. T. 5. Ex testimoniis N. T. 6. Probantur singulæ Personæ. Pater. Ejus Personalitas. 7. Vera Deitas. 8. Distinctio à Filio, & Sp. S. 9. An rectè dicatur, Fons & principium totius Deitatis? 10. Filius. Ejus Personalitas. 11. Deitas, probatur ex Nominibus. 12. Operibus. 14. Cultû. 15. Proprietates distinctivæ. 16. De voce Spiritûs. Spiritûs Sancti Personalitas. 17. Deitas, ex Nominibus. 18. Attributis. 19. Operibus. 20. Cultû. 21. Distinctio à Patre & Filio. 22. Trium Personarum identitas essentialis. τὸ ὁμοούσιον. Paritas & Similitudo. Filius & Spir. S. etiàm αὐτόθεος. ἐμπερι-

περιχώρησις. 23. Rejicitur *Atheismus. Arianismus, Socinianismus. Sabellianismus.* 24. Discrimen inter *Generationem*, & *Spirationem. Illa* non rectè explicatur per actum *Intellectûs*; & *hæc* per actum *Voluntatis.* 25. *Relationes reales. Processiones. Notiones. Proprietates personales. Actûs notionales. Potentiæ notionales. Relationes rationis.* Origo Filii, & Spiritûs Sancti. 26. Quomodò *Persona Divina* differat ab *Essentia*, 27. Quomodò *Personæ* distinguantur à *se invicem.* 28. *Objectiones* solvuntur. 29. Dogma hoc *fundamentale* est, & ad salutem *creditû necessarium.* c. *Remonstr. Obj.* solv. 30. *Usûs practici.* 31.

I. Equitur, ut Essentiam Dei consideremus relate in suis *Personis.*

Existentia in genere est Actualitas *Entis*: primò quidem *Substantiæ*; cui *Perseitas* competit: sed analogice etiam *Accidentis*; cujus esse est *inesse*.

Interim *Substantiæ secundæ* existunt in *primis*; sicut & aliæ *partes* in suo *toto*. Quæ autem incommunicabiliter, complete, & ultimate per se existunt, strictiore sensû *subsistere* dicuntur; & absolute *supposita* vocantur, Græcis *ὑφιστάμενα*. Animam verò separatam, aliamve partem seorsùm existentem, *Suppositum partiale* dicimus.

II. *Subsistentia*, Græce *ὑπόστασις* aliàs rem quamlibet sub aliâ stantem, & eam quodammodo sustentantem, notat: sed specialius interdum *abstractè* usurpatur, ut designet modum entitativum, quo natura substantialis ultimo, complete, & incommunicabiliter terminatur

minatur in existendo: qui modus etiàm *suppositalitas* appellatur; sed specialissime in intellectualibus *personalitas*. *Concretè* autem significat naturam substantialem tali modo subsistendi terminatam.

Suppositum intellectuale *persona* appellatur; Græce πρόσωπον: quæ nonnullis à *personando* dicta videtur: sed verba valent usû. Interim non displicet allusio, quasi *per se una*; aut *per se sola*. Describitur plenius, *Substantia prima, intelligens, incommunicabilis, non pars alterius, nec ab alio sustentata.*

III. *Essentia Dei* unica est. Vide sup. cap. 4. th. 19. sed *communis* tribus Personis, ut & Attributa ejus.

Consequenter Essentia non *prædicatur* de Personis, ut Species de suis Individuis: una enim eademque Essentia singularissima, existit in tribus Personis concrete.

Recte etiam dicimus, *tres Personas* esse in unâ istâ Essentiâ; quatenùs in communione ejusdem numero Essentiæ conveniunt. Imò etiam, *Personas* istas *esse in se invicem*; quatenùs communis Essentia in singulis Personis existit. Vide *Joh.* x, 38. xiv, 11. xvii, 21.

Persona Divina est ipsa Essentia Divina peculiari modo subsistendi à coëssentialibus distincta.

Estque terminus ille ἐγγεαφ@. *Hebr.* 1, 3. de Filio; *Character personæ* (τῆς ὑποςάσι@) *illius*; scil. Patris. Confer 1 Joh. v, 7. „*Tres sunt, qui testifican-* „*tur* in Cœlo, *Pater, Sermo & Spiritus Sanctus*. Unicæ istius Essentiæ Tres sunt Personæ testificantes. Undè *Triada*, vel *Trinitatem* rectè appellamus; non *Triplicitatem*.

Numerus autem ille est tantum Denominatio Personarum plurium verè distinctarum.

Aliæ voces in hoc mysterio etiam usurpari solitæ, utpotè, τρόπ@ ὑπάρξεως, ὁμοέσι@, ἐμπεριχώ-

ρησις

γησις, &c. secundum rem Scripturariæ sunt: quod observandum contra *Antitrinitarios*; & *Pontificios*, ad Traditiones non scriptas hîc confugientes.

IV. In Mysterio hoc probamus *primò* pluralitatem personarum, per testimonia sacra V. T. *Gen.* 1, 1, 2. „in principio *creavit* Deus (בָּרָא אֱלֹהִים) cœlum & „terram. – *&* *Spiritus Dei incubat* superficiei aquarum. Et *vers.* 26, 27. „Posteà dixit *Deus Faciamus* homi„nem ad imaginem *nostram*. III, 22. Dixit Jehovah Deus. Eccè homo, estne sicut *unus ex nobis*? XI, 7. „Agedùm *descendamus*, *&* *confundamus* ibi sermonem eorum. XIX, 24. „*Jehovah* demisit, pluviam sulphu„ris, & ignis, *à Iehova* Psal. xlv: 8, „ Unxit Te, ô „*Deus*, *Deus Tuus*, oleo gaudii præ consortibus Tuis. Confer *Hebr.* 1. 8, 9, Iterùm *Psal.* cx. 1. „Dixit *Jehovah Domino meo*; Sede ad dexteram meam, cum *Matth.* XXII, 42, 43. 44. Item *Prov.* XXX, 4. „Quod est *nomen Hujus*, & quod *nomen Filii ipsius*? *Jes.* XLVIII, „16. „Nunc enim *Dominus Iehovi* mittit *Me*, & *Spiritus* „ejus. His adde *Dan.* IX, 17. cum *Psal.* lxxx, 15, 16. & *Hos.* 1. 7.

V. *Secundò* adstruimus nominatim Trinitatem, & quidem hâc vice ex locis quibusdam V. T. collatis potissimum cum locis N. T. utpotè *Psal.* XXXIII, 6. „*Verbo* *Jehovæ* cœli facti sunt: & *Spiritu* oris ejus, to„tus exercitus eorum, cum *Joh.* 1, 1: 3, 10. „ *In princi„pio erat Sermo ille*, & Sermo ille erat apud Deum, „eratque *ille Sermo Deus*. - *Omnia per Hunc facta* sunt; „& *absque Eo factum est nihil* quod factum sit. - Et *mun„dus per Eum factus est*: sed mundus Eum non agnovit. „Nec non *Hebr.* I, 10. Ad *Filium*: Et *Tu* in initio „*Dominus*, *terram fundasti*; & *opera manuum Tuarum* „*sunt cœli*. *Ies* VI, 1, 3, 8, 9. „ Tum vidi *Iehovam* insi„dentem solio celso. De Seraphim autem. Inclamans alter ad alterum dicebat; *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus est* „*Jehovah Tzebaoth*. - Deindè audivi vocem Domi-

„ni, dicentis : Quem missurus sum, & *quis iturus est*
„*nobis*? Cui dixi ; En ego : mitte me, Tum dixit :
„ut *dicas populo isti* : *Audite indesinenter*, *at ne intel-*
„*ligatis*, &c. cum *Ioh.* XII, 36.-41. Hæc locutus est
„*Iesus* : - Proptereà non poterant credere, quia iterùm
dixit Esaias ; *Excæcavit oculos eorum*, &c. *Hæc dixit*
„*Esaias*, quandò *vidit gloriam* Ejus, & *locutus est de*
„Eo. Nec non *Act.* XXVIII, 25, 26. Benè sanè *Spiri-*
„*tus Sanctus locutus est per Esaiam Prophetam* patribus
„nostris, dicens ; *Vade ad populum istum*, & dic ; *Au-*
„*dietis*, *& non intelligetis*, Ità scil. τρισάγιον illud ad
tres Personas pertinet. Confer trinam Jehovæ mentionem in solenni benedictione ; *Num.* VI, 24, 25, 26.
Iterum *Ies.* LXI, 1. *Spiritus Domini* Iehova est super *Me*,
„ad Euangelizandum mansuetis, &c. cum *Luc.* IV,
„17, - 22. Tunc datus est Ei (Christo) liber *Esaiæ*
„Prophetæ : cumque explicuisset librum, invenit lo-
„cum, in quo scriptum erat, *Spiritus Domini super Me*,
„propterea quòd *unxit me*, &c. Cœpit autem eis dice-
„re ; Certè hodiè *impleta est hæc Scriptura* audientibus
„vobis &c. Ergo Filius Christus loquebatur de Jehovâ Patre, & Spiritû Ejus.

Similiter *Jes.* LXIII, 7, - 11. „Benignitates *Jehovæ*
„commemorabo : Nam dixit : Utique populus Meus
„sunt : - *Angelus faciei ejus* servavit eos : - Nam ipsis
„rebellantibus, & dolore afficientibus *Spiritum san-*
„*ctitatis ejus*, &c. Confer etiam 2 *Sam.* XXIII, 2.
Hag. 2, 5, 6.

VI. *Tertiò*, clariora interim sunt testimonia N. T.
utpotè *Matth.* III, 16, 17. „Baptizatus *Iesus* - vidit
„*Spiritum Dei* descendentem quasi columbam ; - &
eccè, vox adfuit *è cœlo* - Hic est *Filius ille Meus*, &c.
XXVIII, 19. - „Baptizantes eos in nomen *Patris*, & *Fi-*
lii, *& Spiritus Sancti*. 2 *Cor.* XIII, 13. „Gratia Domini
„*Iesu Christi*, charitas *Dei*, & communicatio *Spiritus*
Sancti

„*Sancti* sit cum omnibus vobis. 1 *Joh.* v, 17. *Tres* sunt qui „*testificantur* in cœlo; *Pater*, *Sermo*, & *Spiritus Sanctus*. His adde *Joh*, XIV, 16, 17. XV. 26. *Luc.*. 1. 35. *Rom.* 1, 1, - 4. VIII, 11, *Gal.* IV, 4, 6.

VII. *Quartò* denique consideranda veniunt illa S S. Literarum testimonia, quæ singulas Personas Divinas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum diserte tradunt, & distinctam earum personalitatem, ac veram Deitatem planè àdstruunt.

Patrem hîc appellamus respecctû Filii æterni, & ὁμουσίας: *Hebr.* 1, 5. cum *Psal.* II, 7. & 2 *Sam.* VII, 14. Nam *cui* dixit unquàm *Angelorum*; *Filius* Meus es Tu: „*Ego* hodiè *genui* Te; Ac rursùm; *Ego ero Ei Pater*, *&* *Ipse* erit *Mihi Filius*.

Quantum ad ipsius *Personalitatem*: expresse *Hebr.* 1, 3. De Filio; quòd sit *character Personæ illius*: scil. Patris. Ipsi etiam competit vita, intellectus, voluntas, dominium, gloria, operationes, paternitas: *Joh.* v, 26. *Pater habet vitam in Seipso.* 17. *Pater* Meus usque adhùc *operatur*. *Matth.* XI, 25, 26, 27. „*Gloriam* Tibi „tribuo Pater, *Domine* cœli & terræ; quod hæc *occul-* „*taveris* à sapientibus & intelligentibus: & *retexeris* ea „infantibus. Etiàm Pater, quia *ita placuit* Tibi. Omnia „*Mihi tradita* sunt à Patre Meo: & nemo *novit Filium*, „nisi *Pater*, &c. Vide etiàm *Joh.* XVII, 1.

VIII. *Deitas* autem ejus evincitur, 1. Nominibus Divinis: *Joh.* III, 16. Ità *Deus* dilexit mundum, ut *Filium suum unigenitum miserit*, &c. Adde VIII, 54. XVII, 1. 3.

2. Attributis: *Apoc.* 1, 4. de Patre; ὁ ὢν, ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος: undè satis patet Æternitas & Immutabilitas. *Joh.* v, 26. *Habet vitam in Seipso.* Quæ est Independentia, *Matth.* XI, 25. *Pater*, *Domine cœli & terræ.* Quod est Dominium verè supremum.

3. Operibus Divinis: *Act.* IV, 24, - 27. *Domine*,

Tu

Tu es ille Deus, qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia „*quæ in iis sunt.* - Congregati sunt in hâc civitate verè „adversùs sanctum *Filium Tuum Jesum, quem unxisti,* „Herodes, &c. Ut facerent quæcunque *manus Tua* „*& consilium Tuum priùs prædestinavit* ut fierent. Nunc „igitur, Domine, *dispice in minas eorum*; & *da Servis* „*Tuis, ut cum omni libertate loquantur sermonem Tuum,* „*Manu* Tuâ *à Te extensâ ad sanandum, signisque & pro-* „*digiis editis* per nomen sancti *Filii tui Jesû.*

4. Denique ex Cultû & Honore religioso: *Phil.* 2, 11. - *ad Gloriam Dei Patris. Matth.* XVIII, 19. *Baptizantes eos in nomen Patris*; -. Confer *Matth.* XI, 25, -. *Joh.* XVII, 1, -. *Act.* IV, 24 -.

IX. *Distinctio* Patris à Filio & Spiritû Sancto est in Notionibus, seu Proprietatibus quibusdam characteristicis; quales sunt 1. *Aseitas personalis*: Pater prorsùs non habet originem ab alio; sed per se subsistentiam suam & *vitam habet in Se ipso*: cùm ipse *Filio dederit vitam habere in Se ipso*; *Ioh.* V, 26. Ἀγέννητον Veteres dixerunt: Scholastici *Innascibilitatem* vocant; sed & *Inspirabilitatem* rectè addidissent.

2. *Generatio activa*; quæ est actus peculiaris primæ Personæ, per quem ipsa est principium secundæ. Unde illa *Pater*, secunda autem *Filius* dicitur. Atque adeò Filius verè est ὁμοούσιος καὶ αὐτόθεος; ejusdem numero Essentiæ, ac veræ Deitatis: Vide *Hebr.* 1, 3. *Joh.* V, 26. *Psal.* 2, 7. cum *Hebr.* 1, 5, V, 5. *Act.* XIII, 33.

3. *Spiratio activa cum Filio*; quæ est actus notionalis, per quem Pater cum Filio est principium tertiæ Personæ; quæ indè *Spiritus Sanctus* appellatur. *Ioh.* XV, 26. Advocatus ille, quem Ego *mittam* vobis *à Patre*: *Spiritus* ille veritatis, qui *à Patre emanat.*

4. *Primitas ordinis personalis in subsistendo*: Pater enim prior est Filio, & Spiritû Sancto; cùm istarum Personarum *principium* sit.

5. Pri-

5. *Primitas ordinis personalis in operando*, Pater enim operatur à se; Filius à Patre; & Spiritus Sanctus ab utroque. Vide *Eph.* III, 15. *Joh.* III, 16, 17. *Gal.* IV, 6. *Joh.* XV, 26. *Hebr.* I, 2. *Psal.* XXXIII, 6. 1 *Cor.* 2, 10.

X. *Quæritur*, an Pater rectè dicatur fons & principium totius Deitatis; *Resp.* Plures Theologi orthodoxi sic quidem loquuntur sano sensu; attamen modus iste loquendi est ἀκυρόλογος, non accuratus: Deitas enim est natura Divina, cujus absolutè nullum est principium, nullus fons. Prætereà, si Pater esset principium totius Deitatis, suæ quoque Essentiæ principium foret: quod absurdum. Sed prima Persona est principium ejus, quòd Persona secunda & tertia habeant eandem quoque veram Deitatem. Atque hoc benè tenendum contra *Vorstium* & *Episcopium*.

XI. *Filius Hebr*, 1, 3. dicitur *character personæ* Patris; sed & ipse persona: competit enim ipsi existentia: *Joh.* VIII, 58. 1 *Tim.* III, 16. vita; *Joh.* V, 26. intellectus, voluntas, & variæ operationes; quæ non possunt nisi personæ competere: *Matth.* XI, 27. „Neque „*Patrem* quisquam *novit*, nisi *Filius*, & cuicunque *vo*„*luerit Filius retegere.*

Obj. Prov. VIII. *Sapientia* appellatur: ergò. *Resp.* Sed ea hypostatica intelligenda est necessariò: idcircò dicitur *amare amatores suos*, *uncta ante sæculum*, *edita ante abyssos*, &c. *vers.* 17, 23. 24. 25.

XII. Probatur porrò ejus vera *Deitas*, *primo* Nominibus Divinis: tùm attributive, tùm subjectivè. *Joh.* 1, 1. *Erat Sermo ille Deus.* cum 14. Et *Sermo ille factus est caro.* 1 *Tim.* III. 16. *Deus conspicuus factus est in carne.* *Act.* XX, 28. „Ad pascendam Ecclesiam *Dei*, quam *suo* „*ille proprio sanguine acquisivit.* *Phil.* II, 6. „ Cùm esset *in formâ Dei*, non duxit rapinam esse *parem cum Deo.* Imò etiàm additis illustribus epithetis, *Jes.* IX, 5. „Puer natus est nobis, *Filius* datus est nobis: Vocabi„tur nomen ejus *Admirabilis*, *Consiliarius*, *Deus fortis.*

Pater

Pater æternitatis, Rom. IX. 5. - *supra omnes Deus benedictus in sæcula*. Tit. II, 13. „ Expectantes adventum gloriæ *magni illius Dei*, *ac Servatoris nostri* Jesu *Christi*. I Joh. V, 20. „Et sumus in Vero illo (id est) in ejus *Filio* Jesu *Christo*. *Hic est verus ille Deus*, & *vita illa æterna*.

Iterùm *Hebr*. I, 4, 8, 9, 10. ex *Psal*. XLV, 7. & CII, 26. „Ad F*ilium* autem : Thronus Tuus, *Deus*, in sæcu-„lum sæculi : - Unxit Te, ô *Deus*, D*eus* Tuus, &c. „Et, Tu in initio, *Domine*, terram fundasti, &c. P*sal*. „CX, I. cum *Matth*. XXII, 43. 44. *Hebr*. I, 13. „Dixit „Jehovah *Domino meo*. Sede ad dextram meam. I *Cor*. 2, 8. *Dominus gloriæ*. *Apoc*. XIX, 16. D*ominus dominantium*. Joh. XX. 28. D*omine*, & D*eus mi*! Quin & ipso nomine J*ehovah* : J*erem*. XXIII, 5, 6. „Excitabo „Davidi Germen justum : atque hoc nomen ejus - I*ehovah justitia nostra*. *Num*. XIV, 22, XXI. 5. 6. cum I *Cor*. X. 9. item I*es*. VI, I. 5. cum I*oh*. XII, 40, 41.

XIII. *Secundo*, Attributis, utpotè I. Essentiali independentia : *Apoc*. I, 8. XXIII. 13. ipse Christus : *Ego sum A* & Ω, *principium* & *finis*, *primum* & *ultimum*. I*es*. IX. 6. P*ater æternitatis*.

2. Infinitâ perfectione : *Col*. II, 9. *Omnis plenitudo* D*eitatis habitat in ipso corporaliter*. Adde P*hil*. II, 6. I*oh*. XVII, 5.

3. Æternitate : *Mich*. V. I. - *Cujus exortus est indè à principio, à diebus sæculi*. *Prov*. VIII, 22, - 30. J*ehovah possidebat me principio viæ suæ ; ante opera sua, ante ullum tempus. Ante sæculum inuncta fui ; ante principium, ante primordia terræ. Cùm nullæ essent abyssi, edita eram* : &c. I*oh*. I, I, 2, 3. „*In principio erat Sermo ille*. & Sermo il-„le erat apud Deum, &c. Confer VIII, 58, & XVII, 5. Item *Col*. I, 15, 17. *Hebr*. I, 10, 11, 12. I. I*oh* I. I. *Apoc*. I. 8. & alibi.

4. Omnipræsentiâ : *Matth*. XVIII, 20. *Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine* M*eo, illic sum in medio illorum*. XXVIII, 20, E*go sum vobiscum omnibus diebus usque*

que ad consummationem sæculi. Vide etiàm Joh. III, 13.

5. Omnipotentiâ: *Apoc.* 1, 8. *Ille omnipotens.* Ad. de *Phil.* III, 21. *Hebr.* 1, 3.

6. Omniscientiâ: Joh. XXI. 17. *Domine, Tu omnia nosti.* Adde 2, 24, 25. *Apoc.* 2. 23.

Obj. Tribuitur illi profectus; *Luc.* 2, 52. & rerum quarundam ignorantia, *Marc.* XIII, 32. *Resp.* Secundùm humanam naturam, & intellectum ejus finitum.

XIV. *Tertio,* Operibus Divinis: de quibus generatim; *Joh.* V. 17. 19, *Pater Meus usque adhuc operatur; & Ego operor.* - '*Quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius pariter facit.* Consequenter XIV, 11. *propter opera credite Mihi.*

Speciatim hùc pertinet 1. Creatio: Joh. 1. 3. *Omnia per Hunc* (Sermonem) *facta sunt,* — 10. *Et mundus per Eum factus est.* Adde *Col.* 1. 16. *Hebr.* 1, 2, 10. *Psal.* XXXIII, 6.

2. Providentia ordinaria: *Col.* 1, 17. - *Omnia per Eum consistunt. Heb.* 1, 3. *Sustinet omnia verbo illo suo potente.*

3. Miracula: ac nominatim Suscitatio mortuorum: *Joh.* V. 21. *Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, ità & Filius quos vult vivificat.* Illustre est exemplum suscitati Lazari: *Joh:* XI, 43, 44. ac potissimum, humanitatis suæ propriæ: *Joh.* 2, 19. 21, X, 17, 18. Per ipsum quoque fiet Suscitatio generalis novissimo die: *Joh.* VI, 40. *Phil.* III, 20. 21. & judicium extremum, *Joh.* V, 22. 27, 28, 29.

Undè etiàm Apostoli in ipsius nomine ac virtute Miracula fecerunt, *Marc.* XVI, 17; 20. *Act.* III, 6.

4. Singularia in Ecclesiam beneficia; utpotè Prophetiarum inspiratio per Spiritum suum: 1 *Petr.* 1, 11. III, 19.

Spiritûs Sancti missio: *Joh,* XVI, 7.

Sacramentorum institutio; *Matth.* XXVIII, 18, 19, 1 *Cor.* XI, 23.

Spiri-

Spiritualis vivificatio: *Eph.* II, 10. *Ioh.* VI, 35, 47. XV, 5.

Peccatorum remissio ex propriâ auctoritate: *Matth.* IX, 6.

Gratiæ ac pacis donatio: *Rom.* 1, 7.

XV. *Quartò* denique Cultû Divino: unde generatim, *Ioh.* V. 23. *Ut omnes honorent* Filium, *prout honorant Patrem.*

Speciatim 1. de Adoratione: *Hebr.* 1. 6 - *Adorent Eum omnes Angeli Dei. Phil.* II. 10, 11. 1 *Cor.* 1, 2. *Rom.* XIV. 10. 11.

2. De Fide, Spe, & Fiduciâ: *Ioh.* XIV, 1. *Creditis in Deum, etiàm in Me credite.* *Rom.* XV. 12. - *Erit radix Iesse: In ipso gentes sperabunt.* 1 *Cor.* XV, 19. *Psal.* 2, 12.

3. De Baptismo in ipsius nomen: *Matth.* XXVIII, 19. ac similiter de S. Cœnâ in ipsius commemorationem: 1 *Cor.* XI, 24. 25. qui *princeps salutis* nostræ. *Hebr.* 2. 10. cum *Act.* IV. 12.

XVI. Proprietates distinctivæ secundæ Personæ sunt, 1. *Generatio passiva* à Patre: Generaliori termino *exortus*, vel *egressus*; *Mich.* V, 1. Specialiori autem *Generatio.* Vide sup. th. 9. §. 2. Unde prima Persona, Πατὴρ ἴδιος; *Joh.* V, 18. secunda autem, υἱὸς ἴδιος; Rom. VIII, 32. πρωτότοκος *Hebr.* I, 6. *Col.* I, 15. & μονογενὴς; *Ioh.* I, 14. 18. III, 16. 1, IV, 9. Quæ Generatio non est physica; sed hyperphysica, & spiritualis: undè appellatio λόγου, ἐνδιαθέτου scil. καὶ ὑποστατικοῦ; *Ioh.* I, 1, 14. 1 *Ioh.* I, 1, V, 7. & *Sapientiæ* atque *Intelligentiæ*; *Prov.* VIII, 1. &c. Hinc *Forma Dei*, & *Paritas cum Deo Patre*; *Phil.* II, 5. *Ioh.* V, 18. Imago & Character Personæ illius; 2 *Cor.* IV, 4. *Col.* 1, 15. *Hebr.* 1. 3. quin & Unitas cum Patre; *Ioh.* X, 30.

2. *Spiratio activa cum Patre*; quâ Filius cum Patre est principium tertiæ Personæ, Spiritus Sancti. Hinc *Spiritus Filii* dicitur *Gal.* IV, 6. *Spiritus Christi*; *Rom.*

VIII. 9.

VIII, 9. *Filius* enim *mittit* eum *à Patre*, *Joh.* XV, 26. ità *ut accipiat* de eo, quod est Filii: XVI, 14.

3. *Secundus modus & ordo subsistendi*: Filius enim ordine personali posterior est Patre, & prior Spiritu Sancto.

4. *Secundus modus & ordo operandi*: Filius enim operatur à Patre per Spiritum Sanctum: *Ioh.* XVI, 28. 13, 14. 15. XV, 26.

Consequenter Filius Mediator noster factus, & sic à Patre missus, humanitatem assumtam suâ personalitate terminat in existendo: *Joh.* III. 16. 2 *Cor.* V, 18. 19, 21. 1 *Tim*, II, 5. in eâ unctus est Spiritû Sancto: *Ies.* LXI, 1. *Psal.* XLV, 8. *Hebr.* I. 9. & Sacerdos per ipsum sese obtulit inculpatum Deo: *Hebr.* IX. 14. per eundem à mortuis suscitatus est; *Rom.* I, 4. 1 *Pet.* III, 18. & nobis salutem impetratam applicat: *Ioh.* XVI, 8. VI, 63. III: 5, 6, 8. VII, 38, 39. 1 *Cor.* II, 10, XII, 3. -11, 2, III, 6, XIII, 13. *Rom.* VIII, 1, 2, 4, 9, 11, 13, 16 26, 27.

XVII. Pergimus ad tertiam personam. Voces רוח, πνεῦμα, *Spiritus*, propriè flatum aut ventum significant: *Exod.* XV, 10. *Psal.* CXLVII, 18. *Am.* IV, 13. Metaphoricè substantiam invisibilem valdè efficacem. Sic usurpantur de materiali animâ bestiæ; *Eccl.* III, 21. de immateriali hominis; *Num.* XVI, 22, *Hebr.* XII, 9. *Eccl.* XII, 7. *Luc.* XXII, 46. *Act.* VII, 59. de Angelis: *Hebr.* I, 7. 14. *Matth.* VIII, 16. X, 1. quin & de ipso Deo οὐσιωδῶς; *Joh.* IV, 24. & de tertiâ personâ ὑποστατικῶς; *Matth.* XXVIII, 19. 1 *Ioh.* V, 7. Metonymicè tamen de ejus effectis ac donis; *Psal.* LI, 12. *Ezech.* XXXV, 26. 27. *Gal.* V, 17. *Exod.* XXXI, 3. *Ioh.* VII, 39. *Act.* XIX, 1.

Ejus *Personalitas* patet, quòd apparuerit aliquandò visibili præsentiæ suæ extraordinariæ symbolo exhibito: ut *Matth.* III. 16. *Act.* 2, 3. 4. Quod Philippum rapuerit, & aliò transtulerit; *Act.* VIII, 39, 40. Quòd intelli-

,,*nisi Spiritus Dei. Joh.* XVI. 13. *Spiritus ille veritatis, dux viæ vobis erit in omnem veritatem.* Omnem ergò veritatem intimè novit iste Doctor.

4. Suprema potestas, ac potentia: 1 *Cor.* XII, 4, 6, 11. *Idem Spiritus. -- Idem est Deus, agens ea omnia in omnibus. -- Omnia hæc agit unus ille & idem Spiritus; distribuens privatim illa singulis, sicut vult,*

XX. *Tertio*, Operibus Divinis: cujusmodi sunt, 1. Creatio, & conservatio: *Gen.* 1, 2. *Spiritus Dei incubabat superficiei aquarum. Psal.* XXXIII, 6. *Spiritu oris* Jehovæ *totus exercitus cœlorum* factus est. Adde *Psal.* CIV, 30. *Iob.* XXVI, 13. XXXIII, 4.

2. Miraculorum patratio; atque ipsa Mortuorum resuscitatio. 1 *Cor.* XII, 9, 10. *Alii verò donum sanationum datur per eundem Spiritum; alii verò operatio virtutum, alii vero genera linguarum; alii verò interpretatio linguarum.* R*om.* VIII, 11. *Sed si Spiritus ejus, qui suscitavit* Iesum *ex mortuis, habitat in vobis; is qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit etiàm mortalia corpora vestra, per inhabitantem ipsiùs Spiritum in vobis.*

3. Unctio capitis Christi; *Ies.* lXI, 1. ac porrò Prophetarum & Apostolorum in omnem veritatem deductio, variorumque charismatum distributio: 1 *Petr.* I, 10, 11, 12. II, 1, 21. 2 *Sam.* XXIII, 2. *Joh.* XVI, 13. *Act.* II, 4, 1 *Cor.* XII, 4, -11.

4. Regeneratio, sanctificatio, corroboratio, & obsignatio Christianorum: *Joh.* III, 5, 6. ,,Nisi quis ,,fuerit *genitus ex* aquâ & *Spiritû*, nòn potest introire ,,in regnum Dei. Quod *genitum* est *ex Spiritû*, spiri- ,,tus est. 2 *Cor.* III, 6. *Spiritus vivificat.* 1 *Cor.* VI. 11. XII, 3, 8, 9. *Ezech.* XXXVI, 27. *Eph.* III, 16. 2 *Cor,* IV, 13. *Rom.* XV, 13. 2 Tim. I, 7. *Rom.* XIV, 17. *Eph.* IV, 30.

XXI. *Quartò*, Cultû religioso; qui Spiritui Sanctò satis manifestè in SS. Literis attribuitur, contrâ quàm existimant *Remonstrantes*: nam 1. fideles *Templa Spi-*

 ritus

ritus Sancti sunt: 1 *Cor.* III, 16, 17. VI, 19. Ergò ad religiosum ejus cultum dicati. Et Seraphicum illud τρισάγιον, *Jes.* VI, 3. ad Spiritum Sanctum quoque pertinet: *Act.* XXVIII, 25.

2. In ipsius nomen Baptizamur: *Matth.* XXVIII, 19.

3. Preces & vota ad ipsum diriguntur: 2 *Cor.* XIII, 13. *Gratia* D*omini* J*esu* C*hristi, & charitas Dei, & communicatio Sp. Sancti sit cum omnibus vobis.* Quoniam scil. hic verè est communicator ac distributor bonorum spiritualium: 1 *Cor.* XII, 7: Item *Apoc.* I, 4, 5. *Gratia sit vobis - à Septem Spiritibus.* Ubi *Septem Spiritus* dicuntur, non multiplicando subsistentias; sed respectû donorum. Undè vetus Ecclesia: *Tu septiformis munere.* Confer *Apoc.* IV, 5. V, 6. III, 1. cum *Act.* II, 3. *Jes.* XI, 2. & 1 *Cor.* XII, 4.

4. Ipsi religiosè auscultandum & obtemperandum est: *Psal.* XCV, 7. *Hodiè si vocem Ejus audiveritis*, &c, cum *Hebr.* III, 7, 8. & *Jes.* lXIII, 10. *Eph* IV, 30. *Matth.* XII, 31, 32.

XXII. *Distinctio* ejus à Patre & Filio proponitur distinctâ recensione in institutione Baptismi, *Matth.* XXVIII, 19. cum *Matth.* III, 16, 17. atque insuper disertâ *trium* appellatione, 1 *Joh.* V, 7. Quin expressè *alius* dicitur, *Joh.* XIV, 16, 17. non tamen *aliud.*

Proprietatis autem *characteristicæ* Spiritûs Sancti sunt, 1. *Spiratio passiva*, vel *Emanatio* a Patre & Filio. Hinc *Spiritus S.* & *Spiritus Dei* passim appellatur: Imò etiam *Spiritus oris Jehovæ: Psal.* XXXIII, 6. & *Afflatus Omnipotentis*: *Job.* XXXIII, 4, Confer symbolum, quod Christus Discipulos suos afflaverit, &c. *Joh.* XX, 22. Porrò autem Pater Eum *dare* dicitur, & *mittere in nomine Filii*; *Joh.* XIV, 26. & *per* Filium; *Tit.* III, 6.

Sed & Filius ipsum *mittere* dicitur *à Patre*: *Joh.* XV, 26. & absolutè *mittere*; *Joh.* XVI, 7. ita ut Spiritus *accipiat de* eo quod *est Filii*; *vers.* 15. Idcirco *Spiritus Filii* appel-

appellatur; *Gal.* IV. 6. & Spiritus Christi; *Rom.* VIII, 9. 1 *Petr.* I. 11. Non ergò solùm à Patre *per Filium* procedit; quod *Græci* contra Latinos contendebant.

2. *Tertius modus & ordo subsistendi*: à Patre enim & Filio procedens, subsistit.

3. Consequenter *tertius modus & ordo operandi*: operatur enim à Patre & Filio; & modus operandi sequitur modum subsistendi.

XXIII. Ex iis, quæ modò explicata & probata sunt, evidentissimè apparet;

1. Trium Personarum, quod ad Essentiam, *Identitas*; ita quidem ut *unica & eadem numero Essentia Divina*, sit *trium Personarum communis*: adeóque Filius, quemadmodum & Spiritus Sanctus, sit Patri ὁμοούσιος, coëssentialis: propter Essentiæ identitatem: non verò tantùm ὁμοιούσιος, similis essentiæ; numero interim diversæ; quod olim volebant *Ariani*. Vide breviter *Joh.* X, 30. XVII, 11, 22. 1 *Cor.* XII. 4, 5. 6. 1 *Joh.* V, 7.

2. *Æqualitas*, seu *paritas*, & *similitudo* Personarum, inter se, respectû attributorum ac perfectionum essentialium. *Ioh.* V, 18, 19, 21. 23. 26. *Phil.* I, 6. Quæ quidem Relationes formaliter rationis sunt: sed fundamentaliter ipsa Convenientia maxime realis est; utpote essentialiter identica. Propterea Filium & Spiritum Sanctum rectè dicimus αὐτόθεον, propter essentialem independentiam; frustrà obnitentibus quibusdam *Pontificiis*; & *Remonstrantibus*.

3. Intima istarum Personorum ἐμπεριχώρησις, *mutua inexistentia*, & *circumcessio*: *Joh.* I, 1. 18. XIV, 9. 10, 11. XVII, 5. 10. 21.

XXIV. Fugiendus igitur 1. *Tritheismus Peratarum*, *Philoponi*; *Valentini Gentilis*, &c. Tres Spiritûs æternos, numero distinctos, asserentium.

2. Hæreses *Arianæ*, *Samosatenianæ*, *Photinianæ*, *Macedonianæ*, &c. Statuentes, Spiritum Sanctum esse accidentalem virtutem Dei, vel effectum aliquem in no-

bis, aut spiritum quem creatum; Filium verò non extitisse ante nativitatem ex *Maria* Virgine; & sic esse ψιλὸν ἄνθρωπον naturâ; qui olim erat *Photinianismus*, cui nunc consentit *Socinianismus*: vel Filium quidem extitisse ante nativitatem illam, imò ante mundum conditum: non tamen ab æterno, nec esse Patri coëssentialem; qui erat *Arianismus*. Sed & *Valent. Gentilis* Patrem *Essentiatorem*; Filium verò & Spiritum Sanctum *Essentiatos* dicebat. Valde similia habent *Conr. Vorstius*, *Sim: Episcopius*, &c.

3. *Sabellianismus*, unicam statuens ut essentiam, sic quoque Personam Divinam effectibus solùm, & consequenter nominibus, distinctam. Hanc hæresin etiàm olim tenuisse commemorantur *Praxeas*, *Hermogenes*, *Noëtiani*, *Patripassiani*, &c.

XXV. *Quæritur*. 1. Quid discriminis sit inter Generationem & Spirationem? *Resp*. 1. Intercedit verum discrimen, & distinctarum personarum principiativum.

2. Generatio activa competit soli Patri; Spiratio verò activa Patri & Filio.

3. Generatio non est postrema determinatio personalis in Divinis; Spiratio autem postrema est.

Scholastici dicunt, Generationem esse actum intellectûs, Spirationem verò actum voluntatis. Patrem scil. intelligendo seipsum, produxisse vitalem sui imaginem Filium; ac porrò Patrem & Filium amando suam Essentiam, produxisse vitalem propensionem, seu inclinationem, Spiritum Sanctum. Verùm 1. Conceptûs illi non sunt Scripturarii. 2. Intellectus & Voluntas, eorumque actûs, sunt tribus Personis communes; non itaque principia distinctiva Personarum.

3. Filius etiàm cognoscit se, & Patrem; atque item Spiritus Sanctus cognoscit Se, & Patrem & Filium; quin & Pater cognoscit Filium, & Spiritum Sanctum. Similiter pater amat Spiritum Sanctum; atque

atque item Spiritus Sanctus amat Patrem, & Filium, & Seipsum, &c. Sic illi conceptûs difficultatem hujus mysterii non tollunt sed augent; & plures processiones illaturi videntur; quapropter eos Auctoribus suis relinquimus.

XXVI. *Iidem* asserunt, Personas Divinas constitui per *Relationes*, quas ideò *reales* vocant: duas recensent *Processiones*; *unam* per Generationem, *alteram* per Spirationem: & quinque *Notiones*, tanquàm notas, quibus cognoscitur, unam Personam distingui ab aliâ quod ad originem; Innascibilitatem, Paternitatem, Filiationem, Spirationem activam, & Processionem per Spirationem; in quibus quatuor posteriores *Relationes reales* dicunt. Ampliùs verò Innascibilitatem, Paternitatem, Filiationem, & Processionem appellant *Proprietates*; quia distinctè singulis Personis conveniunt; cùm Spiratio activa Patri & Filio communis sit. Sed à *Proprietatibus personalibus*, quæ Personas, ut ipsi loquuntur, constituunt in esse personæ, removent quoque Innascibilitatem: quod tantùm sit negatio relationis ad personam aliquam ordine priorem. Duos etiàm nuncupant *Actus notionales*, Generationem & Spirationem: quibus respondent totidem *Potentiæ notionales*, Generativa & Spirativa: tres denique *Relationes rationis*, Identitatem, Æqualitatem, & similitudinem: quamvis nec omnia ista apud illos extra controversiam posita sint. Sed quoniam in tantis mysteriis etiàm vera & certa dicere periculosum est; nos iis contenti sumus, quæ modò evidenter ex SS. Literis deducta sunt. Quantum verò ad originem Filii & Spiritus Sancti attinet, secundùm superiora breviter dicimus, primam Personam, eo ipso quòd talis est, à se habere subsistentiam suam: eamque ab æterno hoc egisse, ut eadem numero Essentia sua etiàm altero modo subsisteret, per Generationem; à quâ activè consideratâ prima Persona appellatur *Pater*: Secunda verò ab

ab eâdem passivè spectatâ *Filius* dicitur. Ac porrò Patrem & Filium, actû iterùm æterno personali hoc egisse, ut eadem sua Essentia adhùc tertio modo subsisteret, scil. per Spirationem; undè Patrem & Filium *Spirantes* dicimus; tertiam verò Personam, *Spiritum Sanctum*. Sic pro nostro concipiendi modulo in reipsâ solidum & evidens fundamentum habemus, cui innituntur *Relationes*,

XXVII. *Quæritur* 2. Quomodò Persona Divina differat ab Essentiâ? *Resp.* 1. Distinctio illa non est solùm *rationis ratiocinantis*: habet enim Fundamentum in re. Essentia nimirum communis est tribus Personis; Persona verò dicit incommunicabilitatem: adeóque non reciprocantur formaliter adæquatè. Porrò, Essentia determinata est ad subsistendum per Personalitatem. Essentia denique concipitur abstractè, ut præscindat à personalitatibus: Persona verò concretè, cum certo quodam modo subsistendi.

2. Nec tamen est *realis distinctio*; qualis intercedit inter rem aliam & aliam. Persona enim est ipsa Essentia cum personalitate.

Sed 3. est distinctio *rationis ratiocinatæ*: illic enim spectamus rem abstractè; hic autem cum modo subsistendi.

Hinc patet; non accuratè loqui eos, qui dicunt, Personas Divinas simul sumtas non distingui, ab Essentiâ; sed quidem sigillatim consideratas.

Item, quomodò Personæ Divinæ differant ab Attributis: Attributa enim sic cum Essentiâ identificantur, ut Personis verè communia sint: sed Pesonæ suis personalitatibus ità distinguuntur, ut interim Essentiam & Attributa essentialia eadem habeant distincto modo atque ordine.

XXVIII. Quæritur 3. Quomodò Personæ dicendæ sint à se invicem distingui? *Resp.* Distinctio hæc non solùm *rationis* est; nam verè Pater alius est, & Filius

Filius alius, atque iterùm Spiritus Sanctus alius. Neque *realis*, eo sensû, ac si Pater esset alia res, vel aliud ens; Filius iterum aliud ens, &c. sed peculiari acceptione: quia est alia persona. Nec mirum videri debet, quod aliud exemplum simile dari non possit: Deus enim aliud ens sibi simile non habet. Recte autem dici potest *Distinctio modalis*, aut potius *personalis*.

Sic explicatum est hoc mysterium Trinitatis ex SS. Literis: non ex principiis naturalibus: his enim positive & solide veritatem istam inferentibus destituimur. Illustratio tamen qualiscunque à posteriori petitur aliquandò à Boni communicativitate; ex consideratione Solis, Animæ, Iridis, Trianguli, &c.

XXIX. *Obj.* 1. Deus unicus est: ergò non tres personæ. *Resp.* Unitas Essentiæ non adversatur pluralitati Personarum.

Obj. 2. Non dantur plura infinita: atqui quælibet Persona Divina statuitur infinita. *Resp.* Quælibet Persona infinita est; sed unâ eâdemque numero infinitate: ac proinde non tria infinita dicimus; sed unum infinitum,

Obj. 3. Persona est persona per essentiam suam; consequenter tres Personæ inferunt tres Essentias. *Resp.* Persona non est talis per Essentiam; sed per personalitatem, sive per modum habendi istam Essentiam:

Obj. 4. Qui ante generationem non fuit, is non est verus Deus: atqui Filius, &c. *Resp.* Nec principium generationis, nec finem admittimus; sed generationem prorsùs æternam statuimus.

Obj. 5. Si Pater Filium generavit, hoc fecit vel ex necessitate naturæ suæ; vel liberè: non priùs; id enim à Deo, agente liberrimo, alienum est; non posteriùs; sic enim Filius potuit non generari, atque adeò non esse, & consequenter non est verus Deus. Similiter dici potest de Spiratione. *Resp.* Generationis actus

personalis necessarius est, ut non potuerit non esse; itemque Spirationis: sed & liber dici potest libertate æternæ concomitantis complacentiæ.

Obj. 6. Filio non competit potentia generativa; atque adeò non omnis perfectio; quam habet Pater: cui autem deest aliqua perfectio, is non est verus Deus. Similiter de Spiritu Sancto. *Resp.* Potentia generativa singulis personis non est communis: cum ipsa non sit perfectio absoluta, vel attributum Essentiæ Divinæ; sed proprietas personalis primæ Personæ, &c.

Obj. 7. Christus negat se bonum; *Luc.* XVIII, 19. ergo non est verus Deus. *Resp.* Non negat se bonum; sed propositâ interrogatione hoc agit, ut alterum ad rectam Bonitatis ac Deitatis suæ agnitionem adducat.

Obj. 8. Christus disertè Patrem se majorem affirmavit. *Ioh.* XIV. 28. Ergo. *Resp.* Scil. secundùm humanam naturam; & œconomicè, respectû muneris Mediatorii: quæ consideratio nihil præjudicat Theologice.

Obj. 9. Spiritus Sanctus nondum erat; *Ioh.* VII. 39. Ergo. *Resp.* Istud non debet accipi de personâ Spiritus Sancti; sed metonymicè de effusione singularium donorum post exaltationem Christi peragendâ, atque isto etiàm nomine appellari solitorum. Nam *cap.* I. 32. commemoratur, Spiritum Sanctum jam descendisse in specie columbæ super Christum in baptismo ipsius, &c.

Obj. 10. Si sint duæ personæ spirantes, etiàm erunt duæ spiratæ; & sic plures tribus. *Resp.* Duæ personæ spirantes propter τὸ ὁμοούσιον unius principii rationem habent, non duorum principiorum: adeoque & Spiritus una persona rectissimè statuitur.

Obj. 11. Spiritus S. mitti dicitur, donari, effundi, &c. Istud autem à vero Deo alienum est. *Resp.* Missio illa non de potestate superioris in inferiorem; sed ratione originis & ordinis Divinarum Personarum, in sub-

subsistendo & in operando, intelligi debet. Ut & reliqua metonymicè, & respectû manifestationum & operationum, quas ista Persona tunc exerit.

Obj. 12. Spiritus interpellat pro nobis, gemitibus inenarrabilis; *Rom.* VIII, 26. 27. inferior igitur est; non verus est Deus. *Resp.* Id accipiendum virtualiter eminenter; quatenùs facit nos, omnesque alios fideles, genere & precari intimè, sanctè, juxta voluntatem Divinam.

Obj. 13. Solus Pater est verus Deus; *Ioh.* XVII, 3. ergo non Filius, aut Spiritus Sanctus. *Resp.* Negatur antecedens: neque id exstat in loco allegato. Verùm *Pater* ibi dicitur *ille solus verus Deus*: ubi particula *solus* non est restrictiva subjecti, sed prædicati; ut indicetur, *verum Deum* esse *unum solum*. Atque ità excluduntur à verâ Deitate, omnia alia ab isto uno vero: non autem Filius, & Spiritus Sanctus, qui sunt unum cum Patre, in eâdem essentiâ singularissimâ.

Obj. 14. Essentia Divina est Pater: Filius & Spiritus Sanctus non sunt Pater: Ergo, &c. *Resp.* 1 Quia Essentia Divina non est incommunicabilis, sed communis tribus personaris, vitiosus est syllogismus: similiter ut hic; Aliquis homo est Petrus: Paulus, vel Jacobus non est Petrus: Ergo, &c. 2. Corrigenda igitur est major propositio hoc modo; Essentia Divina in primo modo & ordine subsistendi est Pater: & sic nihil efficietur contra nos.

XXX. Dogma hoc de S. S. Trinitate fundamentale esse, & ad salutem creditû necessarium, asserimus contra *Remonstrantes*: & probamus, 1. ex institutione Baptismi; *Matth.* XXVIII, 18, 19, 20. „Data est *Mihi* „*omnis potestas* in cœlo & in terrâ: profecti ergo doce„te omnes gentes, *baptizantes* eos *in nomen Patris*, *&* „*Filii*, *&* *Spiritus Sancti*. Docentes eos *servare omnia*, „*quæ mandavi vobis*; Et eccè, *Ego vobiscùm sum omnibus* „*diebus* usque ad consummationem sæculi. Amen. No-

tanda initio *Potestas*, quâ Christus Sacramentum istud instituit quæ citra hoc dogma rectè intelligi non potest. Tùm *Præceptum* docendi & baptizandi Christianos in nomen trium personarum, tanquàm Domini nostri spiritualis, ex quo salus æterna pendet. Scil. ut eædem personæ distinctè apparuerunt in Baptismo ipsius Christi; sic earum confessio editur in Sacramento initiationis nostræ. Ac porrò *Mandatum* ista deinceps observandi, sub promissione tàm illustri: pro quâ *Marc.* XVI,16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur; qui verò non crediderit, condemnabitur.*

2. *Joh.* XVII,3. *Hæc est autem vita æterna, ut Te cognoscant, illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum* At Pater, ut sic, sine Filio cognosci non potest. Hinc *Joh.* XIV, 1, 19, 10. 11. *Creditis in Deum, etiam in Me credite. - Qui vidit Me, vidit Patrem - Non credis Me in Patre, & Patrem in Me esse?* Et V, 23. *Qui non honorat Filium, non honorat Patrem* Item. *Joh.* II, 23. *Quisquis negat Filium, nec Patrem habet*: propter essentialem identitatem. Spiritûs Sancti eadem est ratio. 1 *Cor.* XII, 3. „Propterea notum vobis facio, *neminem posse dicere Jesum Dominum, nisi per Spiritum Sanctum.* A verâ igitur Deitate, & consequenter à vitâ æterna aberratur, ubi Filius, aut Spiritus Sanctus, ab illâ excluditur.

3. A fine Euangelii: *Joh.* XX,31. *Ut credatis Iesum esse Christum illum, Filium Dei; & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus*, cum VIII,24. *Nisi credideritis, Me* (eum) *esse, moriemini in peccatis vestris*, & 1 *Joh.* V, 20, 21. *Scimus, Filium Dei venisse. - Hic est verus ille Deus, & vita illa æterna. Filioli, cavete vobis ab idolis. Amen.* Sed absque hoc dogmate fides istius veritatis haberi nequit.

4. Absque fide hujus articuli alia præcipua Christianæ Religionis dogmata recte teneri non possunt, utpote de Incarnatione Christi, ac porro de ipsius per-

sonâ,

sona, itemque de Salutis Impetratione validâ, & Applicatione efficaci.

Obj. 1. Plurimi homines pii mysterium istud captû suo non assequuntur; nec tamen propterea æternùm damnandi: ergo, &c. *Resp.* Fatemur, non omnibus eundem gradum fidei explicitæ obtingere: major lux sub N. T. affulsit, quàm sub V. neque adhùc æqualem omnes mensuram accipiunt. Minimum quod sic, in salutis per Dei misericordiam consequendæ negotio, non determinamus; sed quid revelatum ac præscriptum sit, & consequenter docendum atque discendum, observamus. De veritatis credendæ necessitate loquimur; non de cognitionis gradu; neque de phrasi aliquâ, aut modo explicandi, probandi, vel defendendi. Per dictam vero necessitatem excluditur tùm blasphemia, impugnatio, rejectio; tùm neglectus totalis, aut ignorantia istius veritatis.

Obj. 2. Dogma illud non habet speciales *usus practicos*: hi enim omnes resultant ex consideratione Essentiæ Divinæ, quæ unica est; non verò ex personalitatibus, earumque distinctione. Ergo, &c. *Resp.* Negamus antecedens; & contrarium ostendimus.

XXXI. *Usus practici* potissimum occurrunt: 1. Pio & grato animo agnoscamus ac prædicemus admirandam Dei benignitatem, quâ sese talem etiam subsistentiis revelavit nobis familiariter: *Matth.* XI, 25, 26, 27. *Ioh.* XVII, 1, 3.

2. Mysterium istud, à corruptâ ratione tàm alienum, sit nobis fidei, spei, charitatis, adorationis, &c. objectum: trium istarum personarum testimonio nitamur firmissime: Spiritu in nobis operante, per Filium accedamus ad Patrem, &c. Sic praxis nostra distinguatur à perfidia, idololatriâ, & superstitionibus *Achristianorum* ac *Pseudochristianorum*: *Ioh.* V, 23. XIV, 1. 1 *Ioh.* 2, 23. V, 7, 9, 20, 21. *Eph.* 2, 18. III, 12. *Matth.* XXVIII, 19.

3. In

3. In operibus externis, modum & ordinem operandi internum consideremus, celebremus: *Psal.* XXXIII, 6. *Ioh.* V, 19. *Hebr.* I, 2. I *Cor.* II, 10. Speciatim vero, quis sit nobis Pater cœlestis; quis frater primogenitus, Sponsor, Servator, &c. Quis Doctor ac Ductor veritatis, Sanctificator, Consolator, &c. *Rom.* VIII, 15, 16, 17. *Col.* I, 18. *Apoc.* I, 5. *Hebr.* I, 2, 6; 8, -12, II, 10, -13; 17. VII, 22. *Matth.* I, 21. *Col.* I, 19. II, 9. *Joh.* XIV, 6; 16, 17; 24, 26. *Rom.* VIII, II. *Ephes.* IV, 30.

4. Consideremus, ad quantam gloriam evecta sit caro nostra in Christo; & quanta nobis per Ipsum parata: *Hebr.* 2, 14, -17. *Col.* I, 19, 20. II, 9, 10. *Joh.* I, 14. 16. XIV, 2, 3.

5. Ex unitate trium Personarnm grati æstimemus unionem & communionem nostram cum Christo, & in ipso cum SS. Trinitate: I *Ioh.* V, 7. *Joh.* X, 29, 39, 38. XVII, 10, 11; 21, 22; 26, 27.

6. Ad beatissimam illam SS. Trinitatis communionem adsciti, cum aliis fidelibus unionem & communionem alacriter & prompté colamus: I *Joh.* I: 3. I *Cor.* XII, II, 12, 13, &c.

CAPUT VI.

De Decreto Dei.

Actiones Dei; immanentes; ad intra; essentiales: personales: ad extra. 1. *Decretum.* 2. Quid *supponat*; & quid *notet.* Quomodò *Consilium* appelletur. *Actus vitalis* Dei. 3. Summa in eo *Sapientia.* 4. *Libertas. Æternitas. Obj.* solv. 5. Quomodò sit ipse *Deus. Obj.* solv. *Objectum præjacens*,

cens, & *terminans*. *Ordo intentionis*, & *executionis*. 6. Decretum Dei *immutabile*. 7. *Generale*, & *speciale*. 8. Decretum *creationis*. *Providentia*. 9. Objecta *bona*. Quid de *malis*. 10. Decretum *de* immobili *vitæ humanæ termino*, probatur. 11. *Objectiones* ſolvuntur. 12. *Prædeſtinatio*. Diſtinguitur ratione *objectorum*; & *terminorum*. *Reprobatio* etiam eſt *prædeſtinatio*. c. *Pontif*. & *Luther*. 13. Electio; & Reprobatio *Angelorum*. 14. Electio *Hominum*: certorum quorundam definitè. c. *Socin*. *Remonſtr*. &c. 15. *Abſoluta*, ſeu *immutabiliter certa*: & quidem *ab æterno*. *Non ex prævisâ fide*. c. *Remonſtr*. & *Luther*. neque *meritis*; c. *Pontif*. ſed *ex mero Dei beneplacito*. 16. *Chriſtus*, quomodò iſtic ſpectandus. Sententia *Lutheranorum*; atque item *Remonſtrantium*. 17 *Finis* ejus. 18. *Objectiones* ſolvuntur. 19. Electionis *certitudò*: etiàm *ſubjectiva*. 20. *Objectiones* ſolv. 21. Hominum *reprobatio*. Etiàm *certarum perſonarum* - c. *Socin*. *Remonſtr*. &c. 22. *Ab æterno*, & *immutabiliter* facta. *Non ex prævisâ infidelitate*, &c. Sed *ex Dei placito*. 23. *Finis* ejus. 24. *Objectiones* ſolv. 25. *Remonſtrantium* ſententia. 26. *Prædeſtinatio Angelorum*, & *Hominum*, pariter collata. 27. *Praxis*. 28.

I. Sic

I. SIc de *Dei essentiâ* & *Personis*. Ipso duce, ad *Actiones* Divinas procedimus.

Harum aliæ sunt *immanentes*; aliæ *transeuntes*.

Immanentes sic in Deo manent, ut per se nihil extra ipsum constituant. Suntque vel *ad intra*, vel *ad extra*.

Priores terminantur in ipsum Deum, ratione Essentiæ aut Personarum: utpotè tùm *Essentiales*, communes tribus Personis; qualis est ex. gr. actus, quo Deus seipsum cognoscit, & amat: tùm *Personales*, singulis Personis propriæ; ut Generatio, & Spiratio.

Actus cognoscendi Patris & Filii mutuus, idem realiter est; ut & amandi: sed modus & ordo distinctus.

Actiones *ad extrà* pro termino respiciunt aliquid extra Deum; scil. creaturas.

Volitio assumendi Humanam naturam in Hypostasin Filii determinatè, est actio Essentialis; servato tamen ordine & modo Personarum; quamvis terminatio objecti, Humanæ istius naturæ, referenda sit ad hypostasin Filii distinctè.

II, Actio *Immanens ad extra* est Decretum; ipsum formaliter in Deo manens, sed objecta alia à Deo respiciens. *Jes.* XIV, 27. *Jehovah inivit Consilium*, XLVI, 10. *Consilium Meum stabit*. *Dan.* IV, 24. *Decretum Altissimi hoc*. *Eph.* I, 11. *Gen.* XL, 32. *Act.* 2, 23, IV. 28. XVII, 26, 31. Est autem actus Mentis Divinæ, ab æterno apud se liberrimè & sapientissimè constituentis, quid, & quomodò, in tempore esset futurum; ad Gloriam ipsius.

III. Decretum præsupponit in Deo notitiam possibilium; notatque ordinationem quorundam ad certam futuritionem, & quidem ad Gloriam ipsius. *Prov.* XVI, 4. *Omnia operatur Iehovah propter Seipsum*. *Rom.* XI. 36.

XI, 36. *In ipsum sunt omnia.* Eph. 1, 6, *Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ.* Rom. IX, 22, 23, 24.

Consilium aliquoties vocatur; ut patet ex præallegatis. Verùm ab hoc conceptû removenda est omnis ignorantia, addubitatio, & successivus mentis progressus. Nam *Omnia sunt nuda & intimè patentia oculis Ejus*, Heb. IV, 13. *Apud quem non est transmutatio, vel conversionis obumbratio*, Iac. 1, 17.

Concipitur ergò *actus vitalis* Dei, spectantis Sese primariò; & in Potentiâ suâ, Possibilia; deque iis seligentis, disponentis, & ordinantis quæ voluit, actû perfectissimo & simplicissimo, quamvis objecta distincta sint.

IV. *Sapientia* hîc summa est, omnia ad finem ultimum aptissimè ordinans: subordinatosque fines, & media, quam optimè disponens: Rom. VIII, 28, 29, 30. *Quos præscivit, prædestinavit; - quos prædestinavit, eos vocavit; quos vocavit, justificavit; quos justificavit, glorificavit.* X, 13,-17. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderint? quomodò credent, de quo non audierint? & quomodò audient, absque prædicante? quomodò prædicabunt, nisi missi fuerint? - Ergò Fides ex auditu est; auditus autem per Verbum Dei.* Vide etiam Eph. 1, 3,-6. Hos. 2, 21, 22. Rom, XI, 33, 34. Psal. XCIV, 9, 10.

V. *Libertas* etiàm patet *tum* ex Independentiâ, supremâque Potentiâ simul & Potestate; undè nulla violentia, aut coactio externa Deo accidere potest: Rom. IX, 19. *Voluntati ejus quis obstitit? Tum* ex summâ perfectione Intellectûs & Voluntatis ipsius; quapropter omnia decernit cum summâ ratione, adeòque etiàm complacentiâ, necessitati naturali intrinsecè oppositâ: ista celebratur, Matth. XI, 26. *Pater, quia ita Tibi placuit.* Rom. XI, 34. *Quis Ei fuit à consilio?* Adde Psal. CXV, 3. Ies. XLVI, 10, Cœcus impetus, & potentia obedientialis, Intellectui summo & perfectissimo minimè conveniunt. Sed ut Natura, sic Libertas Dei,

Crea-

Creaturarum omnium Libertatem infinita ἐξοχῇ superat. *Ies*. x, 15. *An gloriabitur securis contra cædentem ipsâ? an se magnificabit serra contra agitatorem suum?* Rom. IX, 21. *An non habet potestatem Figulus in lutum*, &c.?

V. *Æternitas* probatur, 1. generatim, ex *Act*. XV, 18. *Nota sunt Deo ab* (omni) *ævo omnia opera sua*, cum *Eph*. I, 11. *Agit omnia ex Consilio Voluntatis suæ*.

2. Specialius: 1 *Cor*. 2, 7. *Præfinierat ante sæcula*. *Eph*. 1, 4. *Elegit nos ante jactum mundi fundamentum*. 2 *Tim*. 1, 9. *ante tempora sæculorum*.

3. Ex Immutabilitate; quæ asserta est sup. cap. 4. th. 20. *Si* enim Deus extitisset aliquando sine Decreto, posteâ Decretum in sese formasset; ea foret satis insignis mutatio.

4. Ex ipsius Æternitate; de quâ cap. 4. th. 26. Deus enim non exitit tempore infinito sine Decreto suo: cæteroquin ne nunc quidem Decretum haberet. Nec tempore finito: hoc enim æternitati non convenit.

Obj. Omne æternum est necessarium: Decretum vero liberum est, non necessarium: Ergo. *Resp*. Æternitas Decreti Divini infert solummodo necessitatem ex hypothesi. Interim quatenus Deus cum summâ ratione & complacentiâ ab æterno Decretum fecit, & sic constituit de possibilibus, cum absolutè alia & aliter constituere potuisset; agnoscendum etiàm, Decretum istud esse liberrimum, & necessariò tale.

VI. Actus Decreti Divini *subjectivè & principativè* omnino Simplex est, & sic ipse Deus, contra *Vorstium*. Quamvis *objectivè & terminativè* spectet plurima alia à Deo.

Obj. 1. Deus unus est; Decreta vero multa: ergo hæc non ipse Deus. *Resp*. Actus ille vitalis in se etiàm unicus est: sed decreta multa denominamus ab objectis.

Obj. 2. Deus est ens necessarium; Decretum vero

liberum;

liberum: ergò, &c. *Resp.* Deus quidem est Ens maximè necessarium in existendo; sed & liberrimum in operando extra se. Similiter Decreti existentia necessaria est in Ente sapientissimo; quamvis terminatio ejus talis, respectu objectorum, liberrima.

Distinguendum interim *objectum præjacens*, & *terminans*. *Objectum præjacens* sunt ipsa Possibilia, sic vel aliter determinabilia, & per summam Dei potestatem ac Sapientiam ad statum qualemcunque determinanda. *Objectum terminans*, aut potiùs *terminatum*, sunt Futura, & consequenter Præsentia, vel etiàm Præterita: statum enim istiusmodi habent, quia Deus ità decrevit.

Deus etiàm decernendo *ordinem* constituit in rebus decretis: qui est vel *intentionis*, vel *executionis*. *Ordo intentionis* ad Decretum magis propriè pertinet: prout Deus sapientissimè ad fines ordinavit sua media. *Ordo executionis* succedit in complemento.

Hùc pertinet Canon; *Quod primum est in intentione, est postremum in executione; & contra:* nam in intentione finis est causa mediorum; media sunt propter finem: sed in executione, finis est ipsum effectum, quod per media obtinetur. Confer sup. cap 4. th. 62.

VII. *Immutabile* etiàm est Dei Decretum; & consequenter efficax, per ipsius Omnipotentiam. Sic conjunguntur *Manus* & *Consilium Dei*, *Act.* IV, 24. Ita *Jes.* XIV, 27. *Consilium Jehovæ quis irritum faciat? & manum Ejus quis avertat?* Prov. XIX, 21. *Consilium Jehovæ stabit.* Vide etiàm *Jes.* LV, 10, 11. Consequenter, omne Decretum in se est absolutum, respectû actûs Divini, independentis: nullum conditionatum; nisi sic objectivè denominetur.

VIII. Extendit se *Decretum* ad omnia alia à Deo: *Eph.* I, 11. Vide sup. th. 5. *Thren.* III, 37, 38. *Ecquo dicente existit aliquid, quod Dominus non præceperit? Ex ore Excelsi, an non prodit malum quodque, & bonum?* Rom.

xi, 36. Estque pro nostro concipiendi modo, vel *generale*: ubi spectatur universa omnium objectorum amplitudo: vel *speciale*, quod iterùm suos gradûs amplitudinis habet; ut Creationis, Providentiæ, de Termino vitæ humanę, Prædestinationis, &c. sed postremum istud καῖ' ἐξοχλὼ *speciale* appellatur.

IX. *Decretum Creationis* est, quo Deus ab æterno constituit, creaturas ex nihilo producere, in tempore; ad gloriam suam. *Apoc.* IV,11. *per Voluntatem Tuam sunt, & creata sunt.* *Act.* XV,18. *Eph.* I,11.

Decretum Providentiæ est, quo Deus ab æterno constituit, Creaturas conservare, iis cooperari, easque gubernare, ad gloriam Suam. Distinguitur hoc in *Effectivum* quo Deus proposuit omnia bona futura verâ efficientiâ operari; à quo *omnis donatio bona, & omne integrum donum descendit, Jac.* I,17. *Quicquid placet facit.* *Psal.* CXV, 3. & in *Permissivum*, quo proposuit mala in causis secundis non impedire. *Act.* 2, 23, 24. *Definito consilio & præcognitione Dei deditum*, &c. Similiter ferè IV,27, 28. Item *Psal.* LXXXI, 17. *Dimisi eos ambulaturos, &c.* *Act.* XIV,16. 17. *Sivit omnes gentes suis ipsarum viis incedere.* cum *Gen.* XX,6. *Cohibui te, ne peccares in Me: idcircò non sivi te attingere eam.*

X. *Futura* sunt propriè & per se *Bona*, *Mala* non nisi ratione subjecti boni sunt, aut fiunt; in quo tantùm alterius boni privationem significant: quam supplere Deo non placet; cùm etiàm, si voluisset, nihil conferre potuisset. *Imò verò, ô Homo; tu quis es qui ex adverso responsas Deo? nùm dicet figmentum fictori; cur me tale fecisti? annon habet potestatem figulus*, &c. *Rom.* IX, 20, 21.

A Decreto permissivo rectè quidem procedit illatio Logica; ut à non-actione causæ primæ, ad non-positionem effectûs. Errant autem gravissimè Adversarii, Deum hinc peccati auctorem statui calumniantes. Verè interim Deus decrevit *in genere Entis* bona facere,

facere, mala autem physicè permittere; consequenter etiam hæc necessariò futura sunt. *Matth.* XVIII, 7. *Necesse est, ut eveniant offendicula.* XXVI, 24. *Filius hominis abit, sicut scriptum est de eo,* &c. *Luc.* XXIV, 26. *Nonne hæc oportuit Christum pati?* &c. 2 *Thess.* II, 13. *Apoc.* I, 1.

XI. *Decretum de immobili vitæ humanæ termino* est, quo Deus constituit ab æterno, quamdiù quisque hominum determinatè victurus esset in hoc mundo. Quod probatur contra *Socinianos*, *Anabaptistas*, & *Remonstrantes*: 1. expressis S. Scripturæ testimoniis. *Job.* XIV, 1. 2, 5. „Homo natus muliere, brevis ætate, „-. Quandoquidem *præcisi sunt dies ejus; numerus ejus penes Te est: determinationem ejus fecisti: quas non transgrediatur*: *Psal.* XXXIX, 5, 6. - *Palmares dispoſuisti dies meos.* CXXXIX, 16. *In libro Tuo hæc omnia scripta sunt,* „(ex quibus) diebus formabantur, cùm nondum ullum „eorum (extaret.) *Act.* XVII, 25, 26. *Definitis præsti-*„*tutis temporibus, & positis terminis habitationis eorum.* *Eccl.* III, 1, 2. *Cuique sua tempestas* - *Tempus pariendi & tempus moriendi.* Vide etiam *Joh.* VIII, 20. *Jes.* XXXVIII, 5.

2. Ex eo, quòd Deus sit Arbiter vitæ & necis: dicens, *Psal.* XC, 3. *Revertimini filii hominum.* 1 Sam. II, 6. *Jehovah morte afficit, & in vitam restituit.* cum *Eph.* I, 11. *Act.* XV, 18.

3. A minori: *Matth.* X, 29, 30, 31. *Nonne duo passerculi assario veniunt: & unus ex iis non cadet in terram sine Patre vestro? Vestri verò etiam capilli capitis omnes numerati sunt. Ne igitur Timete: vos multis passerculis præstatis.*

4. Quia plurima alia; etiàm maxima ac gravissima, ab hominum vità dependent; quorum alioqui non esset certa futuritio. Confer sup. cap. 4. th. 36, 37.

XII. *Obj.* 1. Per istiusmodi Decretum tollitur omnis creaturarum libertas & contingentia. *Resp.* Imò

Deus decrevit satis multa, quæ naturâ suâ essent *libera*, vel *contingentia*; quamvis eadem necessariò futura necessitate externâ.

Obj. 2. Evertitur omnium mediorum necessitas; alimentorum, medicamentorum, precum, &c. *Resp.* Nego: Deus enim decrevit & ordinavit conditiones, ac media necessaria, ad tales fines. *Act.* xxvii, 31. *Nisi isti in navi manserint, vos servari non potestis. Hebr.* xi, 6. *Absque fide impossibile est Deo placere.*

Obj. 3. *Exod.* xx, 12. & alibi, piis longævitas promittitur; contra verò *Psal.* lv, 24. improbi dicuntur non perventuri ad medium dierum: ergo non præstitutus est iis terminus immobilis. Apertè etiam dicuntur Ezechiæ additi anni quindecim; *Jes.* xxxviii, 5. *Resp.* 1. Piis promittitur beata longitudo dierum; *Psal.* xxiii, 6. hic quodammodo inchoanda: sed in cœlesti hæreditate consummanda, cujus Canaan typus fuit: non tamen in hoc sæculo producenda ultra terminum à Deo definitum. 2. Impii autem ad medium dierum non sunt perventuri; scil. quos naturaliter, habitâ ratione valetudinis ac roboris, supervivere potuissent. 3. Ezechiæ denique post morbum istum tot anni adjecti sunt; non termino universæ illius vitæ priùs Divinitùs præfinito.

XIII. *Prædestinatio* est Decretum Dei de Creaturarum rationalium statû æterno; ad manifestandam Potentiæ, Sapientiæ, Gratiæ, & Justitiæ suæ Gloriam.

Ea ratione *objectorum* vel est *Angelorum*, vel *Hominum*.

Ratione *terminorum* vel est *Electio*, vel *Reprobatio*. *Jes.* xli, 9. *Elegi te, & non reprobavi. Rom.* ix, 13. *Iacobum dilexi, & Esavum odio habui.* 1 *Thess.* v, 9. *Non constituit nos ad Iram, sed ad salutem obtinendam.*

Non rectè contendunt *Pontificii* & *Lutherani*, Damnandorum præscientiam solùm esse; non Prædestinatio-

nationem: cum 1. etiàm illa Decretum permissivum & ordinativum præsupponat. Et 2. Spiritus Sanctus Prædestinationem disertè in isto negotio appellet: *Act.* IV, 28. *Ut facerent, quæcunque manus Tua & Consilium Tuum prius definierat* (προώρισε) *ut fierent*. Atque 3. Phrases æquipollentes occurrant: utpotè *Judæ*, 4. *Præscripti ad damnationem.* 1 *Thess.* V, 9. Et 4. *Præscientia*, aut *Præcognitio*, de Electione etiam usurpetur; *Rom.* VIII, 29. XI. 2.

XIV. *Electio Angelorum* quorundam patet, ex 1 *Tim.* V, 21. „Obtestor - in conspectû - *Electorum Angelorum.* Undè etiàm aliorum *Reprobatio* facilè colligitur. Et *Judæ*, 6. *Deus Angelos - judicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine servavit. Matth.* XXV, 41. *In ignem æternum paratum Diabolo & Angelis ejus.* Addi potest argumentum à minori, ut sup. th. 11, §. 3.

Electio Angelorum, est Prædestinatio, quâ Deus ab æterno definitè constituit, quosdam Angelos, ubi in tempore boni & sancti essent creati, per Gratiam suam conservare & confirmare in statû isto; ad ipsorum Salutem, & Gloriam Potentiæ, Sapientiæ, & Gratiæ suæ.

Reprobatio verò est Prædestinatio, quâ similiter definitè constituit aliorum lapsum permittere, in eo ipsos relinquere & gubernare, ac propter peccata æternum condemnare; ad Gloriam Potentiæ, Sapientiæ, & Justitiæ suæ.

Interim pro supremâ suâ potestate Deus talem futuritionem constituit atque ordinavit. Lapsus verò non est causa Reprobationis, volitionis istius Divinæ; quæ est independens: sed tantùm est causa demeritoria talium pœnarum,

XV. *Electio Hominum*, est Prædestinatio, quâ Deus ab æterno constituit de Hominibus, ubi in tempore ad Imaginem Suam essent conditi, sed labiles; ac deinceps, Ipso permittente, in Adamo pariter lapsi;

tanda initio *Potestas*, quâ Christus Sacramentum istud instituit quæ citra hoc dogma rectè intelligi non potest. Tùm *Præceptum* docendi & baptizandi Christianos in nomen trium personarum, tanquàm Domini nostri spiritualis, ex quo salus æterna pendet. Scil. ut eædem personæ distinctè apparuerunt in Baptismo ipsius Christi; sic earum confessio editur in Sacramento initiationis nostræ. Ac porrò *Mandatum* ista deinceps observandi, sub promissione tàm illustri: pro quâ *Marc.* XVI, 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur; qui verò non crediderit, condemnabitur.*

2. *Joh.* XVII, 3. *Hæc est autem vita æterna, ut Te cognoscant, illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum* At Pater, ut sic, sine Filio cognosci non potest. Hinc *Joh.* XIV, 1, 19, 10. 11. *Creditis in Deum, etiam in Me credite. - Qui vidit Me, vidit Patrem - Non credis Me in Patre, & Patrem in Me esse?* Et V, 23. *Qui non honorat Filium, non honorat Patrem* Item. *Joh.* II, 23. *Quisquis negat Filium, nec Patrem habet*: propter essentialem identitatem. Spiritûs Sancti eadem est ratio. 1 *Cor.* XII, 3. ,, Propterea notum vobis facio, *neminem posse dicere Jesum Dominum, nisi per Spiritum Sanctum.* A verâ igitur Deitate, & consequenter à vitâ æterna aberratur, ubi Filius, aut Spiritus Sanctus, ab illâ excluditur.

3. A fine Euangelii: *Joh.* XX, 31. *Ut credatis Iesum esse Christum illum, Filium Dei; & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus*, cum VIII, 24. *Nisi credideritis, Me* (eum) *esse, moriemini in peccatis vestris*, & 1 *Joh.* V, 20, 21. *Scimus, Filium Dei venisse. - Hic est verus ille Deus, & vita illa æterna. Filioli, cavete vobis ab idolis. Amen.* Sed absque hoc dogmate fides istius veritatis haberi nequit.

4. Absque fide hujus articuli alia præcipua Christianæ Religionis dogmata recte teneri non possunt, utpote de Incarnatione Christi, ac porro de ipsius per-

sonâ,

sonâ, itemque de Salutis Impetratione validâ, & Applicatione efficaci.

Obj. 1. Plurimi homines pii mysterium istud captû suo non assequuntur; nec tamen propterea æternùm damnandi: ergo, &c. *Resp.* Fatemur, non omnibus eundem gradum fidei explicitæ obtingere: major lux sub N. T. affulsit, quàm sub V. neque adhùc æqualem omnes mensuram accipiunt. Minimum quod sic, in salutis per Dei misericordiam consequendæ negotio, non determinamus; sed quid revelatum ac præscriptum sit, & consequenter docendum atque discendum, observamus. De veritatis credendæ necessitate loquimur; non de cognitionis gradu; neque de phrasi aliquâ, aut modo explicandi, probandi, vel defendendi. Per dictam vero necessitatem excluditur tùm blasphemia, impugnatio, rejectio; tùm neglectus totalis, aut ignorantia istius veritatis.

Obj. 2. Dogma illud non habet speciales *usus practicos*: hi enim omnes resultant ex consideratione Essentiæ Divinæ, quæ unica est; non verò ex personalitatibus, earumque distinctione. Ergo, &c. *Resp.* Negamus antecedens; & contrarium ostendimus.

XXXI. *Usus practici* potissimum occurrunt: 1. Pio & grato animo agnoscamus ac prædicemus admirandam Dei benignitatem, quâ sese talem etiam subsistentiis revelavit nobis familiariter: *Matth.* XI, 25, 26, 27. *Ioh.* XVII, 1, 3.

2. Mysterium istud, à corruptâ ratione tàm alienum, sit nobis fidei, spei, charitatis, adorationis, &c. objectum: trium istarum personarum testimonio nitamur firmissime: Spiritu in nobis operante, per Filium accedamus ad Patrem, &c. Sic praxis nostra distinguatur à perfidia, idololatriâ, & superstitionibus *Achristianorum* ac *Pseudochristianorum*: *Ioh.* V, 23. XIV, 1. 1 *Ioh.* 2, 23. V, 7, 9, 20, 21. *Eph.* 2, 18. III, 12. *Matth.* XXVIII, 19.

3. In.

3. In operibus externis, modum & ordinem operandi internum consideremus, celebremus: *Psal.* XXXIII, 6. *Ioh.* V, 19. *Hebr.* I, 2. 1 *Cor.* II, 10. Speciatim vero, quis sit nobis Pater cœlestis; quis frater primogenitus, Sponsor, Servator, &c. Quis Doctor ac Ductor veritatis, Sanctificator, Consolator, &c. *Rom.* VIII, 15, 16, 17. *Col.* 1, 18. *Apoc.* I, 5. *Hebr.* 1, 2, - 6; 8, - 12, 11, 10, - 13; 17. VII, 22. *Matth.* 1, 21. *Col.* 1, 19. II, 9. *Joh.* XIV, 6; 16, 17; 24, 26. *Rom.* VIII, 11. *Ephes.* IV, 30.

4. Consideremus, ad quantam gloriam evecta sit caro nostra in Christo; & quanta nobis per Ipsum parata: *Hebr.* 2, 14, - 17. *Col.* 1, 19, 20. II, 9, 10. *Joh.* I, 14. 16. XIV, 2, 3.

5. Ex unitate trium Personarnm grati æstimemus unionem & communionem nostram cum Christo, & in ipso cum SS. Trinitate: 1 *Ioh.* V, 7. *Joh.* X, 29, 30. 38. XVII, 10, 11; 21, 22; 26, 27.

6. Ad beatissimam illam SS. Trinitatis communionem adsciti, cum aliis fidelibus unionem & communionem alacriter & prompté colamus: 1 *Joh.* 1: 3. 1 *Cor.* XII, 11, 12, 13, &c.

CAPUT VI.

De Decreto Dei.

Actiones Dei; immanentes; ad intra; essentiales: personales: ad extra. 1. *Decretum.* 2. Quid *supponat;* & quid *notet.* Quomodò *Consilium* appelletur. *Actus vitalis* Dei. 3. Summa in eo *Sapientia.* 4. *Libertas. Æternitas. Obj.* solv. 5. Quomodò sit *ipse Deus. Obj.* solv. *Objectum prajacens,*

cens, & *terminans. Ordo intentionis*, & *executionis.* 6. Decretum Dei *immutabile.* 7. *Generale*, & *speciale.* 8. Decretum *creationis. Providentia.* 9. Objecta *bona.* Quid de *malis.* 10. Decretum *de* immobili *vitæ humanæ termino*, probatur. 11. *Objectiones* ſolvuntur. 12. *Prædeſtinatio.* Diſtinguitur ratione *objectorum*; & *terminorum. Reprobatio* etiam eſt *prædeſtinatio.* c. *Pontif.* & *Luther.* 13. Electio; & Reprobatio *Angelorum.* 14. Electio *Hominum*: certorum quorundam definitè. c. *Socin. Remonſtr.* &c. 15. *Abſoluta*, ſeu *immutabiliter certa*: & quidem *ab æterno. Non ex prævisâ fide.* c. *Remonſtr.* & *Luther.* neque *meritis*; c. *Pontif.* ſed *ex mero Dei beneplacito.* 16. *Chriſtus*, quomodò iſtic ſpectandus. Sententia *Lutheranorum*; atque item *Remonſtrantium.* 17 *Finis* ejus. 18. *Objectiones* ſolvuntur. 19. Electionis *certitudò*: etiàm *ſubjectiva.* 20. *Objectiones* ſolv. 21. Hominum *reprobatio.* Etiàm *certarum perſonarum* - c. *Socin. Remonſtr.* &c. 22. *Ab æterno*, & *immutabiliter* facta. *Non ex præviſâ infidelitate*, &c. Sed *ex Dei placito.* 23. *Finis* ejus. 24. *Objectiones* ſolv. 25. *Remonſtrantium* ſententia. 26. *Prædeſtinatio Angelorum*, & *Hominum*, pariter collata. 27. *Praxis.* 28.

I. SIc de *Dei essentiâ* & *Personis*. Ipso duce, ad *Actiones* Divinas procedimus.

Harum aliæ sunt *immanentes*; aliæ *transeuntes*.

Immanentes sic in Deo manent, ut per se nihil extra ipsum constituant. Suntque vel *ad intra*, vel *ad extra*:

Priores terminantur in ipsum Deum, ratione Essentiæ aut Personarum: utpotè tùm *Essentiales*, communes tribus Personis; qualis est ex. gr. actus, quo Deus seipsum cognoscit, & amat: tùm *Personales*, singulis Personis propriæ; ut Generatio, & Spiratio.

Actus cognoscendi Patris & Filii mutuus, idem realiter est; ut & amandi: sed modus & ordo distinctus.

Actiones *ad extrà* pro termino respiciunt aliquid extra Deum; scil. creaturas.

Volitio assumendi Humanam naturam in Hypostasin Filii determinatè, est actio Essentialis; servato tamen ordine & modo Personarum; quamvis terminatio objecti, Humanæ istius naturæ, referenda sit ad hypostasin Filii distinctè.

II, Actio *Immanens ad extra* est Decretum; ipsum formaliter in Deo manens, sed objecta alia à Deo respiciens. *Jes.* XIV, 27. *Jehovah inivit Consilium*, XLVI, 10. *Consilium Meum stabit. Dan.* IV, 24. *Decretum Altissimi hoc. Eph.* I, 11. *Gen.* XL, 32. *Act.* 2, 23, IV. 28. XVII, 26, 31. Est autem actus Mentis Divinæ, ab æterno apud se liberrimè & sapientissimè constituentis, quid, & quomodò, in tempore esset futurum; ad Gloriam ipsius.

III. Decretum præsupponit in Deo notitiam possibilium; notatque ordinationem quorundam ad certam futuritionem, & quidem ad Gloriam ipsius. *Prov.* XVI, 4. *Omnia operatur Iehovah propter Seipsum. Rom.* XI. 36.

XI, 36. *In ipsum sunt omnia.* Eph. 1, 6, *Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ.* Rom. IX, 22, 23, 24.

Consilium aliquoties vocatur; ut patet ex præallegatis. Verùm ab hoc conceptû removenda est omnis ignorantia, addubitatio, & successivus mentis progressus. Nam *Omnia sunt nuda & intimè patentia oculis Ejus*, Heb. IV, 13. *Apud quem non est transmutatio, vel conversionis obumbratio*, Iac. 1, 17.

Concipitur ergò *actus vitalis* Dei, spectantis Sese primariò; & in Potentiâ suâ, Possibilia; deque iis seligentis, disponentis, & ordinantis quæ voluit, actû perfectissimo & simplicissimo, quamvis objecta distincta sint.

IV. *Sapientia* hîc summa est, omnia ad finem ultimum aptissimè ordinans: subordinatosque fines, & media, quam optimè disponens: Rom. VIII, 28, 29, 30. *Quos præscivit, prædestinavit; - quos prædestinavit, eos vocavit; quos vocavit, justificavit; quos justificavit, glorificavit.* X, 13, -17. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderint? quomodò credent, de quo non audierint? & quomodò audient, absque prædicante? quomodò prædicabunt, nisi missi fuerint? - Ergò Fides ex auditu est; auditus autem per Verbum Dei.* Vide etiam Eph. 1, 3, -6. Hos. 2, 21, 22. Rom, XI, 33, 34. Psal. XCIV, 9, 10.

V. *Libertas* etiàm patet *tum* ex Independentiâ, supremâque Potentiâ simul & Potestate; undè nulla violentia, aut coactio externa Deo accidere potest: Rom. IX, 19. *Voluntati ejus quis obstitit?* *Tum* ex summâ perfectione Intellectûs & Voluntatis ipsius; quapropter omnia decernit cum summâ ratione, adeòque etiàm complacentiâ, necessitati naturali intrinsecè oppositâ: ista celebratur, Matth. XI, 26. *Pater, quia ità Tibi placuit.* Rom. XI, 34. *Quis Ei fuit à consilio?* Adde Psal. CXV, 3. Ies. XLVI, 10, Cœcus impetus, & potentia obedientialis, Intellectui summo & perfectissimo minimè conveniunt. Sed ut Natura, sic Libertas Dei,

Crea-

Creaturarum omnium Libertatem infinita ἐξοχῇ superat. *Ies*. x, 15: *An gloriabitur securis contra cædentem ipsâ? an se magnificabit serra contra agitatorem suum? Rom.* IX, 21. *An non habet potestatem Figulus in lutum*, &c.?

V. *Æternitas* probatur, 1. generatim, ex *Act.* XV, 18. *Nota sunt Deo ab* (omni) *ævo omnia opera sua*, cum *Eph*. I, 11, *Agit omnia ex Consilio Voluntatis suæ*.

2. Specialius: 1 *Cor*. 2, 7. *Præfinierat ante sæcula*. *Eph*. 1, 4. *Elegit nos ante jactum mundi fundamentum*. 2 *Tim*. 1, 9. *ante tempora sæculorum*.

3. Ex Immutabilitate; quæ asserta est sup. cap. 4. th. 20. Si enim Deus extitisset aliquando sine Decreto, posteâ Decretum in sese formasset; ea foret satis insignis mutatio.

4. Ex ipsius Æternitate; de quâ cap. 4. th. 26. Deus enim non exitit tempore infinito sine Decreto suo: cæteroquin ne nunc quidem Decretum haberet. Nec tempore finito: hoc enim æternitati non convenit.

Obj. Omne æternum est necessarium: Decretum vero liberum est, non necessarium: Ergo. *Resp*. Æternitas Decreti Divini infert solummodo necessitatem ex hypothesi. Interim quatenus Deus cum summâ ratione & complacentiâ ab æterno Decretum fecit, & sic constituit de possibilibus, cum absolutè alia & aliter constituere potuisset; agnoscendum etiàm, Decretum istud esse liberrimum, & necessariò tale.

VI. Actus Decreti Divini *subjectivè & principativè* omnino Simplex est, & sic ipse Deus, contra *Vorstium*. Quamvis *objectivè & terminativè* spectet plurima alia à Deo.

Obj. 1. Deus unus est; Decreta verò multa: ergo hæc non ipse Deus. *Resp*. Actus ille vitalis in se etiàm unicus est: sed decreta multa denominamus ab objectis.

Obj. 2. Deus est ens necessarium; Decretum vero liberum;

liberum : ergò, &c. *Resp.* Deus quidem est Ens maximè necessarium in existendo ; sed & liberrimum in operando extra se. Similiter Decreti existentia necessaria est in Ente sapientissimo ; quamvis terminatio ejus talis, respectu objectorum, liberrima.

Distinguendum interim *objectum præjacens*, & *terminans*: *Objectum præjacens* sunt ipsa Possibilia, sic vel aliter determinabilia, & per summam Dei potestatem ac Sapientiam ad statum qualemcunque determinanda. *Objectum terminans*, aut potiùs *terminatum*, sunt Futura, & consequenter Præsentia, vel etiàm Præterita: statum enim istiusmodi habent, quia Deus ità decrevit.

Deus etiàm decernendo *ordinem* constituit in rebus decretis: qui est vel *intentionis*, vel *executionis*. *Ordo intentionis* ad Decretum magis propriè pertinet: prout Deus sapientissimè ad fines ordinavit sua media. *Ordo executionis* succedit in complemento.

Hùc pertinet Canon ; *Quod primum est in intentione, est postremum in executione*; & *contra*: nam in intentione finis est causa mediorum ; media sunt propter finem: sed in executione, finis est ipsum effectum, quod per media obtinetur. Confer sup. cap 4. th. 62.

VII. *Immutabile* etiàm est Dei Decretum ; & consequenter efficax, per ipsius Omnipotentiam. Sic conjunguntur *Manus* & *Consilium Dei*, *Act.* IV, 24. Ita *Jes.* XIV, 27. *Consilium Jehovæ quis irritum faciat ? & manum Ejus quis avertat ?* *Prov.* XIX, 21. *Consilium Jehovæ stabit.* Vide etiàm *Jes.* LV, 10, 11. Consequenter, omne Decretum in se est absolutum, respectû actûs Divini; independentis : nullum conditionatum ; nisi sic objectivè denominetur.

VIII. Extendit se *Decretum* ad omnia alia à Deo: *Eph.* I, 11. Vide sup. th. 5. *Thren.* III, 37, 38. *Ecquo dicente existit aliquid, quod Dominus non præceperit ? Ex ore Excelsi, an non prodit malum quodque, & bonum?* *Rom.*

xi, 36. Estque pro nostro concipiendi modo, vel *generale*: ubi spectatur universa omnium objectorum amplitudo: vel *speciale*, quod iterùm suos gradûs amplitudinis habet; ut Creationis, Providentiæ, de Termino vitæ humanę, Prædestinationis, &c. sed postremum istud καθ' ἐξοχὴν *speciale* appellatur.

IX. *Decretum Creationis* est, quo Deus ab æterno constituit, creaturas ex nihilo producere, in tempore; ad gloriam suam. *Apoc.* IV, 11. *per VoluntatemTuam sunt, & creata sunt.* *Act.* XV, 18. *Eph.* I, 11.

Decretum Providentiæ est, quo Deus ab æterno constituit, Creaturas conservare, iis cooperari, easque gubernare, ad gloriam Suam. Distinguitur hoc in *Effectivum* quo Deus proposuit omnia bona futura verâ efficientiâ operari; à quo *omnis donatio bona, & omne integrum donum descendit*, *Jac.* 1, 17. *Quicquid placet facit.* *Psal.* CXV, 3. & in *Permissivum*, quo proposuit mala in causis secundis non impedire. *Act.* 2, 23, 24. *Definito consilio & præcognitione Dei deditum*, &c. Similiter ferè IV, 27, 28. Item *Psal.* LXXXI, 17. *Dimisi eos ambulaturos, &c.* *Act.* XIV, 16. 17. *Sivit omnes gentes suis ipsarum viis incedere.* cum *Gen.* XX, 6. *Cohibui te, ne peccares in Me: idcircò non sivi te attingere eam.*

X. *Futura* sunt propriè & per se *Bona*, *Mala* non nisi ratione subjecti boni sunt, aut fiunt; in quo tantùm alterius boni privationem significant: quam supplere Deo non placet; cùm etiàm, si voluisset, nihil conferre potuisset. *Imò verò, ô Homo; tu quis es qui ex adverso responsas Deo? num dicet figmentum fictori; cur me tale fecisti? annon habet potestatem figulus*, &c. *Rom.* IX, 20, 21.

A Decreto permissivo rectè quidem procedit illatio Logica; ut à non-actione causæ primæ, ad non-positionem effectûs. Errant autem gravissimè Adversarii, Deum hinc peccati auctorem statui calumniantes. Verè interim Deus decrevit *in genere Entis* bona

facere,

facere, mala autem physicè permittere; consequenter etiam hæc necessariò futura sunt. *Matth.* XVIII, 7. *Necesse est, ut eveniant offendicula.* XXVI, 24. *Filius hominis abit, sicut scriptum est de eo,* &c. *Luc.* XXIV, 26. *Nonne hæc oportuit Christum pati?* &c. 2 *Theß.* II, 13. *Apoc.* I, 1.

XI. *Decretum de immobili vitæ humanæ termino* est, quo Deus constituit ab æterno, quamdiù quisque hominum determinatè victurus esset in hoc mundo: Quod probatur contra *Socinianos*, *Anabaptistas*, & *Remonstrantes*: 1. expressis S. Scripturæ testimoniis. *Job.* XIV, 1. 2, 5. „Homo natus muliere, brevis ætate, „-. Quandoquidem *præcisi sunt dies ejus*; *numerus ejus penes Te est*: *determinationem ejus fecisti*: *quas non transgrediatur*: *Psal.* XXXIX, 5, 6. - *Palmares disposuisti dies meos.* CXXXIX, 16. *In libro Tuo hæc omnia scripta sunt,* „(ex quibus) diebus formabantur, cùm nondum ullum „eorum (extaret.) *Act.* XVII, 25, 26. *Definitis præsti-„tutis temporibus, & positis terminis habitationis eorum.* *Eccl.* III, 1, 2. *Cuique sua tempestas* - *Tempus pariendi & tempus moriendi.* Vide etiam *Joh.* VIII, 20. *Jes.* XXXVIII, 5.

2. Ex eo, quòd Deus sit Arbiter vitæ & necis: dicens, *Psal.* XC, 3. *Revertimini filii hominum.* 1 Sam. II, 6. *Jehovah morte afficit, & in vitam restituit.* cum *Eph.* I, 11. *Act.* XV, 18.

3. A minori: *Matth.* X, 29, 30, 31. *Nonne duo passerculi assario veniunt: & unus ex iis non cadet in terram sine Patre vestro? Vestri verò etiam capilli capitis omnes numerati sunt. Ne igitur Timete: vos multis passerculis præstatis.*

4. Quia plurima alia; etiam maxima ac gravissima, ab hominum vitâ dependent; quorum alioqui non esset certa futuritio. Confer sup. cap. 4. th. 36, 37.

XII. *Obj.* 1. Per istiusmodi Decretum tollitur omnis creaturarum libertas & contingentia. *Resp.* Imò

Deus decrevit satis multa, quæ naturâ suâ essent *libera*, vel *contingentia*; quamvis eadem necessariò futura necessitate externâ.

Obj. 2. Evertitur omnium mediorum necessitas; alimentorum, medicamentorum, precum, &c. *Resp.* Nego: Deus enim decrevit & ordinavit conditiones, ac media necessaria, ad tales fines. *Act.* XXVII, 31. *Nisi isti in navi manserint, vos servari non potestis. Hebr.* XI, 6. *Absque fide impossibile est Deo placere.*

Obj. 3. *Exod.* XX, 12. & alibi, piis longævitas promittitur; contra verò *Psal.* LV, 24. improbi dicuntur non perventuri ad medium dierum: ergo non præstitutus est iis terminus immobilis. Apertè etiam dicuntur Ezechiæ additi anni quindecim; *Jes.* XXXVIII, 5. *Resp.* 1. Piis promittitur beata longitudo dierum; *Psal.* XXIII, 6. hic quodammodo inchoanda: sed in cœlesti hæreditate consummanda, cujus Canaan typus fuit: non tamen in hoc sæculo producenda ultra terminum à Deo definitum. 2. Impii autem ad medium dierum non sunt perventuri; scil. quos naturaliter, habitâ ratione valetudinis ac roboris, supervivere potuissent. 3. Ezechiæ denique post morbum istum tot anni adjecti sunt; non termino universæ illius vitæ priùs Divinitùs præfinito.

XIII. *Prædestinatio* est Decretum Dei de Creaturarum rationalium statû æterno; ad manifestandam Potentiæ, Sapientiæ, Gratiæ, & Justitiæ suæ Gloriam.

Ea ratione *objectorum* vel est *Angelorum*, vel *Hominum*.

Ratione *terminorum* vel est *Electio*, vel *Reprobatio*. *Jes.* XLI, 9. *Elegi te, & non reprobavi. Rom.* IX, 13. *Iacobum dilexi, & Esavum odio habui.* 1 *Thess.* V, 9. *Non constituit nos ad Iram, sed ad salutem obtinendam.*

Non rectè contendunt *Pontificii* & *Lutherani*, Damnandorum præscientiam solùm esse; non Prædestinatio-

nationem: cum 1. etiàm illa Decretum permissivum & ordinativum præsupponat. Et 2. Spiritus Sanctus Prædestinationem disertè in isto negotio appellet: *Act.* IV, 28. *Ut facerent, quæcunque manus Tua & Consilium Tuum prius definierat* (προώρισε) *ut fierent.* Atque 3. Phrases æquipollentes occurrant: utpotè *Judæ*, 4. *Præscripti ad damnationem.* 1 *Thess.* V, 9. Et 4. *Præscientia*, aut *Præcognitio*, de Electione etiam usurpetur; *Rom.* VIII, 29. XI. 2.

XIV. *Electio Angelorum* quorundam patet, ex 1 *Tim.* V, 21. „Obtestor - in conspectû - *Electorum Angelorum.* Undè etiàm aliorum *Reprobatio* facilè colligitur. Et *Judæ*, 6. *Deus Angelos - judicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine servavit.* *Matth.* XXV, 41. *In ignem æternum paratum Diabolo & Angelis ejus.* Addi potest argumentum à minori, ut sup. th. 11. §. 3.

Electio Angelorum, est Prædestinatio, quâ Deus ab æterno definitè constituit, quosdam Angelos, ubi in tempore boni & sancti essent creati, per Gratiam suam conservare & confirmare in statû isto; ad ipsorum Salutem, & Gloriam Potentiæ, Sapientiæ, & Gratiæ suæ.

Reprobatio verò est Prædestinatio, quâ similiter definitè constituit aliorum lapsum permittere, in eo ipsos relinquere & gubernare, ac propter peccata æternum condemnare; ad Gloriam Potentiæ, Sapientiæ, & Justitiæ suæ.

Interim pro supremâ suâ potestate Deus talem futuritionem constituit atque ordinavit. Lapsus verò non est causa Reprobationis, volitionis istius Divinæ; quæ est independens: sed tantùm est causa demeritoria talium pœnarum,

XV. *Electio Hominum*, est Prædestinatio, quâ Deus ab æterno constituit de Hominibus, ubi in tempore ad Imaginem Suam essent conditi, sed labiles; ac deinceps, Ipso permittente, in Adamo pariter lapsi;

quosdam definitè, in Christo; per fidem ac resipiscentiam æternùm salvare; ad gloriam Potentiæ, Sapientiæ, & Misericordiæ suæ. Actus hic Dei, ut apparet, non est segregatio ad munus aliquod, sive Politicum, sive Ecclesiasticum; quemadmodum 1 *Sam.* x, 24. *Videtis-ne quem elegerit* Jehovah. *Ioh.* vi, 70. *Nonne Ego vos duodecim elegi*: Nec populi assumtio ad externam fœderis gratiosi communionem; de quâ *Deut.* iv, 37. *Dilexit majores tuos, elegitque semen eorum.* Sed certorum hominum ordinatio, ad salutem per fidem in Christum consequendam; Non omnium in universum; nec multitudinis vagæ. Hoc *primò* contra *Socinianos, Remonstrantes*, aliosque, probatur.

1. Ex disertis Christi verbis: *Joh.* xiii, 18. *Non de omnibus loquor; scio quos elegerim. Luc.* x, 20. *Gaudete potiùs, quod Nomina vestra scripta sint in cœlo. Matth.* xx, 26. xxii, 14. *Multi vocati, pauci Electi.* xxiv, 24. xxv, 34.

2. Ex dictis Apostolicis: *Rom.* viii, 29, 30. *Quos præscivit, etiam prædestinavit conformandos imagini Filii Sui: Quos verò prædestinavit, eos etiam vocavit*, &c. ix, 12, 13, 15, 16, 18, 21, 23. 2 *Tim.* 2, 19. *Novit Dominus Suos.* Similia sunt *Eph.* 1, 3, - 6. & 1 *Cor.* iv, 7. *Quis Te ab aliis discernit?* &c.

3. Ex Voluntatis, Decreti, ac Præscientiæ Divinæ actû purissimo.

XVI. *Secundò* asserimus, Electionem esse absolutam, atque immutabiliter certam; & talem fuisse ab æterno: Non demùm fieri absolutam in momento mortis eorum, qui fideles perseveraverint. Vide sup. th. 5.

Tertiò statuimus, Electionem illam factam non esse ex præviâ fide; contra *Remonstrantes*, & *Lutheranos*: neque ex meritis prævisis; contra *Pontificios*: sed ex merò placito Gratiæ Divinæ.

Hoc patet, 1. Ex disertis testimoniis S. Scripturæ:

Rom.

Rom. IX, 11, 12. *Nondum enim natis pueris, &c. Non ex operibus, sed ex Vocante.* 16, 18, 20, XI, 5, 6. 2 *Tim.* I. 9. *Non ex operibus; sed ex Suo præstituto.* Unde Christus, *Matth.* XI, 26, 27. *Gloriam tibi tribuo Pater, - quòd hæc occultaveris sapientibus & intelligentibus; & ea detexeris infantibus. Etiam Pater; quia sic placitum est Tibi.* Luc. XII, 32.

2. Electio est ad fidem, sanctitatem, perseverantiam. *Eph.* I, 4. *Elegit -, ut simus Sancti & inculpati. Act.* XIII, 48. *Crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Ita Christus, *Ioh.* XV, 16. *Elegi, & constitui vos; ut fructum adferatis. Rom.* VIII, 29, 30. XI, 35, 36. 1 *Cor.* IV, 7. 2 *Tim.* 2, 19. *Psal.* C, 3. *Deut.* VII, 6, -9. *Joh.* VI. 37. Sublatâ vero hâc causâ non ponitur salutaris iste effectus: *Ioh.* VIII, 47. *Non auditis, quia ex Deo non estis* X, 26. *Non creditis, quia non estis ex Ovibus illis Meis.* 1 *Ioh.* II, 19. *Apoc.* XIII, 8.

3. Fides, vel Obedientia, non potuit prævideri futura; nisi consequenter ad Decretum Dei: unde cæteroquin ista futuritio? Nec Deus eam decrevit, nisi ut medium salutis consequendæ in Christo. Confer sup. cap. 4. th. 39, & 42.

XVII. *Christus* in Electione consideratur vel *Theologicè*; & sic etiàm est idem ipse Deus eligens: vel *Oeconomicè*; & sic ipse quoque ordinatus est, ut causa & basis omnis salutis Electorum, & caput Salvandorum: 1 *Petr.* I, 19, 20. *Agnus - præcognitus ante jacta mundi fundamenta. Apoc.* XIII, 8. *Nomina scripta in libro vitæ. Agni mactati,* indè à *jacto mundi fundamento,* &c. *Eph.* I, 4. *In ipso elegit,* &c. *Hebr.* 2, 10. *Principe salutis. Joh.* III, 16. *Deus - Filium illum suum unigenitum dedit, ut quisquis credit in eum - habeat vitam æternam. Col.* I, 19, 20. *Jes.* LIII, 10. *Joh.* XVII, 6, 9, X, 29; 14, 15, 16. *Rom.* VIII, 32. *Gal.* II, 16. *Cant.* 2-16.

Non autem est propriè causa meritoria ipsius Electionis; contrà *Lutheranos*: hoc enim independentiæ

tiæ actûs istius Divini repugnant. Nec fundamentum pariter Electionis, si recipiatur; & reprobationis, si rejiciatur. Imò aliæ sunt causæ demeritoriæ damnationis: quamvis Christus etiàm ex accidenti objectum peccati sit. *Ioh.* III, 17, 18. *Misit Deus Filium, - non ut damnet mundum; sed ut servetur mundus per Eum. - Qui verò non credit, jam condemnatus est*, &c. 30. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui verò non obtemperat Filio, non videbit vitam; sed ira Dei manet super eum.* Infideles carent medio liberationis: imò quoniam *intelligentia carnis est inimicitia adversùs Deum*, (*Rom.* VIII, 7.) illi contra Christum & Euangelium exerunt malitiam suam, & condemnationem aggravant.

XVIII. *Finis* est Gloria Dei: *Prov.* XVI, 4. *Rom.* XI. 36. *Eph.* I, 6. *Ad laudem gloriosæ suæ Gratiæ.* 1 *Petr.* 2, 9. *Vos Genus Electum; - ut virtutes prædicetis Illius*, &c. Sapientissima vero est ordinatio Mediorum ad Finem. Deus nimirum in Hominibus, sibi quoque possibilibus, exerere volens ac manifestare Gloriam suam, per viam Gratiæ & Misericordiæ, salvâ interim etiàm Justitiâ suâ; actû simplicissimo æterni Decreti sui statuit, ut crearentur Adamus & Eva, boni, sed labiles: Fœdus operum cum iis iniretur; sed & posteritate, definite istâ, in iis censitâ: lapsus permitteretur; & Legalis sententia promulgaretur: interim Mediator & sponsor Θεάνθρωπος constitueretur, cujus satisfactione ac merito tali, ex miseriâ istâ liberandi, & æternùm salvandi essent isti definite; sic vocandi, justificandi, glorificandi.

XIX. *Obj.* 1. Deus vult *omnes* homines salvos fieri; 1 *Tim.* 2, 4. Ergò Electio non est certarum personarum definite. *Resp.* Per *omnes*, distributive in genera singulorum, intelligi debet universitas electorum ex singulis nationibus, ætatibus, & conditionibus hominum: & consequenter fidelium ac resipiscentium. Confer *Matth.* IV, 24. *Luc.* XI, 42. *Act.* X, 12. *Rom.* XIV, 2.

Obj.

Obj. 2. Dilexit *mundum*, eique salvando Filium dedit: *Joh.* III, 16. Ergò. *Resp.* Synecdochice intelligi debet pars electa. Confer *Rom.* XI, 12, 15.

Obj. 3. Apud Deum non est προσωποληψία; *Act.* X, 34. Ergo nec certarum duntaxat personarum electio. *Resp.* Προσωποληψία de Deo negatur; quòd nullam qualitatem antecedenter in homine spectaverit, nedum à causa alienam, ob quam unum præ alio elegisset: *Rom.* IX, 20. & consequenter ad communionem Fœderis salutaris adsciscerer. Hoc sine discrimine nunc sub N. T. obtingit hominibus cujuscunque nationis, &c. Unde nequaquam id sequitur, quod contendunt Adversarii.

Obj. 4. Aliqui priùs crediderunt; posteà perierunt. 1 *Tim.* 1. 19. 20. 2 *Petr.* II, 20, 21, 22. &c. Ergo Electio non est prorsus absoluta & immutabilis. *Resp.* Nego consequentiam. Fidem Historicam & temporariam tantùm habentes perierunt; sed isti electi non fuerunt. Aliter rès habet in iis, qui fide salvificâ præditi sunt.

Obj. 5. Absque fide impossibile est Deo placere. *Hebr.* XI, 6. Nemo igitur electus est, nisi ex fidè prævisâ; sivè, ut credens. *Resp.* Per Fidem placemus Deo; quantùm ad amorem complacentiæ attinet; sed de amore benevolentiæ, qui est in Electione, aliter judicandum.

Obj. 6. *Deus elegit pauperes mundi, divites fide, Jac.* 2. 5. Ergo ex fide prævisâ. *Resp.* Elegit, ut in tempore essent tales: non vero quasi antecedenter tales existerent, vel etiam futuri essent. Eodem versû addit Apostolus; *& hæredes Regni*: procul dubio, non quod antecedenter tales essent, sed ut tales fierent.

Obj. 7. Præcognitio antecedit Prædestinationem, *Rom* VIII, 29. ergo & Fides prævisa. *Resp.* *Præcognitio*, *Rom.* VIII, 29. ut & XI, 2. metonymicè ipsum Decretum electionis ad salutem notat; non verò prævisionem fidei: sed *Prædestinatio*, ut illi conformentur

ima-

imagini Filii, pertinet ad mediorum ordinationem: quibus iste finis obtinendus est.

Obj, 8. Electio est actus misericordiæ; *Rom*. IX, 23. supponit ergò objectum miserum: sed non rectè dicitur, objectum electionis esse hominem possibilem. *Resp*. 1. Nego antecedens. Electio est actus dominii, quod Deus etiàm habuit in possibilia. 2. Electi dicuntur *vasa misericordiæ*: quia Deus decrevit lapsum & miseriam permittere, atque indè eos per Christum liberare: hoc autem pertinet ad objectum terminans.

Obj. 9. Numerus possibilium infinitus est: objectum Prædestinationis non est infinitum: Ergò. *Resp*. Objectum præjacens est syncategorematice infinitum: sed Deus per Decretum præfinivit, quid, & quomodo futurum esset, quod ad objectum terminans pertinet.

Obj. 10. Orthodoxi passim dicunt, Deum elegisse certos quosdam homines, ex lapsû & communi miseriâ erigendos, &c. R*esp*. Sic recte objectum terminans Decreti Divini, & quidem ex parte, proponitur: nam etiàm ipse lapsus futurus erat ex Decreto Dei: nec statui debent plura Decreta in Deo realiter distincta.

XX. Electionis *certitudo* spectatur, tùm *objectivè*; de quâ sic satis constat ex sup. th. 7. & 16. tùm *subjectivè*; prout percipitur in conscientiis fidelium. Atque ità probatur contra *Socinianos*, *Pontificios*, & *Remonstrantes*.

1. Ex naturâ Fidei: *Tit*. 1, 1. *Fides Electorum Dei* cum *Rom*. VIII, 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit*. & X, 17. *Fides est ex auditu; & auditus per Verbum Dei* vocantis. Ac porrò 1 *Cor*. 2, 10. *Scimus, quæ Deus nobis gratificatus sit*. 1 *Ioh*. 2, 27. Ista *unctio docet vos de omnibus*, &c. Ergò etiam de Electione. Confer sup. cap. 2. th. 12.

2. Ex naturâ Spei; quæ *non confundit* expe-

ctantem: *Rom.* v, 5. & Fidei naturam sequitur: ista enim est *Hypostasis eorum, quæ sperantur; & demonstratio eorum, quæ non cernuntur: Hebr.* XI, 1. Sic autem expectamus, & consequenter certò adipiscimur, æternam beatitudinem: *Rom.* VIII, 23, 24, 25. quæ cum electione individuum nexum habet: *Matth.* XX, 23. XXV, 34.

3. Quia docemur, & admonemur explorare nos ipsos, & confirmare statum nostrum spiritualem, 1 *Cor.* XI, 28. *Exploret quisque seipsum.* 2, XIII, 5. *Vos ipsos tentate, an in fide sitis: vos ipsos explorate,* &c. 2 *Petr.* I, 10, 11. *Studete vocationem & electionem vestram firmam efficere. - Ità enim amplè subministrabitur vobis introïtus in æternum Regnum,* &c. Ex fructibus nimirùm arbor cognoscitur: *Matth.* XII, 33. VII, 16, 17, 18.

4. Quia Apostoli aliorum electionem celebrârunt, & Deo pro illâ gratias egerunt. *Eph.* I, 3, 4, 5. *Benedictus esto Deus, qui elegit: - qui prædestinavit nos in adoptionem,* &c. *Phil.* I, 6, 7. *Persuasum habens,* &c. scil. extraordinariâ revelatione Divinâ. Aliàs, quisque sibi sub Deo statûs sui saltem potest esse conscius: 1 *Cor.* 2, 11. *quis novit ea, quæ sunt hominis; nisi Spiritus hominis, qui in eo est?*

XXI. *Obj.* 1. Ignoramus consilium Dei: nec nobis licet inspicere librum vitæ, &c. Ergò, *Resp.* Inspicimus & legimus librum vitæ à posteriori. 2 *Tim.* 2, 19. *Abscedat ab injustitiâ, quisquis nominat nomen Christi.* 1, 12. *Novi cui crediderim.* scil. ex libro Scripturæ, & libro conscientiæ, inter se collatis.

Obj. 2. Ista certitudo faceret homines securos & profanos: ergò non est asserenda. *Resp.* Finis rectè agnitus & intentus non facit hominem securum, aut profanum: quia ad illum simul media ordinata sunt, 1 *Joh.* III, 3. *Qui hanc spem habet, castum se conservat.*

servat. *Phil*. III, 12, 13, 14. *Persequor*, *an quoque apprehendam*, &c.

Obj. 3. Sæpiùs commendatur metus, & tremor. Ergò. *Resp*. Metû & reverentiâ filiali, qualis tunc intelligitur, certitudo illa confirmatur: *Phil*. II, 12, 13, *cum timore ac tremore vestram salutem conficite*.

Obj. 4. Multi falsò putant, & jactant, se electos. Ergò. *Resp*. Illorum falsa imaginatio non debet præjudicare verè conversis, Spiritum fidei habentibus, sic credentibus, loquentibus, & facientibus: 2 *Cor*. IV, 13, *Iac*. 2, 12.

XXII. Hominum *Reprobatio* est Prædestinatio, quâ Deus ab æterno constituit de Hominibus, ubi boni, sed labiles essent creati, ac deinceps pariter lapsi, quosdam definitè in isto statû relinquere; juste, sapienter, & patienter gubernare, ac propter peccata æternùm condemnare; ad gloriam Potentiæ, Sapientiæ, & Justitiæ suæ.

Actus hic Dei etiàm *primò* respicit definite & nominatim personas quasdam; non generaliter infideles, aut impœnitentes, incerto eventû. Contra *Socinianos*, *Remonstrantes*, &c. Idque patet, 1. ex SS. Literis, non solùm negative: *Ies*. XLI, 9. *Non reprobavi te*. 1 *Thess*. V, 9. *Non constituit nos Deus ad iram*. *Apoc*. XIII, 8. *Nomina non sunt scripta in libro vitæ*. Sed & positive: *Iudæ*, 4. *Olim præscripti ad Damnationem*. *Rom*. IX, 13. *Esavum odio habui*. 17, 18. ,,Dicit enim Scriptura *Pharaoni*; *Ad hoc ipsum excitavi te*, *ut ostendam in te Potentiam Meam*, &c. *Quem vult*, *indurat*. 19, -22. ,,An non habet potestatem *figulus* in *lutum*, ut ex eâ- ,,*dem massâ* faciat aliud quidem vas ad decus, aliud ,,verò *ad dedecus*? Quid si verò *volens ostendere iram*, & *notam facere potentiam suam*, pertulit multâ cum iræ cohibitione *vasa iræ compacta ad interitum*? Confer *Prov*. XVI, 4.

2. Ex

2. Ex ratione Voluntatis, Decreti, Præſcientiæ, atque Electionis Divinæ, de quibus ſuis locis.

XXIII. *Secundò* aſſerimus, illam determinationem ab æterno, & immutabiliter factam eſſe. Rom. IX, 11. *Nondum enim natis pueris*, &c. *Judæ* 4. *Jam olim præſcripti.* Vide ſup. th. 5.

Tertiò, Reprobatio facta eſt, non ex prævisâ infidelitate, impœnitentiâ, aut apoſtaſiâ; ſed ex Dei placito. Hoc probatur.

1. Ex illuſtri loco V. T. *Prov.* XVI, 4. *Omnia operatur Jehovah propter Se ipſum, etiam impium ad diem mali.*

2. Ex dictis Chriſti; *Matth.* XI, 25, 26 „Quòd hæc „occultaveris ſapientibus & intellegentibus, -. Etiam „Pater, quia *ità placuit Tibi.* Confer, XIII, 11, -15. Joh. XII, 37-40.

3. Ex dictis Apoſtoli - Rom. IX, 11, 12, 13. *Cùm nihil feciſſent boni vel mali*, &c. *Non ex operibus; ſed ex vocante.* 17. de Pharaone; *Ad hoc excitavi te*, &c. 18. *Quem vult, indurat.* 19, -22. Vide ſup. th. 22.

4. Ex antè probatis de Voluntate, Decreto, Scientiâ, & ſpecialiùs de Electione Divinâ.

XXIV *Finis* eſt Gloria Dei; ad quam ipſe ſic exſerit Potentiam ſuam, per viam Juſtitiæ; ut admiranda interim Sapientia, Bonitas, & Longanimitas ſimul illuſtretur. Rom. IX, 17. *Ut oſtendam in te Potentiam Meam; & annuncietur Nomen Meum in totâ terrâ.* 22. *Volens oſtendere Iram, & notam facere Potentiam Suam.* XI, 33, 34. *O profundas divitias tum Sapientiæ, tum Cognitionis Dei*, &c. *Ex Eo, & per Eum, & in Ipſum (ſunt) omnia Ipſi (ſit) Gloria in ſæcula! Amen.*

Sapientiſſimè igitur & ſanctiſſimè Deus conſtituit de Hominibus, ut, poſtquàm creati eſſent boni, ſed labiles Fœdus initum, lapſus permiſſus, & ſententia legalis propoſita, ex iſta miſeria aliqui definitè non liberarentur; quin & prolapſus in peccata actualia permitteretur; iſti tales tolerarentur, gubernarentur, &

& exercerentur multis modis; ac tandem justè damnarentur, ad Gloriam Ipsius sic manifestandam. Hoc autem novissimo die plenariæ executioni mandabitur, juxta sententiam; *Matth.* XXV, 41. *Execrati, abite à Me in ignem æternum, paratum Diabolo & Angelis ejus.*

XXV. *Obj.* 1. Deus est maximè Misericors: non vult quenquam perire; 2 *Pet.* III, 9. Ergò non datur absoluta quorundam hominum reprobatio. *Resp.* Deus non vult perire quenquam electorum: ideò additur: *Patiente est in Nos animo.* Et summa Dei Misericordia non est extendenda ultra ipsius Voluntatem: *Rom.* IX, 18. *Cujus vult miseretur*; &c. A Misericordiæ effectis Justa damnatio diversa quidem est; non tamen contraria.

Obj. 2. Absoluta illa Reprobatio aliena est à justitiâ; quæ non permittit puniri, nisi peccatores. *Resp.* Reprobatio est actus absoluti Dominii: damnatio verò est actus Iustitiæ: scil. peccata sunt causæ demeritoriæ damnationis, sivè pœnarum; non autem Decreti, aut volitionis Divinæ.

Obj. 3. Si Reprobatio foret absoluta, tàm multi homines essent necessariò damnandi; nec ullis bonis operibus exitium effugerent: hoc autem absurdum est: Ergò. *Resp.* Reprobi non possunt non damnari; quia non adhibent neque ex hypothesi, & in sensû composito, adhibere possunt, media salutis: in sensû diviso tamen, si ea adhiberent, salvarentur; & per mandatum Dei ad ea obligati sunt.

Obj. 4. Sic etiàm admittenda foret Reprobatio infantium: & consequenter parentes semper deberent esse soliciti de infantibus suis; an non essent reprobi; &c. *Resp.* 1. Infantes reprobi justè damnantur, propter reatum in Adamo; *Rom.* v. 16. & Deus Judicans justificatur semper: *Rom.* III, 4, 6. IX. 20. 21. 2. Nihil est, quod fideles soliciti sint de liberis suis in infantiâ morientibus; alia de iis facta est promissio; *Gen.* XVII,

7, 10, 13, 14. *Act.* 2, 39. *Marc.* x, 14. Adolescentes vero quàm diligentissimè instruant ad pietatem: *Ephes.* vi, 4.

Obj. 5. Peccatum facit hominem reprobabilem: ergo etiam propter illud futurum, ac prævisum, facta est Reprobatio. *Resp.* Peccatum facit hominem damnabilem, aut potius reum damnationis: sed possibilis produci, etiàm est ordinabilis ad existentiam talem, & talem statum æternum. Subjecto possibili possibiles affectiones conveniunt. Et qui finem decernit, etiàm media ad eum ordinat, & conditiones pro re natâ.

XXVI. Male *Remonstrantes* quatuor Decreta subordinata statuunt: *Primum*, quo Deus decreverit Filium suum in Mediatorem & Salvatorem ponere. *Secundum*, quo resipiscentes in gratiam recipere, perseverantes per Christum salvare, impœnitentes verò damnare, constituerit. *Tertium*, quo decreverit media ad salutem sufficienter & efficaciter administrare, secundùm Sapientiam suam, quâ novit quid Misericordiam & Severitatem suam deceat. *Quartum* denique quo certas personas salvare, vel damnare decreverit.

Tribus prioribus perperam substernunt gratiam universalem; *postremo*, liberum hominis arbitrium. In *primo* spectatur jus, via, & occasio cum homine peccatore denuo agendi, & conditiones salutis præscribendi. *Secundo* dicitur actus fidei ignobilis & possibilis eligi, in conditionem salutis, reputandam pro perfectâ Legis obedientiâ. *Tertio*, dicuntur quædam saltem, eaque efficacia, media necessaria administrari; quibus homines vel statim, vel gradatim ad fidem reddantur idonei: imo etiam mediâ illa *efficaciter* dicuntur *administrari*; quod saltem ad efficiendum sint admodùm valida. In *quarto* est nexus cum prioribus tantùm contingens; nam, positis illis mediis, dicunt

posse

posse fieri ut nullus salvaretur. Gratia illis resistibilis est. Breviter, talia Decreta, eoque ordine, SS. Literis non consonant: sed contra Dei Independentiam, & pro liberi Arbitrii gloriâ temere conficta sunt.

XXVII. Sed paucis inter se conferamus Praedestinationem Angelorum & Hominum! In *Electione* utrobique *finis ultmus* est Gloria Bonitatis & Gratiae Divinae. *Subordinatus* autem, singulorum Beatitudo aeterna: *Prov.* XVI, 4. *Hebr.* XII, 22. *Phil.* III, 20.

Media etiàm utrobique sunt creatio ai imaginem Dei, & istius rectus usus, ac praxis spiritualis.

Reprobationis finis est Gloria Iustitiae. Divinae in damnatis: *Matth.* XXV, 41. 2 *Petr.* II, 4. 1 *Cor.* VI, 3.

Media, bona Origo permissio defectionis, & derelictio in istâ miseria: *Joh.* VIII, 44. 2 *Petr.* II, 4. *Juda*, 6.

Differentia est 1, in Mediis: in Angelis electis enim est Sanctitas non interrupta: *Marc.* VIII, 38. *Luc.* IX, 26. cum 2 *Petr.* II, 4. *Judae*, 6. Sed in Hominibus est Gratia per Christum Mediatorem restituta; Fides, & Resipiscentia: *Matth.* I, 21. *Joh.* III, 16. *Act.* IV, 12. 1 *Tim.* II, 5, 6. &c. Undè etiàm Misericordia Dei elucescit. *Rom.* IX, 15, 18, 23, XI, 32.

2. Multis hominibus reprobis praedicatio Euangelii etiàm suo modo obtingit; sed nullis Angelis: 1 *Tim.* III, 16. *Hebr.* 2, 16.

XXVIII. *Praxis* esto: 1. Humiliter sublimitatem, & sapientiam Decreti Divini admiremur, adoremus: *Rom.* XI, 32.

2. Nunquam media à fine suo separemus: *Matth.* IV, 6, 7. *Rom.* III, 8. X, 13, -16.

3. Vocationem & Electionem nostram piâ praxi firmam faciamus: 2 *Petr.* I. 10, *Joh.* XV, 16. 1 *Petr.* II, 9. *Eph.* I. 4. cum *Luc.* XIII, 23, 24. *Act.* I, 7. Eum maximè reverentes ac diligentes, qui nos sic elegit: 1 *Joh.* IV, 9. *Eph.* I, 5. *Jos.* XXIV, 14, 15. *Deut.* VII, 6, 7, 8. *Psal.* LXIII, 9. LXXIII, 23, -26.

4. To-

4. Totam Salutis nostræ methodum Deo adscribamus: *Phil.* 2, 12, 13. *Eph.* 2, 8, 9, 1 *Cor.* IV, 7. *Ps.* CXXXVIII, 8.

5. Adversus omnes tentationes animum muniamus charitate Dei, & fiducia in ipso: *Rom.* VIII, 28, - 37. 1 *Joh.* IV, 18. cum *Rom.* XI, 29. 2 *Tim.* 2, 19.

6. Creaturis peccantibus culpam omnem tribuamus: *Rom.* III, 4. - IX, 19, 20, 21.

7. Ex consideratione Severitatis Divinæ in aliis, Gratiam nobis præstitam magis admiremur, & animo grato celebremus: *Rom.* IX, 22, 23. XI, 32, -. XII, 1. 1 *Thess.* V, 8, 9. 2. II, 13. 1 *Joh.* IV, 10, 11.


CAPUT. VII.

DE CREATIONE.

Actiones Dei *transeuntes. Productio creativa. Eductiva. Creatio mundi.* 1. Creatio actio *Dei propria*; etiam contra *Pontif.* 2. *Objectiones* solvuntur. 3. Creatura ne quidem ejus *causa instrumentalis physica* esse potest. *Obj.* solv. 4. Creatio *activè* spectata, est ipse Deus. *Obj.* solv. 5. Nulla Creatura *ab æterno* esse potuit. 6. *Objectiones* solv. 7. An Mundus potuerit *citiùs*, *aut seriùs* creari. 8. *Quandò* creatus; & *quo ordine. Creatio immediata:* & *mediata.* 9. Opera *primi diei. Cœlum cœlorum.* Ejus *situs.* 10. *Angeli. Quandò* creati. Eorum *exiſtentia* prob. c. *Sadducæos*, &c. 11. *Nomina. Definitio.* 12. *Substantiæ spirituales.* Eorum *intellectus.* Quomodò *futura* sciant. Eorum *libertas.* 13. *Potentia. Affectûs* 14. *Completa per se subsistentia.* Non habent

bent *corpora*. Neque illis convenit *generatio*; aut *corruptio*. 15. *Locus definitivus. Motus. Ævum*. 16. *Numerus. Ordo. Archangelus. Classes*, & *chori* temerè à *Pontif.* definiuntur. 17. *Boni*; & *Mali*. 18. *Boni*. Eorum *officia*. An cuique Homini assignatus suus *Angelus custos. Obj. solv. Gabriel. Honor*. 19. *Mali Angeli. Spectra. Effecta* alia noxia. *Corporalis obsesio*. Actiones circa *animam. Beelzebub*. 20 *Æther*: & *Aer*. 21. *Terra*: & *Aquæ*. Quomodo his *Spiritus incubuerit*. c. *Socin*. & *Pontif*. 22. *Lux* Non absque *subjecto*; c. *Pontif*. 23. *Consectaria* contra *Philos. qu*. 24. *Infernus*. 25. *Secundo die* factum *expansum. Meteora*. Non statim adjecta *specialis approbatio*. 26. *Tertio die* segregatæ *Aquæ* à *Terrâ*. *More*: ejus *salsedo*: & *motus*. 27. In Terrâ *partes salsæ*, *sulphureæ*, *mercurialis*: *Metalla*, aliaque *mineralia*. *Ignes*, & *Flatûs subterranei*; &c. *Herba*; *frutices*; *arbores*. Earum *nutritio*, & *generatio*. *Plantanimalia*: & *Sponte orta*. 28. *Quarto die* facta *Luminaria*: duo *magna*; & *stellæ* reliquæ: *erraticæ*; *fixæ*. Earum *usus communis. Speciales*. 29. *Motus. Influentiæ*. Vanæ *prædictiones Genethliacorum. Signa extraordinaria*. 20. Consectarium de *Solis motû*, & *Terræ quiete*. 31. *Exc*. & *Obj*. solvuntur. 32. *Animalia*: atque in iis *corpus*; & *Anima sensitiva. Sensûs*, tum *interni*; tùm *externi*. *Appetitus sensitivus. Facultas locomotiva*. 33. *Quinto die* producta. *Sexto. Amphibia. Homo*. Ejus

jus partes *essentiales*. *Adamus*, & *Eva*. Ille initio non *bicorpor*. Non *Lilith*. Non *Præ-Adamitæ*. 34. *Corpus viri*, undè: atque item *Mulieris*. *Propagatio*. *Conformatio*. 35. *Anima* à Deo *immediatè* creata. Ejus *immaterialitas*. Adhùc in singulis à Deo *creatur immediatè*. *Obj.* solv. *Immortalitas*. *Intellectus*. *Voluntas*. *Iudicium*. *Libertas*. *Unio* illius cum Corpore. Non *modus*, &c. 36. *Imago Dei*. Homo non factus ad *Imaginem Angelorum*; c. *Pontif.* nec ad *Filium Dei incarnandum*; c. *Anabapt.* 37. Ista *Imago* quid *supponat*. *Formaliter* consistit in spirituali *sapientiâ*, *Justitia*, & *sanctitate*; c. *Socin.* *Obj.* solv. 38. *Justitia originalis*. Quæstio minimè *inepta & inutilis*; c. *Remonstr.* Adam habuit *potentiam credendi in Christum*. 39. Rectè dicitur *naturalis*; c. *Pontif.* 40. Opinio *Pontif.* de *morbo morali* naturæ concreato: atque item *Remonstr.* *Inclinatio ad malum* verè vitiosa est. 41. *Gratia primi hominis*: *habitualis*. 42. Quæ *consecutivè* ad Imaginem Dei pertinuerint. *Dominium*. In eo Imago Dei non consistebat *formaliter*; c. *Socin.* & *Remonstr.* 43. *Immortalitas*, nisi homines peccâssent. c. *Socin.* 44. Illorum *distinct.* & *obj.* solvuntur. 45. Creatio singulorum *momentanea*: sex tamen diebus *distincta*. *Anni tempestas*. Quies *septimi diei*. 46. *Creatura*. *Mundus*. 47. *Unus*. *Finitus*. 48. *Praxis*. 49.

I. *Ctiones Dei transeuntes* dicuntur, per quas alia entia extra Deum constituuntur. Suntque *Creatio*, & *Providentia*.

Productio rei vel est *creativa*, vel *eductiva*. *Illa* est ex nihilo. Sic *in principio creavit Deus Cœlos & terram. Et terra erat solitudo & inanitas*: *Gen.* 1, 1, 2. Confer *Hebr.* XI, 3. *Quæ cernimus non sunt ex apparentibus facta*. Per Generationem, & Artem, multa producuntur ex materiâ; sed hîc longè aliter factum: sc. 2 *Cor*, IV, 6. *Deus dixit, ut è tenebris lux splendesceret*, & *Rom.* IV, 17. *Vocans quæ non sunt, tanquam sint*.

In *hâc*, forma materialis è potentiâ materiæ educitur, per causam efficientem idoneam.

Pleniùs describitur *Creatio*, Actio Dei transiens, qua Ipse universum mundum, & quæcunque in eo sunt, principio temporis, sex diebus, produxit ex nihilo; ad gloriam Potentiæ, Bonitatis, ac Sapientiæ Suæ demonstrandam.

II. *Creatio* est actio Dei propria; ità ut ex illâ vera Deitas rectè colligatur. Malè autem statuit *Avicenna*, Angelum supremum creâsse sibi proximum, & sic deinceps; infimum verò Angelum corpora creâsse. Similiter ferè *Simoniani*, *Gnostici*, aliique, creationem Angelis, Æonibus, aliisque fictis Potestatibus tribuebant. His affines *Pontificii*, propter Transsubstantiationem, virtutem creativam creaturis communicabilem esse disputant.

Nostra sententia probatur:

1. Expressis locis S. Scripturæ: *Psal.* XIX, 2, *Cœli enarrant gloriam Dei*, &c. *Jes.* xl, 26. *Videte, quis creaverit ista.* xliv, 24. *Ego Jehovah facio omnia: extendo cœlos Solus: expando terram per Me ipsum.* Rom. I, 20. *Ex creatione intelligitur ac perspicitur æterna Potentia ac Divinitas.* Confer *Gen.* I, 1. *Psal.* XXXIII, 6. *Jes.* xlv, 6, 7.

xlv, 6, 7. *Jerem.* x, 11. *Ioh.* ix, 8. Hinc propterea colligitur Divina ἐξοχὴ: *Apoc.* iv, 11. *Dignus es, Domine, qui accipias Gloriam, & honorem, & virtutem: quia Tu condidisti omnia: & per Voluntatem Tuam sunt; & creata sunt.* Quare non mirum, *Pontificios*: cultum religiosum creaturis etiam communicare; & sic, quantum possunt, argumenta enervare, quibus contra *Antitrinitarios, Arianos, Photinianos,* &c. Deitas Filii & Spiritus S. probatur. Vide *Hebr.* I, 6, 8, - 12. III, 3, 4.

2. *Ratione*: Actio requirens infinitam potentiam, ab ente finito procedere nequit. Atqui talis est Creatio; propter infinitam terminorum distantiam: nulla enim proportio, vel affinitas est, inter nihilum, & inter ens verum, quod creatione producitur.

3. Causa creans debet esse ὑπερεσία; ut essentias alias, per creationem producendas, eminenter & virtualiter contineat; & citra mutationem, vel diminutionem sui, eas ex se producere possit: hoc autem nulli creaturæ convenit: sic enim infinita esset, eminenter habens τὸ esse creaturarum.

4. Substantia non recipit magis & minus: & creatæ substantiæ in Ente, ut genere univoco, conveniunt: consequenter una aliam, in ratione essendi absolute, causare non potest.

III. *Obj.* 1. Inter rem creatam & nihilum non datur distantia infinita: major enim est distantia inter Deum & nihilum. Omnis res creata infinita est; & suâ solùm entitate distat à nihilo: distantia igitur ista finita est: & ad eam superandam non necessariò requiritur Potentia activa infinita. *Resp.* Distantia terminorum actionis, ex habitudine unius ad alterum petenda est: non autem à perfectione, vel ab amplitudine unius termini. At verò inter substantiam creatam, & nihilum, nulla prorsùs est affinitas, aut proportio; æquè ac inter Deum & nihil. Idcircò rectè dicitur

diſtantia illa infinita: nec ſuperari poteſt, niſi per Potentiam activam infinitam.

Obj. 2. Generatio etiàm eſt mutatio à non eſſe ad eſſe ſimpliciter; & tamen creaturæ poſſibilis: ergo etiam Creàtio. *Reſp.* Generatio materiam præſupponit; atque hoc efficit, ut ea fiat individui in tali ſpecie. Imo ipſa forma in potentiâ illius latuit, ex quâ educitur à causâ facultatem ita proportionatam habente. Et propter paritatem eſſendi, non abſolutè ratione eſſentiæ; ſed tantùm ratione convenientiæ ſpecificæ, cauſa generans ſubjectum, potentiam ad ſimilem formam habens, ſic perficere & ſibi aſſimilare poteſt.

Obj. 3. Deus omnipotens creaturas producere potuit quam maximè efficaces ad agendum; ergo etiam ad creandum. *Reſp.* Deus ſecundùm voluntatem ſuam, per omnipotentiam, dedit creaturis eſſe ex nihilo; & ſingulis ſphæram activitatis ipſarum: ſed hanc non-infinitam; quia id contradictorium foret.

Obj. 4. Creaturæ productæ ſunt per creationem; quæ ipſa etiam creatura eſt: non enim eſt Deus. Ergo creatura per creaturam produci poteſt. R*eſp.* Creatio activa non eſt creatura; ſed eſt ipſe Deus creans, ſive hoc agens ſine ullâ mutatione Sui, ut creatura exiſtat in tempore.

Obj. 5. Omnipotentia non videtur attributum Dei incommunicabiliter proprium: quia ſola Independentia talis eſt. Sed creatura omnipotens ſaltem poſſet aliam creaturam producere ex nihilo. *Reſp.* Imo omnipotentia eſt Dei proprium attributum; infinitatem, adeoque Independentiam, involvens: & non niſi unica eſſe poteſt. Vide ſup. cap. 4. th. 19. §. 2. Omnipotentiam dependentem fingere, cum *Pontificiis* quibuſdam, eſt ſibi contradicere.

IV. *Creatura* ne quidem *cauſa inſtrumentalis phyſica creationis* eſſe poteſt: contrà quàm *Ariani* volebant dicen-

dicentes, τὸν Λόγον creasse mundum, tanquam instrumentum Patris: nam Instrumentum physicum, à causâ principali motum, objectum attingit, eique actum aliquem imprimit, qui etiam sic virtualiter fuit in illo: sed in creatione, neque subjectum præsupponitur; neque creatura virtualiter in se habet actum absolutè essendi alterius creaturæ.

Obj. 1. Creatura potest esse causa instrumentalis miraculorum. *Resp.* 1. In miraculis supponitur objectum. 2. Et causa instrumentalis ibi datur tantùm moralis.

Obj. 2. *Per Filium* dicuntur omnia creata; *Ioh.* 1, 3. 10. *Resp.* 1. *Per* non semper instrumentum notare, patet ex *Rom.* XI, 36. 2. Filio etiam absolutè tribuitur creatio: *Hebr.* I, 10. *Tu terram fundâsti*, &c. Confer III, 3, 4. 3. *Per* rectè ad ordinem operandi refertur. Vide sup. cap. 5. th. 16. §. 4.

V. Creatio vel *activè* spectatur, vel *passivè*. *Priori modo* est ipse Deus creans; sive potentiam suam activam sic exerens, ut creatura existat in tempore, sine aliâ in Deo mutatione. *Ies.* XL. 28. *Nonne audivisti, Deum Creatorem non defetisci, nec defatigari?* &c. *Psal.* CII, 27, 28. *Hebr.* I, 10, 11, 12. *Tu, Domine, Terram fundasti*, &c. *Tu idem es, & anni Tui non deficient*, &c. *Iac.* 1, 17.

Posteriori modo est ipsa creatura, quatenus actus Dei in eâ terminatur, & sic ipsa ex nihilo producitur: quia nec substantia, nec accidens, extra Deum & Creaturam datur.

Obj. 1. Si Dei actio creativa esset ipse Deus, etiàm Dei actio eductiva esset ipse Deus; & consequenter eductiva esset quoque creativa: quod absurdum. Ergo, &c. *Resp.* Actio eductiva Dei, ut causæ primæ, activè spectata, formaliter tantum, quatenus talem terminum respicit, & tali modi, à Deo, & actione Creativâ distinguitur; non realiter.

Obj. 2. Si creatio activè spectata esset ipse Deus etiam

etiam foret æterna; & consequenter creaturæ quoque æternæ forent. *Resp*. Actus Dei æternus est, cujus vi in tempore creatura existit.

Obj. 3. Electio Dei æterna est; & propterea recte dicitur Angelus, vel Homo aliquis, ab æterno electus. Similiter etiam mundus ab æterno creatus dici deberet, si creatio activa esset æterna. *Resp*. Nego consequentiam. Angelus, vel Homo aliquis, recte dicitur ab æterno electus; quia ista est actio immanens: sed aliter de actione transeunte, Creatione scil. dicendum; quæ creaturam constituit extra Deum, cum affectionibus creaturæ convenientibus.

VI. Creatio *in principio* temporis facta est: *Gen.* I, 1. Ante quod nihil nisi æternitas fuit. Nulla creatura ab æterno esse potuit: quare etiam ex æternitate Deitas vera solide colligitur.

Rationes sunt, 1. Æternitas, ut attributum infinitum, creaturæ, tanquam subjecto finito, non convenit.

2. Creator suam ἐξοχὴν, actûs purissimi in existendo, alteri dare nec vult; nec velle potest.

3. Conceptus Creationis æternitatem excludit: cùm enim sit productio rei ex nihilo, necesse est ante illam productionem nihil istius rei extitisse; & sic eam aliquando non fuisse.

4. Ut & multiplex mundi mutatio. Præteritum enim terminatur præsenti: plures dies ab ejus initio lapsi sunt, quàm menses; & plures menses; quam anni: sed ex hypothesi, jam lapsi forent anni infiniti; infinito autem majus non datur. Durationis partes finitæ sunt; sed ex partibus finitis, infinitum constitui non potest.

VII. *Obj.* 1. Actiones Divinæ personales, Generatio & Spiratio, terminum suum habuerunt ab æterno: Filius enim Patri coæternus est; atque item Spiritus Sanctus. Ergo creatio similiter ab æterno terminum

num suum habere potuisset. *Resp.* Ὁ Λόγος genitus est, & Spiritus S. spiratus, ab æterno: sed aliter se habent actiones externæ; quæ ponunt alia entia præter Deum, entia finita, cum affectionibus finitis.

Obj. 2. Deus ab æterno omnipotens, etiam ab æterno potuit mundum creare; consequenter mundus potuit ab æterno creari. *Resp.* Deus certè ab æterno fuit omnipotens, atque adeo potens creare mundum: sic tamen ut mundus, & singulæ creaturæ forent finitæ, haberent affectiones finitas, etiàm durationem finitam; ac proindè initium suæ existentiæ; quod ab æternitate alienum est.

Obj. 3. Angeli & Homines habent æternitatem à parte posteriori: nihil ergò repugnat, quo minùs creatura aliqua eam habeat à parte priori. *Resp.* Creaturis illis æternitas à parte posteriori, & potentialis, sive syncategorematica, tantùm competit: undè non valet consequentia ad absolutam æternitatem, in quâ est infinitas categorematica, sive actualis; cujus subjectum finitum non est capax.

Obj. 4. Tempus fuit æternum, ac proindè etiàm motus: hic enim mundus creatus est in tempore, sive in principio temporis: istud ergò priùs extitit. Consequenter etiàm creatura similiter ab æterno existere potuit. *Resp.* Motus & tempus non fuerunt ab æterno: sed Deus æternus mundo principium dedit, prout voluit; & motum impressit, qui indè continuatur; ac porrò tempus observatur, & mensuratur.

VIII. *Quæritur*, an mundus potuerit citiùs, aut seriùs creari, quàm creatus est? *Resp.* Deus ante mundum conditum exstitit solus, ipse sibi sufficientissimus; & mundo principium dedit, à quo deinceps ejus duratio continuatur & æstimatur: Quarè 1. antè principium formaliter, esse non ponitur: creando enim principium dari necesse fuit.

2. Nec per aliquod tempus actuale, vel annos re-

ipsâ lapsos, principium mundi anticipari potuit: nullum enim tempus tunc actû fuit, nulli anni.

3. Neque ex hypothesi Decreti, potuit mundus citiùs, aut serius creari.

4. Interim in sensû diviso prius esse potuit principium mundi, vel etiàm posterius: ut scil. plures, vel pauciores anni, à principio mundi, ad hunc præsentem annum, lapsi fuissent; siquidem Deo ità placuisset. Ægyptii, aliique, centena annorum millia modò lapsa finxerunt; quæ quidem SS. Literis planè adversantur: interim per Dei æternitatem, & absolutam potentiam, ista non erant impossibilia. Chronologi tempora sæpiùs distinguunt annis *Periodi Julianæ*, ob certiorem horum rationem. Istam verò conficiunt ex *Cyclis Solis, Lunæ,* & *Inductionis*; annorum scil. 28, 19, & 15. invicem ductorum: ut exurgat summa 7980. Secundùm quosdam mundus conditus est anno istius Periodi 763. quamvis alii aliter supputent. Sed accipiamus istam hypothesin: Deus tamen, si voluisset, potuisset mundi initium constituere in annum istius periodi 700, vel 100, vel 1. vel aliter omninò.

IX. Constat ex SS. Literis, Mundum ante Diluvium extitisse annos 1656. & ante Nativitatem Christi in universum circiter 4000.

Qui verò longum ante mundi creationem otium reputant, ii Æternitatem, Sufficientiam, Actus ad intrà, Decretum, & Efficientiam Dei non intelligunt.

Ordo operis istius ἑξαημέρου fuit hujusmodi:

Prima dies Cœlos, Terram, Lucemque creavit.
Altera distendit Spatium, discrimen Aquarum.
Tertia se cernens Undas, dat Gramina campis.
Quarta creat Solem, Lunam, fulgentiaque Astra.
Quinta tulit Pisces; eadem genus omne Volucrûm.

Sexta

Sexta dedit pecudes ; post quas hominem Deus ipse,
Condidit. Hinc operis Requies, *Lux septima* fulsit.

Tenenda interim *distinctio Creationis* in *Immediatam*, & *Mediatam*. *Immediata* per se creatio est ; ex nullâ omninò præjacente materiâ. Ita creati sunt Angeli, Cœlum ac Terra primo die, & Animæ hominum. *Mediata* facta est ex inhabili materia, quæ tamen priùs ab eodem Creatore immediatè fuerat ex nihilo producta. Ità creatæ sunt Plantæ, Bestiæ, & Corpora Hominum. Sed *Generatio* Materiam habilem prærequirit.

X. Opera primi diei recensentur, *Gen.*I, 1, -5. Ubi *Cœlorum* nomine intelligitur *primò Cœlum Cœlorum* : 1 *Reg.* VIII, 27. h. e. supremum ; vel *Tertium*, aliàs *Paradisus* ; 2 *Cor.* XII, 2, 4. Vulgò *Cœlum empyreum* ; & *Beatorum*. Singulari ratione dicitur Deus istìc esse, vel habitare : *Deut.* XXVI, 15. *Psal.* CXV, 3. 16. *Matth.* VI, 9. & Thronus Ipsius : *Ies.* LXVI, 1. Domus Patris, in quâ mansiones multæ, ubi Christus suis locum parat : *Joh.* XIV, 2. ubi electis Regnum paratum est à jacto mundi fundamento : *Matth.* XXV, 34. ubi sic est nostrum πολίτευμα : *Phil.* III, 20. Sicut etiam Angeli faciem Patris ibi semper vident : *Matth.* XVIII, 10. *Marc.* XII, 25.

Sitû autem existit *supra omnes cœlos*, nunc nobis conspicuos : *Eph.* IV, 10. Estque Civitas illa habens fundamenta, cujus artifex & conditor est Deus. *Hebr.* XI, 10. Ex quibus satis constat, verè creaturam esse ; non ipsum Deum : & esse substantiam extensam : atque adeò corpoream : sed finitam ; contra *Ubiquitistas*.

Singula quidem istùc spectantia, nondùm plenè ac distinctè cognoscimus ; dûm hîc peregrinamur, per fidem

dem ambulantes, non per aſpectum: *Hebr.* XI, 9, 13. 2 *Cor.* V, 7. & nondum manifeſtum eſt factum quod erimus: 1*Joh.* III, 2. Interim piè conſiderari & huc applicari poteſt viſio Prophetica, & allegorica deſcriptio, *Apoc.* XXI, 10, &c.

XI. *Secundò*, metonymicè etiàm connotari exiſtimamus *Angelos*, Cœli iſtius habitatores, & *Exercitus*: *Luc.* 2, 13. 1 *Reg.* XXII, 19. *Nehem.* IX, 6. tanquam ſimul à Deo creatos: *Gen.* II, 1. *Neh.* IX, 6. *Pſal.* XXXIII, 6. *Exod.* XX, 11. Undè etiam *Col.* I, 16. *Per Eum* (Filium) *Condita ſunt omnia, quæ in Cœlis ſunt*, & *quæ in terrâ, viſiblia, & inviſibilia, ſive dominia, ſive imperia, ſive poteſtates*, &c. *Rom.* XI, 36. *Omnia ſunt ex Eo*, &c. *Pſal.* CIV, 4. *Hebr.* 1, 7. *Facit Angelos ſuos ventos, Miniſtros ſuòs ignem flammantem.* Ubi ſic exprimitur Dei Providentia circa Angelos, ut ipſa Creatio ſupponatur & innuatur ſimul.

Propriùs autem de tempore primordiali colligimùs, ex *Job.* XXXVIII, 4, -7. *Cùm fundarem terram*, &c. *cùm canerent ſimul Stellæ matutinæ, & vociferati ſunt omnes Filii Dei.* Non ergò ſeriùs creati ſunt: eſſe enim naturâ ſaltem prius eſt, quàm agere. Sed neque ante primum diem, & principium Moſaïcum: cùm hoc fuerit omninò primum; neque ante ipſum extiterit, niſi Deus in ſuâ æternitate; contra *Arianos* & *Socinianos*: *Joh.* XVII, 5. *Eph.* I, 4. 1 *Petr.* I, 20. *Pſal.* XC, 2. *Prov.* VIII, 22, -.

Obj. Atqui Moſes, in deſcribendâ hiſtoriâ creationis, non facit ſpecialem Angelorum mentionem. *Reſp.* Nihil mirum; cùm etiàm plures creaturarum ſpecies diſertè non recenſuerit; ea, quæ Eccleſiam militantem propriùs ſpectant, ſummatim exponere volens. Parciùs de Angelis agitur paſſim in SS. Literis; quô magis intenti ſimus rebus noſtris, & à ſuperſtitionibus caveamus accuratiùs: *Col.* II, 18.

Fugiendus autem error *Sadducæorum*; *non eſſe Reſurrectionem mortuorum, neque Angelum, neque Spiritum*; *Act.*

XXIII,

XXIII, 8. quibus affines sunt *Libertini*; Angelos nihil aliud esse existimantes, quam cogitationes hominum, sive bonas, sive malas. In SS. Literis occurrunt testimonia satis multa: commemorantur apparitiones, & operationes, tùm in corporibus assumtis, tùm aliæ: speciatim facta circa ipsum Christum; *Matth.* IV, 1, -11. *Luc.* XXII, 43. indicantur præmia, & pœnæ eorum. Accedunt effecta per experientiam observata, quæ neque ad Deum, neque ad causas naturales, neque ad animas separatas referri possunt. Quin & ordo atque concinnitas universi admodùm probabiliter Angelorum existentiam suadet.

XII. Nomina מַלְאָךְ, & Ἄγγελος, ab officio desumta: undè etiàm Filius Dei œconomicè *Angelus fœderis*; *Mal.* III, 1. *Jehovah*; *Exod.* III, 2, -8. XXIII, 20, 21. & *facierum ejus* dicitur: *Jes.* LXIII, 9. Angeli scil. annunciant, & exequuntur; quæcunque Deus mandat: *Psal.* CIII, 20, 21. *Exercitûs Cœlestes* dicuntur; propter ordinem, potentiam, & promtitudinem: undè etiam *Vigiles*; *Dan.* IV, 16. *Ventis* & *igni flammanti* assimilantur; ob eximium, agile, & valdè penetrans robur. *Stellæ* item *matutinæ* nuncupantur; ob lucem sapientiæ, sanctitatis, & gloriæ; quæ bonis Angelis competit. Undè & *Angelorum lucis* appellatio, 2 *Cor.* XI, 14. Dicuntur insuper *Filii Dei*; quoniàm à Deo creati in statû illustri, ad imaginem Ipsius. *Throni*, *Potestates*; ob gloriam, & rerum gerendarum magnitudinem, dùm Deo ministrant. Profani Scriptores Græci passim Δαίμονας; Latini *Genios* appellant.

Sunt autem Angeli, Substantiæ spirituales, per se completè subsistentes, à Deo secundùm imaginem Suam, singulari quâdam perfectione, ad ministerium Suum, conditæ.

XIII. *Substantias Spirituales* dicimus; ut naturam in iis intellectualem, molis & extensionis corporeæ expertem, denotemus. *Hebr.* I, 14. *Ministratorii spiritûs.*

Matth. x, 1. *Impuri spiritûs*; VIII, 16. XII, 43. *Eph.* VI, 12. Confer *Luc.* XXIV, 39. *Spiritus carnem & ossa non habet.* Non tamen infinita est eorum essentia; sed à Creatore limitata: nec omninò simplex; sed potentia & actus, substantia item & accidentia, in iis agnoscenda.

Intellectu multa cognoscunt. *Matth.* XVIII, 10. *Intuentur faciem Patris.* 2 Sam. XIV, 20. *Sapiens, secundum sapientiam Angeli Dei, ut cognoscat omnia quæ sunt in terrâ.* Confer 1 *Tim.* III, 16. 1 *Petr.* I, 12. Non tamen omnia: ut corda hominum; 1 *Reg.* VIII, 39. diem judicii; *Marc.* XIII, 32. Confer *Apoc.* V, 3, 4, 5. Hinc etiam 1 *Petr.* I, 12. *In quæ cupiunt Angeli introspicere.* Adde *Eph.* III, 10. Cognoscunt autem per species intelligibiles: etiam dianoëticè, per discursum. Confer *Marc.* XVI, 6. *Suscitatus est; non est hic: Ecce locum,* &c.

Signis suis indicant alii aliis sua cogitata: quæ in specie non determinamus. 1 *Cor.* XIII, 1. *Lingua* metaphoricè iis tribuitur.

Futura, non nisi ex revelatione, sciunt. *Jes.* XLI, 22, 23. *Indicate, quæ eventura sint, ut cognoscamus vos esse Deos,* &c. 26. *Neque ullus est qui indicet,* &c.

Sic & *Libertas* dependet à Deo, etiàm quod ad exercitium; & circumscripta est sphærâ objectorum suorum.

XIV. *Potentia* eorum similiter magna quidem est: *Psal.* CIII, 20, 21. *Angeli valentissimi robore.* 2 *Thess.* I, 7. *Cum Angelis potentibus.* Confer *Col.* I, 16. 2 Reg. XIX, 35. *Ies.* XXXVII, 36. *Eph.* VI, 11, 12. I. 21. *Hebr.* I, 14. Finita tamen; ut essentia ipsorum. Hinc *Mira* quidem, sed non *Miracula*, facere possunt: *Psal.* LXXII, 18. *Deus facit Mirabilia solus.* CXXXVI, 4. Vide etiam *Joh.* V, 20, 21. *Ioh.* X, 13, 14. *Ies.* XXXVIII, 17.

Affectus analogice iis tribuuntur: ut *Luc.* XV, 10. *Apoc.* XII, 12.

XV. *Completâ per se subsistentiâ* differunt ab Animabus rationalibus; atque adeò sine corporis adjun-

ctò

cto ἐνυποϛάτῳ; quâ ratione ab Hominibus distinguuntur.

Corpora igitur ne quidem tenuiora habent; contra *Judæos*, & alios: quanquàm corpora aliquandò ad tempus assumserunt: ut *Gen.* XVIII. ut & Filius Dei ibidem; & Spiritus S. *Luc.* III, 22. Cibos interim non ob necessitatem; sed ad singularem familiaritatem præstandam, sumserunt.

Consequenter *Generatio* iis non convenit: *Matth.* XXII, 30. *In resurrectione neque uxores ducunt, nec nuptum dantur; sed sunt ut Angeli*, &c. Nec *corruptio*; quamvis *annihilari* absolute possent; istud tamen futurum non est: *Matth.* XVIII, 10. *Hebr.* XII, 22, 23. *Matth.* XXV, 41. *Jud.* 6.

XVI. *Locus*, laxe dictus, *definitive*; atque ita *motus localis*, Angelis quoque competit. Sic *Luc.* VIII, 30. *Legio* erat in uno homine. Confer II, 13. de *Motu*: qui etiam est successivus, ob Terminorum distantiam: velocissimus tamen; quia nulla resistentia adest. Unde *venti, & ignis flammans*; *Psal.* CIV, 4. *Seraphim alati*; *Ezech.* I, 6. *instar fulguris*; *Luc.* X, 18.

Ævum ratione durationis iis tribuitur; initium habens, non finem; attamen cum successione. In ævo præteritum finitum, mensurabile, & divisibile est; futurum verò potentia & syncategorematice infinitum.

XVII. *Numerus* amplissimus; finitus tamen est: *Dan.* VII, 10. *Millies mille, & myrias myriadum.* *Apoc.* V, 7. *Millies centena millia, & decies centena millia.* Adde *Psal.* LXVIII, 18. *Luc.* 2, 13. VIII, 30.

Quia nusquam apparet specifica Angelorum distinctio, ea temerè à *Pontificiis* asseritur. Numericam sufficere, ex Animabus rationalibus patet.

Bonorum ordo & concordia est sub Deo, cujus Legati sunt; & sub Christo, *qui est Caput omnis Imperii ac Potestatis*; *Col.* 2, 10. *Phil.* 2, 9.

Archangelus alibi appellatur; & nominatim *Michael*

chaël. Vide *Dan.* x, 13. 21. xii, 1. *Judæ,* 9. *Apoc.* xii, 7. 1 *Theff.* iv, 16. Et *princeps militiæ* Jehovæ; *Jos.* v, 13, 14, 15, vi, 2. sed hic saltem Deus Filius intelligendus.

Pontificii distinctè delineant tres classes; & novem choros; seu ordines: non adeo dissimiles *Kabbalistis.* Sed temerè ac superstitiosè, absque Scripturâ & ratione; imò contra locum *Col.* 2, 18. *Ne quis inferat pedem in ea, quæ non vidit, temere inflatus carnis suæ sapientia.*

Distinctio quidem aliqua datur: saltem ordinis & functionum; *Col.* 1, 16. *Eph.* 1, 21. sed quanta & qualis ea sit, nos latet.

XVIII. Interim satis evidens & necessaria est *distributio* in *Bonos & Malos*: quanquam omnes *Boni* creati sunt: *Gen.* I, 31. Confer *Matth.* xix, 17. *Iac.* I, 13. 1 *Joh.* 1, 5. Perperam *Iudæi* dicunt, Diabolos tales creatos esse secundo die; & proptereà isti specialem approbationem non esse additam: quasi generalis non sufficeret. Sed aliquàm multi à Bonitate suâ defecerunt: Joh. viii. 44, *Diabolus in veritate non perstitit.* Judæ, 6. *Non servârunt suam originem.* 2 Petr. 2, 4. 1 *Joh.* iii, 8. Cum boni, sed labiles, creati essent; interim satis idonei ad perseverandum in genere causarum secundarum, sed & liberi, & sub lege constituti; antecedenter bonitate nullâ privati, integritatem suam negligentes, & libertate abutentes, legi repugnantia elegerunt, & fecerunt, Deo permittente ac gubernante: Diabolus *mentiens ἐκ τῶν ἰδίων loquitur*; Joh. viii, 44. Primum illius peccatum, quod ad speciem, non determinamus: infidelitatem & superbiam haud abfuisse, interim non dubitamus; potissimùm ubi conferimus seductionem & lapsum hominum; *Gen.* iii. Adversùs Malos istos nobis lucta est: *Eph.* vi, 12. Joh. viii, 44. 1 *Petr.* v. 8. Tenenda igitur exhortatio, ibidem vers. 9. *Obsistite, firmi per fidem* Adde *Apoc.* xii, 10. *Accusator fratrum,* &c. *Zach.* 3, 1. *Matth.* xvi, 23.

XIX. *Boni*

XIX. Boni per gratiam Dei confirmati sunt in æternum sancti & beati; *Marc.* VIII, 38. *cum Angelis sanctis.* *Matth.* XVIII, 10. *Hebr.* XII, 22, 23.

Horum *Officia* communia ex superioribus patent: Deo scil. inservire, & quidem speciali modo circa electos; annunciare annuncianda; exequi exequenda; & Gloriam Ipsius prædicare. Apparitiones occurrunt variæ: per somnium; *Gen.* XXVIII, 12. *Matth.* I, 20. *Act.* XXVII, 23. vel specie visibili assumtâ coram vigilantibus. *Luc.* I, 11, -26. - 2. 9, - XXIV, 4, 5, 6. *Act.* I, 10, 11. De obedientia in factis & Dei glorificatione, liquet ex *Ps.* CIII, 20, 21. *Jes.* VI, 2, 3. De ministerio salvandorum; *Hebr.* I, 14. *Ps.* XXXIV, 8. XC, 11.

Sed de Angelis custodibus, aut tutelaribus singulis singulorum hominum perpetuis, nihil est in S. Scripturâ; nedùm singulis hominibus binos Angelos esse assignatos, bonum & malum. Imò uni aliquandò plurium, aliàs pluribus unius cura demandata legitur; *Gen.* XXVIII, 12, XXXII, 1. 2. *Ps.* XXXIV, 8. *Hebr.* I, 14. 2 *Reg.* VI, 16, 17. XIX, 36. *Luc.* XVI, 22. *Matth.* XVIII, 10.

Postremum hunc locum temere *Pontificii* in oppositam sententiam trahunt. Nec eos juvat alius *Act.* XII, 15. cum 1. illi, qui istic dicebant, *Angelus ejus est*; scil. Petri, non fuerint infallibiles, imo etiam actû tunc erraverint: vere enim Petrus erat; non Angelus.

2. Nec asseruerint, esse perpetuum Petri custodem.

3. Nec à Petro ad omnes omnino homines, vel etiam quosvis fideles, valeat consequentia.

4. Atque istìc non custodia: sed imago; aut species Petri, fuerit spectata, quâ deceptam putabant ancillam.

Observanda etiam discretio piorum ab impiis, tùm in judiciis particularibus, tum in universali, per Angelos faciendâ: *Ezech.* IX, 4. *Apoc.* VII, 3. *Marc.* XIII, 27. *Matth.* XIII, 41.

Unum *Nomen, Gabrielis,* quòd *fortitudinem Dei* designat, reperitur, *Dan.* VIII, 16. IX, 21. *Luc.* I, 19, 26

Nec plura inquirenda sunt curiose: Col. 2, 18.

Ad *Honorem* potissimum pertinet, ut excellentiam & virtutes illorum, utpote sapientiam, sanctitatem; & obsequii erga Deum promtitudinem, recte æstimemus; & pro virili nostrâ imitemur: *Matth.* VI, 10. ut eos frequenter conscios & testes eorum, quæ in Ecclesiâ geruntur, agnoscamus; atque inde etiam magis ad officia nostra impellamur: 1 *Tim.* V, 21. 1 *Cor.* XI, 10. Si autem apparitio, vel conversatio aliqua eorum nobiscum daretur (quæ ubi fuit, extraordinaria & rara fuit,) ratione excellentiæ supra homines quidem non tamen religiose, honorandi forent: *Col.* 2, 18. *Nemo adversum vos sibi sumat rectoris partes, in submissione animi & religioso cultu Angelorum*: contra *Angelicos*, & *Pontificios*. Confer sup. cap. 4. th. 74.

XX. *Mali Angeli*, Deo permittente, possunt Homines ratione *corporis & status externi*, terrere, localiter movere, cruciare, obsidere, interficere. Vide 1 *Sam.* XXVIII, 12. *Job.* I, 11, -19. II, 6, 7. *Matth.* VIII, 28, 31, 32: XII, 22. XVII, 15, 18.

Spectra sunt Diaboli specie externâ, potissimum visibili, apparentes; ut Homines ludant, fallant, terreant. Confer *Matth.* XIV, 26. *Luc.* XXIV, 37. ubi etiam Angelos lucis mentiri possunt: 2 *Cor.* XI, 14. & Homines mortuos: vel absentes: 1 *Sam.* XVIII, 12. quomodo plurimæ fraudes sub Papatû factæ, superstitiones inductæ, &c. de Purgatorio, Missa, &c. Hominibus etiam frequenter Spectra ad imitationem Diaboli mentientibus. Negligebant enim monitum. *Jes.* VIII, 19. 20. *Cum dixerint, Quærite à Pythonibus. - Nonne populus Deum suum requiret? pro vivis mortuos? Ad Legem & Contestationem*, &c. Confer 2 *Thess.* 2, 9, -12. Huc etiam referenda sunt oracula, murmura Diabolica, &c. inter Gentes, &c.

☞ *Cruciatus* & *morbos* inferre possunt, partes convellendo, distorquendo, activa passivis applicando, &c.

Corpo-

Corporalis Obsessio fit, per corporis occupationem, & operationem in eo, ut à Spíritû illo impuro, tanquàm formâ assistente, homo intùs miserè afficiatur, agitetur, rapiatur. *Pontificii* istis malis superstitiosè opponunt suos Exorcismos; quibus Diaboli non cedunt, nisi per collusionem.

Respectû *Animæ* actiones Diabolorum tantùm sunt objectivæ & morales, tentando, alliciendo, &c. Vide *Matth.* IV, 1, 3. 6, 8, 9. 1 *Chron.* XXI, 1. 1 *Sam.* XVI, 14. Item *Rom.* I, 28. *Eph.* 2, 2. 2 *Cor.* IV, 4. 2 *Thess.* II, 11.

Unus κατ' ἐξοχὴν Diabolus, Satanas, Draco, & Beelzebub appellatur, cui *Angeli* sui tribuuntur; *Matth.* XXV, 41. *Apoc.* XII, 9. XX, 2. *Matth.* IX, 34. XII, 24, 26. 27. Confer 2 *Reg.* I, 2, 3, 6, 16. & 1 *Cor.* X, 10. *Deus hujus sæculi* vocatur, 2 *Cor.* IV, 4. Nec amplius quicquam inquirimus, nisi quomodo nobis à profundis ejus caveamus: *Apoc.* II, 24.

XXI. *Tertiò* etiam significari putamus substantiam corpoream tenuem, à supremo cœlo deorsum extensam. Æther enim *Cœli* nomine appellatur. *Gen.* I, 15, 17. XV, 5. *Ps.* XIX, 2, 5. *Matth.* XXIV, 29. *Eph.* IV, 10. Atque item Aër, *Gen.* VII, 11. *Matth.* VI, 26, XXIV, 30. Unde totus Mundus in *Cœlos* & *Terram* passim dispescitur; nisi quod huic *Mare* interdum adjungatur: *Gen.* 2, 1, 4. XIV, 19, 22. XXIV, 3. *Exod.* XX, 11. XXXI, 17. *Deut.* III, 24. 2 *Chron.* 2, 12. *Esr.* V, 11. *Psal.* LXIX, 35. CXV, 15, 16. CXXI, 2. *Matth.* XXVIII. 18. *Act.* IV, 24, XIV, 15, XVII, 24. 1 *Cor.* VIII, 6. Nec ulla ratio apparet, cur plurale שָׁמַיִם hîc restringendum esset. Imò contra non videtur admittendum, fuisse tunc vacuum inter Cœlum supremum & hunc Globum terrestrem: cum etiam paulo post, lux fuerit producta, & hic globus eâ collustratus.

XXII. Succedit *Terrâ*, satis distincta à Cœlis; corpus crassum; opacum; grave; sed primum aquis circumfusa & permixta; unde *Abyssi*, & *Aquarum*

 mentio:

mentio: *Gen.*1,2. Illa vox profunditatem designat; hæc naturam. *Terræ*, ut est *Gen.* I, 2. initio competebat *Deformitas* & *inanitas*. *Et tenebræ erant in superficie Abyssi*: *& Spiritus Dei motabat super facies Aquarum*: cum scil. nondum agerent causæ secundæ: ut *Deut.* XXXII,11. *Aquila super* Pullos *suos motitabit se.* Quod malè à *Socinianis* ad *Ventum*, vel *Angelum* aliquem creatum, detorquetur: cum Creatio soli Deo competat.

Nec cum *Pontificiis* indè elicienda *Efficacia spiritualis aquæ* ad abluenda in Baptismo peccata hominum ex opere operato: quoniàm Baptismus tantum sacramentalem, sive moralem vim habet sub N. T. non realem: sic enim corpus in spiritum agere non potest: nedùm jam ante lapsum, ipsosque homines, istiusmodi Virtus omnibus aquis communicata censeri debeat.

XXIII. Aliud adhùc opus est hujus diei: scil. vers. 3. *Dixit Deus*; *Esto Lux. Rom.* IV, 17. *Vocans, quæ non sunt, tanquam sint.* 2 *Cor.* IV, 6. *Dixit, ut è* Tenebris *Lux splendesceret. Lux* autem est Patibilis qualitas, subjectum suum sic actû perficiens, ut ipsum Radiis diffusis per se videri aptum sit, medium pellucidum illuminet, & objecta opaca reddat conspicua. Accidens illud Deus in Subjecto produxit; contra *Pontificios*: cum Accidentium esse sit inesse: idque in Hemisphærio Ætheris. Sic enim *divisit Deus inter Lucem ac Tenebras*: *& Lucem vocavit Diem*: *Tenebras verò Noctem*. vers. 4, 5.

XXIV. Consequenter. 1. Non fuit primò creatum *Chaos*, omnis formæ ac distinctionis essentialis expers.

Neque 2. ex fortuito concursu & complexu *Atomorum* coaluit Mundus.

Neque 3. Initio *Materia communis* facta est, quieta & solidissima; mox in particulas diversissimas divisa; undè porrò extiterit *triplex Materia*; *Subtilis*, *Cœlestis*, *& Terrestris*.

Nec 4. T*erra* primò S*idus* fuit; & tandem *Maculis* obducta: qualis est quorundam inanis Philosophia.

XXV. In-

XXV. *Infernum* exiſtimamus in eodem globo tunc etiam creatum: eſt autem locus à ſupremo Cœlo remotiſſimus; peccatis, ubi commiſſa forent, juſtè puniendis à Deo deſtinatus. *Act.* I, 24. De Judâ proditore: *Ut abiret in locum ſuum.* Adde *Luc.* XVI, 26. In hoc. *Carcere* nunc ſunt *Spiritûs* hominum impiorum: 1 *Petr.* III, 19, 20. Confer *Pſ.* LXIII, 10. & Mali *Angeli in tartarum detruſi*, & *catenis caliginis traditi*: 2 *Pet.* 2. 4. Quam amplus, & ubi definitè ſit non determinamus: ſaltem ſufficit capiendis ſpiritibus damnatis; atque ut poſt judicium extremum ſufficiat capiendis hominibus damnatis cum ipſorum corporibus, Dominus ſine dubio providebit. Vide 2 *Petr.* 3, 10, 11. *Ioh.* V. 29. *Matth.* 25, 41.

XXVI. *Secundo die* conditum eſt *Expanſum*: *Gen.* I, 6, 7, 8. *Aër* ſcil. in tres *Regiones* diſtinctus. Deus fecit, ut per calorem *Nubes* eveherentur, & conſtituerentur in ſublimi; in media aëris regione: *Pſ.* CIV, 3. *Diſponit denſas nubes*, &c. *Ier.* X, 13. *Iob.* 22. 8. Non ſupra univerſum Aërem; nedùm Ætherem. Eâdem operâ *Meteora* facta ſunt. *Pſ.* CXLVII, 8. *qui obtegit Cœlos denſis Nubibus, qui comparat terræ Pluviam.* 16, 17, 18. *Edit Pruinam; dejicit Gelu; - efflat Ventum, &c. Ier.* X, 13. *Fulgura cum Pluvia facit*, &c. Etiàm *Iris*; quamvis poſteà ratio ſigni acceſſerit: *Gen.* IX, 9, - 17.

Huic operi non ſtatim ſubjicitur ſpecialis Approbatio; ſed ſequitur generalis, *v.* 31. Quin & eodem pertinent quæ ſequuntur, *v.* 10. & 22. & 28. *Pſ.* CIV, 10, - 16. Vanæ autem ſunt conjecturæ, Numerum Binarium eſſe infamem, & mali ominis; in Matrimonio ſcil. vel Infernum & Diabolos tunc creatos eſſe; quod *Kabbaliſtæ* volunt.

XXVII. *Tertio die* Aquæ reliquæ inferiores ſegregatæ ſunt: ut emineret *Terra*; ad quam Continens, Inſulæ, & Peninſulæ pertinent: ſuis autem excavatis receptaculis continerentur *Mare*, *Flumina* & *Fontes*: *Gen.* I, 9, 10. *Pſal.* XXIV, 2. *Super Maria fun-*

davit illam (terram), *& super Flumina stabilivit illam*, CIV; 5,-10. *Fundavit terram super bases ejus*, &c.

Mare, admixtis ejusmodi particulis terrestribus, *salsum* est. Dulcescunt autem Aquæ percolatione; ut in Fontibus: vel eductione: ut in Pluviâ. Varie *movetur*: etiam *æstu*, præcipue mirabili, qui motui Lunari fere respondet.

XXVIII. Ex *Terrâ* adhuc humidâ, accedentibus etiam particulis Aëreis, & Æthereis, vel Igneis, factas arbitramur partes *Salsas*, *Sulphureas*, *& Mercuriales*: ac porro *Metalla*, aliaque *Mineralia*; Itemque *Ignes* & *Flatûs subterraneos*: unde aliquando *Terræ Motus*: nec non *Fontium* & *Fluviorum aquæ calidæ*, *acidæ*, &c.

In superficie autem produxit Deus corpora vegetabilia; *Gen.* I, 11, 12, 13. *Herbas*, *Frutices*, *Arbores*, quæ singula per *Nutritionem*: species autem, per *Seminalem generationem* conservantur. Perfectio ista dicitur *Vita vegetativa*. Forma substantialis in iis est *Anima vegetativa*. Ad opera hujus diei referenda etiam sunt *Plantanimalia*: & quæ *Sponte orta* nuncupantur.

XXIX. *Quarto die* facta sunt in expanso Ætheris *Luminaria*: *Gen.* I, 14, -19, sic dicta, quod illuminent super terram. *Duo magna*, Sol & Luna, ac reliquæ *Stellæ*: tùm *Erraticæ*, seu *Planetæ*, ob motûs vicissitudines sic appellatæ; tùm *Fixæ*, sine tali ac tantâ variatione: & quidem numero innumerabiles. *Gen.* XV, 5. *Si poteris numerare stellas*. Adde *Jes.* XL, 26. *Ier.* XXXIII, 22.

Usus omnium istorum communis est, *Illuminare*; specialis *Tempora* distinguere: quod præcipuè Solis & Lunæ officium est. *Ille* circumvolutione diurnâ Dies & Noctes efficit: *Hæc* vicissitudine suâ *Menses* & *Hebdomadas* fere discernit. Sol iterùm motû suo per Zodiacum *annum*, absolvit; ejusque *Tempestates*, secundùm Æquinoctia, & Solstitia, distinguit.

XXX. *Motus* Cœli stelliferi non fit ab *Angelis*; sed à Creatore initio impressus, sic deinceps continuatur:

Psal.

Psal. XIX, 2, -7. *Cœli enarrant gloriam Dei*, &c. *Sol est tanquàm Sponsus prodiens è thalamo suo: lætatur decursurus viam*, &c. *Job.* IX, 7. Observanda interim Miracula, *Jos.* X, 13, 14. & *Ies.* XXXVIII, 7. Pro vario hujus motû variæ sunt influentiæ; speciatim ratione *tempestatum* anni: sic tamen, ut effecta subjaceant Arbitrio & Providentiæ Dei: *Hos.* 2, 21, 22. *Dictum Iehovæ; exaudiam Cœlos; & ipsi exaudient Terram; & Terra exaudiet frumentum*, &c. *Levit.* XXVI, 19. *Reddam Cœlum ut ferrum; & terram, ut æs.* Adde *Gen.* VIII, 22. *Psal.* lxv, 10. *Jud.* V, 20.

Vanæ autem sunt Astrologicæ prædictiones *Genthliacorum*: *Deut.* XVIII, 10. Nam 1. Deo proprium est, Corda scrutari, & dirigere. 2. Immateriales operationes ad materiales causas referri non debent. 3. Non omnes effectûs naturales indè certò prædici possunt, quantô minûs liberi.

Piè & prudenter tamen de Signis extraordinariis, Cometis, & similibus, judicandum est. *Joël.* 2, 29, 30. *Act.* 2, 19, 20. *Edam ostenta in Cœlis*, &c. collatâ experientiâ omnium sæculorum, & observatione prudentum.

XXXI. Ex Doctrinâ Spiritûs Sancti.

1. Agnoscendum est tale *Systema Mundi*, ut Terra non sit, nec unquàm fuerit, Sidus; sed cum Aquis inferioribus quàm maximè distincta sit à Cœlis & Expanso: Sol verò, & Luna, reliquæque Stellæ, dispositæ in Expanso, ad afferendum lucem super Terram, &c. *Gen.* I, 1, 2; 6, -9; 14, -18.

2. Globum Terræ non moveri; sed quiescere, & stabilem esse; atque istâ ratione distingui ab Aquis, Aëre, Sole, &c. *Psal.* XCIII, 1. *Etiam firmavit orbem, ne se moveat.* 3. - *Elevaverunt Flumina fluctus suos.* *Eccl.* 1, 4; -7, *Generatio* (una) *labitur, &* (altera) *generatio advenit: Terra autem in sæculum stat. Oritur Sol, & occidit Sol. - Subindè circumeundo pergit ventus, & ad circuitus suos revertitur ventus. Omnia Flumina pergunt ad Mare:*

ad locum unde pergunt F*lumina*, *illuc revertuntur in* (rursus) *redeant*, &c.

3. Solem moveri; & quidem celeriter; ex naturali inclinatione, & admodum ordinatè: *Eccl.* I, 5, 6. *Oritur Sol*, *& occidit Sol*; *& ad locum suum regreditur*, *ubi oritur. Vadit ad Meridiem*, *& circuit ad Aquilonem.* P*sal.* XIX, 6, 7. *Et ipse tanquam Sponsus egrediens de thalamo suo*, *gaudet ut potens*, *ad currendum viam. Ab extrmeo cœlorum egressio ejus*; *& revolutio ejus usque ad extremo eorum.*

4. Undè etiam ad Potentiam Dei extraordinariam, atque inter Miracula refertur inhibitio istius Motûs, sive S*tatio Solis*; similiter ut Lunæ & Stellarum: *Jos.* X, 12, 13. *Job.* IX, 7.

XXXII. E*xc.* Phrases istæ accipiendæ sunt metaphorice, aut metonymice: ut in illo Poëtæ; P*rovehimur portû*, *terræque urbesque recedunt.* Sic ut etiam *Act.* XXVII, 27. *Nautæ* dicuntur *circa medium noctis suspicati*, *appropinquare sibi aliquam regionem. Resp.* Non agitur nunc de vocula aliquâ, aut phrasi simplici; sed de enunciationibus integris, iisque variis, sic constanter à Spiritu Sancto adhibitis in enarratione & celebratione istorum operum Dei. 2. In exemplo Poëtico, priori membro motus navigantium propriè exprimitur: posteriori autem, quod vel exindè patet, remotior telluris & urbium distantia metonymice indicatur. 3. Similiter *appropinquare Act.* XXVII, 27. notat *propinquiorem adesse*; sed verum navigantium motum docet integer contextus.

Obj. 1. Tanta Solis & Stellarum fixarum velocitas non est conceptibilis. *Resp.* 1. Velocitas illa non est momentanea, sed alicujus temporis: ac proinde nequaquàm repugnat omnipotentiæ Dei, vel naturæ corporum istorum cœlestium.

Obj. 2. Opposita sententia longe facilius explicari potest, atque omnia phænomena per eam expediri. *Resp.* Nostri conceptus, & facilior fortassis explicatio,

tio; non est norma consilii atque operum Dei; cujus *cognitiones & viæ non sunt ut nostræ*: Ies. lv, 8.

XXXIII. Sequentibus diebus *Animalia* facta sunt. In *Irrationalium* naturâ indagandâ præter *Corpus* mirabiliter conformatum & articulatum, occurrit *Forma*. *Anima sensitiva*: unde est *Vita sensitiva*, quæ Vegetativam supponit; cujus tamen operationes hic nobiliores sunt.

Sensus est facultas vitalis organica, quâ animal aptum natum est objecta corporea per idoneas species percipere & cognoscere.

Ratione organorum Sensûs alii sunt *externi*; ut Visus, Auditus, &c. alii *interni*; ut Phantasia, Memoria, &c. Horum sedes est Cerebrum, officina *Spirituum animalium*; qui functionibus animalibus inserviunt.

Sensum sequitur *Appetitus sensitivus*; quo Animal in objectum sibi conveniens; sensû perceptum & cognitum, fertur desiderando; adversum verò fugit: ac porrò *Facultas loco-motiva*; quâ Animal se totum, aut partes aliquas sui corporis, convenienter isti appetitui, de loco in locum transferre aptum natum est.

Ab hoc motû diversus est *motus* succi alimentarii; ut & *motus naturalis Cordis*.

Ità *Gen*. I, 20. *Reptificent Aquæ reptile Animæ viventis*. 24. *Producat Terra Animam viventem*. Adde VI, 17. VII, 21, 22, 23. *Lev*. XVII, 14. Item *Eccles*. III, 20, 21, *Spiritus jumenti descendit deorsùm ad terram*. *Prov*. XII, 10. *Cognoscit justus Animam jumenti sui*. Rationis interim expertes sunt Bestiæ: unde *Iudæ*, 10. ἄλογα ζῶα. *Ps*. XXXII, 9. *Equus & Mulus expertes intelligentiæ*. *Job*. 39, 19, 20. Materialis tamen perceptio & cognitio iis concedenda est: *Jes*. I, 3. *Agnoscit Bos possessorem*, &c. *Jerem*. VIII, 7. *Ciconia novit stata tempora sua*: *Turtur, Grus, & Hirundo observant*, &c. *Prov*. VI, 6, 7, 8.

XXXIV. *Quinto* igitur *die* conditæ *sunt Aves*, & *Pisces*; *Gen*. I, 20.-23.

Sexto autem *Terrestres Bestiæ*; & *Homines*: *vers.* 24, 25.

Amphibia ex conditione prædominante æstimanda sunt.

Homo (Mundi hujus compendium) est Animal rationale, ad imaginem Dei conditum. Occurrunt hîc partes essentiales; *Corpus* sapientissimè conformatum, & *Anima rationalis*: atque item insignis perfectio *Imaginis Divinæ*. Primi Homines fuerunt *Adamus* & *Eva*: Ille Pater; hæc *mater omnium viventium*: *Gen.* III, 20. de *unâ carne*, & *uno osse*: II, 23. Ille *hujus caput*: 1 *Cor.* XI, 3. 1 *Tim.* 2, 12, 13. Sic *fecit Deus ex uno sanguine totum genus humanum*: *Act.* XVII, 26. Judæorum verò fabulam de Adamo primitùs *bicorpore*, ac *Lilith* priori ejus conjuge: ut & nuperum alicujus figmentum de *Præ-adamitis*, rejicimus.

XXXV. Quod ad *Corpus*; *finxit Deus Hominem de Pulvere terræ*: *Gen.* 2, 7. sic אָדָם ad אֲדָמָה; *Homo* ad *Humum* referendus est. Postea Corpus Fœminæ formatum *vers.* 21, 22. *de Costâ Adami*. Ab illis, Matrimonio Divinitus junctis, facta est deinceps universi Generis humani per generationem propagatio: secundum illud, *Gen.* I, 28. *Fœtificate, augescite, & implete terram*. De admirandâ Corporis conformatione vide etiàm *Psal.* CXXXIX, 14, 15, 16. sup. cap. 1. th. 17. §. 2. Confer graphicàm plurium partium descriptionem, *Eccl.* XII, 3, -7.

XXXVI. *Anima* non ex materiâ; sed à Deo immediatè, creata est: *Gen.* 2, 7. *Inspiravit in nares ejus spiraculum vitæ; & fuit Homo in Animam viventem*. *Zach.* XII, 1. *Format spiritum hominis in eo*. *Hebr.* XII, 9. *Pater Spirituum*. *Eccl.* XII, 7. *Spiritu redeunte ad Deum, qui dederat ipsum*.

Ex his sequitur, Animæ immaterialitas; quam conditio & operationes ejus etiàm arguunt; per reflexionem in se, & super actûs suos; adeoque conscientiam, conceptûs præcisivos, contemplationem immaterialium, etiàm ipsius Dei: nec non judicium, & rationa-

lem

lem complacentiam. Undè etiàm diserte *spiritus* vocatur, *Luc.*XXIII, 46. *Act.*VII,59. *Hebr.*XII, 23. 1*Pet.*III,19.

2. Illam immediatè à Deo creari in singulis. Locutio *Gen.*XLVI, 26. *Animæ ex femore egressæ*, synecdochica est; & de corpore intelligenda: nam idem nomen נפש etiam de cadavere usurpatur. *Levit.*XIX, 28: XXI, 1, 11. Neque propterea minus rectè Homo dicitur generare Hominem: quia ad eum producendum agit, quantum per naturam potest; Corpus parando, & disponendo, ut ab Animâ informetur. Sicut interficit Hominem, qui Corpus indispositum reddit ad ulteriorem informationem, & vivificationem per *Animam*.

3. Animam naturâ incorruptibilem & immortalem esse: *Matth.* X, 28. *Luc.*XII, 4, 5. *Animam occidere non possunt*; sed Deus, Corpore occiso, *Animam* adhùc *in gehennam conjicere potest*. *Eccl.*XII, 7. *Anima redit ad Deum.* 1 *Petr.*III, 19. *Spiritus in carcere sunt.* Adde *Phil.* I, 21, 23. 2*Cor.*V, 8. *Luc.*XXIII, 46, 23. XVI, 22, 23, 24.

4. Facultates immateriales: quæ sunt, *Intellectus*, per quem anima apta est objecta, quatenùs vera sunt, non solum singularia & materialia, sed etiam universalia & spiritualia, percipere, dijudicare, inferre, ordinare: estque vel *Noëticus*, terminorum & enunciationum simplicium, citra discursum; vel *Dianoëticus*, per discursum, & illationem minus noti ex magis noto: atque iterum vel *Theoreticus*, acquiescens in ipsâ veritatis contemplatione; vel P*racticus*, ad praxin porrò tendens.

Deinde *Voluntas*, quæ Intellectum ordine naturæ sequitur, appetendo objecta bona, & aversando mala, quâ talia. Hùc pertinet tum simplex *complacentia*, vel *displicentia*; tùm, in ordine ad operis prosecutionem, *absoluta volitio*, vel etiam *aversatio*; aut saltem *velleitas*.

Ad Intellectum Dianoëticum pertinet *Judicium*, quo discernitur, quæ sit rei alicujus natura, quæve ejus qualitates, aut circumstantiæ. Hoc autem *rectè procedit*, ubi vera principia assumit, atque iis conclusiones ritè

format;

formait : & *firmum* est, non *vacillans* , quoties sibi Homo probè conscius est talis sui processus.

Voluntatis individua comès est *Libertas* , per quam Homo operatur ex deliberato consilio , & cum rationali complacentiâ ; itâ quidem ut radicaliter ad Intellectum, executivè ad Voluntatem pertineat.

Judicium quidem non nisi liberè exercetur,ut neque seria veritatis contemplatio : verum indè nullo modo sequitur,Iudicium formaliter ad Voluntatem pertinere.

5. Unio arctissima ; ut partes illæ essentiales unum per se constituant : sic enim *homo factus est in animam viventem* ; *Gen.* 2, 7. Anima totum corpus informat. Operationes interim organicæ rationalibus inserviunt, quæ organorum conditionem intrinsecâ suâ perfectione superant : quamvis illa ad convenientem usum organorum obligata sit,donec *terrestris hujus domûs tabernaculum dissolvatur* ; 2 *Cor.* v, 1. *Psal.* xc, 3.

6. Multò minus existimandum , Animam rationalem solum esse facultatem, aut modum corporis : cum à corpore contradistincta & separabilis sit ; & operationes ejus sublimiores conditione corporis impenetrabili , extensa, divisibili, irrationali.

XXXVII. *Imago Dei* in Homine proponitur, *Gen.* I, 26, 27. צֶלֶם ; *Imago* , nomen concretum est ; דְּמוּת ; *Similitudo* , abstractum : & sic Imago quàm simillima denotatur. Confer *Matth.* III, 11. *Joh.* III, 5. Interim Imago Dei perfectissimo modo agnoscenda est in Christo. Vide sup. c. 5. th. 16. §. 1. In nobis analogicè. Hæc autem spectatur tum idealiter, *Archetypa* ; & sic dicitur Homo *secundùm Deum conditus* ; *Eph.* IV, 24. tùm realiter, *Ectypa* ; sic *Vir est Imago Dei*, 1 *Cor.* XI, 7.

Imago ista notat conformitatem Hominis ad Dei perfectionem suo modo : ad Deum enim palàm refertur ; non ad Angelos : *Gen.* I, 26, 27. *Faciamus Hominem ad Imaginem nostram* , *secundum similitudinem nostram* ;

ſtram. Creavit itaque Deus Hominem ad Imaginem ſuam; ad Imaginem Dei. Adde v, 1; ix, 6. *Jac.* iii, 9. In Angelis quidem etiàm eſt *Imago Dei*; ut patet ex ſup. th. 12. ſed illorum imaginem in hominibus temerè fingunt *Judæi* & *Sociniani*.

Perperam quoque Imaginem Dei ad formam corporis olim referebant *Anthropomorphitæ*; & nunc practicè tales *Pontificii*.

Malè item *Anabaptiſtæ* ad ideam Filii Dei, ut incarnandi; cum exemplar naturâ prius ſit exemplato. Chriſtus verò deindè poſt lapſum fuerit *ſimilis hominibus factus*, *Phil.* 2, 7.

XXXVIII. Iſta Imago *Primò* Animam & facultates ſpirituales, ut ſubjectum præcipuum; ſed *formaliter* dotes eximias deſignat, Sapientiam rerum Divinarum, Juſtitiam, & Sanctitatem. Probatur hoc contra *Socinianos*, 1. expreſſis teſtimoniis. *Col.* iii, 10. *In agnitionem congruentem Imagini ejus. Eph.* iv, 24. *Ad Juſtitiam & Sanctimoniam veram.*

2. Ex mandatâ ſæpiùs *imitatione Dei*: *Sancti eſtote, quia Ego Sanctus ſum*, &c. *Levit.* xi. 44, 45. xix, 2. xx, 26. xxi, 6, 8. *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter perfectus eſt*; *Matth.* v, 48. Adde *Eph.* v, 1.

3. Quod omnia Dei opera fuerint *valde bona*; *Gen.* 1. 31. & Homo factus ſit *rectus*, *Eccl.* vii, 29. Confer *Gen.* 2, 23, 24; xix, 20. & 1, 26, 28. quæ quidem præclaram Sapientiam inferunt.

Obj. 1. Protoplaſti ante lapſum ignorabant, ſe eſſe nudos, ergò, &c. *Reſp.* Non ignorabant nuditatem corporum: ſed poſt lapſum cognoverunt ſe nudos eſſe imagine Dei; ac proindè pudore etiàm ſuffundebantur, & moleſtiam ex corporis nuditate percipiebant, quibus ante lapſum locus non erat. *Gen.* 2, 25. iii, 7, 8.

Obj. 2. Paſſi ſunt ſe decipi per Diabolum in ſpecie Serpentis, quod ab inſigni Sapientia valdè alienum eſt. *Reſp.* Tunc quidem non utebantur habitû Sapientiæ, quæ

naturalem; nec proprie peccatum esse, dicunt: quo magis extollant vires liberi arbitrii.

Nos fatemur Naturam physice, & *in genere entis*, non inferre justitiam originalem: sed neque, concupiscentiam ad peccatum inferre, concedimus.

In genere moris Homo bonus & rectus factus est, exclusâ illâ inclinatione ad malum. Cum Lex dicat, *Non concupisces*, *Exod.* XX, 7. cum *Rom.* VII, 7. & concupiscentia illa repugnet perfectæ dilectioni Dei. *Deut.* VI, 5. *Matth.* XXII. 37. Consequenter *Jac.* I, 13, -17. „*Nemo*, cum tentatur, *dicat*; *à Deo tentor*. Nam *Deus* tentari malis non potest; *nec quenquam tentat*. Sed *unusquisque tentatur, dum à propriâ cupiditate abstrahitur & inescatur*. - Omnis donatio bona, &c. Et 1 *Ioh.* 2, 16. *Cupiditas carnis*, &c. *non est ex Patre*: *sed ex mundo*. Imo natura Dei sanctissima requirit, ut creatura rationalis moraliter bona, ejusque naturalia moraliter pura, creentur: & sic facta esse, Creationis historia, aliaque sacra testimonia, confirmant.

XLII. *Gratia primi Hominis* fuit gratis data: & eum Deo gratum faciebat. Donum illud gratiæ non solùm *habituale* fuit: sed etiam *actualis gratia* accessit; habitum illum conservans, quamdiu Deo placuit. Illud fuit *auxilium sine quo non* perseveratur: hoc, *auxilium quo* ipse tantisper stetit, ac bene operatus est.

XLIII. *Consecutivè* ad Imaginem Dei quoque pertinent *Dominium* & *Immortalitas*: *Illud* ad ornatum & gloriam externam; *hæc* ad gloriam & beatitudinem internam, & quidem totius suppositi, ejusque durationem absque fine, pertinebat, sed positis ponendis.

De *Dominio* agitur, *Gen.* 1, 26, -30. *Et Dominentur*, &c. In *hoc* solummodo, vel formaliter, imaginem Dei perperam constituunt *Sociniani*, & *Remonstrantes*. 1 *Cor.* XI, 7, 8, 9. Imago singulari quodam modo, & respectû prioritatis, tribuitur Viro. Confer 1 *Tim.* 2, 12, 13, 14. Unde etiam consecutivum istud in ipso magis locum habuit,

habuit. Cæteroquin *Gen.* I, 26; 27. *Et dominentur.- Marem & Feminam creavit eos.*

1. S. Scriptura diserte Imaginem Dei explicat de Sapientiâ, Justitiâ, & Sanctitate. Vide sup. th. 38.

2. Hæ dotes longè præstantiores sunt Dominio scorsum considerato.

3. Deus per Naturam, non per Dominium formaliter, Deus est; & nos respectû Imaginis *Naturæ Divinæ consortes* dicimur, 2 *Petr.* I, 4. Absoluta etiàm principaliter spectanda, in quibus fundatur istud respectivum, & quorum consectarium est in terrestri hominum statû. Dominium enim Sapientiam, Justitiam, & Sanctitatem prærequirit, ut rectè geratur; imò etiàm Immortalitatem, ut perduret.

4. In Cœlesti beatitudine Imago Dei perfectissima erit: non tamen Dominium istiusmodi.

XLIV. *Immortalitas* totius Hominis nunc intelligitur: non tamen quasi absolutè ex naturâ, ejusque principiis, sequeretur: verùm ut Homo non fuerit moriturus; sed Deus eum vivum ac felicem conservaturus, si modò in obedientiâ perseverâsset. Mors pœnæ rationem habet; non naturæ consequens est.

Hoc probamus contra *Pelagianos*, & *Socinianos*: 1 Ex comminatione Fœderi in principio annexâ, *Gen.* 2, 17. *Quo die comederis,- moriendo moriturus es.* Ubi actum mortis corporalis excludi non debere, patet ex collatione *Gen.* XXVI, 11. *Exod.* XXI, 15, 16, 17. *Iud.* XIII, 22. 1 *Sam.* XIV, 39. 2 *Sam.* XII, 14. Ista autem comminatio infert immunitatem à morte, si Homo obedientiam consummâsset.

2. Ex locis N. T. eódem spectantibus: *Rom.* V, 12. *Per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pervasit; in quo omnes peccaverunt.* Ac porro, 14. *Mors regnavit ab Adamo usque ad Mosen, in eos etiam, qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adami.* Sic ex morte omnibus maximè obvia, ostenditur omnes etiam

peccato

peccato obnoxios fuisse. Item 1Cor. xv, 21, 22. *Per hominem* (Adamum peccantem) *mors.* 26. *ultimus hostis mors.* 56. *Aculeus mortis; peccatum; vis autem peccati, lex.* Iterùm *Hebr.* ix, 27, 28. *Statutum est hominibus, ut semel moriantur, posteà verò judicium: ità & Christus semel oblatus, ut in seipso attolleret multorum peccata.* Mors, quam sequitur judicium extremum, provenit ex *Statuto,* quod factum est propter peccatum; quod & mortis Christi causa fuit.

3. Ex locis generalioribus: *Rom.* vi, 23. *Stipendia peccati mors.* viii; 10, 11. *Corpus mortuum propter peccatum,* &c, Adde *Psal.* xc, 3, -12.

4. Ex consideratione Dei, & Bonitatis Ipsius: *Ezech.* xviii, 23. *Non delectatur morte improbi*: per se: Quantò minùs morte justi? alia ergò mortis causa est; scil. sub ratione pœnę, ut est bonum justitiæ. Imò *Levit.* xviii, 5. servantibus mandata promittitur *vita*; quàm olim obsignavit *Arbor vitæ*: *Gen.* iii, 22.

XLV. *Sociniani* distinguunt inter mortem æternam, ac necessariam; & temporariam. Hanc subdividunt, in prorsùs naturalem; & aliquo modo violentam. Mors *æterna* ac *necessaria* illis est pœna; ut & *violenta*, & *vita misera* generatim: aliquos enim casûs excipiunt. Sed & *Mors prorsùs naturalis* ex ipsâ naturâ evenit, secundùm illos: atquè eatenûs necessaria est: at verò necessariam, dixerunt esse pœnalem.

Obj. 1. *Gen.* i, 28. *Crescite, & multiplicamini*, &c. At verò Matrimonii usus mortem infert: *Luc.* xx. 35, 36. *Resp.* 1. Benedictio illa, & matrimonii institutio, non mortem inferunt; sed generis humani multiplicationem. 2, *Luc.* xx, 35, 36. Christùs futurum sæculum, ab hoc, ut nunc est, distinguit. 3. Ex usû matrimonii & generatione liberorum, ut summum sequitur mortalitatis potentia remota; quam admittimus tunc etiàm fuisse: sed non proxima; quam peccatum induxit; priùs autem obstabat Divina conservatio, juxta promissionem.

Obj. 2. Primus homo cibis etiàm utebatur ante lapsum: *Gen.* I, 29. Sed venter ille, & alimenta destruenda sunt: 1 *Cor.* VI, 13. *Resp.* 1. Alimenta erant media vitæ conservandæ: atque ex iis non sequitur, nisi potentia remota mortalitatis. 2 Juxta 1 *Cor.* VI, 13. Deus in fine sæculi etiàm καταργήσει, h. e. cessare & quiescere faciet ventrem, quatenùs iste nunc cibis recipiendis & digerendis occupatur; atque item cibos, quatenùs sic ventri serviunt: alia enim erit conditio Corporum glorificatorum, ubi etiàm aberit potentia ista remota.

Obj. 3. Corpus Adami fuit animale, & terrestre: *Gen.* 2, 7. Ergò. *Resp.* Etiàm indè non sequitur, nisi potentia illa remota tantùm.

Obj. 4. Tùm necessaria non fuisset Arbor vitæ. *Resp.* Ea vitam æternùm duraturam tantùm obsignavit.

Obj. 5. Christus peccatum, ejusque vim, & pœnas, sustulit: non autem sustulit mortem temporariam. Ergò, &c. *Resp.* Jàm sustulit impetratione; sed nondùm plenâ applicatione. In regeneratione, peccati dominium tollitur: in justificatione, condemnatio; & sic pœna strictè dicta. Sed applicatio illa consummabitur in glorificatione.

Obj. 6 Casûs mortis violentæ citra peccatum dari potuissent varii; per aquas, ignes, feras, &c. *Resp.* Istiusmodi casûs temerè ab Adversariis finguntur. Omnes aversura erat Providentia Dei: cùm ne passerculus quidem apud ipsum in oblivione sit: *Luc.* XII, 6. *Matth.* X, 29, 30. Confer *Amos.* III, 6.

XLVI. Ità Creationem, respectû singulorum operum momentaneam, sex diebus distinguere, atque absolvere, Deo placuit: & quidem eo ordine, ut ferè progrederetur à simplicioribus ad composita; ab imperfectioribus ad perfectiora.

Hanc *Autumno* factam esse, probabile est.

Septimo die quievit Deus à novis speciebus producendis; iis acquievit; & diem illum sanctificavit; *Gen.* 2, 2, 3.

Exod. xx, 11. Animas autem adhuc creat, quoties Homines generantur; atque omnia perpetuò conservat, & gubernat: *Joh.* v, 17. *Pater adhuc operatur.*

XLVII. Singula opera, sic à Deo producta, *Creaturæ* vocantur; 1 *Tim.* iv, 4. *Hebr.* iv, 13. ut dependentia exprimatur; & omnis entitas referatur ad Eum, qui *propter seipsum fecit omnia. Prov.* xvi, 4. *Rom.* xi, 36. Atque ut Homines speciatim *recordentur Creatoris sui: Eccl.* xii, 1. *Rom.* I, 25. Omnes Creaturæ collectivè vocantur *Mundus*; *Κόσμος*: q. d. *Ornatus*: R*om.* I, 20. E*ph.* I, 4. Specialius autem ista vox orbem terrarum; vel homines, eorumve partem aliquam, notat: *Matth.* iv, 8. *Ioh.* I, 10. 1 *Joh.* v, 19. J*oh.* 1, 29. item 2 *Cor.* v, 19. 1 Joh. 2, 2. *Rom.* xi, 15.

XLVIII. *Mundus* hic per aggregationem Unus est; cujus Forma substantialis, vel Anima communis, non datur: sufficit *P*artium talis habitudo mutua, juxta Creatoris ordinationem.

Extra eum, similiter ut ante eum, nullam Creaturam admittimus: quemadmodùm nec alium Mundum, post hunc futurum.

Idem nunc est Mundus; & eædem Creaturarum species, quæ per sex dies creatæ.

Hujus Magnitudo finita est; & limites suos habet: quamvis nos eos definitè assignare non possimus. *Ies.* xl, 12. *Quis mensus est pugillo suo aquas; & Cœlos spithamâ expendit; aut complexus est trientali pulverem terræ?* &c. Partes enim finitæ sunt; nec ullum infinitum est præter Deum: 1 *Reg.* viii, 27. *Cœli cœlorum non capiunt te.* Sic absoluta Immensitas plus dicit, quàm *Ubiquitas* spatiorum actualium, in quibus Creaturæ existunt.

XLIX. *Praxis* esto: 1. Ex Creatione universa, Creatorem, ejusque Divinitatem, & æternam Potentiam, aliaque Attributa agnoscamus: R*om.* 1, 19, 20. P*sal.* civ, 24. cxlv, 9. xix, 2.

2. Coram tanto Creatore humiliemur: *Ier.* v. 21, 22.

3. In ipso speremus: *Psal.* cxlvi, 5, 6. lxxiii, 25. 1 *Petr.* iv, 19. *Hebr.* xiii, 5.

4. Creaturis rectè & sanctè utamur: 1 *Cor.* iii, 21. vii, 31. 1 *Tim.* iv, 3, 4, 5. *Ies.* v, 11. *Luc.* xxi, 34. xvi, 1. *Prov.* xii, 10.

5. Gratum animum Creatori in omnibus probemus: *Psal.* cxvi, 12. cxxxvi, 1, 5-9. 1 *Cor.* x; 31.

6. Virtutes Bonorum Angelorum agnoscamus, & imitemur: *Psal.* ciii, 20. 21, 22. *Matth.* vi, 10. Adversùs Malos vigilemus, & oremus: *Eph.* vi, 11, 18. 1 *Petr.* v, 8, 9. *Matth.* xxvi, 41. *Jac.* iv, 7.

7. Observemus undè exciderimus, & restaurationi Imaginis Divinæ studeamus sedulò: *Apoc.* II, 5. *Col.* iii, 10. *Eph.* iv, 22, 23, 24. 2 *Cor.* iii, 18. v, 17.

CAPUT VIII.

De Providentiâ.

Providentia. Providentia; *actualis.* 1. Probatur, c. *Atheos*, & *Epicur. Obj.* solv. 2. Creaturarum omnium *dependentia*, & *subjectio.* 3. *Providentia ordinaria. Extraordinaria. Miracula.* 4. *Provid. Mediata. Immediata.* 5. Cur, & quomodò Deus *Mediis* utatur. 6. *Providentia realis.* Quæ illi *subsint.* Ejus *actus.* 7. *Conservatio Specialis. Necessaria.* Quomodò res *conserventur. Annihilatio.* 8. *Concursus. Necessarius*; c. *Durandum.* 9. Non sufficit *Concursus simultaneus*; c. *Pelag.* Vel solum *influens in effectum.* Aut *communis, indifferens*, &c. 10. Sed agnoscendus *præmovens* ad agendum, & *præmovens* in agendo. Actiones

bona in genere entis. 11. Illa prob. c. *Pontif.* *Anabapt.* &c. 12. *Objectiones* solv. 13. *Gubernatio.* Ejus *modus*. 14. *Objecta* specialia. 15. *Malorum* impeditio. Quorundam *permissio*. 16. Hæc *probatur*. 17 *Peccata peccatis* etiàm *puniuntur*. 18. *Excæcatio*, & *Induratio*. *Negativa*. *Positiva*. 19. Quomodò in *Diabolis*, & in *Hominibus*. Etiàm *electis*. 20. *Modus*. 21. Non mera *negatio*; aut *permissio*; c. *Pelag.* 22. *Fines* istius Gubernationis. 23. *Obj.* solv. 24. *Providentia moralis*; tùm *latè*; tùm *strictè* dicta. Hujus *actûs*. 25. *Præcepta*. *Cultus naturalis*. *Institutus*. 26. *Concessio*, sive *Permissio ethica*. *Regula* in *Adiaphoris* observandæ. 27. Non *malorum*. 28. Revelationes, Præcepta, Prohibitiones, quomodò *expressæ*. 29. Concessio quomodò *innotescat*. 30. Variæ *phrases*. 31. *Consilia*. *Contestationes*. *Vota*. 32. Interim *actûs reales* non excluduntur. 33. *Praxis*. 34.

I. PRæscientia Dei etiàm *Prævidentia* appellari potest: *Providentia* verò sæpè Decretum notat. Nos hoc loco executionem quandam spectamus; quæ discriminis causa *Providentia actualis* dicitur, & *Creationem* proximè sequitur. Ista est Actus Dei externus, quo ipse Creaturas jàm existentes conservat & regit; atque in iis operatur eminentissimè; ad Gloriam suam. *Gen.* XXII, 8. *Deus providebit.*

II. Ad Deum ascendendum; eique omnes Creaturas subjectas esse, contra *Atheos* & *Epicureos* probamus: 1. Ex disertis S. Scripturę testimoniis: *Act*, XVII, 25, 28. *Dat omnibus vitam, & halitum, & omnia.* - *In ipso vivimus, & movemur, & sumus.* *Hebr.* I, 3. *Sustinet omnia*

verbo illo suo potente. Dan. 2, 20. *Mutat tempora ac tempestates; transfert & constituit reges: dat sapientiam sapientibus.* Psal. XCIV, 8, 9, 10. *An plantator auris non audiat? aut formator oculi, an non intueatur?* &c. CIV, 27, 28, 29. *Act.* XIV, 17. *Job.* V, 17. *Rom.* XI, 36. *Eph.* I, 11. *Col.* I, 16, 17.

2. Ex Naturâ Dei absolutè primâ: undè omnis alia entitas & causalitas.

3. Ex conditione Creaturarum prorsùs dependente: *Matth.* V, 36. VI, 27. *Act.* XVII, 25, 28.

4. Ex Prophetiis, Miracilis, Judiciis insolitis; itemque Operibus, quæ à Creaturis ità fiunt, ut interim captum earum excedant: Nexû item & ordinatione caussarum Particularium sapientissimâ: & dictamine conscientiæ in Hominibus.

Obj. In mundo sunt multa imperfecta, confusa, injusta: ergò, &c. *Resp.* Illa rectè perpensa perfectionem, ordinem, bonitatem, & justitiam magis commendant & adstruunt: *Psal.* lxxiii, 16 17. *Si cogitem cognoscere hoc, laboriosum* visum est *in oculis meis: donec ingressus in Sanctuarium Dei, animadvertissem finem illorum.*

III. Creaturæ, in quantum entia sunt, in tantum sunt dependentia à Deo sed ordinatissimè. Sic omnibus competit.

1. *Potentia obedientialis*, quà subjacent dispositioni Divinæ actuali, pro Ipsius arbitrio. *Psal.* CXV, 3. *Deus, quicquid placet, facit.* cxlviii, 8. *Ignis, & grando; nix, & exhalatio, ventus turbineus efficiens verbum Ejus.*

2. Posita est *communis Lex Naturæ*: certus ordo omnium & singulorum: *Jes.* xlv, 12. *Omni exercitui cœlorum præcepta dedi. Jerem.* XXXIII, 20. *Fœdus meum de die, & fœdus meum de nocte. Job.* XXXVIII, 10. 11, 12. de mari: *Dicens, Huc usque venies, & ne procedito. - An præcepisti matutino tempori?* Ps. lxxiv. 16. 17.

3. Est quædam *Naturæ inclinatio*; & quasi *appetitus*, isti Legi conveniens; Ps. XIX. 6. *Sol lætatur, tanquam*

robustus decursurus viam. CIV, 19. *Sol - agnoscens occasum.* Job. V. 7. *Scintillæ prunarum in altum evolant.*

4. In Bestiis datur *Instinctus naturalis*, secundùm Facultates sensitivas: Prov. XXX, 24, -28. *Quatuor ista parva sunt, humilia; tamen sunt sapientia; apprimè sapientia*: F*ormicæ, populus infirmus; quæ comparant cibum suum*: *Mures montani*, - : *Rex non est locustis* - : *Aranea*, &c. Confer sup. cap. 7. th. 33.

5. In Hominibus, & Angelis, etiàm Ratio, & Libertas: sed prorsus dependenter: *Act.* XVII, 25, 28. Prov. XXI, 1. P*sal.* CIII, 20, 21.

IV. *Distinguitur* Providentia *primò*, in Ordinariam, & Extraordinariam.

Ordinaria secundum ordinem primitùs institutum peragitur; sive in Naturâ; ut *Hos.* 2, 22. *Exaudiam Cœlos; & ipsi exaudient Terram*, &c. Jer. XXXI, 35, 36. sive in statû Gratiæ; ut R*om.* X, 17. *Fides est ex auditu; auditus vero per Verbum Dei.*

Extraordinaria ab ordine isto recedit: Deus enim ostendit, se, Dominum universi; isto ordine superiorem esse. Sic Israëlitas M*annâ* & C*oturnicibus* pavit; *Exod.* XVI, 13, 15. Sic C*orvi afferebant Eliæ panem & carnem*; 1 *Reg.* XVII, 6. Et Pauli vocatio atque conversio extraordinaria fuit: *Act.* IX, 3, -. Huc pertinent *Miracula* strictè dicta: *Marc*: XVI, 17, 20. 1C*or.* XII, 9, 10. cum P*sal.* LXXII, 18, CXXXVI, 4. *Act.* III, 12, 13, 16. In quibus creaturæ duntaxat causæ instrumentales morales esse possunt: à Deo precibus ea petendo, & impetrando; eadem aliis promittendo, & futura indicando; signum denique dando circa subjectum recipiens, ad cujus præsentiam Deus effectum Miraculosum per Omnipotentiam suam, producit. Ab illis igitur longè differunt Angelorum, vel Hominum opera, quantumvis mira, seu admiranda; viribus eorum finitis facta.

V. *Distinguitur secundò* in Mediatam, & Immediatam.

Providentia Mediata est, ubi Deus per Media operatur, *Immediata*, ubi absque Mediis.

Medium proprie dicitur, quod inter duo extrema situm est: sed hoc loco intelligitur, quod à causâ principe sic adhibetur, ut effectui producendo, & fini assequendo, sua causalitate etiam serviat. Ita per Pluviam irrigatur & fœcundatur Terra: Frumento, aut Pane inde confecto, & Vino aluntur Homines: *Psal*, CIV, 13, 14, 15. Ægris opus est Medico. *Matth*. IX, 12. Magistratus Dei Minister est, & vindex ad iram ei, qui quod malum est fecerit: *Rom*. XIII, 4. Elisæus per Eliam vocatus est: 1 Reg. XIX, 19, Vide *ibid. vers*. 5: *Ies*. 38, 21. 1 *Tim*. V, 8, *Hebr*. I, 14. *Psal*. XCI, 11, XXXIV, 8. *Gen*. III, 24. XIX, 13. 2 *Sam*. XXIV, 16. 2 *Reg*. XIX, 35. *Apoc*. XVI, 1, &c.

Sed *Immediatè* Deus Mosen vocavit: *Exod*. III, 6, allocutus est: *Num*. XII, 8. sustentavit: *Deut*. IX, 9, 18. Similiter Paulus immediate vocatus est: *Gal*. I, 1.

VI. Deus Mediis utitur, non ex indigentiâ; sed ex abundantiâ Bonitatis Suæ; unde creaturis causalitatem aliquam communicare etiam placuit. Sed ad omnipotentiam Dei nullum est Mediorum discrimen: 1 *Sam*. XIV, 6. *Non est Jehovæ impedimentum, quin servet multis, aut paucis*.

Hinc 1. Mediis vilissimis quandoque utitur. 1 *Cor*. I, 27, 28. *Quæ stulta, infirma, - ignobilia, in mundo, & pro nihilo habita, elegit Deus*, &c. Confer 2 *Chr*. 24. 24.

2. Media aptissima reddit aliquando inefficacia: *Hos*. IV, 10. *Comedentes non saturabuntur*, - *Psal*. XXXIII, 16, 17. - *Mendax est Equus ad salutem*, &c.

3. Contra illorum naturam operatur: *Dan*. III, 17. *Deus, - potens est eripere nos à fornace ignis accensâ*. Confer *vers*. 22, 24. Ita respectu *finis operis* multa *per accidens* fiunt; non item respectû *finis operantis*. Ex. gr. Euangelium *per se* ad salutem spectat; *per accidens* est *odor mortis ad mortem*. 2 *Cor*. 2, 14, 16. Confer *Rom*. I, 16. & VII, 12, 13. X, 4, 5.

4. Ubi

4. Ubi Mediis utitur Deus, virtus illorum ab ipso immediatè pendet: *Psal.* cxxvii, 1, 2. *Nisi Jehovah ædificet, frustra laborant ædificatores: nisi Jehovah custodiat civitatem: frustrà sedulus sit custos, &c.* Confer *Jes.* xxviii, 26. Iterùm *Deut.* viii, 3. *Matth.* 4, 4. *Non solo pane vivit homo; sed omni eo, quod prodit ex ore Jehovæ.* Confer *Levit.* xxvi, 26. *Ezech.* iv, 16. *Mich.* vi, 14. *Hag.* 1, 6. & *Levit.* xxvi, 5. - *Deut.* xxviii, 3. - *Hag.* 2, 20. 1 *Cor.* iii, 5, 6, 7. *Quis est Paulus, &c.? Neque is qui plantat, est aliquid; neque is qui rigat, sed Deus, qui dat crescendi vim.* Adde *Jes.* x, 5, 6, 7, 15.

5. Causæ secundæ sæpè fine suo excidunt; sed Deus nunquàm: *Prov.* xix, 21. *Consilium Jehovæ stabit. Gen.* l, 20. *Vos cogitaveratis contra me malum. Sed Deus cogitavit illud in bonum convertere, ut est die hoc,* &c. *Rom.* viii, 28.

vii. *Tertio distinguitur* Providentia in Realem, & Moralem. *Illa* circa qualescunque creaturas versatur, quatenùs sunt entia prorsùs dependentia; circa entitatem talem: *Hæc* circa creaturas Rationales, ut sic. Sed ad utramque revocandi sunt etiàm actûs negativi; *permissionis* scil. tùm *physicæ*, tum *ethicæ*.

Providentiæ reali subsunt omnes in universum Creaturæ: *Col.* 1, 17. *Hebr.* I, 3. *Eph.* 1, 11. Vide sup. th. 2. Specialiùs, I. de Cœlo: *Jes.* xl, 26. *Attollite in sublime oculos vestros, & videte quis creaverit ista; producens numero suo exercitum ipsorum:* &c. *Matth.* v, 45. *Facit ut Sol suus oriatur,* &c. *Job.* ix, 7. *Psal.* civ, 19.

2. De Hominibus: 1 *Sam.* 2, 6, -10. *Jehovah morte afficit, & in vitam restituit -: deprimit & tollit,* &c. *Psal.* xxxvi, 7. xc, 3. *Act.* xvii, 25. *Matth.* x, 30. vi, 30, 34. 1 *Cor.* ix, 9, 10. 1 *Tim.* iv, 10. *Jac.* iv, 15.

3. De Bestiis: *Ps.* xxxvi, 7. cxlvii, 9. *Dat Jumentis cibum suum: Pullis corvorum, qui crocitant.* civ, 10, 11, 12; 18, 20, 21. *Matth.* vi, 26. *Intuemini in Volucres cœli: - Sed Pater ille vester cœlestis alit eas,* x, 29, *Job.* xxxix, 1, 2, 16--19.

4. De

4. De Plantis: *Psal.* CIV, 14,-17. *Faciens ut germinet Fœnum ad jumentum; & Herba ad hominis usum*, &c. *Satiantur Arbores Jehovæ*; Cedri, &c. Matth VI, 28, 29, 30. *Discite, quomodo Lilia agrorum augescant*, &c. *Quodsi Herbam agri--Deus ita circumvestit*, &c.

5. De Contingentibus: utpote de Homicidio casuali: *Exod.* XXI, 13. *Si quis tamen non quæsiverit: sed Deus ipse objecerit manui ejus*, &c. *Prov.* 16. 33. *In gremium conjicitur Sors; à Jehova autem est tota ratio ejus.*

6. De Liberis actionibus: *Prov.* XVI, 9. *Animus Hominis excogitat viam suam; sed Iehovah statuit gressum ejus.* XXI, 1. *Ut rivi aquarum, sic Animus* Regis *est in manû Jehovæ; quocunque vult, inclinat eum. Jerem.* X. 23. *Novi, Jehovah, non esse penes Hominem viam ejus; non esse penes virum ambulantem, vel dirigere gressum suum.*

Sic omnia huic Providentiæ subsunt; sed inæqualiter, ratione effectuum: *Matth.* VI, 26. *Nonne vos multo præstatis iis.* 30. *Quodsi Herbam agri-Deus ita circumvestit; nonne vos multo magis-?* 1 *Tim.* IV, 10. *Conservator omnium Hominum; maximè verò Fidelium.* 1 *Cor.* IX, 9. *Nûm Boves Deo curæ sunt?* Comparatè scil. ad Homines, & Ministros Dei.

Ad *Providentiam Realem* pertinent *Conservatio, Concursus*, & *Gubernatio*.

VIII. *Conservatio* est actus Providentiæ, quo Deus essentiam & facultates creaturarum continuat, juxta placitum suum. Est ergo *suppositi*, & *virtutum*. Neque *generalis* tantum; sed & *specialis*. *Nehem.* IX, 6. *Tu fecisti Cœlos, -- & Terram; - &c. Et tu Conservas hæc omnia.* Psal. XXXVI, 7. *Homines & Jumenta conservas.* Vide etiam *Apoc.* IV, 11. *Act.* XVII, 25, 28, *Col.* I, 17, *Hebr.* I, 3. *Psal.* CIV, 29, 30.

Estque *necessaria*; propter omnimodam Creaturarum dependentiam, ut in fieri, sic etiam in esse; continuata enim existentia, ejusdem est conditionis cum essentia primum productâ. Imo Conservatio nihil aliud

est, quam continuata Creatio; ac proindè non nisi à Deo procedit: *Rom.* I, 20.

Sicut alia Creatione immediata producta sunt; alia mediata: sic etiam se habet Conservatio; quæ Creationem sequitur, sed Concursum & Gubernationem antecedit; prius enim est ipsum esse, quam agere, aut in agendo dirigi.

Conservantur autem alia eadem numero, quæ creata fuerunt; ut Angeli, Animæ rationales, Sol, Luna, &c. alia eadem specie; ut Plantæ, Bestiæ, &c. Nonnulla secundum aliquam sui partem mutationi obnoxia sunt; cæterum in statû suo persistunt; ut Elementa.

Ex superioribus satis patet, Conservationem omnino esse actum positivum: ei opponitur Annihilatio; mera negatio actus conservativi; cum huius terminus ad quem sit nihilum. Perit ergo, quod non conservatur, & quousque non conservatur amplius: *Psal.* CIV, 29. *Aufers spiritum eorum; deficiunt, & in pulverem suum revertuntur.*

IX. *Concursus* est actus Providentiæ, quo Causæ secundæ à Primâ ad agendum excitantur, applicantur, ac promoventur efficaciter: *Phil.* II, 13. *Deus est, qui efficit in vobis ipsum velle, & ipsum agere.* 1 *Cor.* IV, 7. *Quid habes, quod non acceperis? Prov.* XXI, 1. *Act.* XVII, 25, 28. *Rom.* XI, 35, 36. *Psal.* XXXIII, 15. *Jes.* X, 5, 6, 7, 15. *Jerem.* X, 23.

Non sufficit ergò cum *Durando* statuere generalem solùm conservationem causarum secundarum in suo esse: perfectio enim præsentis actionis positivæ non potest esse independens.

X. Nec sufficit *Pelagianorum Concursus simultaneus* tempore & naturâ: quia sic Causa secunda independenter agere inciperet: hoc enim, undè alterum dependet, eatenùs prius est: atque ità Deus non foret causa prima. Contra *Rom.* XI, 35, 36. *Quis prior dedit ei? - Nam omnia sunt ex eo,-.* 1 *Cor.* IV, 7. Et cur non

etiàm creatura sine Deo posset actionem continuare; cum Inchoatio alicujus rei majus quid sit, quam ejusdem inchoatæ similis Continuatio?

Nec satis est statuere *Concursum* influentem *in effectum*; non verò in causam secundam: sic enim Causa secunda reverâ esset independens, atque adeò prima; quamvis effectus esset dependens.

Neque item sufficit Concursus communis, indifferens, indeterminatus; & determinabilis per actionem creaturæ: quoniàm ex istâ hypothesi Creatura, ut determinans, esset prior concursû sic determinato.

XI. *Statuendum* ergò, quòd Deus sit Causa prima, activè præmovens Causam secundam ad agendum, ac deinceps promovens in agendo: Creatura verò hoc respectû se habeat passivè; quamvis respectû effectûs se habeat activè. Imo eadem actio est Dei & Creaturæ; sed diverso modo atque ordine. Interim Creatura talis actionis suæ est causa formaliter efficiens: Deus verò est causa eminenter efficiens, & virtualiter transitiva: *Jac.* I, 17.

Actiones ut sic, *in genere Entis*, omnes bonæ sunt. In Peccatis verò distinguendum est inter Actum substratum, qui similiter metaphysice bonus est; & inter *ἀνομίαν*, privationem bonitatis moralis debitæ inesse: cujus non est causa efficiens; ac proinde neque concursus ad eam formaliter.

XII. Concursum hunc contra Pelagianizantes *Pontificios, Anabaptistas*, & *Remonstrantes*, pleniùs probamus:

1. Locis generalibus S. Scripturæ, præallegatis th. 9. Adde *Jerem.* XVIII, 6. *Ut argilla in manu figuli, ità vos* &c. *Jac.* IV, 15, 16. *Dicere debuistis*: *Si Dominus voluerit*, &c. Vide etiàm sup. th. 2. & 7.

2. Testimoniis magis specialibus, de operibus moraliter bonis. Vide 1 *Cor.* IV, 7. *Phil.* II, 13. sup. th. 9. Item *Jerem.* XXXI, 18. *Converte me; ut convertar*, 33.

Indam Legem meam menti eorum, -. *Ezech*, XXXVI, 26, 27, 28. *Et dabo vobis cor novum*, & *ſpiritum novum ponam in medio veſtri*, &c. *Iohan*. VI, 44. *Nemo poteſt venire ad me niſi* P*ater traxerit eum*. XV, 5. 1 *Cor*. XII, 3, 6. *Phil*. 1, 29. 2 *Tim* II, 24, 25. *Hebr*. XIII, 20. *Jac*, 1, 17, 18.

3. Ex quibuſdam locis, ubi ſpeciatim agitur de actibus moraliter malis: *Gen*. xlv, 7, 8. *Non vos miſiſtis me huc*: *ſed Deus ipſe*, &c. *Exod*. VII, 3. Ego *obdurabo cor Pharaonis*. 2 *Theſſ*. II, 11. *Mittet eis Deus efficaciam erroris*, -. 2 *Sam*. XII, 11. 12. XVI, 10, 11. *Rom*. 1, 24, 25.

4. Rationibus ex Dependentiâ Creaturarum, & Dei Independentiâ ac primâ cauſalitate: nam

α. Omnis Motionis analyſis debet fieri in primum Motorem immobilem.

β. Omnis Effectus, & Actus, ad Cauſam primam reduci debet.

γ. Deus præſcit omnia ſecundùm Conſilium ſuum determinatum: Concurſus igitur indeterminatus eſſe non poteſt.

δ. Efficientia Dei active eſt ipſe Deus; terminative vero eſt ſimul tempore cum actione Creaturarum; prior tamen naturâ; quia Deus eſt cauſa prima.

XIII. *Obj*. 1. *Ezech*. XVIII. 23. 32. XXXIII, 11. *Deus non delectatur morte peccatoris*; *ſed ut convertatur*, & *vivat*: neque tamen ſequitur omninò converſio: Ergò Concurſus Dei non eſt determinans. *Reſp*. Non delectatur morte in ſe; vult converſionem & vitam; Voluntate illam mandante, hanc promittente. Sed iſte non eſt Concurſus Providentiæ realis, de quo nunc agimus.

Obj. 2. *Prov*. XVI, 1. Homo præparat cor. *Zach*. 1, 3. convertit ſe: ergò, &c. *Reſp*. Sed non ſine Dei operatione, per quam Ipſe facit nos operari.

Obj. 3. *Matth*. XXIII, 37. *Quoties volui congregare filios tuos*; - *ſed tu noluiſti*: Ergò, &c. *Reſp*. 1. Chriſtus exprobrat Hieroſolymitanis, quod ipſe quidem volue-

rit

tui. 5. 36. 37. CVII, 23,-30.

Sic 1. singula ad certa Objecta determinantur. Vide th. 7. Item 1 *Reg.* XXII, 34. *Quidam jaculans arcu simplici animo, percussit Regem Israelis,* &c. *Ezech.* XXI, 21, 22, 23. *Jon.* 1. 7 *Actor.* 1, 26.

2. Actiones Creaturarum suis Limitibus circumscribuntur. *Job.* 1, 12. Deus Diabolo: *Tantummodo in ipsum ne mittito manum tuam.* II, 6. *Veruntamen vitam ejus serva.* Adde XXXVIII, 10, 11.

3. In Fines suos accuratissimè diriguntur: *Jes.* LV, 10, 11. *Cum descendit pluvia, - non revertitur illuc; sed inebriat terram, facitque ut pariat* &c. *Sic erit Verbum meum,* &c. *Prov.* XIX, 21. *Multæ Cogitationes insunt animo cujusque: sed Consilium Jehovæ ipsum stabit.* *Jes.* X, 5, &c. *Luc.* II, 1, &c. *Matth.* II, 5, 6. cum *Mich.* V, 1. & *Genes.* XLIX, 10.

4. Mala etiam in Bonum convertuntur: *Rom.* VIII, 28. *Novimus, iis qui diligunt Deum, omnia simul adjumento esse ad bonum. Gen.* L, 20. *Sed Deus cogitavit illud in bonum convertere.* Confer *Luc.* XXIV, 26. *Act.* IV, 10, 11, 12; 27, 28.

XV. Singula Deus convenienter naturæ suæ gubernat; sive ea necessaria fuerint, sive contingentia, sive libera.

Sic gubernantur 1. Res Humanæ: *Prov.* XXII, 2. *Dives & pauper inter se occurrunt, efficiente hos omnes Jehovâ.* X, 24. *Quod formidat Improbus, id evenit ei; quod desiderant Justi, dabit Deus.* 22. *Benedictio Jehovæ ditat,* &c. Adde *Ps.* CXXVII, 1, 2, 1 *Sam.* II, 6, 7, 8. *Actor.* XVII, 25, 26.

2. Speciatim Matrimonia: *Matth.* XIX, 6. *Quod Deus conjunxit,* &c. *Act.* XVII, 28, 29. *ipsius* Progenies *sumus.* Illustre est exemplum Isaaci; *Genes.* XXIV, 14, 18, 27, &c.

3. Vita ad Terminum usque præstitutum. Vide sup. cap. 6. th. 11.

4. Bellorum exitûs: *Psal.* XLIV, 2, -. *O Deus, auribus-*

bus nostris audivimus, - *Te manu Tua gentes expulisse*: - *Per Te Hostes cornu feriemus.* &c. xlvi, 9, 10, 11. *Agite, videte opera Jehovæ! ut disponat desolationes in terra; faciens, ut cessent Bella-; arcum perfringat, & truncet hastam,* &c. *Prov.* xxi, 31. *Equus aptatur ad diem prælii; sed Jehovæ* est *ipsa salus.* Confer *Exod.* xv, 3, &c. ac porro historiam Bellorum Domini, & promissiones de hostibus in manus Israëlitarum tradendis, &c.

5. *Periodi* Imperiorum, Regnorum, & Rerumpublicarum: *Dan.* II, 22, *Transfert Reges, & constituit* Reges. v, 21, &c.

6. Minima: ut Locustæ, Pediculi, &c. *Exod.* viii, 17. x, 12. *Deut.* xxviii, 38. *Joël.* i, 4. *Act.* xii, 23. Capilli: *Matth.* x, 30. Herbæ; vi, 30.

7. Etiàm Mala tristia: *Am.* iii, 6. *An erit malum in civitate, quod Jehovah non efficiat.* *Threnor.* iii, 37, 28, 39. *Ex ore Excelsi an non prodit malum quodque, & bonum? &c. Hebr.* xii, 6, 7. 1 *Cor.* xi, 32. 2 *Thess.* 1, 6, 8, 9.

XVI. Major difficultas est in *Gubernatione Malorum turpium.* Hæc Deus interdùm impedit: *Genes.* xx, 6. *Cohibui te, ne peccares in Me.* 31, 7. *Non permisit ei Deus, ut damno afficeret me.* 1 *Cor.* x, 13. *Act.* xviii, 9, 10. Sæpè *physicè* permittit: *Psal.* lxxxi, 13. *Dimisi eos ambulare „ ex sententiâ animi sui*; dicens, Abeant *cum pravis consiliis suis!* *Actor.* xiv, 16. *Sivit omnes Gentes suis ipsarum viis incedere.* Confer *Matth.* 8. 31, 32. Et quidem consultò, ac volens: *Rom.* ix, 18. *Quem vult, indurat.*

XVII. Defectum moralem Deus relinquit in actû illo substrato: complexum verò peccaminosum sanctissimè & sapientissimè limitat, ac dirigit in finem bonum. Hinc *efficax Permissio* dicitur.

Probatur autem 1. de *Objectorum*, aliarumque *circumstantiarum* determinatione, ex allegatis th. 14. §. 1. Adde 2 *Sam.* xvi, 10, 11. *Jehovah edixit, Maledic Davidi.* 1 *Reg.* 22. 20, -23, *Dixit Jehovah, quis pelliciet, &c.? Tum dixit; Pellicies; & prævalebis: exi, & fac ita.* &c. *Exod.* 4. 21. 9. 12. *Ps.* cv, 25. *Jes.* 19. 14.

2. De

2. De *Gradibus*, vide th. 14. §. 2. Adde 1 *Cor*. x, 13. *Deus non sinet vos tentari supra* id *quod potestis*. *Actor*. II, 27. ex *Psal*. XVI, 10.

3. De *Finium* ordinatione: *Jos*. XI, 20. *A Jehovâ fuit, quòd obfirmabant cor suum; ut internecioni devoveret illas*. 1 Cor. x, 13. *Unà cum tentatione præstabit exitum, ut possitis sufferre. Jac*. v, 11. *Beatos prædicamus eos, qui sustinent*. T*olerantiam* J*ob audistis, & finem Domini vidistis*. Genes. xlv, 8. *Exod*. XIV, 17. 1 *Reg*. XII, 15. *Actor*. III, 18.

XVIII. Specialiùs *peccata peccatis punit* Deus: quandoque *in aliis: 2 Sam*. XII, 11, 12 *Eo quod sprevisti me, - Suscitaturus sum contra te malum è domo tuâ*; &c. *Jud*. IX, 23, 24. I*mmisit Deus affectum malum inter Abimelechum & Sichemitas: - ut rediret injuria*, &c. 1 *Reg*. XI, 26 Quandoque *in ipsis*: 2 *Thess*. II, 10, 11, 12. *Propterea quod amorem veritatis non receperunt, - ideo mittet eis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio*, &c. *Rom*. I, 24, - 27.

XIX. Occurrunt interim *Excæcatio* & I*nduratio*. *Illa* dicit privationem sapientiæ spiritualis, adeò ut creatura cœco impetû deinceps ruat in peccatum & exitium. *Hæc* verò dicit privationem flexionis & conformationis ad normam Legis Divinæ. *Jes*. VI, 9, 10. *I, ut dicas populo isti: audite indesinenter; at ne intelligatis: & videte indesinenter, neque cognoscatis. Fac, ut pinguescat cor populi istius*, &c. Rom. I, 21, 22, 28. *Vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est cor*, &c. Utraque considerari potest vel ut *actus Dei*, vel ut *creaturæ*. *Deo* autem tribuitur aliquandò solum *negativè*; atque ità simpliciter negatur collatio sapientiæ, & flexionis ad normam: aliquandò *positivè*, prout Deus gubernatione judiciali propter antecedens demeritum creaturam rationalem punit spirituali cœcitate aut duritiâ majore & graviore, quam priùs in eâ extitit. Sed quemadmodùm à Deo procedit, *pœnalis*, est: qua-

tenùs autem in Creaturis subjectivè inest, est *culpabilis.* Rom. IX, 17, 18. *Dicit Scriptura Pharaoni, Ad hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te potentiam meam,* &c.

XX. In Hominibus *protoplastis*, ut & in *Diabolis* primùm peccantibus, Deus isto tempore *negativè*, actualem usum sapientiæ & sanctimoniæ non excitavit. In *posteris* autem cœcitas & duritia tùm *habitualiter*, vel *nativa*, vel *acquisita* spectatur; tum *actualiter*. *Nativa* pertinet ad Peccatum originale. *Acquisita* dicit nativæ corruptionis incrementum ratione graduum, per crebros actûs & consuetudinem peccandi. *Actualis* denique in actibus secundis cernitur.

Utraque in Electos nondum conversos etiàm cadit. *Eph. II, 3. Eramus naturâ filii iræ, ut & reliqui.* In Regenitis, totalis, & ad finem regnans, aut prævalens, non habet locum: sunt enim Lux in Domino: *Eph.* V, 8. & habent cor carneum: *Ezech.* XXXVI, 26. Partialis tamen, eaque sensibilis, in iis etiàm agnoscenda est: *Jac.* III, 2. *In multis impingimus omnes*; 1 *Cor.* XIII, 9. *Ex parte cognoscimus.* Hùc pertinet querela, *Jes.* lXIII, 17. *Quare sineres aberrare nos, Iehovah, à viis Tuis? torrefaciens obdurares animum nostrum à reverentiâ Tui?*

XXI. *Modus* Excœcationis & Indurationis, licet occultus, semper tamen justus est.

Hùc pertinet 1. Non-collatio, imò propter antecedens peccatum justa ablatio, boni habitualis: *Rom.* I, 21, 24. *Tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem.* 26, 27. *Fœdis affectibus.* 28. *In mentem omnis judicii expertem,* &c.

2. Non-impeditio, imò directio hostium spiritualium, ad talia objecta: ut de Pseudo-prophetis; 1 *Reg.* XXII, 22, 23. & de Antichristo; 2 *Thess.* II, 9, 10. 11. *Cujus adventus est ex vi illâ efficaci Satanæ, cum omni potentiâ, & signis ac prodigiis mendacibus. - Ideò igitur mittet eis Deus efficaciam erroris,* &c.

3. Oblatio bonorum, quibus homines suo vitio abu-

abutuntur: ut Occasionum internarum; *Exod.* I, 9, 12. Externarum; *Genes.* XXXVII, 5. *Exod.* V, 2 *Jes.* 2, 9. 2 *Cor.* II, 16. Item Beneficiorum, erga alios, quibus invident; & erga ipsos, quibus abutuntur homines corruptissimi: *Tit.* I, 15. *Pollutis & incredulis nihil est mundum.* *Rom.* II, 4, 5. Et Pœnarum, quibus indurantur: *Jerem.* V, 3. *ô Jehovah, percutis eos; sed non dolent: consumis eos; renuunt accipere eruditionem; reddunt faciem suam obfirmatiorem petrâ; renuunt converti.*

XXII. Ex superioribus patet, non sufficere, si cum *Jesuitis*, aliisque *Pelagianizantibus*, in hoc negotio statuatur mera negatio, vel nuda permissio: nam 1. Requiritur saltem positiva providentia ad actum substratum, & in ordine ad finem.

2. Actus judicialis non nisi positivè procedit; ob tale demeritum, tali modo.

3. Precamur non induci in tentationem: *Matth.* VI, 13. atque alibi passim occurrunt phrases positivum actum inferentes.

XXIII. *Fines*, ad quos actûs peccaminosi diriguntur, sunt, 1. Manifestatio Tolerantiæ Divinæ: *Rom.* II. 4. & Justitiæ, tùm in reprobis: IX, 22. *Quodsi volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam*, &c. *Prov.* XVI, 4. tùm in ipso Christo: *Rom.* III, 25, 26. *Ad demonstrationem justitiæ suæ*, &c.

2. Manifestatio Sapientiæ ac Misericordiæ Divinæ in Electis salvandis: *Rom.* XI, 31, 32. *Conclusit Deus omnes illos in inobedientiam, ut omnium illorum misereretur. O profundas divitias tùm Sapientiæ, tum* Cognitionis *Dei!* &c. V, 20. Ubi *amplificatum est peccatum*, ibi *superabundavit gratia.*

3. Profunda fidelium humiliatio: Matth. IX, 13. *Non veni vocatum justos; sed peccatores ad resipiscentiam.* *Thren.* V, 16. *Væ nobis, quod peccaverimus!* III, 40, 41. *Jerem.* II, 19.

4. Multiplex fidelium probatio, victoria, & glo-

ria: *Luc.* XXII, 31. *Satanas appetiit vos, quos ventilaret sicut triticum*: &c. P*sal.* XXVII, 24. *Cùm cadit* justus, *non dejicitur*, &c. 2 Cor. XII, 9. *Potentia Mea, per infirmitatem consummatur.* Phil.IV.13. *Omnia valeo per Eum, qui me corroborat*, nempè *Christum*, &c. 1 Joh. V,4. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum*, nempè *fides nostra.*

XXIV. *Obj.* Ex Gubernatione istâ sequi videtur, quod Deus sit causa peccati: ergò ea non est admittenda. *Resp.* Istud nego. Qui equum vitio proprio claudicantem regit, is nequaquàm est causa claudicationis.

Inst. 1. Atqui Deus statuitur actûs peccaminosos dirigere ad sua objecta, & in suos fines: ergò, &c. *Resp.* Iterùm nego consequentiam. Tota Dei directio sancta est: neque quicquam agit; vel intendit, nisi bonum, & benè; & finem suum sic semper assequitur, licet creaturæ peccantes aliud & aliter sibi propositum habeant.

Inst. 2. Multæ phrases asperæ circa hoc negotium occurrunt in scriptis Theologorum. *Resp.* 1. Communis Ecclesiarum nostrarum confessio ex publicis earum formulis petenda est; non ex privatis scriptis quorundam Theologorum. 2. Nec facilè ex scriptis nostrorum Theologorum in hoc negotio producentur phrases, aut sententiæ; quarum similes, vel æquipollentes, non reperiantur in SS. Literis; aut etiàm similes, vel duriores, in scriptis ipsorum Adversariorum.

XXV. *Providentia moralis* vel *latè* vel *strictè* sumitur. *Priori modo* ad eam pertinet omnis motio objectiva, & *tropica*, sive metaphorica, per externa signa, aliaque objecta; & sic ad *Bestias* se etiàm extendit. P*osteriori modo* versatur circa Creaturas tantùm rationales; & quidem sic, ut istæ, earumque actiones, ab illâ dependeant *in genere moris*.

Actûs hujus Providentiæ vel spectant *veritates* agnoscendas & credendas, vel *officia* à nobis præstanda. *Veritates* illas respicit Divina *revelatio* explicatoria

&

& assertoria; de quâ sup. cap. 1. th. 26; 32. & cap. 2. th. 2. 4; 8; 9.

Ad *Officia* præstanda pertinent primario *Præcepta*, *Promissiones*, & *Præmia*; secundario etiàm *Concessiones*: ad *vitia* fugienda *Prohibitiones*, *Comminationes*, & *Pœnæ*.

XXVI. *Præcepit* Deus cultum sibi convenientem, *tùm* absolutè & immutabiliter, per naturam suam; undè *cultus naturalis* vocatur: tùm ex hyphotesi, & quodammodò mutabiliter, per liberam voluntatis suæ determinationem; qui *cultus institutus* nuncupatur. Similiter etiàm Deus prohibuit quædam necessariò, & immutabiliter; alia liberè, & mutabiliter.

XXVII. *Concessio*, sive *permissio ethica*, est rerum mediarum. *Concessio* de Rebus, *permissio* de Actionibus magis accommodatè dicitur. Circa omnes tales actùs tenendæ sunt hæ Regulæ: ut fiant 1. Ex fide, & cum certâ persuasione, quòd talis actus sit licitus, ac nos in eo etiàm Deo grati & accepti per Christum. 2. Ex charitate, & citra aliorum scandalum, vel incommodum. 3. Sanctè, in gloriam Dei. *Rom.* XIV, 23. *Quod ex fide non est, peccatum est.* 15. *Si propter escam tuam frater tuus tristitiâ afficitur, non jàm secundùm charitatem ambulas.* *Tit.* I, 15. *Omnia munda mundis: pollutis autem & incredulis nihil est mundum.* 1 *Cor.* VIII, 13. *Si esca offendiculo est fratri meo, non edam carnes in æternum, ne sim offendiculo fratri meo.* X, 31. *Omnia ad gloriam Dei facite.* *Col.* III, 17. Adeo ut nullus actus in individuo sit indifferens. Omnium & singulorum reddenda erit ratio: 2 *Cor.* V, 10. usque ad verbum otiosum: *Matth.* XII, 36.

XXVIII. Nullum per se malum præcipere, vel ethicè permittere, potest Deus: sed ubi physicè permissum, & à creaturâ commissum est, punit necessario. Vide sup. cap. 4. th. 56. Nec ullo modo ejus auctor esse potest: *Jac.* I, 13. *Deus tentari malis non potest; nec quenquam tentat.*

XXIX. *Revelationes* credendorum, *Præcepta* agendorum, & *Prohibitiones* fugiendorum, Deus plenissimè Verbo suo expressit, sive διαῤῥήδην sive κατὰ διάνοιαν: *Matth.* XV, 9. *Frustrà me colunt, docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum. Luc.* X, 25, 26. *In Lege quid scriptum est? quomodo legis:* &c. Interim *Exempla* cum laude proposita, Præceptis accensenda sunt; cum vituperio autem, vel redargutione commemorata, Prohibitionibus sunt annumeranda. Quin & *Præmia* prudenter observanda, cumque Præceptis & Promissionibus conferenda sunt: *Pœnæ* autem similiter ad Prohibitiones & Comminationes referendæ. *Rom.* XV, 4. *Nam quæ antè scripta sunt, ad nostram doctrinam antè scripta sunt.* I, 18. *Patet ira Dei è cœlo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum.* II, 4. *Benignitatem Dei ad resipiscentiam te deducere.* Vide etiàm 1 *Cor.* X, 11. XI, 1. *Jac.* V, 10, 11. IV, 3, 4, 5. *Hag.* I, 5, 6, II, 19, 20.

XXX. *Concessio*, licèt omnis negativa censeri possit, quia istic neque Præceptio neque Prohibitio eatenùs facta est; distribuitur tamen in *expressam*, & *tacitam*.

Expressa occurrit *Gen.* II, 16. *De fructû omnis arboris hujus horti liberè comedes*, &c. *Levit.* XI, 2, 3. *Hæc sunt animalia, quæ vos comedetis*, &c. 9, 10. *Act.* X, 15. *Quæ Deus purificavit, tu ne polluito.* Rom. XIV, 14. *Col.* II, 14, 16, 17; 20, 21. *Tit.* I, 15. *Gal.* IV, 1,-7; 9, 10. *Deut.* XXIII, 20.

Tacita per S. Scripturæ perfectionem colligitur, ubi nec præceptio nec prohibitio facta est.

XXXI. Interim in Concessionibus quibusdam singulares circumstantiæ inferunt obligationem agendi id quod concessum est: ut de Matrimonio, *Genes.* I, 28. *Fœtificate, & augescite, & implete terram:* si conferatur cum 1 *Cor.* VII, 7. *Unusquisque proprium donum habet ex Deo*, &c. & ibid. *vers.* 37. Nonnullæ etiàm ad forum Soli tantùm pertinent: ut de libello Repudii; *Deut.* XXIV, 1. cum *Matth.* XIX, 7, 8.

Ex superioribus patet, Permissiones ethicas quandoque exprimi eodem modo ac Præcepta; à quibus tamen per circumstantias, & aliorum locorum collationem, distingui debent. Quin & Permissiones solùm physicæ simili modo interdùm exprimuntur; ut *Num.* XXII, 20, cum 32. *Surge, abi cum iis.* 1 *Reg.* 22, 22. *Exi, & fac ità.* *Joh.* XIII, 27. *Quod facis, mox facito.*

XXXII. Pro φιλανθρωπίᾳ suâ Deus in Præceptis etiàm aliquando eorum honestatem, æquitatem, justitiam, & utilitatem proponit: undè *Consilia* appellantur; ut *Apoc.* III, 18. *Consilium do tibi, ut emas à me aurum igni exploratum,* &c. *Psal.* XVI, 7. *Benedicam Iehovæ, qui dedit consilium mihi,* &c. Hæc absurdè *Pontificii* accipiunt de Officiis non mandatis communiter; sed quibusdam particulariter solum propositis, ad perfectionem Euangelicam: quæ autem putant sic fieri, ea *opera supererogationis* vocant. Nos non nisi speciali modo exprimendi à Præceptis differre dicimus.

Similiter *Obtestationes*, sive *Contestationes*, adhibentur; ejusmodi expressiones Præceptorum & Prohibitionum, in quibus Deus ad pleniorem justitiæ & æquitatis suæ demonstrationem, ipsas Creaturas rationales, & earum conscientiam, aliasque analogicè & suo modo, testes advocat. *Deuter.* IV, 26. *Contestor contra vos hodiè cœlum & terram,* &c. XXX, 18, 19. *Psal.* LXXXI, 9. *Audi popule mi, & Contestabor te,* -. *Jes.* I, 4. V, 3, 4.

Occurrunt etiam alicubi *Vota,* sive *Optationes*; quibus Deus ἀνθρωποπαθῶς indicat, quàm bona sit, Hominibusque appetenda, & quantoperè ipsi Deo probetur, mandata obedientia; adhæc quomodo illi præstandæ occasiones, adminicula, & incitamenta plurima suppeditet; nec non quàm serio velit nexum obedientiæ istius cum præmio promisso. *Psal.* LXXXI, 14, 15. *O si populus meus auscultâsset mihi,* &c. Vide etiàm *Deut.* V, 29. Ità Christus, *Luc.* XIX, 41, 42. cùm appropinquaret Hierosolymis, *Visâ urbe, flevit su-*

per eâ, *dicens*; *Si vel tu nôsses hoc saltem tuo die, quæ ad pacem tuam* pertinent! Confer 2 *Cor*. v, 20.

XXXIII. Actûs morales à realibus accuratè distinguendi sunt: hi per illos non excluduntur; sed ùt præstetur obedientia, accedere debent. Aliàs tantùm obligatio ad officium infertur, & voluntas mandati innotescit; cui dùm scientes & volentes refragantur homines, fiunt inexcusabiles: *Ezech*, II, 4, 5. *Ut sciant Prophetam fuisse in medio sui*. 2 *Cor*. II, 14. 15, 16. - *His quidem odor mortis ad mortem*.

XXXIV. Ad *Praxin*, 1. Providentiam Dei piè in omnibus contemplemur, & alios similiter excitemus: *Psal*. XCIV, 8, 9, 10. *Jes*. xl, 26. *Matth*. VI, 26, -30. *Act*. XIV, 17. XVII, 24, -28.

2. Sub manû Omnipotentis humiliemur: *Jac*. IV, 7, 10. 1 *Petr*. v, 6.

3. Justissimum Dei Imperium in omnia agnoscamus, prædicemus: *Job*. I, 21. *Psal*. CXV, 3. *Dan*. IV, 35.

4. Eum toto animo revereamur, qui intimè omnibus præ est, & in omnibus operatur: *Act*. XVII, 25, 28. *Psal*. XXXIII, 15. In *Prosperis* gratitudinem præstemus: *Psal*. CVII, 8. CXVI, 12. CXLV, 10, 15, 16. *Jac*. I, 17. 1 *Tim*. VI, 17: Amemus: *Psal*. CXVI, 1. lv, 33. In Adversis coram Ipso patientes simus: *Hebr*. XII, 5, &c. *Job*. I, 21. 2 *Sam*. XV, 10, 11.

5. Mediis ne nimiùm tribuamus: *Psal*. CXXVII, 1, 2. 2 *Chron*. XV, 12. *Matth*. IV, 4. Neque tamen temerè negligamus: *Actor*. XXVII. 31. *Matth*. IV, 7. 2 *Reg*. V, 13.

6. Omnem solicitudinem in Deum devolvamus: *Psal*. lv, 23. 1 *Petr*. v, 7. *Hebr*. XIII, 5, 6, *Psal*. XXIII, 1. 4, 6. 1 *Sam*. XVII, 37. 2 *Tim*. IV, 17, 18. *Eph*. III, 19, 20. *Rom*. VIII, 28. *Gen*. L, 20, XXII, 8.

7. Providentiam moralem, vitæ nostræ regulam, respiciamus, & observemus perpetuò: *Psal*. CXIX, 4, 5; 17, 18, 19; 33, -37.

CAPUT IX.

De Fœdere Legali.

JUs. Injuria. Quis illud *postulet.* Quæ eorum *capacia.* 1. *Jus Dei*: tùm *naturale*; tùm *positivum. Jus naturale* respectû nostri. *Institutum.* Quid JCtis *Jus naturæ. Gentium. Civile.* 2. Jus *creaturarum rationalium. Magistratuum. Subditorum.* 3. *Lex. Divina. Æterna. Humana.* 4. *Jus* & *Lex* non contraria. *Societatis civilis initium* non à mutuo metû. *Norma juris* non defensio vitæ & membrorum. *Voluntas* non absolutè subjicienda Hominibus. Non *omnis Pœna* propter peccantium correctionem. c. *Hobb.* 5. *Lex Divina. Cerimonialis. Politica.* 6. *Moralis. Decalogus. Lex charitatis. Actus religiosi* circa proximum. 7. *Argumenta* singulorum Præceptorum. 8. Integra Lex Moralis non est *Juris ipsi Deo naturalis.* 9. Attamen *Juris nobis naturalis. Obj.* solv. 10. Eadem fuit *ante Mosen.* 11. Probatur ampliûs *inductione*, de *Praceptis tab. post.* 12. Similiter de *Praceptis tab. pr.* 13. *Objectiones* de *Sabbatho* solv. 14. *Jus naturale primævum. Secundarium.* 15. Eadem Lex Moralis adhùc *obtinet sub* N. T. 16. Etiam *quartum Praceptum. Obj.* solv. 17. Sententiæ *Pontif. Socin. Anabapt.* &c. 18. *Idololatria Pontif.* in *Angelis*, refutatur. 19. Non rogandi, ut *pro nobis intercedant. Obj.* solv. 20. In *Christo*, secundùm hum. nat. *B. Virgine*

Maria. Sanctis demortuis: Patronis: Canonizatis. 21. *Refutatur.* 22. Non rogandi, ut *pro nobis intercedant. Obj.* solv. 23. In *Pontifice Rom.* 24. In *Pane eucharistico.* 25. In *Cruce.* 26. In *Reliquiis.* 27. In *Imaginibus.* 28. *Refut.* & *Obj.* solv. 29. In *Rebus consecratis. Agnis Dei.* 30. In *Divis chimaericis*, &c. *Sanctis non-sanctis.* 31. *Magia* datur, c. *Neo-Sadduc. Obj.* solv. 32. *Papatui vere impingitur.* 33. Non omnis *ignorantia* est *inculpata.* 34. *Species* ejus vitiosæ. *Obj.* solv. 35. An sola *Hæresis* possit *Hominem subjicere æternæ damnationi.* 36. An *Hæretici*, ut sic, *extremo supplicio afficiendi,* 37. *Odium* adversùs *Deum. Obj.* solv. 38. *Falsa gratiarum actio. Salutatio Angelica, Pontif.* 39. Non *orandum* pro *mortuis*: c. *eosd. Obj.* solv. 40. *Orationem Dominicam* posse usurpari pro *formula precandi*; c. *Brown.* 41. Rectè appellamus *Patrem nostrum.* Et rogamus, ut *Veniat Regnum Ipsius.* c. *Muhamm.* 42. Quis ὁ ἄρτος ὁ ἐπιούσιος. *Obj.* solv. 43. Aliæ *explicationes.* 44. *Remissio nostra* in petitione quintâ, qualis; & quem respectum habeat ad *Remissionem Dei.* 45. *Doxologia* verè canonica: c. *Pontif.* 45. *Jejunium.* Non consistit in *discrimine ciborum*: c. *eosd.* 46. Objectiones *solvuntur.* 47. Non est per se *cultus religiosus. Obj.* solv. 48. Non opus *pœnale*, & *satisfactorium justitiæ Divinæ.* Nec debent esse *ordinaria absoluta & perpetua.* c. *eosd. Obj.* solv. 49. *Inanis eorundem verborum repetitio.* 50. *Votum.* Soli *Deo vovendum.* 51.
Ejus

Ejus materia. Vota Papistica. Monastica 52. Malè *Sociniani* contendunt, *Christum primo Præcepto addidisse mandatum generale de Precibus Deo faciendis.* 53. *Formulam Orationis Dominicæ.* 54. & *Mandatum de Ipso adorando.* 55. *Imagines* in secundo Decalogi præcepto. *Pontificiorum* refutantur. 56. *Objectiones* solv. 57. Non *usurpandæ*, nec *asservandæ in talem usum.* 58. Imagines *creaturarum.* 59. *Usus illicitus.* 60. Non habendæ pro *libris Laicorum.* 61. Ἐθελοθρησκεία. *Pontificiorum.* 62. Secundùm Præceptum à Christo non auctum: c. *Socin.* 63. *Secundum* verè distinctum à *primo*: c. *Pontif.* 64. Perperàm statuunt *Socin.* Tertio præcepto *additum* esse à Christo, *Ne temerè juremus*, &c. 65. Non omne *Juramentum* sub N. T. *illicitum*: c. *Anabapt. Obj.* solv. 66. Malè item *Socin.* Additum illi *Juramentum per Christum.* 67. Non jurandum *per Sanctos*, aliasve *creaturas*; c. *Pontif. Obj.* solv. 68. *Festa* propriè dicta non sunt *sub* N. T. *observanda*; nedùm *in honorem Sanctorum*: c. *eosd. Obj.* solv. 69. Qui *Pater & Mater* in *quinto Præcepto.* 70. *Liberis* non licet *vovere vitam Monasticam*, *invitis Parentibus*: c. *Pontif. Obj.* solv. 71. Nec *Matrimonium sic contrahere.* 72. Christianus *Magistratui Politico parere* potest; quin & eum *gerere*, bonâ conscientiâ: c. *Anabapt.* 73. *Objectiones* solvuntur. 74. Aliquandò etiàm in *judicio agere* licet adversùs *fratrem*, apud *Magistratum fidelem. Obj.* solv. 75. *Magistratus* honore ac dignitate

bus nostris audivimus, - *Te manu Tua gentes expulisse*: - *Per Te Hostes cornu feriemus*. &c. xlvi, 9, 10, 11. *Agite, videte opera Jehovæ! ut disponat desolationes in terra; faciens, ut cessent Bella-; arcum perfringat, & truncet hastam*, &c. Prov. xxi, 31. *Equus aptatur ad diem prælii; sed Jehovæ* est *ipsa salus*. Confer Exod. xv, 3, &c. ac porro historiam Bellorum Domini, & promissiones de hostibus in manus Israëlitarum tradendis, &c.

5. Periodi Imperiorum, Regnorum, & Rerumpublicarum: *Dan. II, 22, Transfert Reges, & constituit* Reges. v, 21, &c.

6. Minima: ut Locustæ, Pediculi, &c. *Exod.* viii, 17. x, 12. *Deut.* xxviii, 38. Joël. i, 4. *Act.* xii, 23. Capilli: *Matth.* x, 30. Herbæ; vi, 30.

7. Etiàm Mala tristia: *Am.* iii, 6. *An erit malum in civitate, quod Jehovah non efficiat.* Threnor. iii, 37, 28, 39. *Ex ore Excelsi an non prodit malum quodque, & bonum? &c. Hebr.* xii, 6, 7. 1 *Cor.* xi, 32. 2 Thess. i, 6, 8, 9.

XVI. Major difficultas est in *Gubernatione Malorum turpium*. Hæc Deus interdùm impedit: *Genes.* xx, 6. *Cohibui te, ne peccares in Me.* 31, 7. *Non permisit ei* Deus, *ut damno afficeret me.* 1 Cor. x, 13. *Act.* xviii, 9, 10. Sæpè *physicè* permittit: *Psal.* lxxxi, 13. *Dimisi eos ambulare ex sententiâ animi sui*; dicens, Abeant *cum pravis consiliis suis! Actor.* xiv, 16. *Sivit omnes Gentes suis ipsarum viis incedere*. Confer Matth. 8. 31, 32. Et quidem consultò, ac volens: *Rom.* ix, 18. *Quem vult, indurat.*

XVII. Defectum moralem Deus relinquit in actû illo substrato: complexum verò peccaminosum sanctissimè & sapientissimè limitat, ac dirigit in finem bonum. Hinc *efficax Permissio* dicitur.

Probatur autem 1. de *Objectorum*, aliarumque *circumstantiarum* determinatione, ex allegatis th. 14. §. 1. Adde 2 *Sam.* xvi, 10, 11. *Jehovah edixit*, Maledic *Davidi.* 1 *Reg.* 22. 20, -23, *Dixit Jehovah, quis pelliciet, &c.? Tum dixit*; Pellicies; *& prævalebis*: *exi, & fac ita.* &c. *Exod.* 4. 21. 9. 12. Ps. cv, 25. Jes. 19. 14. 2. De

2. De *Gradibus*, vide th. 14. §. 2. Adde 1 *Cor.* x, 13. *Deus non sinet vos tentari supra* id *quod potestis. Actor.* II, 27. ex *Psal.* XVI, 10.

3. De *Finium* ordinatione: *Jos.* XI, 20. *A Jehovâ fuit, quòd obfirmabant cor suum; ut internecioni devoveret illas.* 1 Cor. x, 13. *Unà cum tentatione præstabit exitum, ut possitis sufferre. Jac.* v, 11. *Beatos prædicamus eos, qui sustinent.* Tolerantiam Job *audistis, & finem Domini vidistis. Genes.* xlv, 8. *Exod.* XIV, 17. 1 *Reg.* XII, 15. *Actor.* III, 18.

XVIII. Specialiùs *peccata peccatis punit* Deus: quandoque *in aliis*: 2 *Sam.* XII, 11, 12 *Eo quod sprevisti me, - Suscitaturus sum contra te malum è domo tuâ;* &c. *Jud.* IX, 23, 24. *Immisit Deus affectum malum inter Abimelechum & Sichemitas: - ut rediret injuria,* &c. 1 *Reg.* XI, 26 Quandoque *in ipsis*: 2 *Thess.* II, 10, 11, 12. *Propterea quod amorem veritatis non receperunt, - ideo mittet eis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio,* &c. *Rom.* 1, 24, - 27.

XIX. Occurrunt interim *Excæcatio* & *Induratio. Illa* dicit privationem sapientiæ spiritualis, adeò ut creatura cœco impetû deinceps ruat in peccatum & exitium. *Hæc* verò dicit privationem flexionis & conformationis ad normam Legis Divinæ. *Jes.* VI, 9, 10. *I, ut dicas populo isti: audite indesinenter; at ne intelligatis: & videte indesinenter, neque cognoscatis. Fac, ut pinguescat cor populi istius,* &c. *Rom.* 1, 21, 22, 28. *Vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est* cor, &c. Utraque considerari potest vel ut *actus Dei*, vel ut *creaturæ. Deo* autem tribuitur aliquandò solum *negativè*; atque ità simpliciter negatur collatio sapientiæ, & flexionis ad normam: aliquandò *positivè*, prout Deus gubernatione judiciali propter antecedens demeritum creaturam rationalem punit spirituali cœcitate aut duritiâ majore & graviore, quam priùs in eâ extitit. Sed quemadmodùm à Deo procedit, *pœnalis*, est: qua-

tenùs autem in Creaturis subjectivè inest, est *culpabilis.* Rom. IX, 17, 18. *Dicit Scriptura Pharaoni, Ad hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te potentiam meam*, &c.

XX. In Hominibus *protoplastis*, ut & in *Diabolis* primùm peccantibus, Deus isto tempore *negativè*, actualem usum sapientiæ & sanctimoniæ non excitavit. In *posteris* autem cœcitas & duritia tùm *habitualiter*, vel *nativa*, vel *acquisita* spectatur; tum *actualiter*. *Nativa* pertinet ad Peccatum originale. *Acquisita* dicit nativæ corruptionis incrementum ratione graduum, per crebros actûs & consuetudinem peccandi. *Actualis* denique in actibus secundis cernitur.

Utraque in Electos nondum conversos etiàm cadit. Eph. II, 3. *Eramus naturâ filii iræ, ut & reliqui.* In Regenitis, totalis, & ad finem regnans, aut prævalens, non habet locum: sunt enim Lux in Domino: *Eph.* V, 8. & habent cor carneum: Ezech. XXXVI, 26. Partialis tamen, eaque sensibilis, in iis etiàm agnoscenda est: *Jac.* III, 2. *In multis impingimus omnes*, 1 Cor. XIII, 9. *Ex parte cognoscimus.* Hùc pertinet querela, *Jes.* LXIII, 17. *Quare sineres aberrare nos, Iehovah, à viis Tuis? torrefaciens obdurares animum nostrum à reverentiâ Tui?*

XXI. *Modus* Excœcationis & Indurationis, licet occultus, semper tamen justus est.

Hùc pertinet 1. Non-collatio, imò propter antecedens peccatum justa ablatio, boni habitualis: Rom. I, 21, 24. *Tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem.* 26, 27. *Fœdis affectibus.* 28. *In mentem omnis judicii expertem*, &c.

2. Non-impeditio, imò directio hostium spiritualium, ad talia objecta: ut de Pseudo-prophetis; 1 Reg. XXII, 22, 23. & de Antichristo; 2. *Thess.* II, 9, 10. 11. *Cujus adventus est ex vi illâ efficaci Satanæ, cum omni potentiâ, & signis ac prodigiis mendacibus. - Ideò igitur mittet eis Deus efficaciam erroris*, &c.

3. Oblatio bonorum, quibus homines suo vitio abu-

abutuntur: ut Occasionum internarum; *Exod.* I, 9, 12. Externarum; *Genes.* XXXVII, 5. *Exod.* V, 2 *Jes.* 2, 9. 2 *Cor.* II, 16. Item Beneficiorum, erga alios, quibus invident; & erga ipsos, quibus abutuntur homines corruptissimi: *Tit.* I, 15. *Pollutis & incredulis nihil est mundum. Rom.* II, 4, 5. Et Pœnarum, quibus indurantur: *Jerem.* V, 3. *ô Iehovah, percutis eos; sed non dolent: consumis eos; renuunt accipere eruditionem; reddunt faciem suam obfirmatiorem petrâ; renuunt converti.*

XXII. Ex superioribus patet, non sufficere, si cum *Jesuitis*, aliisque *Pelagianizantibus*, in hoc negotio statuatur mera negatio, vel nuda permissio: nam 1. Requiritur saltem positiva providentia ad actum substratum, & in ordine ad finem.

2. Actus judicialis non nisi positivè procedit; ob tale demeritum, tali modo.

3. Precamur non induci in tentationem: *Matth.* VI, 13. atque alibi passim occurrunt phrases positivum actum inferentes.

XXIII. *Fines*, ad quos actûs peccaminosi diriguntur, sunt, 1. Manifestatio Tolerantiæ Divinæ: *Rom.* II. 4. & Justitiæ, tùm in reprobis: IX, 22. *Quod si volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam*, &c. *Prov.* XVI, 4. tùm in ipso Christo: *Rom.* III, 25, 26. *Ad demonstrationem justitiæ suæ*, &c.

2. Manifestatio Sapientiæ ac Misericordiæ Divinæ in Electis salvandis: *Rom.* XI, 31, 32. *Conclusit Deus omnes illos in inobedientiam, ut omnium illorum misereretur. O profundas divitias tùm Sapientiæ, tum* Cognitionis *Dei!* &c. V, 20. Ubi *amplificatum est peccatum*, ibi *superabundavit gratia.*

3. Profunda fidelium humiliatio: *Matth.* IX, 13. *Non veni vocatum justos: sed peccatores ad resipiscentiam. Thren.* V, 16. *Væ nobis, quod peccaverimus!* III, 40, 41. *Jerem.* II, 19.

4. Multiplex fidelium probatio, victoria, & glo-

ria: *Luc.* XXII, 31. *Satanas appetiit vos, quos ventilaret sicut triticum*: &c. P*sal.* XXVII, 24. *Cùm cadit* justus, *non dejicitur*, &c. 2 Cor. XII, 9. P*otentia Mea, per infirmitatem consummatur*. P*hil*.IV.13. *Omnia valeo per Eum, qui me corroborat*, nempè C*hristum*, &c. 1 Joh. V,4. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum*, nempè *fides nostra*.

XXIV. *Obj*. Ex Gubernatione istâ sequi videtur, quod Deus sit causa peccati: ergò ea non est admittenda. *Resp*. Istud nego. Qui equum vitio proprio claudicantem regit, is nequaquàm est causa claudicationis.

Inst. 1. Atqui Deus statuitur actûs peccaminosos dirigere ad sua objecta, & in suos fines: ergò, &c. R*esp*. Iterùm nego consequentiam. Tota Dei directio sancta est: neque quicquam agit; vel intendit, nisi bonum, & benè; & finem suum sic semper assequitur, licet creaturæ peccantes aliud & aliter sibi propositum habeant.

Inst. 2. Multæ phrases asperæ circa hoc negotium occurrunt in scriptis Theologorum. R*esp*. 1. Communis Ecclesiarum nostrarum confessio ex publicis earum formulis petenda est; non ex privatis scriptis quorundam Theologorum. 2. Nec facilè ex scriptis nostrorum Theologorum in hoc negotio producentur phrases, aut sententiæ; quarum similes, vel æquipollentes, non reperiantur in SS. Literis; aut etiàm similes, vel duriores, in scriptis ipsorum Adversariorum.

XXV. *Providentia moralis* vel *latè* vel *strictè* sumitur. *Priori modo* ad eam pertinet omnis motio objectiva, & *tropica*, sive metaphorica, per externa signa, aliaque objecta; & sic ad *Bestias* se etiàm extendit. P*osteriori modo* versatur circa Creaturas tantùm rationales; & quidem sic, ut istæ, earumque actiones, ab illâ dependeant *in genere moris*.

Actûs hujus Providentiæ vel spectant *veritates* agnoscendas & credendas, vel *officia* à nobis præstanda. *Veritates* illas respicit Divina *revelatio* explicatoria

&

& assertoria; de quâ sup. cap. 1. th. 26; 32. & cap. 2. th. 2. 4; 8, 9.

Ad *Officia* præstanda pertinent primario *Præcepta*, *Promissiones*, & P*ræmia*; secundario etiàm C*oncessiones*: ad *vitia* fugienda P*rohibitiones*, *Comminationes*, & P*œnæ*.

XXVI. *Præcepit* Deus cultum sibi convenientem, *tùm* absolutè & immutabiliter, per naturam suam; undè *cultus naturalis* vocatur: tùm ex hyphotesi, & quodammodò mutabiliter, per liberam voluntatis suæ determinationem; qui *cultus institutus* nuncupatur. Similiter etiàm Deus prohibuit quædam necessariò, & immutabiliter; alia liberè, & mutabiliter.

XXVII. C*oncessio*, sive *permissio ethica*, est rerum mediarum. C*oncessio* de Rebus, *permissio* de Actionibus magis accommodatè dicitur. Circa omnes tales actùs tenendæ sunt hæ Regulæ: ut fiant 1. Ex fide, & cum certâ persuasione, quòd talis actus sit licitus, ac nos in eo etiàm Deo grati & accepti per Christum. 2. Ex charitate, & citra aliorum scandalum, vel incommodum. 3. Sanctè, in gloriam Dei. *Rom.* XIV, 23. *Quod ex fide non est, peccatum est.* 15. *Si propter escam tuam frater tuus tristitiâ afficitur, non jàm secundùm charitatem ambulas.* *Tit.* I, 15. *Omnia munda mundis: pollutis autem & incredulis nihil est mundum.* 1 *Cor.* VIII, 13. *Si esca offendiculo est fratri meo, non edam carnes in æternum, ne sim offendiculo fratri meo.* X, 31. *Omnia ad gloriam Dei facite.* *Col.* III, 17. Adeo ut nullus actus in individuo sit indifferens. Omnium & singulorum reddenda erit ratio: 2 *Cor.* V, 10. usque ad verbum otiosum: *Matth.* XII, 36.

XXVIII. Nullum per se malum præcipere, vel ethicè permittere, potest Deus: sed ubi physicè permissum, & à creaturâ commissum est, punit necessario. Vide sup. cap. 4. th. 56. Nec ullo modo ejus auctor esse potest: *Jac.* I, 13. *Deus tentari malis non potest; nec quenquam tentat.*

XXIX. *Revelationes* credendorum, *Praecepta* agendorum, & *Prohibitiones* fugiendorum, Deus plenissimè Verbo suo expressit, sive διαῤῥήδην sive κατὰ διάνοιαν: *Matth.* XV, 9. *Frustrà me colunt, docentes doctrinas, quae sunt mandata hominum. Luc.* X, 25, 26. *In Lege quid scriptum est? quomodo legis:* &c. Interim *Exempla* cum laude proposita, Praeceptis accensenda sunt; cum vituperio autem, vel redargutione commemorata, Prohibitionibus sunt annumeranda. Quin & *Praemia* prudenter observanda, cumque Praeceptis & Promissionibus conferenda sunt: *Poenae* autem similiter ad Prohibitiones & Comminationes referendae. *Rom.* XV, 4. *Nam quae antè scripta sunt, ad nostram doctrinam antè scripta sunt.* I, 18. *Patet ira Dei è coelo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum.* II, 4. *Benignitatem Dei ad resipiscentiam te deducere.* Vide etiàm 1 *Cor.* X, 11. XI, 1. *Jac.* V, 10, 11. IV, 3, 4, 5. *Hag.* I, 5, 6, II, 19, 20.

XXX. *Concessio*, licèt omnis negativa censeri possit, quia istic neque Praeceptio neque Prohibitio eatenùs facta est; distribuitur tamen in *expressam*, & *tacitam*.

Expressa occurrit *Gen.* II, 16. *De fructû omnis arboris hujus horti liberè comedes,* &c. *Levit.* XI, 2, 3. *Haec sunt animalia, quae vos comedetis,* &c. 9, 10. *Act.* X, 15. *Quae Deus purificavit, tu ne polluito.* Rom. XIV, 14. *Col.* II, 14, 16, 17; 20, 21. *Tit.* I, 15. *Gal.* IV, 1, 7; 9, 10. *Deut.* XXIII, 20.

Tacita per S. Scripturae perfectionem colligitur, ubi nec praeceptio nec prohibitio facta est.

XXXI. Interim in Concessionibus quibusdam singulares circumstantiae inferunt obligationem agendi id quod concessum est: ut de Matrimonio, *Genes.* I, 28. *Foetificate, & augescite, & implete terram*: si conferatur cum 1 *Cor.* VII, 7. *Unusquisque proprium donum habet ex Deo,* &c. & ibid. *vers.* 37. Nonnullae etiàm ad forum Soli tantùm pertinent: ut de libello Repudii; *Deut.* XXIV, 1. cum *Matth.* XIX, 7, 8.

Ex

Ex superioribus patet, Permissiones ethicas quandoque exprimi eodem modo ac Præcepta; á quibus tamen per circumstantias, & aliorum locorum collationem, distingui debent. Quin & Permissiones solùm physicæ simili modo interdùm exprimuntur; ut *Num.* XXII, 20, cum 32. *Surge, abi cum iis.* 1 *Reg.* 22, 22. *Exi, & fac ità.* *Joh.* XIII, 27. *Quod facis, mox facito.*

XXXII. Pro φιλανθρωπία suâ Deus in Præceptis etiàm aliquando eorum honestatem, æquitatem, justitiam, & utilitatem proponit: undè *Consilia* appellantur; ut *Apoc.* III, 18. *Consilium do tibi, ut emas à me aurum igni exploratum,* &c. *Psal.* XVI, 7. *Benedicam Iehovæ, qui dedit consilium mihi,* &c. Hæc absurdè *Pontificii* accipiunt de Officiis non mandatis communiter; sed quibusdam particulariter solum propositis, ad perfectionem Euangelicam: quæ autem putant sic fieri, ea *opera supererogationis* vocant. Nos non nisi speciali modo exprimendi à Præceptis differre dicimus.

Similiter *Obtestationes*, sive *Contestationes*, adhibentur; ejusmodi expressiones Præceptorum & Prohibitionum, in quibus Deus ad pleniorem justitiæ & æquitatis suæ demonstrationem, ipsas Creaturas rationales, & earum conscientiam, aliasque analogicè & suo modo, testes advocat. *Deuter.* IV, 26. *Contestor contra vos hodiè cœlum & terram,* &c. XXX, 18, 19. *Psal.* LXXXI, 9. *Audi popule mi, & Contestabor te,* -. *Jes.* I, 4. V, 3, 4.

Occurrunt etiam alicubi *Vota*, sive *Optationes*; quibus Deus ἀνθρωποπαθῶς indicat, quàm bona sit, Hominibusque appetenda, & quantoperè ipsi Deo probetur, mandata obedientia; adhæc quomodo illi præstandæ occasiones, adminicula, & incitamenta plurima suppeditet; nec non quàm serio velit nexum obedientiæ istius cum præmio promisso. *Psal.* LXXXI, 14, 15. *O si populus meus auscultâsset mihi,* &c. Vide etiàm *Deut.* V, 29. Ità Christus, *Luc.* XIX, 41, 42. cùm appropinquaret Hierosolymis, *Visâ urbe, flevit su-*

per eâ, dicens; Si vel tu nôſſes hoc ſaltem tuo die, quæ ad pacem tuam pertinent! Confer 2 *Cor.* v, 20.

XXXIII. Actûs morales à realibus accuratè diſtinguendi ſunt: hi per illos non excluduntur; ſed ut præſtetur obedientia, accedere debent. Aliàs tantùm obligatio ad officium infertur, & voluntas mandati innoteſcit; cui dùm ſcientes & volentes refragantur homines, fiunt inexcuſabiles: *Ezech,* II, 4, 5. *Ut ſciant Prophetam fuiſſe in medio ſui.* 2 *Cor.* II, 14. 15, 16. - *His quidem odor mortis ad mortem.*

XXXIV. Ad *Praxin*, 1. Providentiam Dei piè in omnibus contemplemur, & alios ſimiliter excitemus: *Pſal.* XCIV, 8, 9, 10. *Jeſ.* xl, 26. *Matth.* VI, 26, -30. *Act.* XIV, 17. XVII, 24, -28.

2. Sub manû Omnipotentis humiliemur: *Jac.* IV, 7, 10. 1 *Petr.* v, 6.

3. Juſtiſſimum Dei Imperium in omnia agnoſcamus, prædicemus: *Job.* I, 21. *Pſal.* CXV, 3. *Dan.* IV, 35.

4. Eum toto animo revereamur, qui intimè omnibus præ eſt, & in omnibus operatur: *Act.* XVII, 25, 28. *Pſal.* XXXIII, 15. In *Proſperis* gratitudinem præſtemus: *Pſal.* CVII, 8. CXVI, 12. CXLV, 10, 15, 16. *Jac.* I, 17. 1 *Tim.* VI, 17: Amemus: *Pſal.* CXVI, 1. lv, 33. In Adverſis coram Ipſo patientes ſimus: *Hebr.* XII, 5, &c. *Job.* I, 21. 2 *Sam.* XV, 10, 11.

5. Mediis ne nimiùm tribuamus: *Pſal.* CXXVII, 1, 2. 2 *Chron.* XV, 12. *Matth.* IV, 4. Neque tamen temerè negligamus: *Actor.* XXVII. 31. *Matth.* IV, 7. 2 *Reg.* v, 13.

6. Omnem ſolicitudinem in Deum devolvamus: *Pſal.* lv, 23. 1 *Petr.* v, 7. *Hebr.* XIII, 5, 6, *Pſal.* XXIII, 1. 4, 6. 1 *Sam.* XVII, 37. 2 *Tim.* IV, 17, 18. *Eph.* III, 19, 20. *Rom.* VIII, 28. *Gen.* L, 20, XXII, 8.

7. Providentiam moralem, vitæ noſtræ regulam, reſpiciamus, & obſervemus perpetuò: *Pſal.* CXIX, 4, 5; 17, 18, 19; 33, -37.

CAP.

CAPUT IX.

De Fœdere Legali.

JUs. Injuria. Quis illud *postulet.* Quæ eorum *capacia.* 1. *Jus Dei*: tùm *naturale*; tùm *positivum.* *Jus naturale* respectû nostri. *Institutum.* Quid JCtis *Jus naturæ. Gentium. Civile.* 2. Jus *creaturarum rationalium. Magistratuum. Subditorum.* 3. *Lex. Divina. Æterna. Humana.* 4. *Jus* & *Lex* non contraria. *Societatis civilis initium* non à mutuo metû. *Norma juris* non defensio vitæ & membrorum. *Voluntas* non absolutè subjicienda Hominibus. Non *omnis Pœna* propter peccantium correctionem. c. *Hobb.* 5. *Lex Divina. Cerimonialis. Politica.* 6. *Moralis. Decalogus. Lex charitatis. Actus religiosi* circa proximum. 7. *Argumenta* singulorum Præceptorum. 8. Integra Lex Moralis non est *Juris ipsi Deo naturalis.* 9. Attamen *Juris nobis naturalis. Obj.* solv. 10. Eadem fuit *ante Mosen.* 11. Probatur ampliûs *inductione*, de *Præceptis tab. post.* 12. Similiter de *Præceptis tab. pr.* 13. *Objectiones* de *Sabbatho* solv. 14. *Jus naturale primævum. Secundarium.* 15. Eadem Lex Moralis adhùc *obtinet sub* N. T. 16. Etiam *quartum Præceptum. Obj.* solv. 17. Sententiæ *Pontif. Socin. Anabapt.* &c. 18. *Idololatria Pontif.* in *Angelis*, refutatur. 19. Non rogandi, ut *pro nobis intercedant. Obj.* solv. 20. In *Christo*, secundùm hum. nat. *B. Virgine*

Maria. Sanctis demortuis: Patronis: Canonizatis. 21. *Refutatur.* 22. Non rogandi, ut *pro nobis intercedant. Obj.* solv. 23. In *Pontifice Rom.* 24. In *Pane eucharistico.* 25. In *Cruce.* 26. In *Reliquiis.* 27. In *Imaginibus.* 28. *Refut.* & *Obj.* solv. 29. In *Rebus consecratis. Agnis Dei.* 30. In *Divis chimaericis*, &c. *Sanctis non-sanctis.* 31. *Magia* datur, c. *Neo-Sadduc. Obj.* solv. 32. *Papatui vere impingitur.* 33. Non omnis *ignorantia* est *inculpata.* 34. *Species* ejus vitiosæ. *Obj.* solv. 35. An sola *Hæresis* possit *Hominem subjicere æternæ damnationi.* 36. An *Hæretici*, ut sic, *extremo supplicio afficiendi,* 37. *Odium* adversùs *Deum. Obj.* solv. 38. *Falsa gratiarum actio. Salutatio Angelica, Pontif.* 39. Non *orandum* pro *mortuis*: c. *eosd. Obj.* solv. 40. *Orationem Dominicam* posse usurpari pro *formula precandi*; c. *Brown.* 41. Rectè appellamus *Patrem nostrum.* Et rogamus, ut *Veniat Regnum Ipsius.* c. *Muhamm.* 42. Quis ὁ ἄρτ❡ ὁ ἐπιούσι❡. *Obj.* solv. 43. Aliæ *explicationes.* 44. *Remissio nostra* in petitione quintâ, qualis; & quem respectum habeat ad *Remissionem Dei.* 45. *Doxologia* verè canonica: c. *Pontif.* 45. *Jejunium.* Non consistit in *discrimine ciborum*: c. *eosd.* 46. Objectiones *solvuntur.* 47. Non est per se *cultus religiosus. Obj.* solv. 48. Non opus *pœnale*, & *satisfactorium justitiæ Divinæ.* Nec debent esse *ordinaria absoluta & perpetua.* c. *eosd. Obj.* solv. 49. *Inanis eorundem verborum repetitio.* 50. *Votum.* Soli *Deo vovendum.* 51.

Ejus

Ejus *materia*. *Vota Papistica*. *Monastica* 52. Malè *Sociniani* contendunt, *Christum primo Præcepto addidisse mandatum generale de Precibus Deo faciendis*. 53. *Formulam Orationis Dominicæ*. 54. & *Mandatum de Ipso adorando*. 55. *Imagines* in secundo Decalogi præcepto. *Pontificiorum* refutantur. 56. *Objectiones* solv. 57. Non *usurpandæ*, nec *asservandæ in talem usum*. 58. Imagines *creaturarum*. 59. *Usus illicitus*. 60. Non habendæ pro *libris Laicorum*. 61. Ἐθελοθρησκεία *Pontificiorum*. 62. Secundùm Præceptum à Christo non auctum: c. *Socin*. 63. *Secundum* verè distinctum à *primo*: c. *Pontif*. 64. Perperàm statuunt *Socin*. Tertio præcepto *additum* esse à Christo, *Ne temerè juremus*, *&c*. 65. Non omne *Juramentum* sub N. T. *illicitum*: c. *Anabapt*. *Obj*. solv. 66. Malè item *Socin*. Additum illi *Juramentum per Christum*. 67. Non jurandum *per Sanctos*, aliasve *creaturas*; c. *Pontif*. *Obj*. solv. 68. *Festa* propriè dicta non sunt *sub* N. T. *observanda*; nedùm *in honorem Sanctorum*: c. *eosd*. *Obj*. solv. 69. Qui *Pater & Mater* in *quinto Præcepto*. 70. *Liberis* non licet *vovere vitam Monasticam*, *invitis Parentibus*: c. *Pontif*. *Obj*. solv. 71. Nec *Matrimonium sic contrahere*. 72. Christianus *Magistratui Politico parere* potest; quin & eum *gerere*, bonâ conscientiâ: c. *Anabapt*. 73. *Objectiones* solvuntur. 74. Aliquandò etiàm in *judicio agere* licet adversùs *fratrem*, apud *Magistratum fidelem*. *Obj*. solv. 75. *Magistratus* honore ac dignitate

supe-

superior est *personis Ecclesiasticis* : c. *Pontif.* 76. Christus non *auxit* V. *Praeceptum* : c. *Socin.* 77. *Supplicium capitale* non illicitum: c. *Anabapt.* 78. Nec omne *Bellum. Obj.* solv. 79. Nec *inculpata Tutela.* 80. Nemini *Corpus suum flagellare*, aut *incidere* licet, ex devotione, &c. c. *Pontif. Obj.* solv. 81. Christus non *auxit sextum Prae.* c. *Socin.* 82. *Gradus* circa Matrimonium *prohibiti*, *Lev.* XVIII. sunt *morales* : c. *Pontif.* 83. Constitutio *Juris Canonici.* 84. *Magistratus Politicus* rectè etiàm *judicat* de *causis Matrimon.* c. *eosd.* 85. Publica *Matrimonii confirmatio.* 86. *Cœlibatus* non absolutè præferendus *Matrimonio*: c. *Pontif.* 87. *Objectiones* solv. 88. Non illicitum *Ministris Ecclesiasticis*, & *Religiosis*: c. *eosd.* 89. *Objectiones* solv. 90. Malè distinguunt *iidem* inter *nuptias primas*, & *secundas*, &c. *Obj.* solv. 91. *Adulterium* legitima causa *Divortii*. Matrimonium quoque *dirimitur* per *malitiosam Desertionem. Obj.* solv. 92. Divortium *vitæ Monasticæ* causa illicitum: c. *Pontif.* 93. Atque item propter *Excommunicationem* : c. *Anabapt. Obj.* solv. 94. *Repudium* sub V. T. etiàm in conscientiâ *illicitum.* 95. Itemque *Polygamia* 96. *Object.* solv. 97. Christus non *auxit Praeceptum* VII. c. *Socin.* 98. *Distinctio dominiorum* est juris Divini : c. *Cœnobitas*, & *Anapt. qu. Obj.* solv. 99. *Fœnus* iniquum tribus modis. 100. *Objectiones* solv. 101. Christus non auxit Pręceptum VIII. 102. *Mendacium* omne illicitum. 103. Etiàm *Officiosum.*

Obj. solv. 104. Itémque *Æquivocationes*, & *Mentales reservationes*. 105. *Objectiones* solv. 106. *Perfidia*: etiàm circa *infideles*, & *hæreticos* : c. *Pontif*. 107. Christus non *auxit Præceptum* IX. c. *Socin*. 108. De *Concupiscentia unicum Præceptum*: c. *Pontif*. *Obj*. solv. 109. *Motûs primò primi* ex concupiscentiâ originali, verè *peccata*: c. *Pontif*. *Remonstr*. &c. *Obj*. solv. 110. Christus non *auxit Præceptum* X. 111. Nec *universæ Legi Morali* addidit mandata quædam. 112. *Lex ista simpliciter* est norma obedientiæ nostræ, &c. 113. *Pactum*, *Fœdus*, in SS. Literis. *Fœdera Politicis* qualia. 114. *Fœdus primum*, *Legale*. 115. *Conditio* per illud *præstanda*. 116. *Posteri* in *Adamo* censiti. 117. *Sanctio pœnalis*. 118. *Liberalis promissio*. 119. *Arbor scientiæ boni ac mali*. *Obj*. solv. 120. *Arbor vitæ*. 121. *Paradisus*. Commentum *Pontificiorum*. 122. *Sabbathum*. 123. *Duratio* istius Fœderis. *Obj*. solv. 124. *Praxis*. 125.

I. QUod alicui debetur moraliter, *Jus* vocari solet : cui contraria est *Injuria*. Spectatur interdùm *ratio*, propter quam illud sic debetur ; ità dicimus, aliquid *Jure meum*, vel *tuum* esse : aliàs intelligitur id ipsum, quod sic debetur ; ità dicimus, *alteri Jus suum tribuere*. Verum etiàm ulterius Lex, aut Legum collectio, aut Ars boni & æqui, *Jus* appellatur.

Illud postulat Rector, aut Princeps, auctoritate publicâ : sed & privatus, modo sibi conveniente ; Jus suum ipse æstimans, & alterum de eo monens, vel etiàm Rectoris potestatem coactivam implorans. Unde

dè, quæ Ratione destituuntur, Juris capacia non sunt; ut nec Injuriæ.

A *Jure* dicuntur *Iustitia*, *Iustè agere*, & *Iustus*; quibus contraria sunt *Injustitia*, *Injustè agere*, & *Injustus*.

II. *Dei* ἐξοχὴ independens est; atque adeò etiam *Jus* in Creaturas. Vide sup. cap. 4. th. 68. & 70. Ubi autem existunt creaturæ rationales, hæ ipsi necessario debent cultum & obedientiam rationalem. Huc pertinet primò *Ius Dei naturale*, quod necessario fluit ex Sanctitate Naturæ illius eminentissimæ; quanquam concomitante Libertate complacentiæ; deinde etiam *Ius positivum*, quod oritur ex determinatione Arbitrii Divini, per Libertatem contradictionis, vel etiam contrarietatis.

Verum respectû nostrî *Ius naturæ* dicitur, quod Deus Imaginem sanctitatis & justitiæ suæ exprimens, naturæ nostræ in primâ ejus constitutione impressit, ad honestorum à turpibus discriminationem; unde post lapsum supersunt quædam reliquiæ. Ab illo contradistinguitur *Ius institutum*; *tum* ab ipso Deo, per supernaturalem duntaxat revelationem & constitutionem; *tùm* per Gentium, vel Reipublicæ, vel Communitatis alicujus consensum & placitum, secundum Deum.

A Jurisconsultis vero *Jus Naturæ* describitur strictius, quod Natura omnia animantia docuit; scil. materialiter. *Ius Gentium* vero, quod naturali ratione inter homines constitutum, apud omnes peræque custoditur. *Civile* denique, quod unaquæque civitas constituit. Jus Romanum interim κατ' ἐξοχὴν appellari solet *Civile*.

III. *Creaturis rationalibus* omne *jus* suum duntaxat convenit dependenter à Deo, & ipsius Jure. Tenendum hoc de Hominibus Magistratum gerentibus, respectû Subditorum: *Rom.* XIII, 1, 2, 4, 5. „Non „enim est *Potestas*, nisi à *Deo*; & quæ sunt *Potestates*, „sunt

„sunt à Deo ordinatæ. Itaque quisquis obsistit Potestati, Dei ordinationi obsistit. – Dei minister est; vindex ad iram ei, qui quod malum est fecerit. Quapropter necesse est subjici, non solùm propter iram, sed etiàm propter conscientiam. Propterea Judicium, quod per eos fertur, Dei esse dicitur; Deut. 1, 17. & pro Deo; 2 Chron. xix, 6.

Ac porro de Subditis, eorumque jure inter se: Levit. xix, 13,-. Ne fraudem facito proximo tuo,-: sed timebis à Deo tuo, &c. Ephes. vi, 1. Liberi, auscultate in Domino parentibus vestris: id enim est justum. Et de servis, vers. 6, 7. Non ad oculum servientes; - facientes ex animo quæ vult Deus, &c. Adde Jac. 1, 27. iv, 11, 12.

IV. Lex à legendo dicitur: quia publice legi, & sic promulgari solet. Hebraice תּוֹרָה, à יָרָה, unde etiam הוֹרָה docuit, monuit. Græce Νόμος, à Νέμω, tribuo; quia exponit jus suum cuique tribuendum. Est autem Constitutio ejus qui jus imperii habet, publicè declarans, quænam prosequenda sint, tanquàm honesta ac justa; & quæ fugienda, tanquàm turpia ac injusta; atque ità subditos moraliter obligant; expressa ferè sanctione pœnarum comminatoria adversùs transgressores; ad ordinem honestè bonum in communitate servandum.

Nobis de Lege Divinâ agendum. Hujus archetypum vocatur Lex æterna: quæ est Legis rationalibus creaturis ferendæ idea in mente Divinâ: vel ipsa sanctitas naturæ Divinæ, utpotè imitabilis in vitâ creaturarum rationalium, & ex morali debito imitanda casû quo creaturæ rationales existerent. Scholastici eam latiùs accipiunt; ut etiam complectatur ordinem gubernationis bestiarum, cœlorum, & totius naturæ. Sed Lex propriè dicta ad creaturas irrationales non pertinet; ut neque Jus.

Istius ἔκτυπον in tempore creaturis rationalibus pro-

proponitur, easque moraliter obligat; sive proponatur internâ inspiratione, vel impressione in mentem; sive voce externâ; sive etiàm scripto.

Omnis autem *Lex humana*, propter dependentiam, ex Divinâ deduci debet commodè, & ad eam reduci: atque hâc solùm ratiòne conscientias obligat: Rom. XIII, 1,-6.

V. Ità *Lex* ordinata est ad communem *Iuris* in Republicâ notitiam & observantiam. Perperam verô *Neoterici quidam* statuunt, 1. Quod *Ius* nihil aliud sit, quam *Libertas naturalis*; à Legibus non constituta, sed relicta: quodque hanc primo restringat *Lex naturalis & Divina*; residuam restringant *Leges Civiles*, ac tandem *Constitutiones* particularium Urbium & Societatum. Quod consequenter *Ius* & *Lex* sint contraria; tanquam *Libertas* & *Vinculum*. Male. Sic enim illa demum *Juris Divini* forent, de quibus ordinatione Divinâ nihil esset constitutum positive; sed quæ prætetita negative: & *Juris Civilis*, quæ per Leges Civiles prætereundo essent relicta; non sublata, aut restricta; Imo *Jurisprudentiæ* objectum proprium ac directum forent Legum præterita; non ipsæ Leges & Constitutiones.

2. Quod *Societatis civilis initium sit* à mutuo metû: quia *Status naturæ* sit status belli; in quo unicuique facere liceat, quęcunque, & in quoscunque libet. Quod *Norma juris & juste facti* sit defensio vitæ & membrorum: *Lex autem naturalis* nihil aliud sit, quam Dictamen rectæ rationis, circa ea quæ agenda vel omittenda sunt, ad vitæ membrorumque conservationem, quantum fieri potest diuturnam. Quod *prima & fundamentalis Lex naturæ* sit, Quærendam esse *pacem*, ubi haberi potest; ubi non potest, *defensionem & belli auxilia*. Consequenter *Jus in omnia* non esse retinendum: ad *Contractûs & Pacta* veniendum; atque iis standum esse, ad pacem scil. conciliandam. Quòd *Injuria*, ei soli' fieri possit,

possit, quicum contrahimus, &c. Quòd *Jus illud primævum*, ad statum belli pertinens, reviviscat in moderamine legitimæ defensionis; & propterea ii, qui supplicio afficiendi sunt, vinculis constringantur, &c. Malè. *Natura* enim *nostra* non aliter concipienda est, quàm ut dependens à Deo, Summo, & Sanctissimo, tùm realiter, tùm moraliter. Neque primum principium practicum est bonum nostrum; conservatio nostri: sed à Deo, per ipsius Legem, obligati sumus ad Juris observantiam, Injuriæ fugam, etiàm ante nostros contractûs & pacta.

3. Quòd unusquisque *Voluntatem* suam, alterius unius Hominis, vel Concilii, Voluntati rectè ità *subjiciat*; ut pro Voluntate omnium & singulorum habendum sit, quicquid de rebus ad communem Pacem necessariis unus ille voluerit. Quòd illi, qui *summum* in Civitate *Imperium* adepti sunt, nullam Civibus possint facere injuriam: nec Domini Servis, aut Parentes Liberis. Quod *Mater* originaliter Liberorum Domina sit; Pater vero, vel alius quispiam, jure ab illa derivato. Quod *Subditi* non peccent, quoties mandata Principum suorum, quæ sibi injusta esse videntur, exequuntur. Quòd *Subditus* non debeat sibi arrogare *cognitionem justi & injusti*. Quod erronea sit vox, *Regibus* non esse obtemperandum; nisi justa præceperint; cum ante imperia justum & injustum non existant: Reges autem legitimi, quæ imperant, justa faciant imperando; quæ vetant, vetando injusta: Privati vero homines, dum *cognitionem boni & mali* ad se trahunt, cupiant esse sicut Reges: atque huc spectet, omnium Dei Præceptorum antiquissimum illud, Gen. 2, 17. *De Ligno scientiæ boni & mali ne comedas*: & antiquissima Tentationum Diabolicarum, *cap.* 111, 5. *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum*: & prima Dei cum Homine expostulatio, *vers.* 11. *Quis indicavit tibi*,

tibi, quod nudus esses; nisi quod ex Ligno, de quo praeceperam tibi, ne comederes, comedisti? Male. *Deus* enim per naturam suam independenter sanctus est, & Jus suum habet: *nos* vero per naturam nostram dependentem isto obligamur necessariò: atque ex Dei ordinatione, tum *Magistratûs*, ipsius ministri; tum *Parentes*; tum *alii* qualescunque, originaliter jus aliquod suum habent; quod quidem nulli creaturæ violare licet. Hinc nullis Hominibus *obediendum* est, nisi secundum Deum: & quicquid à nobis fiet, cum *cognitione justi ac honesti*, & certâ hujus conscientiâ plenâque persuasione, faciendum est coram Deo; quem in omnibus spectare & revereri debemus: *Act.* v, 29. *Rom.* xiv, 5, 12, 23. 1 *Cor.* x. 31. *Jac.* iv. 12.

4. Quod in *Ultione*, sive *Pœnis*, spectandum sit, non malum præteritum, sed bonum futurum: hoc est, quod P*œnas infligere* nullo àlio fine licitum sit, nisi ut ipse qui peccavit corrigatur, vel alii supplicio ejus moniti fiant meliores: quia *Ultio*, quatenus solum præteritum consideratur, nihil aliud sit præter triumphum, & gloriam animi, quæ ad nullum finem dirigitur; cum finis futura res sit; & quod ad nullum finem dirigitur, vanum sit. Male. Justitia Dei vindicativa nequaquam vane exigit pœnas æternas ob peccata præterita, in suam ipsius gloriam; non autem ad correctionem damnatorum, aliorumve in judicio extremo præmonitionem. P*rov.* xvi, 4. Et Satisfactio Christi non ad hos tantum fines referenda est; sed potissimum ad demonstrationem Justitiæ Divinæ, ut sit ipse justus, & justificans eum qui est ex fide Jesu: *Rom.* iii, 25, 26.

VI. *Lex* igitur *Divina* Creaturis rationalibus, & speciatim Hominibus, officia sua præscribit. *Mich.* vi, 8. „*Indicavit* tibi, ô homo, *quid sit bonum*: ecquid Je„hovah *requisivit* abs te, nisi ut *exerceas jus*, & *ames be„nignitatem*, & *modeste ambules* cum Deo tuo.

Illa dispescitur in *Moralem*, *Cerimonialem*, & *Politicam Mosaicam*.

Cerimonialis complectitur constitutiones de cerimoniis typicis & cultu œconomico V. T. quæ Christum ejusque officia ac beneficia tunc præfigurârunt, & Euangelium promissionis confirmârunt; quanquam interim statum Ecclesiæ adolescentis duriuscule exercuerunt. *Gal.* IV, 1, -4. *Col.* 2, 16, 17. *Hebr.* IX, 9, 10. X, 1. *Dan.* IX, 27. Instituta ista *formaliter*, sub ratione talium signorum & typorum, ad Euangelium pertinent: verum actus istic *materialiter* mandati, & sic hominum conscientias obligantes, tanquam additamenta vel ampliationes ad secundum & quartum Decalogi præceptum pro isto tempore referri debuerunt.

Cum Deus etiam singulari ratione vellet esse Princeps Israëlitarum; *Jud.* VIII, 23. 1. *Sam.* VIII, 7. cum *Exod.* XIX, 5, 6. *Deut.* VII, 6. ipse in istâ Θεοκρατίᾳ singulares *Leges Politicas* tulit; constitutiones ad statum istius Reip. & ad judicia forensia spectantes, generalibus & communibus Præceptis Moralibus adjectas, & subsumtas in peculiari istâ Politiâ, atque in terra ei Divinitus datâ. Vide *Exod.* XXI, 1, &c. *Gen.* XLIX, 10. *Eph.* . II, 12, -16.

VII. *Lex Moralis* appellatur κατ' ἐξοχὴν, quæ mandata de *moribus vivendi*, omnibus hominibus communiter, ex sanctissimâ Dei voluntate præscripta, complectitur: sicut *Euangelium* credenda de Christo continet. *Decalogus* vulgò dicitur; quia Deus ipse decem præceptis distinxit, & sic duabus tabulis lapideis exaravit: *Deut.* IV, 13. X, 4. Vocatur etiàm *Lex charitatis*; quia finis & complementum ejus est charitas; vinculum perfectionis: 1 *Tim.* 1, 5. *Rom.* XIII, 8. *Col.* III, 14. Universa enim ejus observantia duplici dilectionis officio, Dei scil. & proximi, absolvitur: *Matth.* XXII, 37, -40. Verùm istìc *secundum magnum mandatum simile* dicitur *primo*; quia ab eodem

legiſlatore, & ſic eâdem auctoritate, ad utramque dilectionem ſimili pietatis affectû præſtandam, obligati ſumus; atque adeò proximum noſtrum propter Deum, & in ordine ad Deum diligere debemus. Sic utraque iſta dilectio indiſſolubili vinculo nunc altera alteri cohæret: qui enim proximum non diligit, is non præſtat Deo hunc debitum actum obedientiæ; neque in proximo agnoſcit & æſtimat imaginem Dei, quemadmodùm per Legem tenetur; quod dilectioni Divinæ adverſatur: 1 *Johan.* IV, 19, 20. Qui verò Deum non diligit, fieri non poteſt ut is proximum verè diligat propter Deum, & in ordine ad ipſum. Conſcientia enim debet ſe Deo immediate ſubjicere, & abſolutè; ac propter mandatum Dei, atque in ipſius gloriam, proximo etiam officia Divinitus præſcripta præſtare. Actûs iſti, ad proximum relati, civiles tantum ſunt: ſed quatenus interim devotâ mente mandato Dei attendimus, huic nos ſincerè ſubjicimus, ſic Deo parere ſatagimus, & gloriæ ipſius operam damus, iidem cultûs religioſi rationem habent: *Jac.* I, 27. *Religioſus enim cultus hic eſt, inviſere orphanos & viduas in afflictione ipſarum,* &c

VIII. *Prior tabula* complectitur actûs dilectionis & obedientiæ ipſi Deo immediatè deferendos. Sic *primo præcepto* cavetur, ut ipſe יְהוָה אֱלֹהִים omninò, & quidem ſolus, habeatur & colatur pro uno vero Deo; ſive ut ipſi ſoli tribuatur cultus Religionis, tanquàm objecto ſuo proprio & adæquato. *Secundo præcepto* docetur, quibus mediis inſtitutis ipſi cultus Religionis ſit deferendus: non per ſimulachra, aut qualemcunque ἐθελοθρησκείαν; ſed quemadmodùm ipſe Deus ordinavit; per Miniſterium Verbi & Sacramentorum, &c. *Præcepto tertio*, quali ſermone de Deo & rebus Divinis, vel ad Deum, loquendum ſit: non temerè, aut irreverenter; ſed adhibitâ ſemper piâ & religioſâ

ſâ attentione ac reverentiâ. *Quarto præcepto*, quo appropriato tempore potiſſimùm: itâ ſcil. ut ſex dies operarios perpetuò excipiat unus Sabbathicus, exercitiis religionis ac pietatis, quâ publicè, quâ privatim, omninò impendendus; omiſſo interim omni opere ſervili & ordinariæ vocationis noſtræ in negotiis hujus ſæculi; niſi quæ occurrant præſentis inevitabilis neceſſitatis, aut neceſſariæ charitatis: *Matth.* XII, 7, 10, 11, 12. *Luc.* XIII, 15, 16.

Poſterior tabula præſcribit officia proximo præſtanda; ſed propter Deum, &c. ſcil. cum reſpectû alicujus ſuperioritatis; quid Parentibus, Magiſtratibus, &c. debeatur; *quinto præcepto*: tùm citra iſtiuſmodi reſpectum; ubi vel ipſi vitæ proſpicitur, ejuſque ſecuritati; in *ſexto præcepto*: vel caſtitati; in *ſeptimo*: vel bonis externis; in *octavo*: vel vitæ homileticæ; in *nono*: vel denique de primis etiam mentis & affectuum motibus benè dirigendis, inſtruimur; quod ſit *decimo præcepto*.

IX. De *Virtutibus* per ſingula præcepta ſpeciatim mandatis, *vitiiſque* prohibitis, agemus σὺν Θεῷ in *Compendio practico*: nunc generales quaſdam de Lege morali *quæſtiones*, & *controverſias* quæ cum Adverſariis circa ejus præcepta intercedunt, expediemus. *Quæritur* autem *primò*; An integra Lex moralis ſit Juris Divini naturalis; atque adeò abſolutè immutabilis & indiſpenſabilis? *Reſp.* Jus Divinum naturale nunc intelligitur, quod ex naturâ Dei neceſſariò fluit: & ſic contradiſtinguitur à Iure Divino poſitivo. Talis eſt cultus Dei naturalis; qui primo præcepto potiſſimùm exigitur: ſed cultus inſtitutus, ad quem ſecundo præcepto potiſſimùm obligati ſumus, & tempus definitum, quo iſte ſolenniter præſtandus, aliaque iſtiuſmodi, ad Ius Divinum poſitivum pertinent; utpotè in poſteriori tabulâ, de quorundam hominum ſupe-

rioritate, dominiorum distinctione, gradibus in matrimonio observandis, &c. Negamus igitur, omnia & singula Decalogi præcepta, quæque iis comprehensa sunt, esse Iuris ipsi Deo naturalis, & sic absolutè immutabilis atque indispensabilis ipsi Deo.

X. *quæritur secundò*; An tota Lex moralis sit Juris nobis naturalis? *Resp.* Affirm. Ita scil. ut saltem implicitè & virtualiter tota contineatur in communibus illis notionibus practicis, quæ hominibus initio concreatæ fuerunt, & cum naturâ pariter propagandæ; consequenter si integra mansisset imago Dei in hominibus, illa etiam tota indè deduci, vel eò reduci, potuisset; nunc verò post lapsum ac tantam naturæ corruptionem elici saltem potest, quantum sufficit ad ἀναπολογησίαν Gentilium Lege scriptâ destitutorum: *Rom.* 1, 20. qui propterea *jus Dei agnoscere* dicuntur; *vers.* 32. & *sibi ipsis Lex*; *ut qui ostendant opus Legis scriptum in cordibus suis, unà testimonium reddente ipsorum conscientiâ*; *cap.* 2, 14, 15. Atque amplius, III, 19, 20. „Scimus, quæcun„que Lex dicit, iis qui in Lege sunt dicere; ut *omne* „*os obstruatur*, & *obnoxius fiat totus mundus condemnatio*„*ni Dei*. Propterea ex operibus Legis nulla caro justi„ficabitur in conspectû ejus: &c.

Obj. Atqui actualis & distincta singulorum officiorum notitia per naturam non inest singulis hominibus; neque ex ratione naturali elici potest: etiam in iis quæ ad cultum Dei naturalem pertinent, & ad benè ordinatam hominum societatem necessaria sunt, plurimi defectus passim in Gentibus deprehenduntur. *Resp.* A statû per lapsum corrupto, non valet consequentia ad statum primævum; & ad naturam, qualis initio condita fuit. Quin imò de Gentilibus, aliisque infidelibus, id minùs mirandum est; cum etiam inter eos, qui Christianam Religionem utcunque profitentur, varii errores contra Jus Divinum reperiantur; &c.

XI. *Quæritur tertiò*; An igitur eadem Lex moralis fuerit etiam ante Mosen? *Resp.* Lex scripto expressa ab ipso Deo, duabus tabulis & decem per eas præceptis distincta, variisque commentariis, explicationibus & applicationibus Θεοπνεύστως aucta, & sic Israëlitis tradita fuit primum per Mosen. *Psal.* ciii, 7. *Notas fecit vias suas Mosi; posteris Isaëlis actiones suas.* *Johan.* i, 17. *Lex illa per* Mosen *data est.* *Galat.* iii, 19. *Quid igitur Lex? transgressionum* (plenius aperiendarum, hominumque de iis convincendorum) *gratiâ adjecta est*, &c. Atque ita metonymice & synecdochice Lex in SS. Literis frequentissime usurpatur. Utpotè *Rom.* v, 13. *Usque ad Legem peccatum erat in mundo*, &c. non quasi Lex antea prorsus non extitisset: *Peccatum* enim est *Legis transgressio*; ἀνομία: 1 *Ioh.* iii. 4. & consequenter, *ubi non est Lex, ibi nec transgressio est*: *Rom.* iii, 15. sed quia prius non extitit eo modo. Cum vero ipsi Gentiles, Lege scriptâ destituti, sibi sint Lex, & opus Legis in cordibus suis scriptum gerant, &c. multo magis, imo perfecte, in ipsis protoplastis adhuc integris, Iuris istius Divini ac Legis moralis cognitio extitisse censenda est.

XII. Thesin nostram inductione amplius probamus; similiter ut Apostolus *Iacobus*, II, 10, 11, concatenationem officiorum Lege præscriptorum asserturus, eam ostendit in istis præceptis, *Ne mœcheris*, & *Ne occidas*: cæterorum enim est par ratio. Et Paulus, *Rom.* xiii, 9. omnia posterioris Tabulæ præcepta ad unam summam revocat similiter: *Siquidem illud, Non mœchaberis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & siquod aliud est præceptum, in hoc sermone summatim comprehenditur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

Istud autem α. *Non Mœchaberis*, & quæ eò pertinent, protoplastis etiam præscripta & cognita fuisse, liqui

liquido constat ex verbis Adami de Evâ, *Genes.* 2, 23, 24, *Hâc demùm vice adest os ex ossibus meis, & caro ex carne meâ. --- Relicturus est vir patrem suum & matrem suam; & adhærebit uxori suæ, eruntque in carnem unam.* Et cap. 1, 27, 28. *Marem & feminam creavit eos. Deinde benedixit eis Deus*, &c. Hinc ipse Servator deducit, Conjugium esse unius viri cum unâ muliere individuam vitæ societatem, contra *Iudæorum* repudia, quanquam propter duritiem cordis eorum politice permissa; *Matth.* XIX, 3,-9. Eodem modo facile colligitur, polygamiam, adulterium, scortationem, &c. esse illicita.

β. Exinde etiam Paulus officia maritorum erga uxores deducit, *Eph.* V, 28, 29, 30. & viri dignitatem præ muliere, 1 *Tim.* II, 13. ex eo, quod *Adamus prior formatus* sit; *deinde Eva*: scil. in auxilium ipsi commodum: *Gen.* II, 18, 20. Similiter 1 *Cor.* XI, 7, 8, 9. *Vir non debet operire caput*: (quod esset signum subjectionis:) *cùm is imago sit & gloria Dei; at mulier gloria viri est.* &c. Adde ibidem, 14, 15. *Anne natura quidem ipsa hoc vos docet, quòd viro quidem comatum esse dedecori sit*: &c. Ex eodem illo fundamento facillimè deduci potest utriusque parentis ἐξοχὴ præ liberis. Imò ex istis verbis *Gen.* II, 24. *Relicturus est vir*, &c. clarissimè liquet liberorum primùm in vitâ cœlibe obligatio ad parentes; ac porro etiam in conjugio pro re natâ & ratâ.

γ. Ex imagine Dei in singulis hominibus spectandâ, colligitur eorum æstimatio & dilectio mutua: atque adeo præceptum illud, *Non occides*: *Gen.* IX, 5. Nam & proximi execratio propterea fugienda est: *Jac.* III, 9. Unde non solum Caïni homicidium arguitur; *Gen.* IV, 10, 11, 12. sed etiam vultus iracundus; *vers.* 5, 6, 7. atque ipse se dignum judicavit, qui vicissim ab obvio quolibet interficeretur; 13, 14.

δ. Il-

δ. Illud autem *Non furaberis*, colligitur ex dictis, *Genes.* I, 28, 29. *Implete terram, eamque subjicite: & dominamini*, &c. collato dilectionis officio. Nam multiplicatis hominibus, multiplicari, aut potius dividi, necessariò debuit jus in terram & creaturas terrestres: singuli suas habere debuerunt habitationes, & sua dominia rerum subjectarum, seu occupatarum; nec unus alteri eas debuit eripere. Undè etiàm *Actor.* XVII, 25, 26. „*Ipse dat* omnibus vitam, & ha„litum, & *omnia*. Fecitque ex uno sanguine totam „gentem hominum, ut *habitaret super universâ superficie* „*terræ*, definitis præstitutis temporibus, & *positis ter*„*minis habitationis eorum*.

ε. Similiter ex imagine Dei, qui est *Deus veritatis*; *Psal.* XXXI, 6. elicitur istud, *Non dices falsum testimonium*. Ad illam enim pertinet *justitia* & *sanctimonia veritatis*: *Eph.* IV, 24. Unde Diaboli ab illa defectio sic exprimitur. *Joh.* VIII, 44. *In veritate non perstitit*. atque item Hominum, *Rom* III, 4. *Omnis autem homo mendax*.

ς. Ex eadem justitia & sanctitate vera, etiam colligi potest illud, *Non concupisces*: omnes scil. motiones voluntatis & affectuum, etiam primas, juste ac sancte regendas & habendas esse.

XIII. Prioris tabulæ similis est ratio. *α.* Agnoscendum enim & religiose colendum esse unum verum Deum, ad cujus imaginem conditi erant protoplasti, quique omnia fecit propter seipsum; *alienos* autem *Deos nequaquam habendos*, sic facile cognoverunt: *Col.* III, 10. *Eph.* IV, 24,

β. Quin & sanctum illum ac zeloten, præter cultum ipsius naturalem, non alio quam à se *instituto*, colendum esse. Spiritum illum infinitum nulla *imagine* corporea exprimendum; nec in ea, aut per eam, suum ipsi cultum deferendum.

γ. Itemque sanctissimum sermonis, ut & omnium

quæ in ipsis ac penes ipsos erant, auctorem, sermone irreverenti aut temerario non esse dehonestandum; sed omnino pie celebrandum.

ℵ. Nec de *Sabbathi* observantia dubitandum: ℵ. juxta *Gen.* II, 2, 3. *Cum autem perfecisset Deus die septimo opus suum, quod fecerat; quievit ipso die septimo ab omni opere suo quod fecerat: Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit ipsum; cum in eo quievisset ab omni opere suo, quod creaverat Deus, faciendo.* Isto scil. tempore, atque ea occasione, cum Deus sex diebus opera creationis absolvisset, iisque finem imposuisset die septimo; ipse diei septimo benedixit singulari quodam modo, & benedicendo sacrum esse voluit, atque exercitiis Religionis sancte transigendum. Per sex dies operarios protoplasti hortum Edenis non solum custodire, sed & colere debuerunt; imo & terram subjicere: *Gen.* II, 15. I, 28. Verum ab isto opere quiescendum fuit quoque die septimo; cultui Divino quiete vacandum; eôque magis ad æternam & cœlestem quietem adspirandum.

ב. In quarto Decalogi præcepto, *Exod.* XX, 8, - 11. eadem primævæ institutionis ratio adjungitur: *Nam sex diebus perfecit Jehovah cœlum ipsum, & terram, & mare, & quicquid est in eis; quievit vero die illo septimo: idcirco benedixit Jehovah diei Sabbathi, & sanctificavit illum.*

ג. Ejusdem institutionis pristinæ repetitio, vel restitutio quasi postliminio, occurrit etiam in historia mannæ singulis diebus in deserto colligendæ; nisi quod sexto quôque die dupla portio esset colligenda, una pro ipso sexto, altera pro sequente septimo die, quo sancta quies agi debuit: *Exod.* XVI, 4, 5; 22, 23, 25, 26.

ד. Addimus *Hebr.* IV, 3, 4. „Introïmus enim in „*requiem* nos, qui credidimus; sicut dixit; Itaque

„juravi

,,juravi in ira mea, si ingressuri sint in *requiem meam:*
,, quamvis *operibus à jacto mundi fundamento factis.* Ita
,,enim *dixit* quodam in loco *de septimo die*; Et *requie-*
,,*vit Deus die septimo ab omnibus operibus suis.* Istic Sabbathum hebdomadale, secundum superiora, etiam diserte refertur ad quietem ipsius Dei, operibus à jacto mundi fundamento factis, tanquam ad suum principium: & ab eo distinguitur Sabbatismus terræ Canaan, ex molesta peregrinatione per desertum; typus beatæ quietis in cœlesti patria fidelibus obtinendæ.

XIV. *Obj.* 1. Omne morale pertinet ad imaginem Dei in homine; & consequenter necessario fluit ex natura ipsius Dei: Sed præceptum de Sabbatho hebdomadali non fluit ex ea necessariò: Ergò quarti præcepti alia est ratio. *Resp.* Nego, quicquid morale est, & sic ad imaginem Dei in homine pertinet, necessario fluere ex natura Dei. Deus etiam quædam libere ab ipso determinata, potuit naturæ humanæ initio præscribere ac inscribere, & ad imaginem suam referre; atque hoc fecit. Confer sup. th. 9.

Obj. 2. Sabbathum est simpliciter cerimoniale, & signum typicum sanctificationis sub V. T. atque ita ordinatum ad Christum venturum, &c. Ergo non est morale; nec fuit ab initio. *Exod.* XXXI, 13. *Sabbatha mea servatote: nam signum est inter me & vos, per generationes vestras: ad cognoscendum, me* Jehovam *esse, qui sanctifico vos.* Ezech. XX, 10, 11, 12. ,,Eduxi ipsos *è terra*
,,*Ægypti*, & abduxi ipsos *in desertum*: ubi *dedi ipsis*
,,*statuta mea, & jura mea nota feci ipsis*; *quæ qui faceret*
,,*homo, viveret per ea.* A*c etiam Sabbatha mea dedi ipsis, ut essent signo inter me & ipsos, ut sciretur me* Jehovam *sanctificare ipsos.* &c. *Resp.* 1. Cum numero multitudinis *Sabbatha* appellantur, collectivè intelligenda sunt omnia, quibus istud nomen ex usu SS. Scripturæ convenit;

venit: utpotè *Levit.* XVI. 31. XXIII, 32. 39. XXV, 2, 4. non præcise, nec etiam absolute hebdomadarium. 2. Isto hebdomadali die sacro fideles Deum sanctificabant suo modo; ipsique simul à Deo sanctificabantur; h. e. in verâ sanctimoniâ confirmabantur & promovebantur, per gratiam Divinam in Messiâ: hoc ipsum tunc in præsenti experiebantur; simulque, juxta promissionem Divinam, de futuro per religiosam observationem Sabbathi colligebant. Sed non omne signum statim est mera cerimonia ac typus V. T. Messiam venturum præfigurans. Certè etiam nunc fideles ac pii experiuntur, & colligunt, se per piam sui Sabbathi, sive diei Dominici observationem, confirmari ac promoveri in sanctificatione per gratiam Christi, &c. 3. Faciles etiàm admittimus, observationem Sabbathi hebdomadalis sub V. Test. ex speciali quâdam ordinatione Divinâ accepisse quoque respectum & usum cerimonialem typicum præfigurativum Christi ac beneficiorum ejus. Verùm indè non magis sequitur, Sabbathum ab initio fuisse talem typum, vel etiàm sub V. T. non habuisse in se aliquid morale; quàm ex *Gen.* IX, 12, -. sequitur, iridem ab initio fuisse tale signum mundi non ampliùs interituri per diluvium; vel etiam post istam ordinationem, non fuisse meteorum aliquod naturale. 4. Nec magis ex loco *Ezechielis* colligi potest, Sabbathum ante deductionem Israëlitarum in desertum prorsùs non obtinuisse, quam alia præcepta, quæ, fatentibus iis qui hîc à nobis dissentiunt, verè sunt moralia. 5. Sed deinceps *vers.* 13. atque iterum, 24. exprobrat Deus Israëlitis, quod *jura sua non fecissent, statuta sua sprevissent, ac Sabbatha profanâssent*: & consequenter, 25. *dedisset ipsis statuta non bona, & jura per quæ non viverent.* Quoniàm scil. propter peccata, non pertinebant ad ipsos bona cæteroquin promissa; sed pœnæ in sanctione comminatoria expressæ. Confer *Rom.* VII, 10, 12, 13.

12, 13. itemque *Psal.* lxxxi, 12, 13. Interim, quoniàm nonnulli *statuta non bona, & jura per quæ non viverent*; exponunt de institutis merè cerimonialibus; observa quoque, Sabbatha ab illis clarissimè distingui.

XV. Sed neque omittenda videtur distinctio *Juris* hominibus *naturalis, in primævum*, & *secundarium*. *Primævum* spectat naturam à Deo primum institutam, & sic integram. Atque hoc, juxta integritatem imaginis Divinæ, procul dubio integrum extitit in protoplastis; & per ordinationem Dei etiam sic propagandum fuisset ad posteros, nisi lapsus intervenisset: adeò quidem, ut hi eadem præcepta moralia deducturi fuissent ex congenitis κοιναῖς ἐννοίαις; simulque ex piâ animi inclinatione faciles admissuri parentum suorum, aliorumve, instructiones istiusmodi explicatorias & applicatorias; quemadmodum etiam alia præcepta particularia cultûs instituti, utpote de Arbore vitæ, & Scientiæ boni ac mali, &c. atque adeo etiam de die determinato, quo Sabbathum hebdomadale fuisset observandum.

Ius naturale secundarium respicit naturam humanam per lapsum ista integritate destitutam, gravissimaque corruptione ac plurimis miseriis vitiatam. In hoc statû amissa est perfectio illa habitualis sapientiæ, etiam agendorum, tum quod ad ipsa principia, tum quod ad facilitatem conclusiones inde deducendi & agnoscendi: quæ amissio ad mortem spiritualem pertinet: quamvis superstites manserint quædam reliquiæ. Imo ratione circumstantiarum multæ applicationes aliter fieri debuerunt in hoc jure secundario, quam faciendæ fuissent in primævo: ut in judiciis politicis; de sontibus scil. puniendis, etiam capitali supplicio; de Bello, Servitute, Misericordiâ, &c. Quod autem in Iure isto secundario, in statû mere naturali, sic deerat; cum virtualiter vel eminenter etiam comprehensum fuisset primævo illo, posteà suppletum est

per

per Divinam revelationem, Legis moralis repetitoriam, & quasi restauratoriam; speciatim vero prout ea ministerio Mosis facta est, & Israëlitis tradita, ac postmodum sæpius reposita & inculcata.

XVI. *Quæritur quartò*, An eadem Lex moralis adhuc obtineat sub N. T.? *Resp.* Affirm. 1. Quia Lex moralis omnes homines & semper obligat, quod ad mores vivendi.

2. Hinc Christus, *Matth.* v, 17, 18, 19. *Ne existimate, me venisse, ut dissolvam Legem aut* Prophetas: *non veni, ut eam dissolvam; sed ut eam impleam*: umbris typicis veritatem substituendo; prædictiones de Messiâ consummando; requisitam ab ipso obedientiam præstando; & alios eorum officia verè ac plene docendo. *Amen quippè dico vobis; usquedum præterierit cælum & terra, ἰῶτα unum aut unus apex nequaquam præterierit ex Lege, usquedum omnia facta fuerint.* Moralia præcepta minime erant abroganda, aut iis quicquam derogandum, usque in consummationem sæculi. *Quisquis igitur solverit unum ex mandatis hisce minimis, & ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum: quisquis autem fecerit & docuerit, iste vocabitur magnus in regno cælorum.* Sic Legem istam communem ac perpetuam Servator proponit, cujus omnia & singula præcepta, etiam ad minimum, sub N. T. forent observanda ac docenda: quemadmodum ipse deinceps asserit & vindicat contra Pharisæos.

3. Consequenter eadem Lex moralis ab Apostolis etiam proposita est & inculcata sub N. T. *Iac.* 2. 8, -11, „ Quodsi *Legem regiam præstatis*, *secundum* „*Scripturam*, *Diliges proximum tuum ut te ipsum*, bene „facitis: Sin vero personam respicitis, *peccatum com-* „*mittitis*; & *redarguimini à Lege veluti transgressores.* „quisquis enim totam Legem servaverit, *impegerit au-* „tem *in uno*, *damnas factus est omnium*. Nam *qui dixit.* „*Ne mœcheris, dixit etiam, Ne occidas*: quodsi non fueris

mœchatus

„mœchatus; occideris autem „*factus es transgressor Le-„gis. Itâ loquimini,& ita facite,ut per Legem libertatis ju-„dicandi.* Tota igitur Lex, cujus præcepta quædam Apostolus istìc recensuit, viget etiam sub N. T. & est Christianis Lex libertatis ipsorum; unde omnis bonitas & malitia moralis æstimanda ac judicanda. Similiter *Rom.* XIII,7,8,9 *Reddite igitur omnibus quod debetis. -- Nemini quicquam debete, nisi hoc, ut alii alios diligatis: Nam qui diligit alterum Legem implevit. Siquidem illud, Non mœchaberis*, &c. Reliqua vide sup. th. 12. Item *Ephes.* VI,1,2,3. *Liberi, auscultate in Domino parentibus vestris: id enim est justum. Honora patrem tuum & matrem: quod est præceptum primum cum promissione, ut bene tibi sit, & sis longævus super terrâ.* Sic ad Legem, cujus sunt ista præcepta, tanquam ad normam justi & decori, sub N.T. etiam remittimur.

4. Per inductionem. *Præcepta posterioris tabulæ o-mnia & singula repetuntur in locis N. Test. proximè allegatis.* Ad priorem verò tabulam quod attinet: de *primo præcepto* patet, ex 1 *Cor.* VIII, 4,5,6. *Scimus idolum nihil esse in mundo; & nullum esse Deum alium, nisi unum*, &c. cum *Matth.* XXII, 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. *Joh.* IV, 24. *Deus est spiritus: & qui adorant eum, oportet ut spiritu ac veritate adorent.* 1 *Joh.* V, 21. *Filioli, cavete vobis ab idolis.*

De *secundo* item, ex *Rom.* I, 23. *Mutârunt enim gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis, & volucrium, & quadrupedum, & reptilium*, &c. 25. *Ut qui veritatem transmutarint in falsitatem,-.* Cum *Act.* XVII, 24,25. *Cum sit cœli & terræ Dominus, in manû factis templis non habitat: nec manibus hominum colitur,-.*

De *tertio* similiter, ex *Matth.* V, 34,35. *Ne jurate omnino: neque per cœlum; quia thronus Dei est: neque per terram; quia scabellum est pedum ejus.* XII, 36. *Dico vobis; Quodcunque verbum otiosum locuti fuerint homines, de-*

de eò reddituros rationem in die judicii. 1 *Petr.* III, 15. *Dominum Deum sanctificate in cordibus vestris. Estote autem semper parati ad reddendum cuilibet petenti rationem ejus spei quæ in vobis est, cum mansuetudine & timore, conscientiam bonam habentes.*

XVII. Nec minus de *quarto*, ex *Matth.* XXIV, 20. *Orate, ne fiat fuga vestra hyeme; neque Sabbatho.* Ergo sub N. T. tempore excidii Hierosolymitani, & fugæ ex ista occasione, atque adeo deinceps ad consummationem sæculi, observari adhuc debuit Sabbathum eâ conscientia, ut fideles necesse habuerint, ex mandato Christi, deprecari ne fuga in ipsum incideret. Adeo molestum iis esse debet, si turbentur exercitia Religionis isto die solenniter & quiete peragenda. Attamen una cum iis, quæ ad œconomiam V. T. proprie pertinuerant, mutata quoque diei circumstantia; & pro septimo die ex ordine creationis, substituto primo. Hinc, sicut Judaïca Sabbathorum observatio, pariter ac Festorum & Noviluniorum, nec non ciborum ac potuum, redarguitur *Col.* 2, 16, 17. & alibi; quod mox patebit: Apostoli suo exemplo primum diem septimanæ fidelibus commendarunt. Sic *Act.* XX, 7. „*Primo* autem *die hebdomadis, congregatis discipu-„lis, ad frangendum panem; Paulus disserebat* cum eis, abi-„turus postridiè: produxitque sermonem usque in „mediam noctem. Confer *Matth.* XXVIII, 1. *Marc.* XVI, 2. *Luc.* XXIV, 1. *Joh.* XX, 1, 19. unde evidentissimum, quis appellari soleat *dies primus*, aut per Hebraïsmum μία σαββάτων. Adde *Gen.* 1, 5. Expressa etiam est ordinatio, 1 *Cor.* XVI, 1, 2. „Porro de col-„lectâ in sanctos, quemadmodum *ordinavi Ecclesiis „Galatiæ, ità & vos facite. Primo quoque die hebdomadis unusquisque vestrûm apud se seponat*, recondens ut the-„saurum, quod pro Dei benignitate licuerit. Nec dubitandum, quin alii actûs solennes, ad cultum Dei & communionem sanctorum spectantes, ad eundem

quo-

quoque diem pariter pertinuerint: unde etiam iste *dies Dominicus* appellatur; *Apoc.* 1, 10. analogice ut *cœna Dominica*; 1 *Cor.* XI, 20. Consequenter *observatio Dominici* in Ecclesia primitiva erat quasi tessera Christianismi. *Athanasius*, Hom. de Semente: *Olim certè priscis illis hominibus in summo pretio Sabbatum fuit; quam quidem solennitatem Dominus in diem Dominicam transtulit*. Vide etiam *Catechesin Belgicam*: quæst. 103: *Post-Acta Synodi Nationalis Dordracenæ*, Sess. 164. atque ipsa *Acta*, Sess. 14.

Obj. 1. Præceptum de Sabbatho non est morale. *Coloss.* II, 16, 17. *Nequis igitur vos damnet ob cibum, vel potum, aut respectu festi aut novilunii, aut Sabbatorum: Quæ sunt umbra rerum futurarum; at corpus, est Christi.* Sabbata pariter cum festis, noviluniis, &c. dicuntur umbra rerum futurarum, &c ergo fuerunt tantum cerimonialia typica: non moralia. *Resp.* Cum Apostolus istic *Sabbata* appellat, loquitur de Sabbathis, quę & quatenus typica fuerunt, & sic œconomiæ V. T. propria: id suo modo etiam pertinet ad Sabbathum hebdomadale, respectu peculiaris usus & σχέσιος sub V. T. Sed non absolute; quasi nihil in eo esset morale, cerimoniis typicis antiquius, atque etiam posterius, & alterius conditionis. Certe Apostolus ibidem *cibum* & *potum* appellat; nec tamen absolute omnem eorum usum intelligit; sed distinctionem cerimonialem typicam, quæ ad œconomiam V. T. pertinuit, & per libertatem N. T. abrogata est. Interim verus & necessarius eorum usus, imo etiam distinctio quædam, respectu sanitatis conservandæ aut curandæ, nequaquam istic prohibetur; cum per Legem moralem ad ea obligati simus quemadmodum etiam ad observationem alicujus Sabbathi hebdomadalis.

Obj. 2. *Galat.* IV, 9, 10, 11. *Quomodo convertitis vos retrorsum ad infirma & egena elementa, quibus ad superiora regressi servire vultis. Dies observatis, & menses, & tempo-*

ra, & annos. Metuo de vobis, ne frustrà fatigatus sim apud vos. Ergò, &c. *Resp.* Etiam istic solùm reprehenditur dierum, &c. observatio, quatenùs pertinuit ad infirma & egena elementa mundi, ad typos & pædagogiam V. T. Sed non quælibet dierum ac temporum prudens observatio ad res opportunè agendas. Vide *Eccl.* III, 1,-. *Prov.* X, 5. XX, 4. *Eph.* V, 16. Quin & 1 *Cor.* XVI, 1, 2. de primo die hebdomadis, ipsis Galatis nominatim per Apostolum ordinato. Hujus ergo alia est ratio.

Obj. 3. *Rom.* XIV, 5, 6. *Alius quidem æstimat diem præ die, alius autem* peræquè *æstimat quemvis diem. Unusquisque in animo suo plene certioratus esto. Qui curat diem, Domino curat: & qui non curat diem, Domino non curat. Qui edit, Domino edit*, &c. Istic dierum discretio & observatio iterum conjungitur cum discretione ciborum. Ergo præcepto morali non sumus obligati ad diem aliquem Sabbathicum. *Resp.* Nego consequentiam; similiter ut in superioribus. Infirmi fide, & necdum satis instructi de veritate & libertate Christianâ, æstimabant & observabant aliquos dies, ut & ciborum discrimina, ex Lege cerimoniali Iudaïca, vel etiam fortasse ex superstitione Gentili. Sed probe instructi & firmi fide, aliter statuebant & faciebant. Inde autem non magis colligi debet, nullum nunc agnoscendum esse Sabbathum hebdomadale, aut diem Dominicum; quàm cibos non esse discernendos ratione diætæ.

Obj. 4. Sabbathum per Legem quondam mandatum, erat septimus dies à creatione: atqui dies Dominicus alius est: ergo Lex ista nos non obligat ad diem Dominicum. *Resp.* Sabbathum est dies Deo cum quiete sacer. Initio quidem iste dies incidebat in septimum à creatione: id enim tunc manifestè indicabat circumstantia temporis. Eundem quoque indicavit ratio, quæ quarto Decalogi præcepto subjecta

jecta est. Generaliori tamen modo comprehensa sunt ipsa verba præcepti: *Recordare diei Sabbathi, ut sanctifices illum. Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum. At die septimo Sabbathum* erit *Jehovæ Deo tuo: non facies ullum opus*, &c. quibus verbis omnino satisfit, ubi post sex dies operarios sequitur unus sacra quiete transigendus; is enim sic quoque septimus est: videlicet nunc sub N. T. postquam scriptis Θεοπνεύστοις dies Dominicus indicatus & ordinatus est; qui non minùs post sex alios identidem recurrit. Et ad hujus observantiam in his circumstantiis non minus obligamur per quartum præceptum; quam per præceptum, *Diliges proximum tuum ut te ipsum*, obligamur ad diligendum eos homines, qui nunc existunt: aut per præceptum, *Honora patrem tuum*, &c. nunc obligatur ad honorandum vitricum, cui iste obtigit, &c.

XVIII. P*ontificii* volunt, Christum non tantum esse Redemtorem, sed etiam Legislatorem; adeóque Legem novam dedisse; quæ quidem contineat triplicia præcepta, Moralia, Sacramentalia, & Fidei. Vide etiam sup. cap. 3. th. 34. Obj. 3.

Sociniani quoque, & *Anabaptistæ*, cum sequacibus *Remonstrantibus*, contendunt, Legem moralem à Christo esse correctam, & perfectiorem redditam, additis de novo Præceptis variis; ut post quædam indicabitur. *Urgent* autem imprimis illud *Matth.* v. aliquoties repetitum, ἠκούσατε ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις - ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, &c. *Resp.* 1. Pharisæi & Scribæ passim jactabant Traditiones Seniorum suorum, quibus irrita faciebant, & transgrediebantur mandata Dei: *Matth.* xv, 2, 3, 6, 9. cùm reverâ essent inania hominum commenta, & detorsiones Legis Divinæ in sensum prorsùs alienum, imo etiàm decisiones contrariæ: *Matth.* v, 31, 38, 43. Illud autem ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις accipi potest, tanquam *dictum est ab antiquis*;

majoribus scil. ac praedecessoribus Pharisæorum & Scribarum, glossematum atque errorum istorum auctoribus, vel traditoribus. 2. Si omninò accipiendum esset, *dictum est antiquis*, sive *ad antiquos*; id tamen intelligi deberet, ut antiquis ejusdem sectæ hominibus istud traditum esset à suis præceptoribus: non à Deo, aut à Mose ac Prophetis, fidelibus & infallibilibus Dei ministris; sed ab hominibus seductoribus, veritatem interim & auctoritatem Divinam mentientibus.

XIX. Nunc paucis perstringemus *controversias* circa singula Decalogi præcepta occurrentes. Circa *primum* excutienda venit initio multiplex *Idololatria Papatus*: ut 1. in cultû Angelorum. 2. In cultû hominum. 3. In cultu rerum inanimatarum. Et 4. in cultû entium fictorum. *Pontificii Angelos* etiàm religiosè colendos docent, & praxi sua confirmant; maximè verò *Archangelum Michaëlem* (quem creatum statuunt), & reliquos *Angelos coram Deo assistentes, Principes aulæ cœlestis, Ecclesiarum omnium præsides, hominum mediatores ac præpositos*, ut appellant: quorum *septem* nomina assignant; qui per se, aut per alios à se missos, defendant nos à septem vitiis capitalibus, ad contrarias virtutes hortentur, tentationibus obsistant, occasiones peccandi removeant, &c. atque item *Angelos tutelares* singulorum. Vide sup. cap. 7. th. 19.

Opponimus autem isti Idololatriæ, 1. generalia mandata, quibus cultus religiosus soli Deo reservatur; *Jes.* XLII, 8. *Matth.* IV, 10. ex *Deuter.* VI, 13. X, 20.

2. Specialem prohibitionem, ne Angelis iste cultus deferatur, propositam per Apostolum; *Coloss.* II, 18.

3. Aliam iterùm prolatam per Angelum, *Apoc.* XIX, 10. atque iteratam, XXII, 8, 9.

4. Accedit ratio: Angelis non competit illa ἐξοχὴ, quæ fundat cultum religiosum: cùm sint entia creata & finita; quorum perfectiones finitæ & dependentes sunt. Neque iis competit omnipræsentia; ut semper

nobis

nobis adeſſent, atque adeò eos compellare poſſemus, quoties libèret: neque omniſcientia; ut nos, & neceſſitates noſtras, & preces noſtras, ſemper cognoſcerent. 1 *Reg.* VIII, 39. *Tu enim noſti ſolus cor omnium filiorum hominum. Matth.* XVIII, 10. *Dico vobis; Angelos eorum* (parvulorum) *in cœlis per omne* tempus *videre faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Ubi ſpiritûs ſacram functionem obeuntes, miniſterii cauſâ emittuntur quidem, propter hæredes ſalutis futuros; *Hebr.* 1, 14. ſed opere peracto, revertuntur in cœlum: *Luc.* 2, 15.

XX. Imò ne quidem rogandi ſunt, ut pro nobis intercedant apud Deum; aut preces noſtras Deo offerant & gratas faciant: nam

1. Nullum mandatum, neque exemplum iſtiuſmodi, occurrit in SS. Literis.

2. In hâc vitâ, & hoc rerum ſtatû, non habemus talem familiaritatem & converſationem cum Angelis.

3. Preces noſtras Deo per Angelos offerri, quaſi aliàs Deus eas ignoraret, aut negligeret; vel etiàm gratas & acceptas reddi per Angelos, quaſi iſti aliquid conferrent ad gratiam Dei nobis conciliandam, à SS. Literis alieniſſimum eſt.

4. Interceſſio Mediatoria ſoli Chriſto Θεανθρώπῳ, Mediatori Dei & hominum, propria eſt; ut ſuo loco demonſtrabitur.

Obj. 1. *Gaudium eſt apud Angelos Dei ſuper uno peccatore reſipiſcente: Luc.* XV, 10. ergò res & actiones noſtras minimè ignorant: quin imò utiliter à nobis invocantur. *Reſp.* Gaudium & congratulationem ſuper peccatore reſipiſcente agnoſcimus; qui eſt actus charitatis Angelicæ erga nos: ſic Deum celebrant ſuper tali gratiâ in nos collatâ, ubi ea ipſis innoteſcit. Hinc tamen prorſùs non ſequitur, eos preces noſtras Deo offerre & gratas facere; neque nos eorum interceſſionem precibus noſtris, & quidem religioſis, expetere debere.

*Obj.*2. Jacob Ephraïmo & Menaſſæ precatur benedictionem Angeli : *Gen.* xlviii, 15. Ergò. *Reſp.* Sed Angeli increati. Vide ſup. cap. 4 th. 10.

Obj. 3. Angeli tamen pro hominibus intercedunt: *Zach.* i, 12. *Apoc.* viii, 3. *Reſp.* 1. *Zach.* i, 12. Angelis Jehovæ proponitur in viſione propheticâ, ut intercedens pro Hieroſolymis & civitatibus Judæ. 2. *Apoc.* viii, 3. Angelus dicitur adſtitiſſe altari, thuribulum aureum tenuiſſe, & preces omnium ſanctorum obtuliſſe ſuper altari aureo. Sed iſta ad ipſum Chriſtum, ejuſque functionem Sacerdotalem in cœlo, quoque pertinent; non ad Angelum aliquem creatum.

Obj. 4. *Tob.* xii, 15. Raphaël dicitur unus ex ſeptem illis Angelis, qui preces ſanctorum deferunt. Ergo. *Reſp.* Cùm iſte locus apocryphus ſit, hoc ipſum quod habet, non probat: Confer *Tob.* v, 15. Angelos autem vel invocandos, vel religiosè colendos eſſe, non habet.

Obj. 5. David *Pſal.* ciii, 20. Angelos invocat hoc modo; *Benedicite Jehovæ Angeli ejus, fortes robore, facientes verbum ejus, ad obtemperandum voci verbi ejus.* Ergo. *Reſp.* Iſtìc David per proſopopœiam exprimit, Angelos omninò ſervire gloriæ Divinæ: ſed non magis docet religioſam invocationem Angelorum, quàm omnium creaturarum, cum ſubjungit, *v.* 22. *Benedicite Jehovæ omnia opera ejus, in omnibus locis dominationis ejus.*

XXI. *Secundò* committunt iidem Idololatriam in *hominibus*: ſcil. in Chriſto ſecundùm humanam naturam, in Virgine Mariâ, in Sanctis demortuis, atque etiàm in Pontifice Romano.

Chriſtum omnino adorandum & religiosè colendum, ex animo credimus, & confitemur, ſecundùm SS. Literas: ità ſcil ut adorabilitas fundetur formaliter in Divinâ ipſius ἐξοχῇ. Humana verò natura, ſi præcisè conſideretur, per mentem abſtracta à Deitate, utut reipsâ minimè ſeparari, agnoſci quidem debet

τȣ͂ Λόγȣ adjunctum ſubſtantiale ἐνυπόστατον, & organon conjunctiſſimum; adorabilis tamen propterea non eſt.

In *B. Virgine Mariâ* Idololatriam committunt multis modis: cujus non ſolùm interceſſionem petunt apud Deum; ſed ipſi poteſtatem ſupremam, imò & jus imperii in Chriſtum tribuunt, Deum eam faciunt, ſic adorant & celebrant. Hùc pertinent Biblia, & Pſalterium Mariæ, Hortuli, Roſaria, Sabbathum, Officium, &c.

Alios quoque *Sanctos demortuos*, colunt iidem religiosè, ſive adorant; & voce vel mente ſupplicantes, ad eorum orationes opemque confugiunt; memorias eorum frequentant per ſuos dies feſtos, octavas, vigilias, encænia; Miſſas etiàm celebrant in eorum honorem, & ad obtinendam ipſorum interceſſionem, addunt lectiones, hymnos, officia, litanias, proceſſiones; Templa iis dedicant, & altaria; imagines erigunt, cereos accendunt, &c.

Numerus eorum, qui tales habentur, & ſic coluntur ferè infinitus eſt: invocantur autem vel omnes ſimul; vel ſinguli ſeorsùm. Potiſſimum vero *Patroni*, *Præfecti*, aut *Divi tutelares*; quibus ſpecialis poteſtas & cura perſonarum, rerum, locorum, vel temporum, Divinitùs creditur demandata; & Eccleſiaſticè aut Papaliter ſic declarata.

Eidem idololatriæ ſubſervit *Canonizatio*; quæ eſt canonica & regularis inſtitutio ipſius Papæ, ut quis pro Sancto honoretur, ac pro eo fiat ſolenne officium. *Apotheoſin Divorum ſuorum* alibi appellant. Proximus ad eam gradus eſt *Beatificatio*, quâ quis à Papâ ſolenniter declaratur beatus.

XXII. Idololatriæ hactenus in hominibus deſcriptæ, opponimus 1. generale argumentum, contra religioſum cultum Angelorum quoque productum th. 19. quod Deus illum ſibi ſoli vendicaverit.

2. Ex conditione objectorum: Eos *colere* religiosè,

qui non sunt naturâ Dii, est illorum qui *verum Deum non agnoscunt*: qui vero hunc agnoscunt, eundem solum sic colunt; *Gal.* IV, 8. Ipse Deus *Psal.* L, 15. *Invoca me in die angustiæ: eruam te; & honorificabis me.* Similiter etiam Christus à Discipulis rogatus, ut ipsos precari doceret, præscripsit modum precandi, *Pater noster*, &c. *Luc.* XI, 1, 2. &c. Nullum vero extat indicium de Mariâ, aliisve Sanctis, religiosè colendis. Ἐξοχὴ quæ istum cultum fundat, iis non competit; cum entia creata & finita sint: nec omniscientia, aut cognitio eorum quæ hic geruntur, & nobis eveniunt. Hinc respectû eorum, quæ apud viventes in hâc terrâ aguntur, *Eccl.* IX, 5. *Mortui nesciunt quicquam.* Ità Josuæ dicebatur, 2 *Reg.* XXII, 20. *Eccè ego recolligam te ad patres tuos, & recolligeris in sepulchra tua in pace; & non videbunt oculi tui universum malum, quod ego induco in locum istum.* Et Ecclesia ad Deum, *Jes.* LXIII, 16. *Tu enim Pater noster es; etiamsi Abraham nesciat nos, & Israel non agnoscat nos: tu tamen Jehovah Pater noster, redemtor noster, à sæculo est nomen tuum.*

3. A pari: Nemo coli debet religiosè nisi in quem etiam credimus fide Divinâ: ut enim veritas absolutè summa & infallibilis se habet ad fidem Divinam: sic etiam infinita & independens ἐξοχὴ se habet ad cultum religiosum. Hinc *Rom.* X, 13, 14. *Quisquis enim invocaverit nomen Domini, servabitur. Quomodò igitur invocabunt eum, in quem non crediderint?* Cum fides sit ἐλπιζομένων ὑπόστασις; *Hebr.* XI, 1. Consequenter etiam ex fidè petimus à Deo, quæ credimus ipsum nobis dare velle; id enim necessarium est, ut secundùm voluntatem ipsius oremus; 1 *Joh.* V, 14. atque ita postulemus cum fide, nihil ambigentes; *Jac.* I, 6. neque adoremus, quod nescimus; *Joh.* IV, 22.

4. A judicio & voluntate ipsorum Sanctorum: Qui verè Sancti sunt, nolunt sibi cultum religiosum deferri

deferri. Cùm *Actor.* x, 25. *Cornelius occurrens* Petro, & *accidens ad ejus pedes, adoraret ipsum*; *Petrus erexit illum, dicens*; *Surge: & ego ipse homo sum.* Similiter xiv. 11,– 15. cùm Lystrenses viso miraculo, quod per Paulum & Barnabam erat factum, tauros vittatos adducerent, atque illis sacrificare vellent; illi, *diruptis palliis suis, insilierunt in turbam, clamantes ac dicentes; Viri, cur ista facitis? Nos quoque sumus homines, eisdem quibus vos affectionibus obnoxii; annunciantes ut à vanis istis rebus convertatis vos ad Deum illum vivum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt.* Eodem modo, ut Angelus, *Apoc.* xix, 10. & xxii, 8, 9.

Ex antiquis Ecclesiæ Doctoribus multa in eandem sententiam facilè produci possunt; nominatim ex *Hilario, Augustino, Epiphanio,* &c.

XXIII. Sed neque precibus sollicitandi sunt Beati, ut suis orationibus pro nobis intercedant apud Deum, aut Christum. Obstant rationes in negotio Angelorum productæ, th. 20.

Obj. 1. At sancti cœlites intercedunt pro nobis; 2 *Maccab.* xv, 11, 12. Ergo. *Resp.* Istìc describitur insomnium Judæ Maccabæi, quòd vidisset Oniam Pontificem defunctum intercedentem pro populo Judaïco; atque ex eo audivisset, idem quoque facere Prophetam Jeremiam: sed præterquam quod locus sit apocryphus, & somnium narret; non dicit, eos pro singulis Judæis, & singulorum necessitatibus esse precatos; multô minùs, fideles id ipsum ab illis petiisse suis precibus. Et quid si Maccabæus somniâsset, Jeremiam & Oniam adhùc vixisse, vel iterùm vixisse, (quod somniantibus de mortuis non est insolens,) atque ita eos precatos fuisse pro populo, quemadmodum soliti fuerant viventes, & tunc faciebant etiam omnes pii?

Obj. 2. *Apocal.* v, 8. quatuor animalia & viginti quatuor seniores ciderunt coram. Agno, cum citharis

& phialis aureis, quæ erant preces ſanctorum. Ergo. *Reſp*. 1. Viſio illa intelligi poteſt de Eccleſiâ catholicâ, quæ ſic preces ſuas coram Chriſto fundit, ac per ipſum offert Patri. 2. Si omninò intelligenda eſſet Eccleſiæ pars triumphans, iſtorum ſanctorum orationes non tamen evincerentur fuiſſe interceſſiones, nedùm peculiares, & quidem aliorum precibus expetitæ.

Obj. 3. *Geneſ*. xlviii, 16. prædixit Jacob nomen ſuum vocandum ſuper filios Joſephi: hi ergò poſt mortem erant illum invocaturi. *Reſp*. Committitur ψδυδερμlωεια. Meliùs *Cajetanus* ad locum: „ eſt „ ea phraſis Hebræis peculiaris; ut dicant, *vocari no-* „*men alicujus ſuper aliquem*, pro vocari aliquem alicujus „nomine: ut conſtat *Iſai*. iv. & *Dan*. ix.

Obj 4. *Job*. v, 1. *Convertere ad aliquem ſanctorum*. Mandatur ergò eorum invocatio. *Reſp*. In Hebræo eſt, *Ad quem ſanctorum vertes te?* ubi nec de mortuis agitur, nec de religioſa invocatione; ſed docetur, nullum à ſanctis auxilium obtineri poſſe adverſus Deum. Confer *Ezech*. xiv, 14, 20.

Obj. 5. *Luc*. xvi, 27, 28. damnatus epulo legitur interceſſiſſe pro fratribus ſuis; multô magis id faciunt beati cœlites. Ergò. *Reſp*. Ex iſto textu non magis colligi debet, Abrahamum à divite illo mortuo reipſa invocatum fuiſſe pro fratribus adhuc viventibus; quam divitem illum mortuum ſublatis oculis vidiſſe Abrahamum, & Lazarum in hujus ſinu cubuiſſe; vel Lazarum potuiſſe digitum immittere in aquam, & ſic refrigerare linguam illius: quæ quidem à naturâ animarum ſeparatarum aleniſſima ſunt. Neque item ſequitur; ſi anima divitis nuper mortui, retinuit memoriam fratrum ſuorum, quos in hâc vita reliquerat; Sanctos igitur habere notitiam omnium, quæ poſt mortem ipſorum apud viventes geruntur. Tenendus parabolæ ſcopus, quod divites propter opum ſuarum abuſum damnati, nullo deindè levamine potiri

tiri possint; atque hoc argumento homines ab isto abusu debeant absterreri, & observare media ordinaria ad promovendam resipiscentiam instituta atque concessa.

Obj. 6. Angelus salutavit beatam virginem; *Luc.* I, 28, & sancta Elisabetha; *vers.* 42. *Resp.* Ista salutatio & gratulatio, continent tum apprecationem alicujus boni à Deo ad ipsam, convenienter isti rerum statui; tum denunciationem & prædicationem bonorum, quæ ei à gratiâ Divinâ obtigerant, ac porrò eventura erant. Quo etiam nomine ipsa se beatam prædicandam humilis agnoscit; *vers.* 48. Sed minimè sequitur, eam propterea religiosè invocandam esse; nedum tali formulâ.

Obj. 7. *Luc.* XIX, 17, 19. Famuli fideles à Rege suo dicuntur præficiendi aliquot civitatibus; ergò sancti cœlites sciunt & curant ea quæ hic aguntur; & consequenter rectè invocantur. *Resp.* In ista parabola sic denotatur gloria iis tribuenda, qui donis à Christo acceptis rectè fuerint usi; quemadmodum alibi cœlestis beatitudo proponitur sub allegoriâ nuptiarum, aut convivii, &c. *Matth.* XXII, 2, &c. VIII, 11. Sed Regnum ipsius Christi non est de hoc mundo, *Johan.* XVIII, 36. consequenter neque ministris suis pro mercede distribuit regna, provincias, urbes, &c. hujus mundi.

XXIV. Quantum ad *Pontificem Romanum*, in eo idololatriam quoque satis crassam & apertam committunt, cùm eum non tantùm Vice-Deum salutant, sed etiam in terris Deum; atque insuper ei tribuunt Divinam majestatem, omnipotentiam, potestatem dispensandi de jure, & supra jus, contra Apostolum, contra Vetus Testamentum, &c. Quid mirum ergò Papam, ubi electus est, super altari constitui; Imperatores & Reges ejus pedes deosculari; utrumque gladium ei assignari, &c.? Quæ quidem indicâsse, est refutâsse, juxta 2 *Thes.* II, 4.

XXV. Succedit idololatria in *Rebus inanimatis*: hæ autem

autem sunt Panis eucharistiæ, Crux, Reliquiæ, Imagines, & Res aliæ consecratæ.

In *Pane eucharistiæ* est ἀρτολατρεία: scil. ex falsâ hypothesi Transsubstantiationis; dum verè & propriè ipsum Christum reputant id, quod ostentat Sacerdos, panem adorant, & cultum latriæ (ut loquuntur) ei exhibent.

Verum 1. Christus sacramentum Cœnæ instituens, ejus adorationem nullo modo præcepit.

2. Apostoli neque doctrinâ, neque praxi suâ, talem adorationem probârunt.

3. Quod externè in illo sacramento conspicitur, & percipitur, non est verè ac proprie ipse Christus; sed panis & vinum usurpantur in ipsius recordationem, & ad obsignandam communionem corporis ac sanguinis ejus: sic ibi adoratur, quod falso Deus putatur.

4. Ipsi etiam Adversarii Transsubstantiationem suspendunt ex Sacerdotis conficientis intentione: spectatores vero nunquam certi esse possunt de ejus intentione: consequenter ne propria quidem fide Papisticâ certi esse possunt, illum esse Christum verè ac propriè; atque ita adorant quod nesciunt: *Joh.* IV, 22.

XXVI. In *Cruce* est σταυρολατρεία. Illo autem nomine nunc non solùm intelligitur ipsum illud singulare lignum, in quo Christus pependit; sed etiam Crux ex qualicunque materiâ ad illius similitudinem facta, aut quomodocunque repræsentata. *Thomas* parte 3. qu. 25. art. 4, „Illi exhibemus latriæ cultum, „in quo ponimus spem salutis: sed *in Cruce Christi po-„nimus spem salutis*: cantat enim Ecclesia; O *Crux ave*, „*spes unica, Hoc passionis tempore; Auge piis justitiam*, „*Reisque dona veniam*. Ergo *Crux Christi est adoranda* „*adoratione latriæ*. - Si vero loquamur de *effigie Crucis* „*Christi in quâcunque aliâ materiâ*, puta lapidis, vel li-„gni, argenti, & auri; sic *veneramur Crucem* tantùm ut „Imaginem Christi, quam veneramur *adoratione latriæ*.

Sic

Sic etiam varia effecta supernaturalia ei tribuunt; ut quod mirificè augeat devotionem; excitet spem & fiduciam obtinendæ remissionis peccatorum, itemque charitatem ergà Deum, & recordationem omnis virtutis, &c.

Opponimus. 1. Crassissimam esse idololatriam; cùm cultus religiosus deferatur rei inanimatæ, ne quidem civilis honoris capaci.

2. Nullum planè præceptum, aut exemplum, talis cultus occurrere in SS. Literis.

3. Culpandi alias forent Apostoli, quòd non statim ipsam Crucem, in quâ pependerat Christus, asservaverint, fidelibus istud σέβασμα commendaverint, &c.

4. Per respectum ad Christum Crux potiùs in detestatione haberi deberet; cum ipsi Christo fuerit instrumentum & symbolum execrationis: *Gal.* III, 13.

Et Crux in passione Christi ne quidem fuit instrumentum activum, sed tantùm passivum: cum active quodammodo se habuerint clavi, lancea, flagella, &c. magis autem milites crucifigentes, aut manûs eorum: potiùs ergò pictæ & fictæ manûs omnium militum adorari deberent; magis autem vivæ, imo omnium hominum, & omnes homines.

Obj. 1. Crux Christi in SS. Literis tantoperè celebratur: de eâ gloriabantur Apostoli; sed ejus hostes erant hæretici & seductores: 1 *Cor.* 2, 2. *Phil.* III, 18. *Resp.* Crux istic metonymicè mortem Christi maledictam significat, quam ipse pro nobis subiit, nos ab execratione liberaturus: ut 1 *Cor.* 2, 2. *Phil.* III, 18. Alibi etiam crux nobis ferenda, metaphorice significat passiones, quæ nobis immittuntur, & quibus nos utcunque materialiter conformamur Christo in suis passionibus: ut *Matth.* XVI, 24. *Rom.* VIII, 17.

Obj. 2. Similitudo, repræsentatio, & respectus ad crucem; in quâ Christus pependit, & commemoratio passionum ipsius, efficit ut signum Crucis sit religiose colen-

colendum. *Resp.* Ista non possunt fundare cultum religiosum aliorum entium ab uno vero Deo; & magis inveniuntur in aliis, quæ tamen ne quidem Pontificii sic colunt.

Obj. 3. Crux præfigurata fuit sub V. T. *Exod.* XII, 22. *Ezech.* IX, 4. *Gen.* XLVIII, 14. Ergo, &c. *Resp.* Sanguis agni Paschalis illitus postibus domuum Israëliticarum, *Exod.* XII, 22. & adhibita signatura (Thau) *Ezech.* IX, 4. cum *Ap.* VII, 4. XIV, 1, nequidem fuerunt signa crucis. Quod vero Jacob manibus decussatis benedixerit filiis Josephi, *Gen.* XLVIII, 14. factum est speciali de causâ, quæ ex textû patet; sine tali mysterio.

Obj. 4. Multa miracula per signum Crucis facta sunt. Ergò. *Resp.* Miracula, quæ jactantur ad stabiliendam istam idololatriam; accenseri debent signis ac prodigiis mendacibus; de quibus, 2 *Thess.* 2, 9.

XXVII. *Gentiles* olim jactarunt & ostentarunt Reliquias quasdam; Jovis; Dianæ, &c. Sic etiam commemorantur alibi *Reliquiæ Sanctorum V. Test.* Sed Reliquiæ N. T. janctantur & ostentantur ferè infinitæ; utpotè ipsius *Christi*; respectû infantiæ, vitæ adultæ, passionis, & exaltationis. Itemque Reliquiæ *Mariæ*, *Apostolorum*, *Martyrum*, aliorumque *Sanctorum*. Scil. quemadmodum olim Scribæ & Pharisæi sepulchra Prophetarum ædificabant, & monumenta justorum ornabant; dum puritatem doctrinæ deseruerant, atque omnia conspurcabant hypocrisi & legis transgressione; *Matth.* XXIII, 28, 29. similiter *Pontificii*, dum salutarem veritatem corruperunt, & in SS. Literas, præstantissimas Prophetarum atque Apostolorum Reliquias, multis modis injurii sunt, indicatas modo Reliquias adorant, & religiose colunt, per habitudinem scil. ad eos, quorum Reliquiæ sunt, sive latriâ, sive dulia.

Nos breviter opponimus hæc *Argumenta*:

1. Nullum in SS. literis extat præceptum, vel exem-

exemplum, talis cultûs: atque adeo est ἐθελοθρησκεία; *Col.* 2, 23.

2. Reliquiæ non sunt Deus; imo ne quidem res animatæ: nequaquam ergo religiose colendæ; sed valde absurda est ista idololatria.

3. Reliquiarum illarum nulla est certitudo Divina; & plurimarum ne quidem humana: ergo ex fide Divinâ cultus ille prorsus non procedit: *Rom.* X, 14, XIV, 23. *Joh.* IV, 22.

4. Deus ipse corpus Mosis abscondidit; ne Israëlitæ eo ad idololatriam abuterentur: *Deut.* XXXIV, 6. Et Paulus diserte, 2 *Cor.* V, 16. *Nos posthac neminem novimus secundùm carnem: quodsi etiam novimus Christum secundùm carnem, nunc tamen non ampliùs novimus.* Ea igitur, quæ ad Corpus Christi pertinuissent, vel etiam ad Sanctos qualescunque, nequaquam religiose asservari & coli debent.

Obj. 1. Moses ossa Josephi ex Ægypto trânstulit. Ergo. *Resp.* Sepelienda scil. in terrâ promissionis: *Exod.* XIII, 19. quod ad rationem typicam istius terræ, & ad excitandam aliorum fidem, pertinuit; non ad religiosum cultum istorum ossium.

Obj. 2. Tactis ossibus Elisæi, mortuus quidam revocatus est in vitam; 2 *Reg.* XIII, 21. *Resp.* Non tamen propterea religiose illa coluerunt Israëlitæ; neque sic colere debuerunt.

Obj. 3. Josias reverenter habuit ossa Prophetæ; 2 *Reg.* XXIII, 16, 17, 18. *Resp.* Ossa veri Prophetæ noluit cum ignominiâ & maledictione comburi, ut fiebat ossibus idololatrarum. Sed nihil de eorum cultû religioso.

Obj. 4. Mulier sanguinis profluvio laborans, tactâ Christi fimbriâ fuit sanata, &c. Ergò. *Resp.* Virtus illa ab ipso Christo processit: *Luc.* VIII, 44, 46. Similiter sudaria & semicinctia Pauli deferebantur ad ægros, tunc ista methodo miraculosè sanandos: *Actor.* XIX, 12.

XIX,12. Quemadmodum eodem fine ægri ad umbram Petri delati sunt: V, 15. Verum indè non magis colligi debet religiosus cultus illius fimbriæ, istorum sudariorum ac semicinctiorum, quam hujus umbræ.

Obj. 5. Cadavera Sanctorum contumeliis affici neutiquam debent; sed honestè haberi. *Resp.* Verum etiam hinc cultus eorum religiosus minimè sequitur.

XXVIII. *Imagines* religiosas Pontificii habent, & faciunt, quam plurimas; Dei, etiam S.S. Trinitatis, Christi, nominatim Crucifixi, Mariæ, aliorum Sanctorum, itemque Angelorum: imò religiosè etiam colunt. Sic enim *Thomas Aquinas* Summæ parte 3. qu. 25. art. 3. „ Dicendum est, quod Imagini Christi, in „ quantum est res quædam, puta lignum sculptum, vel „ pictum, nulla reverentia exhibetur: quia reveren- „tia non nisi rationali naturæ debetur. Relinquitur „ergò, quòd exhibeatur ei reverentia solum in quan- „tum est Imago: & sic sequitur, quod *eadem reveren-* „*tia exhibeatnr Imagini Christi, & ipsi Christo*; cum ergo „Christus adoretur adoratione latriæ; consequens „est, quod *ejus imago sit adoratione latriæ adoranda.* --- „Nos autem *adoramus adoratione latriæ Imaginem Chri-* „*sti*, qui est verus Deus: non propter ipsam Imaginem; „sed *propter rem, cujus imago est.*

Bellarminus paulò aliter, lib. 2. de Imaginibus cap. 21. „Sit igitur hæc prima sententia, sive propositio: *Ima-* „*gines Christi & Sanctorum venerandæ sunt, non solum per* „*accidens & impropriè; sed etiam per se & propriè; ità ut* „*ipsæ terminent venerationem, ut in se considerantur, &* „*non solum ut vicem gerunt exemplaris.* Probatur *primo*, „quia Concilium VII. act. 7. definivit, Imagines Christi „esse venerandas; sed non latriâ: vult igitur *esse veneran-* „*das per se, & propriè, aliquo cultû.* - Concilium ibidem „definit, Imagines venerandas eo modo quo venera- „mur *Euangelia & sacra vasa*; atqui ista *honorantur per se* „*& proprie.* -- *Quarto*, In ipsâ Imagine verè inest ali-

„quid

„quid ſacrum, nimirùm ſimilitudo ad rem ſacram, &
„ipſa dedicatio ſive conſecratio Divino cultui : ergò
„*ipſæ in ſe, non ſolum ut prototypi vicem gerunt, honore*
„*dignæ ſunt.* Deindè cap. 23. „Quòd *imago poſſit coli*
„*impropriè eo cultu, quo ipſum exemplar,* probatur : nam
„aliquandò Imago accipitur pro ipſo exemplari ; &
„ea, quæ fierent circa ipſum exemplar, ſi adeſſet præ-
„ſens, fiunt circa imaginem ; mente tamen defixâ in
„exemplari, - Quòd autem *poſſit Imago adorari adora-*
„*tione ipſius exemplaris, proprie quidem, ſed per accidens,*
„probatur : &c. Atque iterum cap. 25. „*Cultus qui*
„*per ſe, & propriè debetur Imaginibus, eſt cultus quidam*
„*imperfectus, qui analogicè & reductive pertinet ad ſpeciem*
„*ejus cultus, qui debetur exemplari.* - Probatur: ſicut ſe
„habet Imago ad ſuum exemplar, ità ſe habet cultus
Imaginis ad cultum exemplaris: &c.

XXIX. *Opponimus* iſti cultui *duo priora Argumenta* th. 37. adverſus Λειψανολατρείαν producta.

Addimus 3. Angeli & Homines, quamvis à Deo ad imaginem ipſius conditi, non ſunt tamen religioſè colendi ; multò minùs imagines qualeſcunque ab hominibus factæ.

4. Imo ſeverè paſſim prohibetur & perſtringitur omnis omninò cultus ſimulachrorum, tum in V. tum in N. Teſt. *Levit.* XXVI, 1. *Non facietis vobis idola & ſculptile ; & ſtatuam non erigetis vobis ; neque lapidem pictum ponetis in terrâ veſtrâ, ut incurvetis vos ei : ego enim Jehovah Deus veſter. Deut.* IV. 16, 26, 27, 28 V, 8, 9. Item *Rom.* I, 23, 25. *Mutarunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimulachrum imaginis corruptibilis hominis ; --- Ut qui veritatem tranſmutarint in falſitatem ; & venerati ſint & coluerint res conditas* παρὰ τὸν κτίσαντα, *præter Creatorem.* Abſolutè igitur illicita eſt ſimulachrorum veneratio : neque cauſam iſtam juvant diſtinctiones & extinctiones, *per accidens, impropriè, analogice, reductive,* niſi fortè, ut *Pontificii* dicantur ſaltem idololatræ per acci-

dens, impropriè, analogicè, & reductive.

Obj. 1. Arca fœderis sub V. T. adorabatur; & imagines Cherubim: Ergo. *Resp.* Arca non debuit adorari; sed Deus tantum, cujus singularem quandam præsentiam illa symbolice significabat. Similiter nec imagines Cherubim adorari debuerunt.

Obj. 2. Item Serpens æneus; tanquam insignis typus Christi: Ergo. *Resp.* Iste etiàm non debuit adorari: imò cum ad religiosum ejus cultum prolaberentur Israëlitæ, rectè eum confregit & è medio sustulit Ezechias; 2 *Reg.* XVIII, 4.

Obj. 3. Rex adoratur civiliter; & purpura, aliavè insignia, propter Regem: Ergò. *Resp.* Qui Regem adorat civiliter, non adorat propterea quæcunque Regis sunt; utpotè equum, vestem, umbram: sed & imagines ab hominibus factæ, quâ tales, nullam veram relationem ad Deum habent.

Obj. 4. *Psal.* XCIX, 5. præcipitur veneratio scabelli pedum Dei. *Resp.* Non scabelli; sed ipsius Dei: sic autem monentur homines, se incurvare quasi ad scabellum pedum ipsius. Malè Vulgatus: *Adorate scabellum pedum ejus.*

Obj. 5. Ex reverentiâ majestatis Divinæ, cujus thronus est cœlum, nec falsò, nec temerè jurandum est per cœlum: ergo cultus relativus debetur cœlo. *Resp.* Negò consequentiam. Nequaquam inde sequitur, cœlum, vel ullam aliam creaturam, religiose colendam esse.

XXX. Pergo ad *Res Consecratas*. *Consecrare*, est rem aliquam destinare & applicare ad peculiarem usum sacrum. Sic ergò mutatur status rei: accidit ei sanctitas relativa; & specialis quidam respectus ad Deum, ejusque cultum. *Pontificii* Benedictionem consecratoriam peragunt certis quibusdam formulis & ritibus, ex potestate scil. atque auctoritate Ecclesiæ. Ejus terminum etiam vocant *Sacramentale*. Hoc vero, secundum ipsos, disponit ad Sacramenta, & ad gratiam:

tiam; non autem ex opere operato eam confert. Porrò tribuunt illi virtutem spiritualem, ad remittenda peccata venialia, ad avertendas insidias & insultûs Diaboli, ad homines in virtute confirmandos, ad morbos sanandos; ac tandem, ut rerum spiritualium sit signum mysticum.

In isto genere excellunt *Agni Dei*, *Christus* allegorico Agnus, & Agnus Dei, appellatur: ut *Ioh.* I, 29; 36. 1. *Petr.* I, 19. *Apoc.* v, 6, 8, 12, 13, VI, 1, 16, &c. tùm propter qualemcunque similitudinem; tùm propter veritatem sub V. T. præfiguratam Agno Paschali, Agni jugis sacrificii, &c. Hinc gliscente superstitione pingi & fingi cœperunt *imagines Agnorum*, tanquàm signa commemorativa Christi. Postea vero perventum est ad *Agnos cereos*; qui pro amuletis etiam usurpati: accessit deinde eorum confectio & consecratio per Papam Romanum.

Argumenta contra idololatriam in rebus consecratis, ex superioribus nullo negotio desumi possunt à quolibet.

Adversarii vero, duabus potissimum hypothesibus nituntur: 1. Quod sanctitas relativa, & virtus aliqua spiritualis, fundet cultum religiosum. 2. quod consecratio ab hominibus excogitata, citrà Dei Verbum, etiam inferat sanctitatem relativam & virtutem spiritualem. Sed falsæ sunt istæ hypotheses. Ad Antiquitatem frustra provocant; cujus consensum hic non habent. Effecta quidem admiranda Rerum quarundam consecratarum jactant & deprædicant; sed non probant: neque enim admittendum, sic facta esse: nec ea, quæ forte facta sunt, facta esse à Deo, tanquam approbante & confirmante ista Sacramentalia; & non potius fraude Diabolicâ; aut à Deo homines probante, vel justo judicio in istiusmodi errores tradente, sive in iis indurante. Vide *Matth.* XXIV, 24. VII, 22, 23. *Deut.* XIII, 1, 2, 3. 2 *Thess.* 2, 9, 10, 11.

XXXI. Supereſt *quartum caput* Idololatriæ Papiſticæ in cultû *Entium fictorum*: Divorum ſcil. chimæricorum; qui nunquàm fuerunt in rerum naturâ; aut quos fuiſſe nullâ ſaltem fide hiſtoricâ, ne quidem vulgari humanâ conſtat: vel etiàm nullo modo conſtat, eos fuiſſe ſanctos; ſed potius fuiſſe inimicos & perſecucores ſalutaris veritatis ac veræ ſanctitatis, aut hæreticos, aut phantaſticè ſuperſtitioſos.

In primis occurrit fabula *Urſulæ* cum ſuo femineo comitatu *undecies mille Virginum*; cujus res geſtæ conjiciuntur in annum Chriſti CCXXXVIII. Sed iſti mythologiæ rectè *opponitur*; 1. Quod Scriptores & Hiſtorici iſtius temporis, imo & ſequentium aliquot ſeculorum, qualeſcunque, nihil tale commemorent.

2. Inſufficientia Teſtium: ſunt enim aliqui notoriè mendaces; neque ab ipſis Adverſariis admittuntur. Ita *Legendam auream* ipſorum nonnulli *ferream* appellant; ejuſque Auctorem, *plumbei cordis & ferrei oris*, &c. Qui primi indefinitè talis cujuſdam rei geſtæ meminerunt, valde remoti fuerunt ab illo tempore; longius autem qui mythologiam deſcripſerunt; neque inter ſe conſentiunt, nec ſibi ipſis fidunt.

3. Teſtimonia, judicia, & argumenta contraria, quorundam Adverſariorum.

4. Quod hiſtoria nullo modo cum tempore conciliari poſſit; neque cum circumſtantiis locorum, regionum, &c. unde etiam alii aliam deinde chronologiam & topographiam commenti ſunt; neque cum deſcriptione rerum, perſonarum, factorum, &c.

Ejuſdem farinæ eſt fabula *Trium Regum*, eorumque cultus in Papatû; atque item *Catharinæ, Chriſtophori, Georgii, Longini, Martialis, Petronellæ, Veronicæ, Margaretæ*, Hippolyti, *Septem dormientium*, &c.

Affinis exiſtit invocatio Rerum quarundam inanimatarum; ac ſi ratione, ſanctitate, beatitudine, & facultate hominibus ſuccurrendi, gauderent; utpote *A-*

ve sanctum Chrisma: Sancte sudari, ora pro nobis: Sanctissima Dei mappa, ora pro nobis, &c.

Adde Sanctos non-sanctos; sed hæreticos; aut idololatras, aut improbos, aut fatuos, &c. itemque Exsanctos; ex Sanctorum catalogo, in quo prius comparuerunt, & honorati fuerunt, postea expunctos.

Multis igitur modis Pontificii *serviunt iis, qui non sunt naturâ Dii*; *Gal.* IV, 8. *colunt res conditas, præter Creatorem, qui est benedictus in sæcula*; *Rom.* I, 25. & *idola, quæ nihil sunt in mundo*; 1 *Cor.* VIII, 4. Neque quicquam eos juvat distinctio inter λατρείαν, & δελείαν; quasi illa soli Deo esset propria; hæc creaturis foret communis: quibus aliquando addunt ὑπερδελείαν, B. Virgini Mariæ tribuendam, vel etiam humanæ naturæ Christi, &c. Ista enim distinctio neque ex SS. Literis, neque ex probatis auctoribus, confirmari potest: sed ad palliandam multiplicem ipsorum idololatriam temere excogitata & assumta est. Alium usum verbi λατρεύω vide in Versione Græcâ, *Deut.* XXVIII, 48. & *Levit.* XXIII, 7. nec non verbi δελεύω, *Gal.* IV, 8. &c.

XXXII. Quoniam *Neo-Sadducæi, Libertini* aut *Semi-Libertini* quidam, omnem *Magiam* aliquando negare audent: omniaque ejus effecta, vel ad causas naturales, vel ad agendi celeritatem, vel ad deliria melancholica, &c. referre conantur; hæc *argumenta* illis opponimus:

1. S. Scriptura peccatis gravissimis accenset Magiam; severe eam prohibet, ac puniendam decernit: *Exod.* XXII, 18. *Levit.* XIX, 31. XX, 27. *Deut.* XVIII, 10, 11, 12, 1. *Sam* XV, 23. XXVIII, 9. 2 *Reg.* XXIII, 24. 2 *Chron.* XXIII, 6. *Jes.* VIII, 19. XLVII, 9, 12, 13. *Jerem.* XXVII, 9. *Mich.* V, 11. *Act.* XIII, 6, 10. *Gal.* V, 19, 20. *Apoc.* XXI, 8. quod certe non faceret, si nulla talis in rerum naturâ daretur.

2. Commemorat exempla Magorum; *Exod.* VII, 11, &c, VIII, 7, 18. *Num.* XXII, 5, &c. XXIII, 23.

1 *Sam.*

1 *Sam.* XXVIII, 7, &c. 1 *Chron.* X, 13, 14. *Dan.* II, 2. *Act.* VIII, 9. &c. XIII, 6, &c. XVI, 16. XIX, 13.

3. Consequenter etiam utitur variis modis loquendi, & sententiis, quibus ista veritas substernitur: *Psal.* LVIII, 5. *Eccl.* X, 11, *Jer.* VIII, 17. *Gal.* III, 1.

4. Accedit multiplex experientia, quæ neque ad causas naturales, neque ad ipsum Deum, aut ad Angelos bonos, referri potest: unde relinquitur, eam ad artem hanc nefariam ac Diabolicam referri debere. Huc pertinet consensus multorum Conciliorum, Patrum, Theologorum, Jureconsultorum, Medicorum, Philosophorum, Historicorum, &c.

Obj. 1. Multa dicta & conficta sunt de Magis, quæ tamen probata nunquam fuerunt, neque probari potuerunt; multa ad causas naturales revocari possunt, vel ad deliria melancholica, aut delusiones Satanæ, &c. *Resp.* Id nullo modo probat, nullam unquam in rerum naturâ extitisse, vel etiamnum existere, veram Magiam.

Obj. 2. Impossibile videtur pactum aliquod Magicum iniri cum Diabolo. *Resp.* Neg. satis enim patet, Diabolum liberaliter multa posse promittere; (vide *Matth.* IV, 9. *Gen.* III, 5.) atque etiam nonnulla præstare, Deo permittente: consequenter neque absurdum est, ut hominibus assensum illi præbentibus pactum ejusmodi contrahatur.

XXXIII. *Quæritur*, An Papatui verè impingi possit Magia? *Resp.* Aff. Nam 1. publicâ auctoritate & lege istic exercetur ac traditur saltem Magia indirecta: quod apparet ex arte exorcisticâ, variisque verborum formulis, cerimoniis, ac sacramentalibus; dùm iis efficacia tribuitur, quam tamen nec per naturam habent, neque per supernaturalem Dei promissionem aut constitutionem.

2. Multa istic acta & scripta sunt Magica, sine publicâ censurâ & coërcitione.

XXXIV. *Quæritur* etiam, an omnis *ignorantia* ſit inculpata? *Neg.* non ſolùm de ignorantia pravæ diſpoſitionis, ſed & privativâ eorum, quæ Deus ad benè beatéque vivendum revelavit: atque hoc contra *Pontificios* probamus:

1. A Sapientiæ & ſcientiæ encomiis & commendatione, ignorantiæ autem vituperio ac reprehenſione, paſſim obviis. *Deut.* XXXII, 28, 29. *Gens periens conſiliis ſunt*; - *Si ſapientes eſſent, intelligerent noviſſimum ſuum.* 1 Reg. IX, 29, - 34. *Dedit autem Deus ſapientiam Salomoni, & intelligentiam multam valdè*, &c. *Prov.* 8, 1, - 11. *Nonne Sapientia clamat*, - *Intelligite ſimplices aſtutiam; & ſtolidi, intelligite corde*, &c. *Col.* III. 16. *Sermo Chriſti inhabitet in vobis copiosè cum omni ſapientiâ: Eph.* V, 15, 16, 17. *Videte igitur, quomodò accuratè ambuletis; non ut inſipientes, ſed ut ſapientes: &c.*

2. A præſtantiâ cognitionis rerum Divinarum; ubi objecta ſunt nobiliſſima, omnique ſtudio & contemplatione digniſſima; ipſe Deus Opt. Max. & ea quæ ad Deum, ad ipſius gloriam, noſtramque æternam beatitudinem pertinent.

3. A neceſſitate; cum nec fides; nec pietas, neque ſalus, abſque eâ poſſint conſiſtere: quin & ipſa Divina revelatio hominem ſtatim obliget ad agnitionem & contemplationem iſtarum veritatum, quas eo fine Deus revelavit. *Rom.* X, 13, 14. *Quiſquis igitur invocaverit nomen Domini, ſervabitur. Quomodo igitur invocabunt eum, in quem non crediderint? quomodo autem credent ei, de quo non audierint* - 1 *Ioh.* V, 10. *Qui non credit Deo, mendacem eum fecit; quia non credidit teſtimonio, quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo.*

4. A conditione ſubjectorum: omnes enim homines naturâ ſcire deſiderant: qui certè appetitus à primâ hominis ad imaginem Dei creatione reliquus eſt; Imò per animam rationalem homines ſumus: ratiocinari ergò, atque ita cognitionem variarum rerum, in-

primis ad salutem Divinitùs revelatarum, quærere, hominis naturæ maximè consentaneum; hanc verò negligere, ei adversum est, & maximè damnosum. *Act.* XVII, 27, 28. *Ut quærerent Dominum, si fortè palpando eum invenirent*: &c. 1 *Cor.* 1, 21, *-placuit Deo per stultitiam prædicationis servare credentes.*

XXXV. Speciatim verò malum turpe, sive peccatum, censeri debet ignorantia veritatum à Deo revelatarum, & ad salutem consequendam necessariarum: in iis scil. qui eas audiverunt: 1 *Joh.* V, 10. ac porrò omnis ignorantia, tùm juris, tùm facti, in iis, quæ omnes homines communiter ad honestè ac piè vivendum, & peculiariter singuli pro ratione statûs sui Oeconomici, Politici, Ecclesiastici, Scholastici, &c. scire tenentur. *Psal.* LXXXII, 5. *Nihil nôrunt, nec intelligunt, in tenebris ambulant: nutant omnia fundamenta terræ.* Et manifesta est ratio à necessitate medii ad finem. Maxime autem peccaminosa est istiusmodi ignorantia contraria, tùm etiàm affectata, ex malitiâ, vel ex supina negligentia. *Ioh.* III. 19. *Hæc autem est condemnatio, quod lux venit in mundum: sed dilexerunt homines potius tenebras, quam lucem: quia sunt eorum mala opera.* Imo neque prorsus excusari potest talium veritatum ignorantia invincibilis, quæ partem facit peccati originalis inhærentis: quoniàm ea vincibilis tamen, & voluntaria, est in causâ. Quæ vincibilis est causæ proximæ, nec tamen affectata, excusat quidem in tantum (ut loquuntur), non vero in totum.

Hinc 1. 1 *Tim.* 1, 13. *Prius eram blasphemus, & persecutor, & injuriis alios afficiens; sed misericordia sum donatus. Nam ignorans* id *faciebam, fidei expers.* Vere igitur in iis etiam peccavit. Et Christus aperte, *Luc.* XII, 47, 48. *Qui non novit, & fecit digna plagis, cædetur* plagis *paucis. Porrò cuicunque multum datum fuerit, multum repetetur ab eo*: &c.

2. Specialius de ignorantiâ Gentilium, qui Luce

Euange-

Euangelicâ, imo & instructione Verbi, erant destituti, *Act.* XIV, 15, 16. *Ut à vanis istis rebus convertatis vos ad Deum illum vivum; qui fecit cœlum*, &c. *Quique prætetitis ætatibus sivit omnes Gentes suis ipsarum viis incedere.* Rom. 1, 21, -25. *Vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est desipiens cor eorum. Quamobrem etiam tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipsorum*, &c. *Eph.* IV, 17, 18, 19. *Ne vos amplius ambuletis, sicut reliquæ Gentes ambulant, in vanitate mentis suæ: Tenebris obscuratam mentem habentes*, &c. 1 *Thes.* IV, 5. *Non in morbo cupiditatis: sicut Gentes, quæ non noverunt Deum.*

3. Similiter de seductis: *Matth.* XV, 14. *Quodsi cæcus cœco dux viæ fuerit, ambo in foveam cadent.* 2 *Thess.* 2, 10, 11, 12. *Propterea quod amorem veritatis non receperunt; ut salvi fierent. Ideò igitur mittet illis Deus efficaciam erroris, ut ipsi credant mendacio; ut damnentur omnes, qui non crediderint veritati.* Adde 2 *Petr* 2, 1, 2. *Judæ*, 10, 13.

4. Propterea cognitionis studium tam serio in SS. Literis urgeri solet, *Phil.* I, 9, 10. *Hoc oro; ut charitas vestra adhuc magis ac magis exundet in cognitione & omni sensu: Ut exploretis quæ discrepant*, &c. 2 *Petr.* I, 5. 6, 9, *Ad hoc ipsum vero vos omni prætereà collato studio, adjicite fidei vestræ virtutem, virtuti vero notitiam*; &c.

Obj. 1. *Joh.* IX, 41. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum*: ergò ignorantia excusat à peccato. *Resp.* Dictum istud Christi non debet absolutè intelligi, quasi nullum prorsùs habituri fuissent peccatum: sed comparatè de tali ac tanto peccato. Similiter accipiendum est illud, *Joh.* XV, 24. *Si opera non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

Obj. 2. Cognitio, eique opposita ignorantia, pertinet ad intellectum: ac proinde non habet rationem bonitatis, vel malitiæ moralis; quia omne peccatum debet esse liberum; libertas vero est voluntatis, &c. *Resp.* Libertas quidem formaliter est voluntatis; sed & intellectus non existit sine voluntate; imo, qui cognitioni

gnitioni studet, libere ei studet; qui eam stulte contemnit, aut negligit supine, libere eam contemnit, vel negligit. Ita ignorantiæ etiam competit malitia moralis.

XXXVI. *Quær.* An sola *hæresis*, absque aliis peccatis contra charitatem Dei & proximi, possit hominem subjicere æternæ damnationi? *Resp.* Cum nemo fidelis in hâc vitâ prorsus immunis esse possit ab omnibus peccatis, contra charitatem Dei & proximi; multò minùs putandum est, hæreticum aliquem perfectè sanctum esse, exceptâ solâ hæresi mentali. Interim ipsa hæresis per se etiam verè peccatum est; atque adeò commune peccati stipendium quoque demeretur: quod contra *Remonstrantes*, observandum.

Hinc 1. inter opera carnis, quæ hominem ab hæreditate Regni Dei excludunt, enumerantur hæreses; *Gal.* v, 19, 20, 21.

2. Diserte *hæreses exitiales* appellantur, 2 *Petr.* II, 1. & *exitia* tribuuntur hæreticis; non solum seducentibus, sed etiam seductis, *v.* 2. Minimè vere prior *Petri* sententia accipienda est discretive, quasi hæreses exitiales ab aliis hæresibus salutaribus distingueret; non magis quam 1 *Petr.* IV. 3. *nefarii simulachrorum cultus* ab aliis licitis simulachrorum cultibus discernuntur.

3. Aperte damnatio illis denunciatur, 1 *Tim.* I, 19, 20. 2 *Tim.* II, 17, 18, 20. *Rom.* III, 8.

4. Cum ignorantia veri Dei hominem justæ damnationi Divinæ subjiciat; 2 *Thess.* I, 8. & cœcus cœcum ducem sequens, pariter cadat in foveam; M*atth.* xv, 14. quomodò hæresis censebitur innoxia; quæ ipsi fidei, sapientiæ salutari, cultui Divino, & novæ creaturæ tam directe adversatur?

XXXVII. *Quær.* An hæretici, ut sic, extremo supplicio per Magistratum afficiendi sint? *Resp.* Neg. Quia non subest in simplici hæresi causa sufficiens in ordine ad Politiam, cur talis ac tanta pœna illis infligenda

genda esset: non magis quam in animi profanitate, superbiâ, odio, avaritiâ, &c. Atque hoc, ut contra *Pontificios*, eorumque inquisitionem, & sanguinaria edicta, vivicomburia, &c. asserimus: sic eâdem operâ *Remonstrantes*, *Libertinos*, & similes refellimus; qui nostræ Theologiæ hæreticidium impingunt. Fatemur interim, si ad hæresin accedant blasphemiæ contra Deum, seductiones aliorum ad idololatriam vel errores exitiales, tranquillitatis publicæ turbatio insignis, nec per mitiora coërceri potuerint, Magistratum Politicum tandem etiam ad capitale supplicium progredi posse: tanquam gloriæ Divinæ vindicem, & utriusque tabulæ Legis custodem: *Deut.* XVII, 19. XIII, 5. *Rom.* XIII, 4. 1 *Tim.* II, 2.

Obj. Matth. XIII, 29, 30, *Ne colligendo zizania, eradicetis simul cum eis triticum. Sinite utraque simul crescere usque ad messem*; &c. *Resp.* Fatemur ante diem extremi judicii non posse omnia omninò scandala ex Ecclesia instituta tolli per separationem & ejectionem: hoc tamen non obstat, quô minùs Ecclesiastica disciplina in scandalis satis manifestis exerceatur, sine periculo eradicandi tritici. Similiter etiam Magistratus Politicus, ut alios facinorosos certe punire potest; sic tales quoque pro re nata: neque magis quam istis, patrocinatur sententia illa parabolica hæreticis blasphemis, seductoribus, & turbatoribus.

XXXVIII. *Odium adversus Deum* sæpe memoratur in SS. Literis: utpote *Exod.* XX, 5, *in tertiam & quartam* generationem *eorum qui oderunt me. Num.* X, 35. *Dispergantur inimici tui; & fugiant odio habentes te, à facie tuâ! Joh.* XV, 18, 24, 25. *Rom.* I, 30. *Dei osores*, cum VIII, 7. *Quoniàm quod sapit caro, inimicitia* est *adversùs Deum: Legi enim Dei non subjicitur: nam ne potest quidem.* Et juxta postremum illum textum, aliosque parallelos recte Catechesis nostra, qu. 5. *Naturâ propensùs*

sum

sum ad odium Dei & proximi Idque obſervandum contra *Libertinos* & *Remonſtrantes*.

Obj. Deus non poteſt odio haberi ab homine; cum ſit, ipſum ſummum bonum. *Reſp. Iſto argumento* probatur quidem, Deum non debere odio haberi; ſed debere amari: non verò Deum non poſſe odio haberi. Impii certe Deum non conſiderant, ut ſummum bonum, vel ſaltem non ut ipſis ſummum bonum: ſed ut adverſarium iſtarum voluptatum, aliorumque peccatorum, quibus ipſi unice delectantur; & ut juſtum judicem, ipſis malum, dum pro malis turpibus iis retribuit mala triſtia: de quo *Pſal*. XVIII, 27. *Cum mundo mundus eris, & cum perverſo perverſe agis*. Adde v, 5, 6, 7. Dum verò ſic Deus obverſatur menti & conſcientiæ ipſorum: nihil mirum eſt illos Deo adverſari, eum odiſſe, horreſcere, blaſphemare.

XXXIX. *Falſa gratiarum actio* eſt, quæ pro gratiarum actione habetur, vel obtruditur: neque eſt tamen: utpote apud P*ontificios Salutatio Angelica*, de quâ *Job. Chapeaville* in Elucidatione Catechiſmi Romani, part. 4. qu. 6. concl. 3. „*Inter omnes gratiarum* „*actiones facile primum locum tenet Angelica ſalutatio*, „*Luc*. 1. *Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum, bene-* „*dicte tu in mulieribus*. Illis enim verbis, ſecundum com- „munem Patrum expoſitionem, Deum ſummis & „habendis laudibus, & gratiis agendis celebramus, „quod Sanctiſſimam Virginem omni cœleſtium do- „norum munere cumulavit; ipſique Virgini ſingula- „rem illam gratulamur felicitatem. &c. *Sed* 1. cum ipſi *ſalutationem* recte appellent, ſicut etiam diſerte appellatur *Luc*. 1, 29. & quidem ſit ſalutatio Angeli ad Mariam; falſo & abſurde habetur pro gratiarum actione erga Deum. Salutatio enim eſt exoptatio ſalutis ad hominem; atq; adeo ſpecies quędam precationis, qua ſalutem & proſperitatem à Deo precamur homini, quem ſalutamus.

2. In eâ non dirigitur sermo ad Deum, quod fieri deberet in gratiarum actione erga Deum: sed ad ipsam Mariam.

3. Maria in cœlis modo triumphans, tali prosperitatis apprecatione prorsus non eget, imo ea in ipsam injuria est.

4. Qualiscunque illa Mariæ invocatio est idololatrica. Vide sup. th. 21, 22.

XL. Non *orandum* pro mortuis: pie enim defuncti, beati cœlites, intercessione nostra non egent: neque in tali statu sunt, ut sic vel mala ab ipsis averti, vel bona iis per nos impetrari possint, aut debeant: unde nec exemplum ullum talis intercessionis comparet in SS. Literis: contra *Pontificios*.

Obj. 2 *Maccab.* XII, 44, 46. *Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos Iudas speraret, superfluum videretur & vanum, orare pro mortuis. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis solvantur. Resp.* 1. Apocryphus est iste locus, ac prorsus invalidus probare aliquid ad fidem moresque vivendi pertinens. 2. Conceptæ fuerunt preces, & oblata sacrificia, secundum istam œconomiam; ne ira Dei ulterius exardesceret, pluresve anathematis causa consumeret. Confer *Deut.* XXI, 7, 8. cum VII, 25, 26. & *Jos.* VII, 11, 12. Neque enim pro mortuis ulla fuerunt instituta sacrificia. 3. Auctor istius libri ad defunctos retulit, errore judicii; dum scripsit non ut oportuit, sed ut potuit, rerum sacrarum non satis peritus, vinumque affuso liquore noxio vitians. Vide 2 *Maccab.* XV, 39, 40.

XLI. Errant *Brownistæ*, dum contendunt: *orationem Dominicam* regulam solum esse, à Christo nobis eo fine traditam, ut indicet, quæ, & quo ordine, petenda à Deo sint; non ut pro precatione ipsa usurpetur, vel precationis sit formula. Sed minimè ista pugnant, regulam esse & exemplar ad quod precationes nostræ faciendæ sint; ut oremus quemadmodum oportet;

oportet; atque interim esse etiam precationem. Errant nihilominus & *Pontificii*, in alterum extremum abeuntes, atque omnibus ferè occasionibus adhibentes eandem illam formulam: aut aliquoties eam per sphærulas suas precatorias; cum salutatione Angelicâ, superstitiose annumerantes. Quemadmodum *neque putandum* est, non constare aliam precationem sine illâ: vel omnibus precationibus illam necessariò adjugendam. Aliam esse mentem Servatoris, ex ipsius, ut & Apostolorum, aliorumque sanctorum praxi, quoties eorum precationes commemorantur, manifestissimum est.

XLII. In *exordio* Precationis Dominicæ *Patrem* appellantes, & quidem *nostrum*, Deum sic invocamus, ut paternam ejus bonitatem simul confiteamur. *Muhammedani* istam Dei appellationem nimis superbam, & blasphemiæ affinem, reputant perperàm: at verò sic 1. precatio nostra plurimum distat à precibus qualibuscunque infidelium, qui verum illum Deum vel prorsus ignorant, vel saltem ut Patrem suum in Filio & Spiritu S. invocare non possunt: *Gal.* IV, 7, 8, 9.

2. Filialis amor ac reverentia in animis nostris excitatur: *Mal.* 1. 6. 1 *Pet.* 1, 17.

3. Fiducia accenditur, etiam de precatione exaudienda: *Rom.* VIII, 15, 16, 17, 26, 27. *Matth.* VII, 11.

Malè iidem culpant petitionem secundam; *Veniat Regnum tuum*! quia Deus ubique sit, suâque providentiâ nunc & semper omnia gubernet: istud enim hîc præsupponimus: sed pro salutari ædificatione nostri, & Ecclesiæ universæ, atque in cœlestem & consummatam beatitudinem ac gloriam traductione, supplicamus.

XLIII. *Quarta petitione* pro hâc temporali vitâ, ejusque incolumitate & conservatione, ac rebus ei necessariis, precamur quoque: nam & ipsi huic vitæ suum constat pretium. *Eccl.* IX, 4. *Cuicunque consociato cum omnibus*

omnibus viventibus, est spes: nam canis vivus est melior leone mortuo. Proptereà sedulo debet observari: *Eph.* 5,16. *Redimentes opportunitatem, quoniam dies mali sunt.* Hoc tempus in futuram æternitatem influit; & prout benè maléve transactum fuerit, talis erit hominis in æternitate conditio. Hic vita vel acquiritur, vel amittitur. *Eccl.* XI, 3. 2 *Cor.* V, 10. *Rom.* 2, 4, 5, 6. *Gal.* VI, 10. 1 *Pet.* 1, 17. Nunc tempus est, quo Deum animo simul & corpore, cum Ecclesiâ militante, & ad hujus ædificationem, sic glorificare debemus & possumus, quemadmodum nobis incumbit. In morte ista eo fine ac modo fieri non possunt. *Ps.* VI, 6. *Quoniam non est in morte memoria Tui: in sepulchro quis confitebitur Tibi?* Confer XXX, 10. LXXXVIII, 12. CXV, 17. *Ies.* XXXVIII, 18. Unde etiam *Ps.* CXVIII, 17. *Non moriar; sed vivam: & narrabo opera Jah.* Paulus quidem statum spirituum consummatorum spectans, mortem sibi pro lucro reputavit, & cum Christo esse desideravit, quod hoc sibi foret melius; *Phil.* 1, 21, 23. verum considerans, quid in hâc vitâ, apud Ecclesiam militantem agere Posset, subjecit vers. 24, 25. *Sed permanere in carne, magis necessarium est propter vos. Et hoc confisus, novi me mansurum esse, & permansurum cum vobis omnibus, ad vestrum profectum & gaudium fidei.* Ideo Deus quoque promissiones hujus vitæ piis fecit; 1 *Tim.* IV, 8. *Eph.* VI, 2, 3. *Rom.* IV, 13. *Exod.* XX, 12. *Levit.* XXVI, 4, - 11. *Deut.* XXVIII, 1, - 14. Et similis est precatio Aguris. *Prov.* 30, 8. *Paupertatem & divitias ne dederis mihi: ale me cibo qui convenit mihi.* Itemque votum Jacobi, *Gen.* XXVIII, 20, 21. *Si fuerit Deus mecùm; - dederitque mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum; Reversus quoque fuero in pace ad domum patris mei; erit Iehovah mihi in Deum.*

Obj. 1. Necessaria ad hanc vitam & ejus vires petere, est βαττολογία & πολυλογία illa Gentilium, quam Christus damnavit; *Matth.* VI, 7. *Resp.* Neg. Istud enim peccatum

peccatum non est in re, quæ petitur, sed in modo orandi: dùm precationis valor constituitur in prolixitate, & frequenti atque inani ejusdem sermonis repetitione. Confer 1 *Reg.* XVIII, 82. *Jes.* 1, 15.

Obj. 2. Christus eodem capite *vers.* 25, prohibuit, ne soliciti simus animæ, id est vitæ nostræ, quid manducemus; & corpori nostro, quid induamus; tum etiàm de crastino, *vers.* 34. Ergo. *Resp.* Non tamen omnem vitæ curam prohibuit; quæ alibi disertè præcipitur; ut *Eph* IV, 28. V, 29. 2 *Thess.* III, 8, - 12. 1 *Tim.* V, 8. sed solicitudinem nimis anxiam, cum desidentia erga Deum, & dispendio rerum spiritualium, conjunctam.

Obj. 3. Promisit item *vers.* 33. quærentibus primo regnum Dei & justitiam ejus, ista omnia esse adjicienda: Ergo. *Resp.* Non tamen promisit adjicienda, sine omni nostro labore, curâ, oratione: nedùm prohibuerit quærere & precari temporalem necessitatem, post ea quæ spectant ad regnum Dei & justitiam ejus.

Obj. 4. Precibus nostris ea petimus, quæ in nostra potestate non sunt: Ergo non rectè alimenta. *Resp.* Ubi nos laboramus nostro modo, benedictione Divina prorsus indigemus, ut rem faciamus; atque istam benedictionem rectè precamur: *Psal.* CXXVII, 1, 2. *Si Jehovah non ædificet domum, frustra laborant ædificantes eam: Si Jehovah non custodiat civitatem, frustra vigilat custos. Frustrà vobis est maturantibus surgere, tardantibus sedere, edentibus panem dolorum,* &c. Nihil igitur ex arte nobis dabimus, nisi Deus artem, & victum ad artem dederit: imo & ex victû virium conservationem ac restaurationem à Deo dari necesse est. Pro omnibus istis acceptis Deo agendæ sunt gratæ. *Deut.* VIII, 10. *Rom.* XIV, 6. 1 *Tim.* IV, 3, 4. atque adeo pro accipiendis preces quoque dicendæ.

XLIV. Eorum, qui aliter interpretantur; alii de pane Eucharistico exponunt; alii panem Verbi Divini, vel ipsum Christum, intelligunt. Sed Eucharistia

tunc

tunc nondùm nota, aut instituta fuit; panem verò prorsùs ignotum petere, Christus nequaquam docuit. Obscurius quoque fuisset, si panem Verbi Divini, vel scipsum intellectum voluisset Christus τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον appellando; nec ulla voce addita, undè ista metaphora posset intelligi: imò & restrictio σήμερον, *Matth.* VI, 11. ei adversatur. Rectius Discipuli, cum de pane spirituali, ipso Christo, ageretur, *Joh.* VI, 34. *Domine, da nobis semper panem istum!*

Non nemo τὸν ἐπιούσιον *venturum* interpretatur, ac si esset τὸν ἐπιόντα; qui scil. ultimo tempore venturus est, in die judicii: ut intelligatur ipse Christus, panis noster, qui tunc venturus est, ut cum eo & in eo resurgamus, virtute corporis ipsius, quod hic in Eucharistiâ sumimus: sed ista tunc fuerunt obscuriora, quam ut sic Discipulis proponi debuerint, neque pro tam brevi formulâ satis distincta à petitione, *Veniat regnum tuum*! Et quid tum sibi vult restrictio σήμερον, vel καθ' ἡμέραν?

Neque istam expositionem probat, quod dicitur Euangelium à *Matthæo* scriptum Hebraïcè, non Græcè; ejus authenticum exemplar servatum fuisse apud Nazaræos & Ebionitas; atque in eo *Hieronymum* legisse, לֶחֶם מָחָר: istæ enim hypotheses à vero alienæ sunt; nec evincunt id quod intenditur.

XLV. Remissio, quæ nobis tribuitur *petitione quintâ*, iracundiæ & vindictæ privatæ adversatur; non autem justitiæ punitivæ publicæ. Respectus verò, quem nostra remissio habet ad Divinam, 1. non dicit utriusque paritatem; sed qualemcunque similitudinem analogicam: omnis enim actio Divina infinite perfectior est actione nostra: & remissio Dei est remissio propriè dicta, & quidem Rectoris absolutè supremi, quæ non fit nisi intercedente satisfactione; nostra verò est impropriè dicta, privatorum utcunque læsorum; quæ satisfactionem minimè requirit.

2. Remissio nostra non est causa antecedens procatarctica remissionis Divinæ; sed effectus ex ea consequens: fides enim salvifica statim in nobis ponit justificationem, atque in eâ Divinam remissionem erga nos terminatam; deinde charitatem erga Deum & proximum imperat; ex hâc resultat nostra remissio erga proximum nostrum. *Luc.* VII, 47, 48, 50. *Dico tibi, remissa esse multa illa peccata ipsius; nam dilexit multum: cui autem paulum remittitur, paululum diligit. Dixit autem ei,* Remissa *sunt tibi peccata.-Fides tua te servavit.* Col. III, 13. *Sufferentes alii alios, & condonantes vobis mutuo, si quis adversus aliquem habuerit querelam: sicut & Christus condonavit vobis, ita & vos.* Sic nostra remissio erga proximum, sequitur remissionem Christi erga nos; & conformatur utcunque ad istud exemplar gratiæ ac misericordiæ nobis factæ. Non est igitur, quod *Muhammedani* istam petitionem carpant, tanquam injuriam Divinæ Majestati; cui nos regulam aliquam ex facto nostro vellemus præscribere.

3. Justificatio, & sic remissio peccatorum nostrorum, simul & semel peragitur, cum primum credere incipimus fide salvificâ; sed ejus applicatio perceptibilis & consolatoria super peccatis identidem commissis, atque adeò ejus sensus in conscientia nostra, quoties praxin fidei ac resipiscentiæ super peccatis illis iteramus, atque ita Deum precamur, iteratur sæpissimè; simulque fit executio quædam istius sententiæ, quatenus actû etiam liberamur ab afflictionibus, quæ istorum peccatorum causâ nobis vel immitti cœperunt, vel immittendæ alioqui fuissent. Ista sententiæ judicialis modò latæ applicatio ad sensum conscientiæ nostræ, ejusdemque executio liberatoria à quibusdam afflictionibus, sequitur quidem actum charitatis & remissionis nostræ erga proximum: sed actus ille noster nullo modo est antecedens causa procatarctica justificationis, aut remissionis Divinæ erga nos: cujus

non

non est alia istiusmodi causa; nisi justitia Christi pro nobis præstita, quæ satisfactionem & meritum ipsius complectitur; fides verò instrumenti rationem habet ad accipiendam unionem & communionem cum Christo, qui nobis factus est justitia à Deo. Imo nec ulla alia opera nostra verè bona, quocunque modo præcedunt justificationem ac remissionem Divinam ergà nos; cum fide posteriora sint, & successivè fiant; justificatio verò; utpotè actus judicialis, relativam duntaxat mutationem nostri inferens, in momento peragatur. Malè igitur; post *Pontificios* & *Socinianos*, etiam *Remonstrantes*, ex hac petitione, aliisque similibus locis, colligunt, bona opera ad justificationem consequendam necessaria esse, necessitate si non efficientiæ, saltem præsentiæ: imo istiusmodi locutiones, *Nisi remiseritis hominibus offensas ipsorum, Pater etiam vester non remittet vobis offensas vestras*, volunt, manifestam conditionem in se continere, quæ conditio, ut causa sine quâ non, efficientiam aliquam necessario in conceptu suo involvat. Fatemur quidem, juxta *Matth.* VI, 15, XVIII, 35. alicujus non-remittere, tanquam peccatum omissionis, causam esse cur ipse puniatur sine remissione; sed non contra sequitur, nostrum remittere esse antecedentem causam justificationis nostræ coram Deo.

XLV. Doxologia, *Quia tuum est regnum, & potentia & gloria in sæcula*, exstat *Matth.* VI, 13. in exemplaribus Græcis vetustissimis & probatissimis; atque in Versionibus Syriacâ, Persicâ, Æthiopicâ: & consentanea est similibus doxologiis, *Apoc.* IV, 11, V, 12, 13. 14. Nec rejicienda est, aut omittenda, 1. quod eam non habeat Vulgata vers. Latina: quæ nihil derogat editioni authenticæ.

Neque 2. quod Lucas eam non expresserit: sæpiùs enim accidit, ut quod in uno Scriptore sacro prætermissum, vel admodum breviter propositum est, id ex alio debeat suppleri,

Neque 3. auctoritas Ecclesiæ Romanæ urgeri debet adversùs editionem authenticam; & Ecclesiam Græcam quæ istam sequitur.

XLVI. Precibus aliquando adjungitur *Jejunium*; spontanea ac pia abstinentia à cibo & potû, ad tempus suscepta, ut ista ratione indignitatem nostram humiles coram Deo declaremus, lascivientem carnem malis subigamus, & ad preces aliaque religionis exercitia meliùs comparemur, Vide 1 *Sam.* VII, 6: 2, III, 35. XII, 16. *Joël.* 2, 15. *Jon*, III, 7. *Matth.* VI, 16, 17, 18. *Luc.* 2, 37. *Act.* XIII, 3. XIV, 23. 1 *Cor.* VII, 5. IX, 25. 26, 27. Sed perperam à P*ontificiis* constituitur in discrimine ciborum; quod vere superstitiosum est, & SS. Literis contrarium. 1 *Cor.* X, 25, 26. *Quicquid in macello venditur, edite: nihil discriminantes propter conscientiam. Domini enim est terra & plenitudo ejus.* *Col.* 2, 16, 17. *Nequis igitur vos damnet ob cibum, vel potum*, &c. 20.-23. *Quid, ut viventes in mundo, placitis adstringimini: Ne esitaris, neq; tetigeris? Quæ omnia sunt* comparata *ipso usu ad corruptionem*,-. 1 *Tim.* IV, 3, 4, 5. apostatis, ac deceptoribus, qui doctrinas Dæmoniorum sectantur, tribuitur, quod jubeant *abstinere à cibis, quos Deus condidit, ad participandum cum gratiarum actione, fidelibus, & iis qui norunt veritatem. Nam quicquid condidit Deus, bonum* est; *nec quicquam rejiciendum est, si cū gratiarum actione sumatur. Sanctificatur enim per verbum Dei, & preces.* Vide etiam *Rom.* XIV. 3, 4, 6, 14, 17, 20. *Tit*, 1, 15. *Matth.* XV, 11.

Ex quibus colligi possunt ista argumenta: 1. Discrimen ciborum, quod sub V. T. obtinuit per ipsius Dei Legem cerimonialem, jam sub N. T. est abrogatum; atque adeò libertati Christianæ contrarium. Multô minus arbitratû humano nunc aliud discrimen ei surrogandum est.

2. Deus omnium ciborum, quos condidit, fidelibus suis jam sub N. T. liberum usum ordinavit; sed cum sanctificatione & gratiarum actione conjunctum. Contraria

traria igitur prohibitio huic Divinæ ordinationi, & ſanctificationi, adverſatur.

3. Quæ idolis erant immolata, ſi in macello venderentur, liberâ conſcientiâ potuerunt comedi, propter illam ordinationem Dei, qui eſt omnium Dominus. Multô minùs circa quaſlibet carnes conſcientiæ debent gravari, aut ligari.

4. Contraria ſententia nititur tantum placitis hominum, gratiam Novi Teſtamenti ignorantium, vel ei adverſantium; ipſo usû comparata eſt ad corruptionem, inanem duntaxat ſpeciem ſapientiæ & humilitatis habet; eſt apoſtatarum, ac deceptorum, qui doctrinas dæmoniorum ſectantur, & hypocritarum falſiloquorum, quorum conſcientia cauterio reſecta eſt: ac proindè ea non debet tolerari in Eccleſiâ Chriſtianâ.

XLVII. *Obj.* In V. T. piè obſervata fuit diſtinctio ciborum, & ſic jejunatum, à Daniele & ſociis ejus, Eliſæo & filiis Prophetarum, itemque à Rechabitis. Ergò. *Reſp.* 1. *Daniel* & ſocii ejus, *cap.* 1, 8, 12. &c. non diſtinxerunt cibos ex humano placito, multô minùs in iſta diſtinctione jejunium conſtituerunt: ſed piè decreverunt non pollui cibis de menſa regis Ethnici allatis, ſecundùm Legem cerimonialem, quæ tunc obtinuit.

2. Idem *Daniel*, ubi viſionibus Propheticis eſſet intentus, & ſpeciatim viſionis cujuſdam de rebus gravibus, & ad Eccleſiam Dei quoque ſpectantibus, intelligentiam quæreret, de ſe teſtatur, x, 2, 3. *Lugebam tribus hebdomadibus dierum. Panem deſideriorum non comedi; nec caro, nec vinum, introierunt in os meum: nec ungendo unctus ſum, donec complerentur tres hebdomades dierum.* Sic quia humiliatio illa diuturnior fuit, quam ut perfecto jejunio tranſigi potuiſſet naturaliter, inſigni frugalitate & ſobrietate fuit traducta; abſtinentia à pane deſiderabili, carne, vino, & unguento: longè aliter, quam apud *Pontificios* agi ſolet; ubi panis præſtantiſſimus, piſces

ſces delicatiſſimi, cum oleo quantivis pretii, aliiſque bellariis, & ferculis opiparis, comeduntur tempore jejunii, quod vocant; in refectionem ſcilicet: neque iſtud per liquidum, etiam vinum generoſiſſimum, ſolvi putatur. Daniel certè non minus à pane deſiderabili, & à vino, abſtinuit; quam à carne: neque inter aquatilium carnes, & carnes volatilium atque terreſtrium animalium, diſcreviſſe putandus eſt; quaſi illarum eſus minùs obſtaret jejunio, quam harum. Vide *Levit.* XI, 8, 11. 1 *Cor.* XV, 39.

3. *Eliſæus*, 2 *Reg.* IV, 38, 39. filios prophetarum ramis ſylveſtribus & amaris pavit; non jejunii aut religionis, ſed penuriæ causâ.

4. *Rechabitæ* ab uſu vini perpetuo abſtinuerunt, imo nec vites plantârunt, neque ſementem fecerunt, neque domos ædificârunt, *Jerem.* XXXV, 6, - 10. non religionis gratiâ; ſed ut præcepto patris ſui parerent, qui ſingularem frugalitatem iis mandavit. Sic ergo ab uſu vini abſtinuerunt; ſed nihil de eorum abſtinentia à carnibus, aut opinione jejunii in tali diſtinctione ciborum.

Obj. 2. Simile eſt exemplum Johannis Baptiſtæ; *Matth.* 3, 4. Et Paulus abſtinentiam à quibuſdam cibis docuit, *Rom.* 14, 21. 1 *Cor.* 8, 12, 13. itemque Synodus Hieroſolymitana; *Act.* 15, 2, 20, 21, 28, 29. *Reſp.* 1. *Joh. Baptiſta* locuſtis & melle agreſti victitavit; *Matth.* 3, 4. quod in extraordinario illo præcone pœnitentiæ, altero Eliâ & Meſſiæ prodromo, ſingularis quidem frugalitatis fuit; ſed nihil indè confici poteſt pro lege Eccleſiaſticâ eſum carnium prohibente, piſces interim præſtantiſſimos, aliaque bellaria delicata & pretioſa permittente, & quidem opinione jejunii.

2. Paulus, *Rom.* XIV, 21. ratione charitatis perindè abſtinendum docet ab omnibus, quibus proximus eſſet offendendus; ac ſimiliter 1 *Cor.* VIII, 12, 13. quod prorſus ad jejunium non pertinet.

3. In

3. In Synodo Apostolorum & Seniorum Ecclesiæ Hierosolymitanæ, decretum, ut ex Gentilismo conversi abstinerent etiam à suffocato & sanguine; quod eorum esus recens ex Judaïsmo conversos valde offenderet; *Act.* XV, 2, 20, 21, 28, 29. ac proindè istud decretum fuit temporarium, usquedum libertas Christiana satis esset promulgata & confirmata. Sed nec indè colligi potest quicquam pro distinctione ciborum, quæ sub Papatu obtinet, etiam sine ullâ ratione scandali, & in qua jejunium istic constitui solet.

XLVIII. Interim jejunium humiliationis signum est, & quoddam adminiculum. *Joel.* II, 12. *Convertimini ad me, toto corde vestro, & in jejunio, & fletû, & planctû.* Sed pro cultu Divino, aut ejus parte per se, absurdè habetur à P*ontificiis*; cum ejus reverâ eadem sit ratio, quæ fletus ac planctus. Id confirmatur his rationibus: 1. Est exercitatio corporalis; atque adeo per se adiaphora, seu mediæ conditionis: disertè enim Apostolus, 1 *Tim.* IV, 8. *Exercitatio corporalis ad pauca utilis est*: quia videl. ad cultum spiritualem ordinari, atque ita per accidens prodesse potest suo modo; cum ipsa *pietas ad omnia* sit *utilis, ut quæ promissionem habeat vitæ præsentis ac futuræ.* Atque iterum de istiusmodi rebus, *Col* II, 23. *Quæ rationem quidem habent sapientiæ, in eo quod corpori non parcant*: *nec* tamen *ullius* sunt *pretii*: cum *ad ea* spectent, *quibus farcitur caro*: ad cibum scil. & ad potum. Nec non 1 *Cor.* VIII, 8. *Esca nos non commendat Deo*: &c. Confer VI, 13. *Escæ ventri* destinatæ sunt, *& venter escis*: *Deus autem & hunc & has adolebit.*

2. Alia omnino est conditio status nostri spiritualis, ac proindè & cultus: *Rom.* XIV, 17, 18. *Non enim est regnum Dei esca & potus; sed justitia, & pax, & gaudium per Spiritum Sanctum.* His autem subservire debent instrumenta nostra corporalia: XII, 1, 2. *Adhortor igitur vos, ut sistatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, pla-*

centem Deo; rationalem illum cultum vestrum. - Transformate vos per renovationem mentis vestræ, ad hoc ut probetis quæ sit voluntas Dei, bona illa, placens, ac perfecta. Quod ergo per se rationale non est, & sic voluntati Divinæ conformatum; ac sanctum, id per se cultus Divinus esse non potest. Hoc exigit natura Dei: *Ioh.* IV, 24. *Deus est spiritus: & qui adorant eum: oportet ut spiritu ac veritate adorent.* Quemadmodum etiam imago Dei propriè consistit in dotibus spiritualibus: *Col.* III, 10, *Eph.* IV, 24.

3. Ipsi Hypocritæ frequenter jejunant: atque eorum jejunia seriò perstringuntur: quod autem hypocritis commune est, & in iis reprehenditur, id per se non est cultus Divinus. Sic *Jes.* LVIII, 4, 5. *Eccè ad litem & contentionem jejunatis; & ut percutiatis pugno impiè. Ne jejunetis* posthàc, *sicut hodiè*; &c. *Zach*, 7, 5. *Cum jejunâstis & planxistis in quinto* mense & *septimo, idque jam septuaginta annis, nunquid jejunium jejunâstis propter Me?* Ipse hypocrita ille Pharisæus, *Luc.* 18, 12. *jejuno bis hebdomale.* Et Salvator, id genus homines spectans; *Matth.* VI, 16. *Cum autem jejunatis, ne estote ut hypocritæ, tetrico vultu*, &c.

4. Propterea etiam Salvator discipulos suos jejunia omittentes, cum litem iis moverent discipuli Johannis, defendit; & rebus lætis ista non convenire, docuit, *Matth.* 9, 15, 16, 17. *Num possunt filii thalami lugere, quamdiu cum eis est sponsus? Aderunt autem dies, cum tolletur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt. Nullus autem indit panniculum novum in vestimentum vetus*, &c. Non igitur omni tempori, sed tempori luctus tantum, convenit jejunium: alias omitti rectè potest. Unde manifestum est, non esse per se cultum Dei; sed effectum & signum luctûs, qui etiam ipse per se cultus Dei non est.

Obj. Joël. II, 15. *Sanctificate jejunium.* Ergò. *Resp.* Nego consequentiam: Similiter enim præcipitur versibus

ſibus proximè ſequentibus, congregatio populi egreſsùs ſponſi de cubili ſuo & ſponſæ de thalamo ſuo, ploratus ſacerdotum, &c. quæ tamen per ſe cultum Dei non conſtituunt; ſed ejus adjuncta & adminicula ſunt; atque hoc nomine præcipiuntur.

XLIX. Verùm abſurditatem iſtam ſuperat alia eorundem P*ontificiorum* abſurditas, quâ ſtatuunt, jejunia, & alia quædam iſtiuſmodi, eſſe opera pœnalia ſatisfactoria pro peccatis, in ordine ad juſtitiam Dei punitivam; atque inſuper meritoria apud Deum. Sed de hâc alibi.

Nec libertati Chriſtianæ, & rationi jejuniorum ab ipſo Chriſto expoſitæ *Matth.* IX, 15, 16, 17. conveniunt jejunia ordinaria abſoluta & perpetua; ac potiſſimum ſi ea ſint valdè frequentia. Male igitur in Papiſmo, & quidem Papiſtice obſervanda, urgentur jejunia feriæ ſextæ, vel etiam quartæ; nec non quatuor temporum, in primâ ſcil. hebdomada Quadrageſimæ, in hebdomadâ Pentecoſtes, in tertiâ hebdomadâ Septembris, atque iterum in tertiâ hebdomadâ Decembris; itemque jejunium Quadrageſimale, prætenſa etiam inſtitutione Apoſtolicâ, ſed falſo, præter & contra SS- Literas, ac veram antiquitatem Eccleſiaſticam.

Objiciunt 1. Exempla *Moſis*, *Eliæ*, & ipſius *Chriſti*, pro jejunio ſuo Quadrageſimali. *Reſp.* Sed iſta omnino diſſimilia ſunt, cum ille bis, hi ſemel tot dies jejunaverint, ſpeciali de causâ, & quidem miraculose, abſque ullo cibo: *Pontificii* vero ſuum Quadrageſimale quotannis iterent, & ciborum diſcriminatione celebrent.

Obj. 2. Dies purim, de quibus *Eſth.* IX, 17. & ſeqq. fuerunt iſtius conditionis. Ergô. *Reſp.* Illi dies non fuerunt jejunii, ſed feſtivitatis, in memoriam tantæ liberationis per ſupplicationem & jejunium Divinitus acceptæ: & quidem inſtituti ſub V. T. à reginâ Eſtherâ, & Mordechæo, ad illuſtrem quoque digni-

tatem evecto; ex auctoritate politica, juxta officium gratitudinis erga Deum, & commemorationis beneficiorum ejus: si non Spiritû prophetico; atque ita ab universo populo libenter recepti. Consequenter ex illis non possunt colligi jejunia ordinaria & perpetua, sub N. T. lege Ecclesiastica, aut à Papâ Romano, omnibus gentibus obtrudenda, vel obtrusa.

Obj. 3. Jejunia quædam à Judæis celebrata fuerunt sub captivitate Babylonicâ. Ergò. *Resp.* sed illi dies deinde, sublata ista causâ, fuerunt conversi in festivos, edicente ipso Deo, *Zach.* VIII: 19. Undè nullò pacto colligi possunt stata jejunia in perpetuum observanda, & quidem sub N. T.

Obj. 4. Christus prædixit, & docuit habenda ejusmodi jejunia; *Matth.* IX. 15. Ergo. *Resp.* Istìc prædicitur quidem fore, ut Christiani urgente necessitate jejunent: sed nihil indè sequitur pro ordinariis & perpetuis jejuniis, & quidem Papisticè servandis.

L. Vitiatur etiam precatio per inanem eorundem verborum repetitionem; quasi ea, propter iterationem istiusmodi ac prolixitatem, futura esset efficacior, Deoque grata, & exaudienda. Per istam βαττολογίαν καὶ πολυλογίαν non posse gratiam impetrari, 1. satis declaravit Deus sub V. T. *Jes.* 1, 15.

2. Et Christus in N. T. *Matth.* VI, 7.

3. Tales homines faciunt se similes Gentilibus, verâ Dei cognitione ac fide destitutis: *Matth.* VI, 7, 8.

4. Accedit ratio: frustra scil. adhibentur frequentes illæ repetitiones, & diuturni clamores sine mente; quia Deus satis novit quibus egeamus, & paratus est necessaria dare omnibus serio petentibus secundum voluntatem ipsius; *Matth.* VI, 8. *Joh.* XVI: 26, 27. 1 *Joh.* V, 14, 15.

Rejicienda igitur *Pontificiorum* Rosaria, aut Sphærulæ precatoriæ, per quas ad numerum recitantur orationes, atque indè major earum præsumitur effica-

cia. Itemque boatû Monachorum in templis; cum quibus conferendi clamores Baalitarum, 1 *Reg.* XVIII, 26, 27, 28.

LI. Sequitur *Votum*, Religiosa pollicitatio rei alicujus Deo gratæ, in ejus gloriam præstandæ; vel etiàm rei ingratæ, similiter omittendæ.

Hunc actum religionis soli Deo deferendum, satis evidenter docent SS. Literæ: *Ps.* lxxvi, 12. *Vovete, & reddite Jehovæ Deo vestro.* Vide etiam *Num.* xxx, 2, 3, *Deut.* XXIII; 21, 23. *Psal.* l, 14, CXVI, 14. *Ies.* XIX, 21.

2. Accedunt exempla Sanctorum; utpotè Jacobi, *Gen.* XXVIII, 20, 21, 22.

3. Quia in voto inest religiosa invocatio, quæ soli Deo debetur.

4. Quia vovendum est ei soli, à quo omnia bona nos oportet expectare, cui pro beneficiis acceptis debemus gratias agere, qui intimè animum nostrum cognoscit, deque omnibus nostris judicare potest; ut cuique ad rem ipsam attendenti satis manifestum est; hæc autem omnia soli Deo conveniunt.

LII. Vota fieri debent de faciendis iis, quæ Deo placent; aut omittendis, quæ displicent. Deo autem placere intelliguntur, tùm quę ipse præcepit in specie; tùm etiàm talis usus rerum aliàs indifferentium, qualis ratione circumstantiarum ad gloriam Dei, nostramque & aliorum ædificationem salutemque, conducit. Vide *Gen.* XXVIII, 21, 22. Quale sub V. T. deberet esse votum Nazaræatus; ipse Deus expressit *Num.* VI, 1, -21. De aliis item votis, quid, & quomodò sibi placeret, exposuit *Levit.* XXVII, 2, -14. atque alibi: imò & specialia nonnulla, quæ displicerent, indicavit, *Levit.* XXII, 23 *Deut.* XXIII, 18. Quemadmodùm verò in universo cultu Divino improbanda est ἐθελοθρησκεία, sic etiàm in Votis. Vide *Deut.* XII, 8. *Ies.* XXIX, 13. *Matth.* XV, 9. *Col.* 2, 23.

Hujusmodi sunt *Vota Papistica* de suscipiendâ peregrina-

grinatione religionis ergò, de processione sacrâ, &c. & speciatim *Monastica*, & perpetuo cœlibatû, spontataneâ paupertate, & cœcâ obedientiâ ergâ superiores suos ac regulas Monasticas. Sed 1. S. Scriptura vitam illam Monasticam nec mandat, nec docet.

2. Opinionem de Satisfactionibus ac Meritis propriis, & Perfectione etiam superogatoriâ, qui Monachorum Papalium scopus est, Euangelium refellit validissime; dum in solo Christo justitiam quærendam, ac fide apprehendendam, proponit.

3. Neque Consilia Divina à Præceptis differunt realiter. Vide sup. cap. 8. th. 32.

4. In specie: *a*. Paupertatem nusquam ut bonum morale, pluribus vero locis malum triste, proponit S. Pagina: *Prov.* VI, 11. XXX. 8, 9. *Act.* XX, 35. 2 *Cor.* VIII, 9. Hoc autem nemo sibi ultrò debet arcessere, sed Divinitus immissum patienter ac sapienter ferre: 2 *Cor.* XI, 26, 27. *Phil.* IV. 11, 12. Confer *Math.* XIX, 20, &c.

β. Cœlibatum non nisi donum continentiæ habentibus, ac pro ratione temporum, & respectû necessitatis, commendat: 1 *Cor.* VII, 7, 9, 26, 28, 32, 37. *Luc.* 23, 28, 29. *Hebr.* 13, 4. 1 *Tim.* 4, 1, 2, 3, III, 2, 4, 5.

γ. Et probationem eorum, quæ per homines præcipiuntur, ac de iis judicium decretionis, requirit, Deoque semper magis obediendum, quàm hominibus, inculcat: 1 *Thess.* V, 21. 1 *Ioh.* IV, 1. 1 *Cor.* X, 15. *Act.* IV, 19, V. 29.

LIII. *Sociniani* existimant, Christum in N. T. auxisse *decem* illa *præcepta*, ac perfectiora reddidisse: speciatim autem *primo* adjecisse, 1. præceptum generale, de precibus Deo faciendis: 2. formulam orationis Dominicæ; & 3. præceptum de adorando etiam Christo.

Verum *primo* sub V. T. fuit eadem obligatio ad preces Deo faciendas super omni necessitate, juxta volun-

voluntatem ipsius tunc quoque revelatam: sic enim

1. Ipse Deus, *Ps.* L, 15. *Invocante in die angustiæ: eruam te; & honorificabis me.* XCI, 15. *Invocabit me; & exaudiam eum, &c.* Adde, XCV, 6. *Jes.* LV, 6. Imò etiam, *Deut.* VI, 13. *Jehovam Deum tuum timebis, & ipsum coles;* quam sententiam Servator expressit hoc modo, *Matth.* IV, 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles,*

2. Universa doctrina de sacrificiis Deo offerendis, hanc veritatem innuit etiàm satis apertè: quis enim dubitat, preces sacrificiis adjungi debuisse, atque istas suffitû sacro propterea fuisse adumbratas? Vide Iob XLII, 8, 9, 10. *Psal.* CXLI, 2. Confer *Luc.* I, 10. *Act.* III, 1.

3. Accedit praxis fidelium; utpotè *Danielis*, etiam contra gravissimam Regis prohibitionem; VI, 11, 12. Adeo ut istius exercitii omissio habita fuerit pro notâ summæ impietatis; *Psal.* XIV, 4,

4. Imo etiam Gentiles hoc officium agnoverunt utcunque, & alii idololatræ, ac superstitiosi; qui preces quoque usurpârunt, secundùm conscientiam voluntatis Divinæ: quanto autem magis hoc de populo Dei, & fœderatis fidelibus, agnoscendum est?

LIV. *Secundo*, Formula orationis Dominicæ 1. non constituit novum aliquod præceptum; sed est medium à Christo propositum, quo nos in praxi precum (quam à nobis postulat primum Decalogi præceptum) juvaremur ac dirigeremur.

2. Singulæ etiam particulæ istius orationis satis aperte fuerunt comprehensæ ac propositæ scriptis V. T. Exordium quidem in locis, *Ies.* lXIII, 16. *Tu enim Pater noster es, &c. Mal.* I. 6. *Quod si Pater ego sum, ubi est honor mei? Ies.* lXVI, 1. *Sic dixit Iehovah, Cœlum est solium meum, &c.*

Petitio prima similiter, *Psal.* VIII, 2. *Iehovah Domine noster, quam grande est nomen tuum in universa terrâ: qui posuisti gloriam tuam super cœlos!* Adde, CXV, 1.

Secun-

Secunda; *Psal.* II, 6. *Ego constitui Regem meum super Tzionem montem sanctum meum.* Adde, lxxii, 1. 7. li, 20. lxxiv. 2.

Tertia; *Psal.* cxliii, 10. *Doce me facere voluntatem Tuam; quia Tu es Deus meus: Spiritus Tuus bonus deducat me in terrâ rectâ.* xxv, 4, 5.

Quarta; *Prov.* xxx, 8. *Ale me cibo qui convenit mihi, Gen.* xxviii, 20, 21.

Quinta; *Psal.* xxv, 11. *Propter nomen tuum Iehovah, parce iniquitati meæ: quoniam multa est.* li, 3, 4.

Sexta item; *Ps.* xix, 14. *Etiam à superbiis prohibe servum Tuum, ne dominentur mihi: tunc perfectus ero, & mundus ero à prævaricatione magnâ.* cxix, 36, 37.

Ac tandem Conclusio; 1 *Chron.* xxix, 11. *Tibi, ô Iehovah, est magnificentia, & potentia*, & *gloria*, & *decor: cuncta enim, quæ in cœlo sunt & in terrâ*; tua sunt. *Tuum est, ô Jehovah regnum, & exaltatio super omnes* qui sunt *in caput. Psal.* xli, 14. *Benedictus Jehovah Deus Israëlis sæculo*, & *usque in sæculum. Amen & Amen.*

LV. Neque *tertio* illud de adorando Christo censeri debet per ipsum primo Decalogi præcepto adjectum sub N. T. cum 1. ipse sit idem æternus & verus Deus cum Patre ac Spiritu Sancto, eâdemque religione semper colendus.

2. Propterea etiam scriptum est, *Psal.* 2, 12. *Osculamini Filium, ne fortè irascatur. - Beati omnes qui sperant in eo.* Et xcvii, 7. *Incurvate vos Ei, omnes Dii*, cum *Hebr.* 1, 6. *Rursum autem, quùm inducit* Primogenitum *in orbem terrarum, dicit; Et adorent Eum omnes Angeli Dei.* Sic adorationem Filii ex illo V. T. loco allegavit Apostolus. Adde *Gen.* xlviii, 16.

3. In N. T. perstringitur idololatria Gentilium tali argumento. *Rom.* 1, 25. quod *venerati sint & coluerint res conditas, præterito Creatore, qui est benedictus in sæcula.* Ac similiter, *Gal.* iv, 8. *Imò tum quidem ignorantes*

Deum,

Deum, serviebatis iis, qui naturâ non sunt Dii. At si tunc obtinuisset sententia *Sociniſtica*, quam proclive fuisset Gentilibus regerere; Quid in eo absurdi; cum etiam vos Christiani veneremini & colatis Christum, ex novo quodam ipsius præcepto, qui tamen res condita est, non Deus naturâ, nec olim adoratus, aut adorari jussus?

LVI. *Imagines* in *ſecundo Decalogi præcepto* spectantur ut media, quibus homines sibi Deum externè conantur repræsentare, & mentem in ipsum dirigere.

Quæritur autem, An liceat in talem usum conficere imagines ipsius Dei; & porrò confectas ejusmodi imagines sic retinere & usurpare? Nos negativam tenemus adversùs *Pontificios*, quorum contraria est sententia ac praxis; dùm variis modis Deum, & S. Trinitatem pingunt, & fingunt; potissimùm verò Deum Patrem in formâ hominis senis, triplici coronâ, ac deinceps reliquo Papali amictû vestiti; Filium in forma viri juvenis, aut agni vexilliferi; Spiritum Sanctum verò in formâ columbæ.

Opponimus hæc *Argumenta*; 1. Ista imaginum & simulachrorum ipsius Dei ac personarum Divinarum formatio prorsùs adversatur naturæ Divinæ spirituali, simplicissimæ, & infinitæ; in quâ non est visibilitas, nec lineamenta, eorumve ductus ac terminatio, aut extensio ulla, nec ulli limites; adeò ut prorsùs sit ineffigiabilis. Consequenter per istiusmodi imagines non verè repræsentatur verus Deus; sed falsum & fallax Deitatis signum absurdè exhibetur. Hinc *Jerem.* x, 14, 15. *Mendacium est conflatile ejus; -Vanitas sunt,* &c. *Hab.* 2, 18. *Conflatile, & quod docet mendacium*

2. Reprehenditur istiusmodi simulachrorum effictio, tanquam absurda, & in Deum injuria: *Jes.* xl, 18. *Cui igitur assimilabitis Deum? Et quam similitudinem disponetis ei?* Et de ipsis Gentilibus; *Rom.* I, 22, 23, 25. *Cum se dictitent sapientes, stulti facti sunt. Mutârunt enim*

gloriam

gloriam incorruptibilis Dei in simulachrum imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum &c.

3. Prohibetur severissimè, ipsis verbis secundi praecepti, *Exod.* XX,4,5. *Deut.* V,8,9. *Non facies tibi sculptile, neque ullam similitudinem eorum quae sunt in caelo sursum,* &c. Itemque *Deut.* IV,15,16. *Cavete ergò diligenter animabus vestris: Ne fortè corrumpatis* vias vestras, *& faciatis vobis sculptile*, aut *imaginem ullius simulachri, &c.* 23. 24. *Cavete vobis, ne forte obliviscamini pacti Jehovae Dei vestri, & faciatis vobis sculptile*, aut *imaginem cujuscunque rei; Nam Jehovah Deus tuus ignis consumens est, Deus zelotes.*

LVII. *Obj.* 1. Homo à Deo conditus est ad ipsius imaginem: ergò rectè conficitur imago Dei ad similitudinem hominis. *Resp.* Nego consequentiam: nam 1. imago ista propriè constitit in dotibus ac perfectionibus spiritualibus; quae imagine corporeâ exprimi non possunt. 2. Retorqueo argumentum: cum enim tot homines existant in mundo, ac tot hominum imagines, jam frustra impenduntur tanti labores & sumtus conficiendis peculiaribus imaginibus Dei.

Obj. 2. Deus aliquoties visibili aliquo signo se conspiciendum praebuit: ergo. *Resp.* Deus quidem interdum aliquo symbolo praesentiam suam extraordinariam, respectu extraordinariae alicujus operationis ac revelationis, demonstravit: utpotè in rubo ardente, specie columbae, &c. non vero essentiam suam tali imagine repraesentavit, aut repraesentandam docuit: sed contrarium ipse docuit, *Deut.* IV,15,16 & alibi.

Obj. 3. Virtutes & vitia, aliaque istiusmodi, quin & Angeli, imagine exhiberi possunt: ergo. *Resp.* Imo eorum operationes solum signo hieroglyphico utcunque repraesentantur; verum ipsae essentiae sic non exprimuntur. Quicquid autem in Deo est, per ipsius simplicitatem est ipse Deus: atque id, quo Deus est, & à creaturis distinctus, tale est, ut nullo simulachro possit exprimi.

Obj. 4.

Obj. 4. In meditationibus de Deo, & orationibus ad ipsum, Deum nobis repræsentamus imagine mentali: ergò. *Resp.* Non est necessum, imo nec licitum, Deum concipi ut corporeum, vel aliter finitum; atq; ita simulachrum aliquod Dei in mente nostrâ confici: is enim non foret verus conceptus veri Dei; sed conceptus alicujus creaturæ, loco veri Dei; atque adeò conceptus idololatricus. Neque tamen omnino nihil concipimus, qui foret conceptus atheisticus. Sed formamus de Deo conceptùs plures inadæquatos; quemadmodum apprehensivè, non comprehensivè, ipsum cognoscimus. Sic ergò concipimus veram substantiam spiritualem, suâ perfectione omnes creaturas prorsus & infinitè transcendentem.

LVIII. Sed neque confectæ ejusmodi imagines sic usurpari debent, nec asservari in talem usum: ita enim 1. continuatur atque augetur peccatum in prima earum confectione inchoatum.

2. Istâ usurpatione peccatur formaliter adversus ἐμφατικώτατα hujus Præcepti verba; *Non incurvabis te eis, neque coles ea*; *Exod.* XX, 5.

3. In detestationem idololatriæ, Deus instrumenta ejus propria destrui mandavit aliquoties: inter alia *Deut.* VII, 25, 26.

Atque ita 4. cum laude refertur de Rege Hizkijahu, 2 *Reg.* XVIII, 4. *Ipse sustulit excelsa, & contrivit statuas, & succidit lucum: confregitque serpentem æreum, quem fecerat Mose; quia usque ad dies illos filii Israëlis suffiebant ei: & vocavit eum Nehustan.*

LIX. Ad *Imagines creaturarum* quòd attinet non omnem earum formationem aut confectionem omnino illicitam vel prohibitam dicimus: nec absolutè vetitas artes εἰκαστικάς; quibus rerum corporearum externa aspectabilis forma exprimitur & repræsentatur, vel operationes & effecta quædam aliarum etiam rerum symbolicè adumbrantur: Deus enim quosdam istis

quoque artibus instruxisse dicitur, *Exod.* xxxi, 2,-6. xxxv, 30,-35. Atque in Tabernaculo, ac deindè etjam in Templo, ex prescripto ipsius Dei confectę fuerunt quaedam imagines Cherubinorum, palmarum, florum, &c. Sed illicitas & prohibitas dicimus imagines creaturarum, eo fine & modo, ut in iis, aut per eas, ipsum cultûs religiosi objectum utcunque repraesentaretur, & sic ad eas cultus religiosus praestaretur. Hoc autem patet, 1. ex verbis praecepti; *Non facies tibi sculptile, neque ullam similitudinem*, &c. *Non incurvabis te eis, neque coles ea*; *Exod.* xx, 4, 5.

2. Simile est interdictum, *Deut.* iv, 16, 17, 18. *Ne forte corrumpatis* vias vestras, &c.

Atque iterum 3. *Levit.* xxvi, 1. *Non facietis vobis idola, & sculptile, & statuam non erigetis vobis; neque lapidem pictum ponetis in terrâ vestra: ut incurvetis vos ei*: Ego *enim Iehovah Deus vester.*

Obj. Imagines Cherubinorum, aliaeque, fuerunt in Tabernaculo, & in Templo V. T. Ergo. *Resp.* Illae imagines ipsum objectum cultus religiosi nullo modo repraesentârunt; neque in iis & per eas Deo, aut sanctis quibusdam creaturis, cultus religiosus deferri debuit; imo nec secundum Dei praescriptum potuit. Sed pro ratione cultus istius oeconomici, pluriumque institutorum cerimonialium, per eas symbolicè aliquid adumbratum fuit, ad Angelorum functiones, & ad majestatis ac gloriae Divinae indicium qualecunque, spectans: quod ipsum etiam in N. T, locum habere non debet, ubi cultum oportet esse magis spiritualem, sublatis omnibus istiusmodi typis ac symbolis.

LX. Prorsus igitur illicitus censeri debet talis imaginum usus, ut quis se coram iis prosterneret, eas amplexaretur, deoscularetur, &c. quamvis eâ mente ut non in ipsis, sed in earum exemplari vel archetypo, universus cultus religiosus terminaretur. Obstant enim 1. posteriora illa verba secundi praecepti, *Non incurvabis te eis, neque coles ea*; *Exod.* xx, 5. 2. Quo-

2. Quoniam earum confectio in istum usum prohibita est; (ut modo probatum;) multo magis ipse talis earum usus censeri debet prohibitus.

3. Deus omnem cultus religiosi communicationem ad aliud qualecunque objectum, præter se, districtè prohibuit; utpotè nolens gloriam suam alteri dari zelotes, & ignis consumens, *Jes.* xlii, 8. xlviii, 11. *Exod.* xx, 5, *Deut.* v, 9. iv, 24.

4. Magis etiam nunc sub N. T. talis usus adversatur cultui spirituali, qualem sub hâc œconomiâ esse oportet.

Exc. Ex hominum socordiâ oritur necessitas devotionis per ejusmodi adminicula excitandæ & promovendæ, *Resp.* Sed nos non decet arbitratu proprio adminicula istiusmodi fingere; nedùm à Deo diserte prohibita: quin & ipse Deus objecta & adminicula satis multa ac varia nobis suppeditavit, quæ occasionem præbent majestatem ipsius meditandi & prædicandi, quæque nos ad ipsius cultum & honorem debent incitare: minus autem veniendum ad ea, quæ ulterioris etiam idololatriæ proclivem occasionem præbere possunt & solent.

Multo etiam magis censeri debet illicita confectio & usus imaginum in ordine ad falsa numina, aut qualiacunque objecta cultus religiosi præter unum verum Deum; quatenus videlicet istæ imagines adminicula forent, aut symbola, talis cultus idololatrici: quoniam enim omnis ejusmodi cultus illicitus est, adminicula ad ipsum proprie ordinata non possunt esse licita. Et quemadmodum ipse ille cultus primò Decalogi præcepto adversatur; sic talis imaginum confectio & usus ad illum cultum; secundò præcepto repugnat. Hoc autem ad imagines humanæ naturæ Christi; & Sanctorum, in Papatu quoque applicatum volumus.

LXI. Sed neque imagines Christi; & Sanctorum; in templis aut oratoriis Christianorum haberi debent

dum, quod Christus *secundum praeceptum* auxerit addito mandato de cavendis idolis, eorumque locis, ut & idolothytis. Nam 1. de idolis fugiendis satis aperta & emphatica est prohibitio. Exod XXIII,13. *In omnibus, quae dixi vobis, cauti eritis. Neque nomen Deorum aliorum memorabitis: non audietur in ore tuo.* Imò & ratio huic secundo praecepto adjecta; *Ego enim Iehovah Deus tuus, zelotes, &c.* Atque item exemplum, *Psal.* XVI, 4. Nec non promissio. *Hos.* 2, 17.

Similiter etiàm 2. de instrumentis & locis cultui idolorum appropriatis; ut ea confringantur, vel etiam diruantur, ad tollendam occasionem seductionis, & in detestationem idololatriae: *Deut.* VII, 25, 26. XII, 2, 3. Confer factum Patriarchę Jacobi & familiarium ejus, *Gen.* XXXV, 2, 4. Atque item exemplum Regis Hiskijahu, 2 *Reg.* XVIII, 4.

Quantum verò attinet 3. ad Idolothyta, quatenùs subesset conscientia idoli, aut participatio aliqua idololatriae, sic ea etiàm sub V. T. fuisse prohibita & illicita, satis patet ex historiâ, *Num.* XXV, 1, 2, 3. *Coepit populus fornicari cum filiabus Moab. Et vocaverunt populum ad sacrificia Deorum suorum: comeditque populus.* Undè etiàm Apostolus argumentum petit, 1 *Cor.* X, 7, 8. *Ne igitur idololatrae fiatis, sicut quidam eorum, &c.* Adde exemplum Davidis, *Psal.* XVI, 4.

Obj. In N. T. dicitur, 1 *Joh.* V, 21. *Filioli, cavete ab idolis.* itemque 1 *Cor.* X, 14. *Dilecti mei, fugite ab idololatria.* Et idolothyta, quamvis in se non illicita manducari, prohibentur tamen 1 *Cor.* VIII. & X. *Resp.* Scil. quandò & quatenùs in iis foret participatio aliqua idololatriae, aut metus seductionis ad eam. Verum ista non sunt nova praecepta; sed antiqua, sub N. T. repetita, & ad praesentes occasiones applicata.

Inst. Novo Test. proprium est, quod dicitur 1 *Cor.* 8, 10, 11. *Etenim si quis viderit te, illâ cognitione praeditum, in idoleio accumbere, nonne conscientia ipsius qui infirmus*

firmus est, instruetur ad edendum ea quæ sunt idolis mactata? Et tuâ istâ cognitione frater ille infirmus, propter quem Christus est mortuus, peribit? Resp. Ista ratio à dilectione proximo debitâ, atque itâ ex posteriore Legis tabulâ, desumta est, sed novum additamentum ad secundum Decalogi præceptum nullo modo constituit; aut probat: ut neque mortis Christi mentio in præterito tempore.

LXIV. Sed & contra *Pontificios* tenendum, *Secundum* illud *præceptum* à *primo* verè distinctum esse: cum in *primo* prohibeantur falsa objecta terminantia cultus religiosi; & vel objecti agnitio & cultus conveniens præcipiatur: in *secundo* vero prohibeantur modi, ac media, absurdè ab hominibus excogitata, confecta, & adhibita ad cultum Dei; simulque præcipiatur modus Deum colendi ab ipso institutus. Consequenter, *secundum* istud *præceptum* nullo modo omittendum est, tanquam supervacaneum: quod frequenter faciunt Adversarii, ad occultandam enormem illam idololatriæ suæ speciem: neque pro appendicè solùm, aut declaratione *primi præcepti*, habendum.

XLV. *Sociniani tertio præcepto* duo per Christum pro N. T. adjecta statuunt; 1. ne leviter vel temere juremus. 2. quod etiam per nomen ipsius Christi jurare liceat. Sed quantum attinet ad prius; 1. Adversarii prorsus non possunt probare, sub V. T. juramenta temeraria, quâvis de causâ, & in vitâ quotidianâ, fuisse licita: neque enim id colligi potest ex reprehensione & correctione Christi, *Matth.* v, 33, - 37. quæ solum adversus praxin & perversa glossemata Pharisæorum & Scribarum institutæ sunt.

2. Diserte in *tertio præcepto* prohibetur omnis usurpatio nominis Divini vana aut temeraria: at certe juramentum temerarium, est temeraria nominis Divini usurpatio.

3. Scopus præcepti procul dubio est, prohibere

tatem evecto; ex auctoritate politica, juxta officium gratitudinis erga Deum, & commemorationis beneficiorum ejus: si non Spiritû prophetico; atque ita ab universo populo libenter recepti. Consequenter ex illis non possunt colligi jejunia ordinaria & perpetua, sub N. T. lege Ecclesiastica, aut à Papâ Romano, omnibus gentibus obtrudenda, vel obtrusa.

Obj, 3. Jejunia quædam à Judæis celebrata fuerunt sub captivitate Babylonicâ. Ergò. *Resp*. sed illi dies deinde, sublata ista causâ, fuerunt conversi in festivos, edicente ipso Deo, *Zach*. VIII: 19. Undè nullo pacto colligi possunt stata jejunia in perpetuum observanda, & quidem sub N. T.

Obj. 4. Christus prædixit, & docuit habenda ejusmodi jejunia; *Matth*. IX. 15. Ergo. *Resp*. Istìc prædicitur quidem fore, ut Christiani urgente necessitate jejunent: sed nihil indè sequitur pro ordinariis & perpetuis jejuniis, & quidem Papisticè servandis.

L. Vitiatur etiam precatio per inanem eorundem verborum repetitionem; quasi ea, propter iterationem istiusmodi ac prolixitatem, futura esset efficacior, Deoque grata, & exaudienda. Per istam βαττολογίαν καὶ πολυλογίαν non posse gratiam impetrari, 1. satis declaravit Deus sub V. T. *Jes*. 1, 15.

2. Et Christus in N. T. *Matth*. VI, 7.

3. Tales homines faciunt se similes Gentilibus, verâ Dei cognitione ac fide destitutis: *Matth*. VI, 7, 8.

4. Accedit ratio: frustra scil. adhibentur frequentes illæ repetitiones, & diuturni clamores sine mente; quia Deus satis novit quibus egeamus, & paratus est necessaria dare omnibus serio petentibus secundum voluntatem ipsius; *Matth*. VI, 8. *Joh*. XVI: 26, 27. 1 *Joh*. V, 14, 15.

Rejicienda igitur *Pontificiorum* Rosaria, aut Sphærulæ precatoriæ, per quas ad numerum recitantur orationes, atque indè major earum præsumitur effica-

cia. Itemque boatû Monachorum in templis; cum quibus conferendi clamores Baalitarum, 1 *Reg.* XVIII, 26, 27, 28.

LI. Sequitur *Votum*, Religiosa pollicitatio rei alicujus Deo gratæ, in ejus gloriam præstandæ; vel etiàm rei ingratæ, similiter omittendæ.

Hunc actum religionis soli Deo deferendum, satis evidenter docent SS. Literæ: *Ps.* LXXVI, 12. *Vovete, & reddite Jehovæ Deo vestro.* Vide etiam *Num.* XXX, 2, 3, *Deut.* XXIII; 21, 23. *Psal.* L, 14, CXVI, 14. *Ies.* XIX, 21.

2. Accedunt exempla Sanctorum; utpotè Jacobi, *Gen.* XXVIII, 20, 21, 22.

3. Quia in voto inest religiosa invocatio, quæ soli Deo debetur.

4. Quia vovendum est ei soli, à quo omnia bona nos oportet expectare, cui pro beneficiis acceptis debemus gratias agere, cui intimè animum nostrum cognoscit, deque omnibus nostris judicare potest; ut cuique ad rem ipsam attendenti satis manifestum est; hæc autem omnia soli Deo conveniunt.

LII. Vota fieri debent de faciendis iis, quæ Deo placent; aut omittendis, quæ displicent. Deo autem placere intelliguntur, tùm quæ ipse præcepit in specie; tùm etiàm talis usus rerum aliàs indifferentium, qualis ratione circumstantiarum ad gloriam Dei, nostramque & aliorum ædificationem salutem, conducit. Vide *Gen.* XXVIII, 20, 22. Quale sub V. T. deberet esse votum Nazaræatus; ipse Deus expressit *Num.* VI, 1, -21. De aliis item votis, quid, & quomodò sibi placeret, exposuit *Levit.* XXVII, 2, -14. atque alibi: imò & specialia nonnulla, quæ displicerent, indicavit, *Levit.* XXII, 23 *Deut.* XXIII, 18. Quemadmodùm verò in universo cultû Divino improbanda est ἐθελοθρησκεία, sic etiàm in Votis. Vide *Deut.* XII, 8. *Ies.* XXIX, 13. *Matth.* XV, 9. *Col.* 2, 23.

Hujusmodi sunt *Vota Papistica* de suscipiendâ peregrina-

grinatione religionis ergò, de processione sacrâ, &c. & speciatim *Monastica*, & perpetuo cœlibatû, spontaneâ paupertate, & cœcâ obedientiâ ergâ superiores suos ac regulas Monasticas. Sed 1. S. Scriptura vitam illam Monasticam nec mandat, nec docet.

2. Opinionem de Satisfactionibus ac Meritis propriis, & Perfectione etiam superogatoriâ, qui Monachorum Papalium scopus est, Euangelium refellit validissime; dum in solo Christo justitiam quærendam, ac fide apprehendendam, proponit.

3. Neque Consilia Divina à Præceptis differunt realiter. Vide sup. cap. 8. th. 32.

4. In specie: *a*. Paupertatem nusquam ut bonum morale, pluribus vero locis malum triste, proponit S. Pagina: *Prov.* VI, 11. XXX. 8, 9. *Act.* XX, 35. 2 *Cor.* VIII, 9. Hoc autem nemo sibi ultrò debet arcessere, sed Divinitus immissum patienter ac sapienter ferre: 2 *Cor.* XI, 26, 27. *Phil.* IV. 11, 12. Confer *Math.* XIX, 20, &c.

β. Cœlibatum non nisi donum continentiæ habentibus, ac pro ratione temporum, & respectû necessitatis, commendat: 1 *Cor.* VII, 7, 9, 26, 28, 32, 37. *Luc.* 23, 28, 29. *Hebr.* 13, 4. 1 *Tim.* 4, 1, 2, 3, III, 2, 4, 5.

γ. Et probationem eorum, quæ per homines præcipiuntur, ac de iis judicium decretionis, requirit, Deoque semper magis obediendum, quàm hominibus, inculcat: 1 *Thess.* V, 21. 1 *Ioh.* IV, 1. 1 *Cor.* X, 15. *Act.* IV, 19, V. 29.

LIII. *Sociniani* existimant, Christum in N. T. auxisse *decem* illa *præcepta*, ac perfectiora reddidisse: speciatim autem *primo* adjecisse, 1. præceptum generale, de precibus Deo faciendis: 2. formulam orationis Dominicæ; & 3. præceptum de adorando etiam Christo.

Verum *primo* sub V. T. fuit eadem obligatio ad preces Deo faciendas super omni necessitate, juxta

volun-

voluntatem ipsius tunc quoque revelatam: sic enim

1. Ipse Deus, *Ps.* L, 15. *Invocante in die angustiæ: eruam te; & honorificabis me.* XCI, 15. *Invocabit me; & exaudiam eum, &c.* Adde, XCV, 6. *Jes.* LV, 6. Imò etiam, *Deut.* VI, 13. *Jehovam Deum tuum timebis, & ipsum coles;* quam sententiam Servator expressit hoc modo, *Matth.* IV, 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles,*

2. Universa doctrina de sacrificiis Deo offerendis, hanc veritatem innuit etiàm satis apertè: quis enim dubitat, preces sacrificiis adjungi debuisse, atque istas suffitû sacro propterea fuisse adumbratas? Vide *Iob* XLII, 8, 9, 10. *Psal.* CXLI, 2. Confer *Luc.* I, 10. *Act.* III, 1.

3. Accedit praxis fidelium; utpotè *Danielis*, etiam contra gravissimam Regis prohibitionem; VI, 11, 12. Adeo ut istius exercitii omissio habita fuerit pro notâ summæ impietatis; *Psal.* XIV, 4,

4. Imo etiam Gentiles hoc officium agnoverunt utcunque, & alii idololatræ, ac superstitiosi; qui preces quoque usurpârunt, secundùm conscientiam voluntatis Divinæ: quanto autem magis hoc de populo Dei, & fœderatis fidelibus, agnoscendum est?

LIV. *Secundo,* Formula orationis Dominicæ 1. non constituit novum aliquod præceptum; sed est medium à Christo propositum, quo nos in praxi precum (quam à nobis postulat primum Decalogi præceptum) juvaremur ac dirigeremur.

2. Singulæ etiam particulæ istius orationis satis aperte fuerunt comprehensæ ac propositæ scriptis V. T. Exordium quidem in locis, *Ies.* LXIII, 16. *Tu enim Pater noster es, &c. Mal.* I. 6. *Quod si Pater ego sum, ubi est honor mei? Ies.* LXVI, 1. *Sic dixit Iehovah, Cœlum est solium meum, &c.*

Petitio prima similiter, *Psal.* VIII, 2. *Iehovah Domine noster, quam grande est nomen tuum in universa terrâ: qui posuisti gloriam tuam super cœlos!* Adde, CXV, 1.

Secunda; *Psal.* II, 6. *Ego constitui Regem meum super Tzionem montem sanctum meum.* Adde, lxxii, 1. 7. li, 20. lxxiv, 2.

Tertia; *Psal.* cxliii, 10. *Doce me facere voluntatem Tuam; quia Tu es Deus meus: Spiritus Tuus bonus deducat me in terrâ rectâ.* xxv, 4, 5.

Quarta; *Prov.* xxx, 8. *Ale me cibo qui convenit mihi,* *Gen.* xxviii, 20, 21.

Quinta; *Psal.* xxv, 11. *Propter nomen tuum Iehovah, parce iniquitati meæ: quoniam multa est.* li, 3, 4.

Sexta item; *Ps.* xix, 14. *Etiàm à superbiis prohibe servum Tuum, ne dominentur mihi: tunc perfectus ero, & mundus ero à prævaricatione magnâ.* cxix, 36, 37.

Ac tandem Conclusio; 1 *Chron.* xxix, 11. *Tibi, ô Iehovah, est magnificentia, & potentia*, & *gloria*, & *decor: cuncta enim, quæ in cœlo sunt & in terrâ;* tua sunt. *Tuum est, ô Jehovah regnum, & exaltatio super omnes* qui sunt *in caput.* *Psal.* xli, 14. *Benedictus Jehovah Deus Israëlis sæculo*, & *usque in sæculum. Amen & Amen.*

LV. Neque *tertio* illud de adorando Christo censeri debet per ipsum primo Decalogi præcepto adjectum sub N. T. cum 1. ipse sit idem æternus & verus Deus cum Patre ac Spiritu Sancto, eâdemque religione semper colendus.

2. Propterea etiam scriptum est, *Psal.* 2, 12. *Osculamini Filium, ne fortè irascatur. - Beati omnes qui sperant in eo.* Et xcvii, 7. *Incurvate vos Ei, omnes Dii*, cum *Hebr.* 1, 6. *Rursum autem, cùm inducit* Primogenitum *in orbem terrarum, dicit; Et adorent Eum omnes Angeli Dei.* Sic adorationem Filii ex illo V. T. loco allegavit Apostolus. Adde *Gen.* xlviii, 16.

3. In N. T. perstringitur idololatria Gentilium tali argumento. *Rom.* 1, 25. quod *venerati sint & coluerint res conditas, præterito Creatore, qui est benedictus in sæcula.* Ac similiter, *Gal.* iv, 8. *Imò tum quidem ignorantes*

Deum,

Deum, serviebatis iis, qui naturâ non sunt Dii. At si tunc obtinuisset sententia *Sociniſtica*, quam proclive fuisset Gentilibus regerere; Quid in eo absurdi; cum etiam vos Christiani veneremini & colatis Christum, ex novo quodam ipsius præcepto, qui tamen res condita est, non Deus naturâ, nec olim adoratus, aut adorari jussus?

LVI. *Imagines* in *secundo Decalogi præcepto* spectantur ut media, quibus homines sibi Deum externè conantur repræsentare, & mentem in ipsum dirigere.

Quæritur autem, An liceat in talem usum conficere imagines ipsius Dei; & porrò confectas ejusmodi imagines sic retinere & usurpare? Nos negativam tenemus adversùs *Pontificios*, quorum contraria est sententia ac praxis; dùm variis modis Deum, & S. Trinitatem pingunt, & fingunt; potissimùm verò Deum Patrem in formâ hominis senis, triplici coronâ, ac deinceps reliquo Papali amictû vestiti; Filium in forma viri juvenis, aut agni vexilliferi; Spiritum Sanctum verò in formâ columbæ.

Opponimus hæc *Argumenta*; 1. Ista imaginum & simulachrorum ipsius Dei ac personarum Divinarum formatio prorsùs adversatur naturæ Divinæ spirituali, simplicissimæ, & infinitæ; in quâ non est visibilitas, nec lineamenta, eorumve ductus ac terminatio, aut extensio ulla, nec ulli limites; adeò ut prorsùs sit ineffigiabilis. Consequenter per istiusmodi imagines non verè repræsentatur verus Deus; sed falsum & fallax Deitatis signum absurdè exhibetur. Hinc *Jerem*. x, 14, 15. *Mendacium est conflatile ejus*; -*Vanitas sunt*, &c. *Hab*. 2, 18. *Conflatile, & quod docet mendacium*

2. Reprehenditur istiusmodi simulachrorum effictio, tanquam absurda, & in Deum injuria: *Jes*. xl, 18. *Cui igitur assimilabitis Deum? Et quam similitudinem disponetis ei?* Et de ipsis Gentilibus; R*om*. I, 22, 23, 25. *Cum se dictitent sapientes, stulti facti sunt. Mutârunt enim*

gloriam

gloriam incorruptibilis Dei in simulachrum imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum &c.

3. Prohibetur severissimè, ipsis verbis secundi præcepti, *Exod.* xx,4,5. *Deut.* v,8,9. *Non facies tibi sculptile, neque ullam similitudinem eorum quæ sunt in cœlo sursum,* &c. Itemque *Deut.* iv,15,16. *Cavete ergò diligenter animabus vestris: Ne fortè corrumpatis* vias vestras, *& faciatis vobis sculptile*, aut *imaginem ullius simulachri, &c.* 23. 24. *Cavete vobis, ne forte obliviscamini pacti Jehovæ Dei vestri, & faciatis vobis sculptile*, aut *imaginem cujuscunque rei*; *Nam Jehovah Deus tuus ignis consumens est, Deus zelotes.*

LVII. *Obj.* 1. Homo à Deo conditus est ad ipsius imaginem: ergò rectè conficitur imago Dei ad similitudinem hominis. *Resp.* Nego consequentiam: nam 1. imago ista propriè constitit in dotibus ac perfectionibus spiritualibus; quæ imagine corporeâ exprimi non possunt. 2. Retorqueo argumentum: cum enim tot homines existant in mundo, ac tot hominum imagines, jam frustra impenduntur tanti labores & sumtüs conficiendis peculiaribus imaginibus Dei.

Obj. 2. Deus aliquoties visibili aliquo signo se conspiciendum præbuit: ergo. *Resp.* Deus quidem interdum aliquo symbolo præsentiam suam extraordinariam, respectu extraordinariæ alicujus operationis ac revelationis, demonstravit: utpotè in rubo ardente, specie columbæ, &c. non vero essentiam suam tali imagine repræsentavit, aut repræsentandam docuit: sed contrarium ipse docuit, *Deut.* iv,15,16 & alibi.

Obj. 3. Virtutes & vitia, aliaque istiusmodi, quin & Angeli, imagine exhiberi possunt: ergo. *Resp.* Imo eorum operationes solum signo hieroglyphico utcunque repræsentantur; verum ipsæ essentiæ sic non exprimuntur. Quicquid autem in Deo est, per ipsius simplicitatem est ipse Deus: atque id, quo Deus est, & à creaturis distinctus, tale est, ut nullo simulachro possit exprimi.

Obj. 4.

*Obj.*4. In meditationibus de Deo, & orationibus ad ipsum, Deum nobis repræsentamus imagine mentali: ergò. *Resp.* Non est necessum, imo nec licitum, Deum concipi ut corporeum, vel aliter finitum; atq; ita simulachrum aliquod Dei in mente nostrâ confici: is enim non foret verus conceptus veri Dei; sed conceptus alicujus creaturæ, loco veri Dei; atque adeò conceptus idololatricus. Neque tamen omnino nihil concipimus, qui foret conceptus atheisticus. Sed formamus de Deo conceptùs plures inadæquatos; quemadmodum apprehensivè, non comprehensivè, ipsum cognoscimus. Sic ergò concipimus veram substantiam spiritualem, suâ perfectione omnes creaturas prorsus & infinitè transcendentem.

LVIII. Sed neque confectæ ejusmodi imagines sic usurpari debent, nec asservari in talem usum: ita enim 1. continuatur atque augetur peccatum in prima earum confectione inchoatum.

2. Istâ usurpatione peccatur formaliter adversus ἐμφατικώτατα hujus Præcepti verba; *Non incurvabis te eis, neque coles ea*; *Exod.*XX, 5.

3. In detestationem idololatriæ, Deus instrumenta ejus propria destrui mandavit aliquoties: inter alia *Deut.* VII, 25, 26.

Atque ita 4. cum laude refertur de Rege Hizkijahu, 2 *Reg.* XVIII, 4. *Ipse sustulit excelsa, & contrivit statuas, & succidit lucum: confregitque serpentem æreum, quem fecerat Mose; quia usque ad dies illos filii Israëlis suffiebant ei: & vocavit eum Nehustan.*

LIX. Ad *Imagines creaturarum* quod attinet non omnem earum formationem aut confectionem omnino illicitam vel prohibitam dicimus: nec absolutè vetitas artes εἰκαστικάς; quibus rerum corporearum externa aspectabilis forma exprimitur & repræsentatur, vel operationes & effecta quædam aliarum etiam rerum symbolicè adumbrantur: Deus enim quosdam istis

quoque artibus instruxisse dicitur, *Exod.* XXXI, 2, -6. XXXV, 30, -35. Atque in Tabernaculo, ac deindè etiam in Templo, ex prescripto ipsius Dei confectę fuerunt quædam imagines Cherubinorum, palmarum, florum, &c. Sed illicitas & prohibitas dicimus imagines creaturarum, eo fine & modo, ut in iis, aut per eas, ipsum cultûs religiosi objectum utcunque repræsentaretur, & sic ad eas cultus religiosus præstaretur. Hoc autem patet, 1. ex verbis præcepti; *Non facies tibi sculptile, neque ullam similitudinem,* &c. *Non incurvabis te eis, neque coles ea;* Exod. XX, 4, 5.

2. Simile est interdictum, *Deut.* IV, 16, 17, 18. *Ne forte corrumpatis* vias vestras, &c.

Atque iterum 3. *Levit.* XXVI, 1. *Non facietis vobis idola, & sculptile; & statuam non erigetis vobis; neque lapidem pictum ponetis in terrâ vestra: ut incurvetis vos ei: Ego enim Iehovah Deus vester.*

Obj. Imagines Cherubinorum, aliæque, fuerunt in Tabernaculo, & in Templo V. T. Ergo. *Resp.* Illæ imagines ipsum objectum cultus religiosi nullo modo repræsentârunt; neque in iis & per eas Deo, aut sanctis quibusdam creaturis, cultus religiosus deferri debuit; imo nec secundum Dei præscriptum potuit. Sed pro ratione cultus istius œconomici, pluriumque institutorum cerimonialium, per eas symbolicè aliquid adumbratum fuit, ad Angelorum functiones, & ad majestatis ac gloriæ Divinæ indicium qualecunque, spectans: quod ipsum etiam in N. T, locum habere non debet, ubi cultum oportet esse magis spiritualem, sublatis omnibus istiusmodi typis ac symbolis.

LX. Prorsus igitur illicitus censeri debet talis imaginum usus, ut quis se coram iis prosterneret, eas amplexaretur, deoscularetur, &c. quamvis eâ mente ut non in ipsis, sed in earum exemplari vel archetypo, universus cultus religiosus terminaretur. Obstant enim 1. posteriora illa verba secundi præcepti, *Non incurvabis te eis, neque coles ea;* Exod. XX, 5. 2. Quo-

2. Quoniam earum confectio in istum usum prohibita est; (ut modo probatum;) multo magis ipse talis earum usus censeri debet prohibitus.

3. Deus omnem cultus religiosi communicationem ad aliud qualecunque objectum, præter se, districtè prohibuit; utpotè nolens gloriam suam alteri dari zelotes, & ignis consumens, *Jes.* XLII, 8. XLVIII, 11. *Exod.* XX, 5, *Deut.* V, 9 - IV, 24.

4. Magis etiam nunc sub N. T. talis usus adversatur cultui spirituali, qualem sub hâc œconomiâ esse oportet.

Exc. Ex hominum socordiâ oritur necessitas devotionis per ejusmodi adminicula excitandæ & promovendæ, *Resp.* Sed nos non decet arbitratu proprio adminicula istiusmodi fingere; nedùm à Deo diserte prohibita: quin & ipse Deus objecta & adminicula satis multa ac varia nobis suppeditavit, quæ occasionem præbent majestatem ipsius meditandi & prædicandi, quæque nos ad ipsius cultum & honorem debent incitare: minus autem veniendum ad ea, quæ ulterioris etiam idololatriæ proclivem occasionem præbere possunt & solent.

Multo etiam magis censeri debet illicita confectio & usus imaginum in ordine ad falsa numina, aut qualiacunque objecta cultus religiosi præter unum verum Deum; quatenus videlicet istæ imagines adminicula forent, aut symbola, talis cultus idololatrici: quoniam enim omnis ejusmodi cultus illicitus est, adminicula ad ipsum proprie ordinata non possunt esse licita. Et quemadmodum ipse ille cultus primò Decalogi præcepto adversatur; sic talis imaginum confectio & usus ad illum cultum; secundò præcepto repugnat. Hoc autem ad imagines humanæ naturæ Christi; & Sanctorum, in Papatu quoque applicatum volumus.

LXI. Sed neque imagines Christi; & Sanctorum; in templis aut oratoriis Christianorum haberi debent

pro libris Laïcorum, quos vocant P*ontificii*: Deus enim 1. non ista media ad eorum instructionem ordinavit, sed Verbi sui lectionem & prædicationem, cum annexâ Sacramentorum administratione: *Ies.* VIII, 19, 20. *Luc.* XVI, 29. 2 *Petr.* 1, 19. *Matth.* XXVIII, 19, 20. 1 *Cor.* XI, 24, 25, 26. *Rom.* X, 8, 17. 1 *Cor.* 2, 1, 2. 2, V, 19. *Gal.* III, 1, 2.

2: Nec idonea sunt, ignorantes docere veritatem Divinam ac salutarem: *Psal.* CXV, 4, 5. *Simulacra eorum sunt argentum & aurum, opus manuum hominum. Os est eis; & non loquuntur.* Solo autem aspectû quis discernet Christum pictum, vel fictum, à Cajapha, aut Pilato? Petrum, à Judâ? &c.

3. Pontificiorum imagines, mendacia, vanitatem & superstitiones docere aut confirmare magis apta sunt. *Ierem.* X, 8, 14. *Hab.* 2, 18. *Zach.* X, 2. Facile ista apparent in Maria instar reginæ vestibus pretiosissimis ac diademate amictâ & exornatâ, in Petro externis clavibus instructo, in Paulo gladium gerente, &c. Ac potissimum in Divis chimæricis.

4. Gravissimum est periculum, ne homines ab usû historico ulteriùs procedant, ac tandem ad idololatriam prolabantur; ut in Papatu factum.

Propterea ne quidem approbamus usum historicum, & ornatum templorum per imagines, quem *Lutherani* prætendunt, & cujus gratiâ imagines conservari volunt: cum ornatus etiam talis simplicitati & spiritualitati œconomiæ N. T non conveniat; atque adeo Christiani in Ecclesia primitivâ eum nec habuerint, nec quæsiverint.

LXII. Succedit ἐθελοθρησκεία *in ordine ad Deum*; cultus scil. voluntarius, quem homo arbitratû proprio constituit, vel assumit & præstat, absque ipsius Dei mandato aut placito. De illa satis diserte, 1. *Col.* 2, 21. 23. *Quæ omnia sunt* comparata *ipso usu ad corruptionem, præscripta ex præceptis & doctrinis hominum: Quæ rationem*

nem quidem habent sapientiæ in cultu voluntario, & submissione animi, & in eo quod corpori non parcant, nec tamen ullius sunt pretii, cum *ad ea* spectent *quibus farcitur caro*. *Deut*.22, 8. *Non facietis juxta omnia quæ nos facimus hîc hodiè singuli quicquid rectũ* est *in oculis suis*. Confer 1*Sam*. 13,13. & 15,15,22. Sic *Matth*.15,9. ex *Jes*.29,13. *Frustra Me colunt, docentes doctrinas* quę sunt *præcepta hominũ*.

2. Contra vero postulat Deus, ut sua præcepta quam accuratissimè observentur, omissis moribus, & patrum institutis, & qualicunque hominum arbitrio proprio. *Ezech*.xx, 18, 19. I*n præceptis patrum vestrorum ne incedatis, & judicia eorum ne custodiatis*. - *Ego Jehovah Deus vester: in præceptis Meis ambulate, & judicia Mea custodite, & facite ea*. *Lev*.18,3,4. *Deut*.12,32. *Prov*. 30. 6.

3. Ipsius Dei ὑπεροχῇ, nostræque ab eo dependentiæ, ac debitæ subjectioni, consentaneum omnino est, ut ipse præscribat, quem & qualem sibi cultum à nobis præstari velit.

4. Mens hominis, ubi deserit normam à Deo præscriptam, vel eâ destituitur, malè judicat de officio suo, & non potest non exorbitare. P*rov*.14, 12, XVI, 25. *Est via recta coram viro, & novissimum ejus Viæ mortis*. *Joh*. 16. 2. I*mo veniet tempus, cum quisquis trucidabit vos, putabit* se *cultum præstare Deo*.

Hoc igitur nomine rejicienda sunt plurima, quę apud P*ontificios*, aliosque superstitiosos, magnam sanctitatis & devotionis laudem habere solent, & traditionum, vel institutorum Ecclesiasticorum, nomine commendari. Cujusmodi sunt vita monastica, horę canonicæ, litaniæ, peregrinationes & processiones religiosæ, flagellationes spontaneæ, nudipedalia, discrimina ciborum, templorum dedicationes & sumtuosa ornamenta, &c. quibus omnibus rectè applicantur, ista *Ies*.1, 12. *Quis quæsivit hoc de manu vestra? Ierem*, XIX, 5. *Quod non præcepi, nec locutus sum, nec ascendit super cor Meum*.

LXIII. Cum *Socinianis* hic etiam non est putandum,

dum, quod Christus *secundum præceptum* auxerit addito mandato de cavendis idolis, eorumque locis, ut & idolothytis. Nam 1. de idolis fugiendis satis aperta & emphatica est prohibitio. Exod XXIII, 13. *In omnibus, quæ dixi vobis, cauti eritis. Neque nomen Deorum aliorum memorabitis: non audietur in ore tuo.* Imò & ratio huic secundò præcepto adjecta; *Ego enim Iehovah Deus tuus, zelotes, &c.* Atque item exemplum, Psal. XVI, 4. Nec non promissio. Hos. 2, 17.

Similiter etiàm 2. de instrumentis & locis cultui idolorum appropriatis; ut ea confringantur, vel etiam diruantur, ad tollendam occasionem seductionis, & in detestationem idololatriæ: Deut. VII, 25, 26. XII, 2, 3. Confer factum Patriarchę Jacobi & familiarium ejus, Gen. XXXV, 2, 4. Atque item exemplum Regis Hiskijahu, 2 Reg. XVIII, 4.

Quantum verò attinet 3. ad Idolothyta, quatenùs subesset conscientia idoli, aut participatio aliqua idololatriæ, sic ea etiàm sub V. T. fuisse prohibita & illicita, satis patet ex historiâ, Num. XXV, 1, 2, 3. *Cœpit populus fornicari cum filiabus Moab. Et vocaverunt populum ad sacrificia Deorum suorum: comeditque populus.* Undè etiàm Apostolus argumentum petit, 1 Cor. X, 7, 8. *Ne igitur idololatræ fiatis, sicut quidam eorum, &c.* Adde exemplum Davidis, Psal. XVI, 4.

Obj. In N. T. dicitur, 1 Joh. V, 21. *Filioli, cavete ab idolis.* itemque 1 Cor. X, 14. *Dilecti mei, fugite ab idololatria.* Et idolothyta, quamvis in se non illicita manducari, prohibentur tamen 1 Cor. VIII. & X. *Resp.* Scil. quandò & quatenùs in iis foret participatio aliqua idololatriæ, aut metus seductionis ad eam. Verum ista non sunt nova præcepta; sed antiqua, sub N. T. repetita, & ad præsentes occasiones applicata.

Inst. Novo Test. proprium est, quod dicitur 1 Cor. 8, 10, 11. *Etenim si quis viderit te, illâ cognitione præditum, in idoleio accumbere, nonne conscientia ipsius qui infirmus*

firmus est, instruetur ad edendum ea quæ sunt idolis mactata? Et tuâ istâ cognitione frater ille infirmus, propter quem Christus est mortuus, peribit? Resp. Ista ratio à dilectione proximo debitâ, atque itâ ex posteriore Legis tabulâ, desumta est, sed novum additamentum ad secundum Decalogi præceptum nullo modo constituit; aut probat: ut neque mortis Christi mentio in præterito tempore.

LXIV. Sed & contra *Pontificios* tenendum, *Secundum* illud *præceptum* à *primo* verè distinctum esse: cum in *primo* prohibeantur falsa objecta terminantia cultus religiosi; & vel objecti agnitio & cultus conveniens præcipiatur: in *secundo* vero prohibeantur modi, ac media, absurdè ab hominibus excogitata, confecta, & adhibita ad cultum Dei; simulque præcipiatur modus Deum colendi ab ipso institutus. Consequenter, *secundum* istud *præceptum* nullo modo omittendum est, tanquam supervacaneum: quod frequenter faciunt Adversarii, ad occultandam enormem illam idololatriæ suæ speciem: neque pro appendicè solùm, aut declaratione *primi præcepti*, habendum.

XLV. *Sociniani tertio præcepto* duo per Christum pro N. T. adjecta statuunt; 1. ne leviter vel temere juremus. 2. quod etiam per nomen ipsius Christi jurare liceat. Sed quantum attinet ad prius; 1. Adversarii prorsus non possunt probare, sub V. T. juramenta temeraria, quâvis de causâ, & in vitâ quotidianâ, fuisse licita: neque enim id colligi potest ex reprehensione & correctione Christi, *Matth.* v, 33, - 37. quæ solum adversus praxin & perversa glossemata Pharisæorum & Scribarum institutæ sunt.

2. Diserte in *tertio præcepto* prohibetur omnis usurpatio nominis Divini vana aut temeraria: at certe juramentum temerarium, est temeraria nominis Divini usurpatio.

3. Scopus præcepti procul dubio est, prohibere

omnem profanationem nominis Divini; sed ea manifeste inest in juramento temerario.

4. Rationes, cur *Sociniani* existimant juramenta temeraria nunc sub N.T. esse prohibita & illicita, tales sunt, ut non debeant Novo Test. peculiares censeri; sed & Veteri communes: nimirum ut nomen Dei in summâ semper veneratione sit, & ne per malam ac levem jurandi consuetudinem homines ad perjuria prolabantur.

LXVI. Affinis est error *Anabaptistarum*, qui omnem juramenti usum sub N. T. illicitum & prohibitum putant, cum sub V. T. fuerit permissus & licitus. Nos autem hæc *Argumenta* opponimus; 1. Juramentum, ubi rectè usurpatur, in causa verâ, & satis gravi, cum sincerâ & humili reverentia Dei, ad ipsius gloriam, ac proximorum nostrorum bonum, moralis cultus pars est: atque ita ab ipso Deo præscribitur, *Deut.* VI, 13. *Jehovam Deum tuum timebis, & ipsum coles: ac per nomen ejus jurabis.* Similiter X, 20. Confer *Matth.* IV, 10. Iterum *Jer.* IV. 2. *Et jurabis, vivit Jehovah, in veritate, in judicio, & in justitiâ: & benedicent sese in eo Gentes, & in eo gloriabuntur.* Istâ ratione ipsi Gentiles ad reverentiam & cultum veri Dei debuerunt adduci; cujus rei complementum pertinet ad N. T. Specialis casus expressus est *Exod.* XXII, 10, 11. Adde exempla Abrahami, *Gen.* XXI, 23, 24, 31. Isaaci: XXVI, 31. Jacobi, XXXI, 53. Davidis, 1 *Sam.* XX, 17, 42. Primariorum Sacerdotum, Levitarum, universi Israëlis, præeunte Ezrâ; *Ezr.* X, 5.

2. In V. T. extant illustres prophetiæ de juramentis sub N. T. faciendis, & ad religionem ejus spectaturis; *Ies.* XLV, 23. *Per Me juravi, egressum est de ore Meo in justitia verbum, & non revertetur; quod Mihi curvabitur omne genu,* per Me *jurabit omnis lingua.* Item *cap.* XIX, 18. LXV, 16.

3. Usus legitimi juramenti docetur etiam in N. T.

Hebr.

Hebr. VI, 16, 17. *Homines quidem per eum jurant qui sit major; atque iisdem omnis controversiæ finis est jusjurandum ad confirmationem* adhibitum. *Quâ in re Deus volens ex abundanti hæredibus promissionis ostendere immutabilitatem consilii sui, fidejussit jurejurando.*

Accedunt 4. irrefragabilia quædam exempla N. T. 2 *Cor.* I, 23. *Ego vero testem Deum invoco in meam animam.* Similiter fere *Rom.* I, 9. IX, I. 2 *Cor.* XI, 31. *Gal.* I, 20. *Phil.* I 8. I *Thess.* II, 5. Adde exemplum Angeli, qui *Apoc.* X, 5, 6. *sustulit manum suam ad cœlum*: Et *juravit per Eum qui vivit in sæcula sæculorum, qui creavit cœlum & ea quæ sunt in eo*, &c. Ex quibus omnibus luce meridianâ clarius est, usum aliquem juramenti licitum & utilem, imo etiam pro ratione circumstantiarum necessarium, esse in N. T.

Obj Matth. V, 34,-37. & *Jac.* V, 12. *Resp.* illa accipi debent de juramentis temerariis; & speciatim istiusmodi, qualia Pharisæi & Scribæ sine scrupulo adhiberi posse existimabant; utpote *per cælum, per terram, per Hierosolymam, per caput suum*, & id genus alia. Hunc eorum errorem Christus quoque detegit, & refutat *Matth.* XXIII, 16,-22. Tales propterea formulæ recensentur; at non Per *Deum, Vivit Iehovah*, aut similes. Atque ità verbum *jurandi* de juramento temerè, vel aliter, malè adhibito, usurpatur *Eccl.* IX, 2. *Eventus unus est justo & impio:- sicut bonus, sic qui peccat: & is qui jurat,* est *sicut is qui juramentum timet.* In communi & familiari conversatione igitur à juramentis abstinendum; nec facilè ultra simplicem affirmationem vel negationem progrediendum: Verum ubi rei gravitas, hominum negligentia, vel alia necessitas, quid amplius postulat, ulterius etiam licite procedi, docet exemplum ipsius Christi, qui toties usurpavit, vel etiam ingeminavit, particulam *Amen*: & à Pontifice adjuratus per Deum viventem, respondere non dubitavit, *Matth.* XXVI, 63, 64. & alia plurima à nobis allegata.

LXVII.

LXVII. Ad alterum hujus præcepti augmentum quod attinet, non minus etiam hic errant *Socinistæ*: nam 1. Christus, aut Filius Dei, sub V. T. quoque agnoscendus fuit pro vero Deo; atque adeo per ipsum tunc pariter jurare licuit: imo, cum per Jehovam juratum est, hic minime fuit exclusus.

2. Adoratio Christi non est Novo Test. propria, nec à Veteri excludenda; sed ejus species est juramentum.

3. Speciatim *Jes.* xlv, 23, *Per me juravi*, &c. quod Israëlitæ in isto negotio fecerunt sub V. T. idem Gentiles, per N. T. quoque vocandi, facturi erant similiter. Sed ad Christum, aut Filium Dei, applicandum esse istum locum, patet per ejus collationem cum *Phil.* II, 10, 11. *Ut ad nomen Jesu omne genu se flectat*,-. Per ipsum igitur sub V. T. etiam licitum fuit jurare.

4. addimus ad hominem; quoniam frequenter verba formaliter expressa à nobis postulant Adversarii; minus recte, convenienter suæ propriæ methodo, dicere possunt, tertium præceptum hoc à Christo esse auctum, quod sub N. T. etiam per ipsius nomen jurare liceat; cum non ostendant id ipsum in N. T. sic formaliter expressum.

LXVIII. Sed *Pontificii* existimant, licitè etiam jurari posse per Sanctos, aliasque creaturas: prorsus idololatricè: cum & hanc cultus religiosi speciem sibi soli reservatam voluerit verus Deus; *Deut.* VI, 13, 14. *Jehovam Deum tuum timebis, & ipsum coles, ac per nomen ejus jurabis.* Similiter x, 20. Quæ Christus allegat hoc modo, Matth. IV, 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles.* Ipsi ergo soli proprius est ille cultus, cujus species est juramentum. Vide iterum *Jes.* xlv, 23. Propterea tam ægre fert Deus, si per alios juretur: *Jerem.* v, 7. *Am.* VIII, 14. *Tzephan.* I, 5.

2. Hoc indicant ipsæ formulæ, *Vivit Jehovah*; *Invoco*

voco Deum testem in animam meam, &c. *Jerem.* IV, 2. 2 *Cor* I, 23, &c.

3. Solus Deus est omniscius, ac proinde solus idoneus qui invocetur super animam & conscientiam nostram: 1 *Reg.* VIII, 39. *Tu enim nosti solus cor omnium filiorum hominum. Jerem.* XVII, 9, 10. *Fraudulentum est cor præ omnibus* rebus, *& perversum, quis cognoscet illud? Ego Iehovah scrutans cor, probans renes*, &c.

4. Soli etiam Deo convenit suprema potestas judiciaria, ut possit pœnas spirituales & æternas infligere: consequenter in juramentis ad ipsum solum est provocandum. *Deut.* XXXII, 35. *Mea est ultio, & retributio. Matth.* X, 28. *Metuite potius eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennâ.*

Obj. 1. Per creaturas rectè juratum est, *Cant.* II, 7. III. 5. *Adjuro vos, filiæ* Jerusalemi, *per capreas, vel cervas agri*: Alibi, per vitam Pharaonis, per animam alicujus hominis, &c. Ergo. *Resp.* 1. Verba illa in *Cantico* possunt etiam hoc modo transferri; *Adjuro vos, filiæ Jerusalemi*, quæ estis *apud capreas, vel cervas agri.* Vel possunt sic accipi; Filiæ Jerusalemi, per Deum vos adjuro, ut estis affectæ erga capreas, vel cervas agri, ita hujus amoris habete rationem. 2. Alicubi potest intelligi comparatio aliqua, vel illustratio rei per aliquod simile: ut si quis diceret; quam vere nunc dies est, aut nos vivimus, &c. atque ita accipi possunt ista, *Gen.* XLII, 51. *Vivit Parho.* 1 *Sam.* I, 26. *Vivit anima tua, Domine mi.* 3. In dictis & factis Josephi, Hannæ, & similium, agnoscenda quidem est necessario authentia historiæ; sed non item normæ. 4, Possunt etiam inter jurandum assignari quædam, in quibus puniri velimus, si pejeremus, aut nobis bene fieri cupiamus, si vere juremus; atque ita recte commemorari potest anima nostra; ut 2 *Cor.* I, 23. Sed nequaquam licet jurare per animam, hoc est jurando animam invocare.

Obj. 2.

Obj. 2. Qui jurat per cœlum, per terram, per Hierosolymam, &c. obligatur ad faciendum quod juravit: sic validum est illud juramentum; & consequenter licitum. *Resp.* Nego consequentiam: quamvis enim homo sic pejerare minimè debeat, & coram Deo reus constituatur, propter respectum istarum creaturarum, atque ipsius juramenti qualiscunque ad Deum: inde nullo modo sequitur, tales jurandi modos esse licitos, aut legitimos. Vide *Matth.* XXIII, 20, 21, 22.

LXIX. *Quartum præceptum* esse morale & perpetuum; non cerimoniale duntaxat, & per Christum sub N. T. abrogatum, ut volunt *Sociniani*, patet ex dictis th. 13. §. *d.* & th. 17. Sed in N. T. non esse *Festa* proprie dicta; sive dies anniversarios, ratione mysterii, ex religiosâ devotione, ob conscientiam propriam, necessario observandos, nedum in honorem Angelorum, vel hominum Sanctorum, probamus contra *Pontificios*, 1. quia ista observatio prorsus caret institutione Divinâ; quâ tamen omnis religio niti debet; *Col.* II, 23. & *Matth.* XV, 9. ex *Jes.* XXIX, 13.

2. Caret exemplo Apostolorum, Ecclesiæ Apostolicæ, & antiquitatis primævæ, ut patet ex SS. Literis, ac porro ex historiis, aliisque scriptis Ecclesiasticis.

3. Repugnat Verbo Dei; ac nominatim locis, *Rom.* XIV, 5, 6. *Gal.* IV, 10, 11. *Col.* 2, 16. 17. Nec citra Verbum Dei oportet nos quicquam excipere, nisi judicari velimus decipere.

4. Magna est ista symbolizatio cum superstitionibus Gentilium, & cum typicis observationibus Israëlitarum: quæ per N. T. abrogatæ sunt, atque hujus libertati omninò adversantur. *Gal.* V, 1. *In libertate igitur, quâ Christus nos liberavit, perstate; & ne regredientes implicamini servitutis jugo.*

Illis vero speciatim, quæ honori Angelorum, vel ho-

hominum Sanctorum, dicata sunt, applicari possunt argumenta ista idololatriæ superiùs opposita. Quemadmodum etiam *Sabbathum Mariæ*, & *Jubilæa* eadem methodo refutari facilè possunt; nisi quod hæc insuper involvant Indulgentiarum Papalium absurditates absurdissimas. *Martinalia*, *Regalia*; aliaque Festa pinguia, comessationibus, compotationibus, jocis, & voluptatibus carnalibus celebrari solita, sua similiter specialia mala habent.

Obj. 1. Diem Dominicum hebdomatim observant omnes Christiani ex traditione vel constitutione Ecclesiasticâ. Ergô. *Resp.* Nego antecedens; quantum enim attinet ad tempus hebdomadarium, sic quartum Decalogi præceptum nos obligat; specialiùs autem istum diem, talemque ejus appellationem, ex Scripturâ N. T. deducimus; non verò ex aliâ traditione, vel institutione solum Ecclesiasticâ.

Obj. 2. Dies supplicationis: atque item Eucharistici habentur etiam per suas occasiones. Ergò. *Resp.* Ista praxis in genere Verbo Dei nititur, applicatio verò ad certos dies, ex prudenti causarum & circumstantiarum observatione instituitur pro re natâ; & quidem ex Dei præscripto.

Obj. 3. Quotannis etiam in Ecclesiis Reformatis observari solent Dies nativitatis, & resurrectionis Christi, ac missionis Spiritus Sancti, cum sequentibus proximis, vel etiam Dies circumcisionis, & ascensionis. *Resp.* At non ratione mysterii; neque ob conscientiam propriam: sed ratione ordinis, & scandali turbarumque evitandarum gratia; quamvis istæ historiæ, tum in doctrinâ catecheticâ, tum aliis occasionibus variis, tractari etiàm possint & soleant.

LXX. In *quinto præcepto* P*atris* & *Matris* nomine primò quidem intelligendi sunt parentes proprie dicti: *Prov.* XXIII, 22. Sed porro quotquot, ex ordinatione *Divinâ* in quocunque statu, Œconomico

Politi-

Politico, Ecclesiastico, aliis præfecti sunt: Parentum enim in liberos prima est insignis præfectura, maximéque naturalis. Hinc *Patrum* appellatio, aliæque similes, talibus quoque communicantur; *Rom.* IX, 5. *Joh.* VIII, 39. *Exod.* III, 15. *Num.* II, 34. Item *Ruth.* III, 1. *Esth.* II, 7. *Gen.* III, 20. Imò & 2 *Reg.* V, 13. Ista ad statum Oeconomicum pertinent: similia occurrunt in Politico; 1 *Sam.* XXIV, 12. *Jud.* V, 7. Et in Ecclesiastico; 2 *Reg.* II, 12. 1 *Cor.* IV, 15. *Philem.* 10. Tam latè igitur hic ista appellatio accipi debet; ut officia inferiorum omnium erga suos superiores, & vicissim superiorum erga suos inferiores, hùc propriè pertineant.

LXXI. *Quæritur* 1: An liceat Liberis vitam Monasticam vovere; aut suscipere, invitis Parentibus? *Resp.* Neg. contra *Pontificios*, qui hoc licitum putant, modo Parentes Liberorum auxilio carere possint; & Liberi ad annos pubertatis pervenerint; utpotè mares ad annum ætatis decimum quartum, feminæ verò ad duodecimum. Sed 1. istud adversatur reverentiæ, obedientiæ, & fidei; Parentibus, per hoc præceptum debitæ. Confer *Eph.* VI, 1, 2. *Col.* III, 20. Imò, quamvis nunc forte videantur Parentes indigere posse Liberorum auxilio: evenire potest facilè; ut brevi eo maximè egeant.

2. Si Liberi sub V. T. vota; Deo cæteroquin grata & accepta, concepissent, Parentes ea vel rata habere, vel irrita facere potuerunt: at sine Parentum consensu non fuerunt valida. *Num.* XXX, 5, 6.

3. Christus disertè reprehendit morem istum Pharisæis usitatum, quo Liberi se aut sua Deo sacra faciebant, atque ita Parentum auxilio subtrahebant; *Matth.* XV, 5, 6. *Marc.* VII, 11, 12, 13.

4. Accedit ratio: nemo potest absolutè Deo vovere, quod suum non est: ac Liberi non sunt sui ipsorum; sed Parentum possessio: *Psal.* CXXVII, 3. Confer sup. th. 52.

Obj. 1.

Obj. 1. *Deut.* XXXIII, 9. *Qui dicit patri suo & matri suæ, Non vidi eum; & fratres suos non cognovit: nam custodierunt eloquium* Tuum, *& pactum Tuum servaverunt.* Istos Levitas imitantur, qui sic vitam Monasticam ingrediuntur: Ergo. *Resp.* Levitæ singulari præcepto Dei obligati erant ad occidendum, sine discrimine, aut respectu personarum, quosvis sibi obvios, qui sese polluissent impuro Moabiticarum commercio; *Num.* XXV, 5, 7, 8. Sed de vitâ Monasticâ nullum extat præceptum Dei.

Obj. 2. *Matth.* X, 37. oportet nos Christum diligere supra parentes. & *Act.* IV, 19. V, 29. Deo magis obedire, quam ullis hominibus. Ergò. *Resp.* Sed cùm Deus Verbo suo vitam Monasticam omnino non instituerit, aut commendaverit; illis votis non ostenditur dilectio Christi, neque obedientia Dei: imò potius ista dilectio & obedientia postulat, ut Parentibus præstetur suus honor; atque adeo vota illa omittantur, rejiciantur, & redarguantur.

LXXII. *Quæritur* 2. An liceat Liberis contrahere matrimonium Parentibus insciis, aut invitis? *Resp.* Neg. similiter; & sententiam probamus primo iisdem argumentis proxime adductis: nam 1. honor & obedientia Parentibus, per ordinationem & legem Dei debita, omnino riquirit, ut ne tantam rem aggrediantur Liberi, ipsis insciis, vel invitis.

2. Si Parentes vota Liberorum, Deo factas, potuerunt irrita reddere, multo magis contractus cum homine ineundus ad illorum arbitrium referri debet.

3. Si Liberi non debuerunt se, aut sua, Parentibus subducere, ut Deo sacra facerent: multo minus ut conjugi adhæreant, Parentibus insciis, aut invitis.

4. Quia sunt Parentum possessio, non licet iis sese Parentibus, citra ipsorum consensum, subducere; istâque familiâ relicta, ad aliam transire, aut novam

erigere, quod fit in matrimonio: *Gen.* II, 24.

Accedunt aliæ rationes, utpotè 1. quod passim SS. Literæ parentibus tribuant dare filias suas nuptum, & accipere filiis suis uxores. *Exod.* XXXIV, 16. *Deut.* VII, 3, 1 *Cor.* VII, 37, 38. Imo etiamsi fortè virgo à quo juvene esset seducta & vitiata, atque ita res non integra; liberum tamen fuit patri illius in politiâ Israeliticâ eam isti non dare uxorem: *Exod.* 22, 16, 17.

2. Consentiunt exempla, non solum Hagaræ, circa filium Ismaëlem, *Gen.* XXI, 21. sed & Abrahami, circa Isaacum; XXIV, 3, - & Bethuelis circa filiam Rebeccam, *vers.* 50, 51. Judæ circa filium suum primogenitum; XXXVIII, 6. Calebi, circa filiam; *Iud.* I, 12. Simsonis, qui parentum suorum consensum requisivit; XIV, 1, 2.

3. Per matrimonium filii, parentes ejus acquirunt nurum, quæ fit quasi filia ipsorum; parentes verò filiæ, acquirunt generum, qui fit quasi filius ipsorum: sed ista acquisitio consensum ipsorum omnino requirit.

Obj. 1. Matrimonium est Sacramentum; ac proindè consensus parentum non est de ejus necessitate. *Resp.* Nos istam hypothesin secundum SS. Literas rejicimus.

Obj. 2. Consonat exemplum Esavi; *Gen.* XXVI, 34, 35. *Resp.* Indè factum quidem apparet, cui convenit αὐθεντία historiæ, non vero jus, & αὐθεντία normæ.

LXXIII. Tenendum verò contra *Anabaptistas*, quod non solum Christianus Magistratui Politico subesse ac parere; sed etiam eum gerere, possit bona conscientiâ. Nam 1 *Rom.* XIII, 1, -7. Apostolus supereminentem potestatem, non Dei permissionem vocat; sed ordinationem, & ministros Dei in bonum, & ad laudem eorum qui rectè agunt. Neque loquitur de Magistratibus infidelibus tantum, aut quatenus

nus tales erant: sed communiter de isto munere, & officiis eò pertinentibus. Confer *Deut.* I, 17. 2 *Chron.* 19, 6. Sic etiàm juxta 1 *Tim.* II, 1, 2, 3. Deum rogare debent fideles pro Regibus & Magistratibus, non solum ut convertantur qui infideles sunt, neque ut potestatem illam suam deponant; sed ut sub eorum regimine tranquillam & quietam vitam degant subditi, cum omni pietate ac honestate. Quod autem tali modo, ac tali fine, Deum precamur, id bonæ conscientiæ non adversatur. Juxta *Tit.* 3, 1. imperia & potestates pertinent ad defensionem ac promotionem omnium bonorum operum: talis est ista Dei constitutio. Et juxta 1 *Petr.* II, 13,-16. parendum est illi ordinationi propter Dominum, qui eam constituit. Apostolus interim *humanam ordinationem* vocat, tum quod specialis forma regiminis, & applicatio ad singulares personas, per homines ordinetur ac perficiatur; tùm quod occupentur propriè iis, quæ ad vitam & conversationem hominum in hoc mundo pertinent.

2. In V. T. non solum occurrunt multa exempla Regum, Principum, Judicum, piorum & laudatorum; sed etiàm prædictiones de talibus sub N. T. futuris: ut *Jes.* 44, 23. lx, 3, 10. cum *Apoc.* 21, 24. In conversione igitur ad Christum, non debent deponere suam potestatem & gloriam; sed in bonum & ad ædificationem Ecclesiæ eam conferre.

3. In ipso N. T. occurrunt exempla fidelium ac piorum Magistratuum, qui non deposuerunt istam suam potestatem; sed sanctè eâ usi sunt. Sic *Luc.* 23, 50, 51. commemoratur *quidam nomine Joseph, Senator, vir bonus ac justus. Joh.* 4, 46,-53. *regius quidam*; qui *credidit ipse, ac domus ejus tota. Act.* 10, 1, 2. *Cornelius, centurio, pius ac timens Deum, cum totâ domo sua*; &c. XIII, 12. Sergius Paulus Proprætor ad fidem conversus. Sed nihil omnino in omnibus illis,

quod vel dignitatem ac potestatem suam Politicam deposuerint, vel deponere debuerint.

LXXIV. *Obj.* 1. Christus solus Ecclesiæ suæ Caput & Rex est: Ergo. *Resp.* Sed Caput & Rex spiritualis: *Joh.* 18, 36. Hoc autem Regnum Christi nequaquam tollit potestatem & regimen Politicum; quod exercent Reges, Principes, & Magistratus, in hominem exteriorem, & quidem in iis quæ ad tranquillitatem Reip. pertinent.

Obj. 2. *Matth.* 20, 25, 26. *Scitis, Principes gentium in eas dominari; & Magnates auctoritate uti in eas: Verum non ità erit inter vos*, &c. *Resp.* Discipulis Christi merum ministerium, & quidem planè alterius ordinis, erat demandatum; idcircò alienissimos eos esse oportebat à cogitationibus illis, & affectatione dominii ac gloriæ mundanæ. Confer 1 *Petr.* 5, 3. *Neque ut Dominantes cleris; sed ut qui sitis exemplaria gregis.* Verum à ministris Ecclesiasticis, sive extraordinariis, sive ordinariis, non valet consequentia ad Magistratûs Politicos. Hi etiàm vocantur *Ministri Dei*, *Rom.* 13, 4. qui est *Rex Regum & Dominus Dominorum*; 1 *Tim.* 6, 15. sed ità ut potestas supereminens, & jus gladii, iisdem tribuatur, tùm ad ultionem facinorosorum, tùm ad laudem bene agentium; *Rom.* 13, 1, 3, 4. 1 *Petr.* 2, 13, 14. quâ potestate etiam uti possunt, ac debent, Ecclesiæ bono; *Jes.* 49, 23.

Obj. 3. In Ecclesiâ, juxta Christi institutionem obtinet quoque potestates & usus Clavium, seu disciplinæ Ecclesiasticæ; *Matth.* 16, 19. XVIII, 17, 18. 1 *Cor.* 5, 2, 5, 7, 9, 11, 12, 13. Ergo. *Resp.* Potestas illa ministerialis est, ad ordinem Ecclesiasticum pertinens; totaque ad statum hominis spiritualem & æternum ordinata: ac proinde nequaquam tollit potestatem & usum Gladii, qui ad ordinem Politicum, & statum hominis externum ac temporalem propriè pertinet.

LXXV. Nec prorsùs illicitum censeri debet, si quis fratrem suum in jus vocet apud Magistratum, & judi-

judicio adversùs eum experiatur; ubi ſcil. cauſa ſatis gravis eſt, neque aliter ea expediri poteſt, & ratio ſcandali abeſt. Hunc enim in finem ab ipſo Deo ordinata eſt poteſtas Politica, ut tranquillam & quietam vitam degamus, cum omni pietate & honeſtàte; 1 *Tim.* 2, 2. ad defenſionem ac laudem bene agentium; *Rom.* 13, 3, 4. 1 *Petr.* 2, 14. & ut judicetur inter virum ac fratrem ejus; *Deut.* 1, 16.

Obj. 1. *Matth.* 5, 40. *Ei qui velit tecum contendere, ac tunicam tuam capere, dimitte etiam pallium.* Ergò. *Reſp.* Id propriè pertinet ad homines litium amantes, & contentionum ſectatores; ex iracundiâ, aut vindictæ ſtudio; ut aliis damnum inferant: docetque, potius perferendam eſſe injuriam novam, quam ut malum malo rependamus.

Obj. 2. 1 *Cor.* 6, 1. *Suſtinet aliquis veſtrûm, negotium habens adversùs alterum, judicio experiri ſub injuſtis, ac non ſub ſanctis?* *Reſp.* Apoſtolus iſtic non abſolutè omnem juris proceſſum interdicit; ſed adversùs fratres, & quidem apud judices infideles & injuſtos: quod in iſtis Eccleſiæ Chriſtianæ primordiis valde ſcandaloſum erat. Idcircò vult, ut lites ſuas potius committant Arbitris, etiàm minimis, aut viliſſimis, in Eccleſiâ: *verſ.* 4, 5.

LXXVI. Contra *Pontificios* etiàm tenendum; Magiſtratum Politicum honore & dignitate non eſſe inferiorem, ſed ſuperiorem, perſonis Eccleſiaſticis: quoniam 1. Magiſtratui Politico competit poteſtas ſupereminens, & quidem talis à Deo ordinata; *Rom.* 13, 1. unde quoque Imperia & Poteſtates appellantur, quibus obtemperandum; etiam propter conſcientiam: *Tit.* 3, 1. *Rom.* 13, 5.

2. Eorum eſt Dominari, & Auctoritate uti in ſubditos: *Matth.* 20, 25.

3. Tribuitur iis jus Gladii, & Poteſtas coactiva, ad ultionem facinoroſorum, quibus propterea terrori ſunt; & ad laudem bene agentium; *Rom.* 13, 3, 4. 1 *Petr.* 2, 14.

 4. Con-

4. Contra vero personis Ecclesiasticis merum ministerium, & ministerialis dispensatio mysteriorum Dei ac Christi, tribuitur: 1 *Cor.* 3, 5, 9. IV, 1. 2, III, 6, 8, 9. IV, 1, 5, V, 19, 20; Iisque dominatio diserte prohibita est; *Matth.* 20, 26. 1 *Petr.* 5, 3.

Obj. Atqui personis Ecclesiasticis demandatæ sunt Claves Regni cœlorum; & peccatorum remissio: sic versantur circa nobilius objectum; *Matt.* 16, 19. XVIII, 18. *Joh.* 20, 23. 2 *Cor.* 4, 1. iisque tribuuntur arma militiæ, Divinitus valida, &c. 2 *Cor.* 10, 4, 5, 6. *Resp.* 1. Ista omnia iis non architectonicè, sed solum ministerialiter conveniunt; Claves Regni cœlorum ipsi Christo competunt principaliter; *Apoc.* 1, 18, III, 7. 2. Fatemur quidem, bona spiritualia, cœlestia, æterna, nobiliora esse corporalibus, terrenis, & temporalibus: inde tamen non sequitur, quod volunt Adversarii. Æqua enim institui debet comparatio; ut Dominus spiritualis, cœlestis, æternus, ipse Christus, comparetur cum Dominis corporalibus, terrenis, & temporalibus, Magistratibus Politicis, iisque præferatur. Sed non sequitur, Ministros Ecclesiasticos, idcircò honore ac dignitate superiores esse Magistratu Politico. Mathesis quidem ratione objecti dignior est Mercaturâ: verum non quivis puer Mathesi utcunque dans operam, aut famulus Mathematico fortassis inserviens, ejusque instrumenta portans, idcircò dignior est quovis Mercatore.

LXXVII. Rejiciendus nunc etiàm error *Socinianorum*; qui existimant, Christum hoc *quintum Decalogi præceptum*, pro N. T. perfectius redditurum, addidisse ei officia Magistratuum & Subditorum, Virorum & Uxorum, Dominorum & Servorum. Ista enim officia non solum locis Novi, sed etiam V. T. passim comprobantur. Atque in V. T. Patrum appellatio aliis etiàm Superioribus tribuitur satis diserte; ut ostensum th. 70. Specialius verò Superiores debere se suis Inferioribus æquos probare, ad instar Patrum, patet

ex

ex *Deut.* 17, 15, 20. *E medio fratrum tuorum constitues super te Regem: - Ne elevetur cor ejus supra fratres ipsius. Job.* 29, 16. *Pater eram pauperibus; & causam, quam non noveram, investigabam.* Ita Joseph, *Gen.* xlv, 8. *Deus posuit me in patrem ipsi* Parhoni, *& in dominum universæ familiæ ejus.* Addi possunt generalia præcepta de dilectione proximi, in V. T. satis obvia. Ex quibus inter se, & cum hoc præcepto collatis satis liquet, etiam sub V. T. officia illa præscripta fuisse.

LXXVIII. *Sexto præcepto* non adversatur supplicium capitale, quod per justam legitimi Magistratus sententiam, homicidis, aliisve facinorosis irrogatur: ista enim nequaquam est vis injusta: sed actus justitiæ, constitutioni Divinæ consentaneus, quod contra *Anabaptistas* defendimus. Deus enim 1. sanctionem ejusmodi pœnalem statim à diluvio disertè legitur expressisse; *Gen.* 9, 6. atque iterùm in lege Mosaicâ, *Levit.* 24, 17. *Num.* 35, 16, -. 30, -. *Deut.* 19, 12, 13. De aliis item facinoribus similia multa occurrunt in V. T. Sed & in N. T. illa repetuntur & comprobantur; *Matt.* 26, 52. *Quicunque acceperint gladium, gladio peribunt. Apoc.* 13, 10. *Si quis gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Ita hactenus stabilitur lex ista talionis.

2. Deus Magistratum etiàm sub N. T. ministrum suum esse voluit, gladio armatum, ad ultionem facinorosorum, & ad laudem ac defensionem recte agentium, *Rom.* 13. 4. 1 *Petr.* 2, 14.

3. Neque aliter subditi tranquillam & quietam vitam degere possent, cum omni pietate & honestate; in quem tamen finem Magistratûs à Deo ordinati sunt; 1 *Tim.* 2, 2.

LXXIX. Imo & *bellum* aliquod licitum statuimus, contra eosdem; si videl. justa & satis gravi de causâ suscipiatur; & quidem à Magistratû legitimo, aut superiori potestate; atque insuper juste geratur, parcendo quoad ejus fieri potest innoxiis. *Probatur* hoc 1. ex

locis sæpius allegatis. *Rom.* 13, 4, 6. 1 *Petr.* 2, 14, 1 *Tim.* 2, 1, 2. In bello enim Magistratus gladio utitur adversùs societatem facinorosorum, qui non aliter puniri possunt; neque aliter adversùs eorum violentiam publica tranquillitas defendi & conservari potest.

2. Clarius etiam *Apoc.* 13, 10. *Siquis in captivitatem agit, in captivitatem abit.* quæ potissimùm bellica talio est.

3. Johannes Baptista à militibus interrogatus, *Luc.* 3, 14. *Et nos quid faciemus?* respondit; *Neminem concutite, neque dolo opprimite; & contenti estote stipendiis vestris.* sed ipsam militiam minimè prohibuit.

4. Accedunt exempla piorum militum, ac militiæ ducum: centurionis alicujus; *Matth.* 8, 5, 8, 10. atque item alterius, Cornelii nomine, *Act.* 10, 1, 2. qui tamen in sui conversione istud vitę genus non deseruerunt, nec deserere jussi sunt. Et Paulus Apostolus comitatû ac defensione militum usus est, *Act.* 23, 13. Quemadmodùm etiàm fides bellicorum heroum celebratur, & ad imitationem proponitur; *Hebr.* XI, 32, 33, 34.

Obj. 1. Davidi, bellicoso Principi, qui multum sanguinis fuderat, non fuit sub V. T. permissa Templi ædificatio; 1 *Chron.* 28, 3. Ergo. *Resp.* Templum istud pertinuit ad cultum cerimonialem, quo Christus, ejusque officia ac beneficia præfigurabantur; ac speciatim pax spiritualis cum Deo per Christum procuranda: idcircò Deus non à Principe illo bellicoso, sed à filio ejus Salomone, Principe pacifico, ac singulari typo Christi, istud Templum voluit ædificari; quo plura typica conspirarent melius.

Obj. 2. De pace N. T. illustres exstant prophetiæ; *Jes.* 2, 4. XI, 6, -. *Resp.* Istæ propriè spectant ad pacem spiritualem cum Deo & in conscientiis fidelium; *Rom.* 5, 1. *Eph.* 2, 14, -17. *Phil.* 4, 7. *Col.* 1, 20. Quantum vero ad externam pacem attinet, Christus satis disertè, *Matt.* 10, 34. *Ne existimate, me venisse immissurum pa-*

cem in terram: non veni immissurus pacem, sed gladium. Dùm ergò infideles hostiliter sese opponunt Euangelio & fidelibus, vel aliter injusti justitiæ & justis, Magistratûs Christiani durâ illâ necessitate adacti licitè possunt, imò etiàm debent, suos subditos, veritatem, & justitiam, defendere eâ potestate ac potentiâ, quam in illum finem iis dedit Deus.

LXXX. Similiter quoque asserimus inculpatam tutelam; si quis adversùs latronem, aliumve aggressorem violentum & infestum, urgenti necessitati pareat, ac vitam suam tueatur; etiamsi fortè contingeret latronem vel aggressorem illum pertinacem interim vulnerari, vel etiàm occidi. Quisque enim lege naturali obligatus est ad vitæ suæ conservationem ac defensionem adversus qualemcunque vim privatam & injustam. 1. *Eph.* 5, 29. *Nullus unquam suam ipsius carnem odio habuit: imo enutrit ac fovet eam; sicut & Dominus Ecclesiam.* Nemini licet suam vitam odisse, aut suâ se vitâ privare, aut consentire volenti privare; sed quisque tenetur impedire injustam cædem sui, ne incidat in crimen αὐτοφονίας participatæ,

2. *Matth.* 22, 39. *Diliges proximum tuum, ut te ipsum.* Quemadmodum verò non licet nobis permittere cædem proximi, si impedire possimus; ita neque nostram ipsorum.

Adde 3. casum hujusmodi expressum de fure nocturno, *Exod.* 22, 2. *Si in effossione inventus fuerit fur, & percussus fuerit, mortuusque fuerit: non erit* percussor *morti obnoxius.* Quia nimirùm per noctem non potest satis discerni, quid agat, quidque intendat effossor, nec facilè aliundè auxilium peti. Si autem interdiù in loco solitario, vel aliter incommodo, idem, vel gravius periculum aliquem urgeat, talis defensio sui nequaquam illicita est censenda.

Obj. Matt. 5, 39. *Ne obsistite improbo: sed qui te cædet in dexteram tuam maxillam, obverte ei & alteram,* & *Rom.* 12.

17. *Nemini malum pro malo viciſſim reddentes.* 19. *Non ipſi voſmet ipſos ulciſcentes.* Ergò. *Reſp.* Iſtis ſententiis quidem prohibetur privata vindicta, & particularis retributio mali pro malo: non tamen 1. proceſſus judicii à Magiſtratû legitimo inſtitutus; quem Deus tali poteſtate & auctoritate armavit; imò & mandato obligavit, ad defenſionem bonorum, & ultionem facinoroſorum. Neque 2. neceſſaria ſui defenſio, adversùs infeſtum aggreſſorem: ſi verò contingat eum interim vulnerari, vel etiàm ex vulneribus mori, hoc ipſe ſuæ violentiæ ac pertinaciæ imputet; non inculpatæ tutelæ, quam oppreſſus, urgente neceſſitate & jure naturali, adhibet.

LXXXI. Sed neque licet homini corpus ſuum, ſive ex ſuperſtitione, ſive qualicunque animi ægritudine, incidere, vulnerare, flagellare, &c. Nam 1. iſta adverſantur dilectioni, quam quiſque per legem naturæ debet ſuæ propriæ carni: *Eph.* 5, 29.

2. Satis expreſſus eſt locus, atque iſti legi conſentaneus, *Levit.* 21, 5. *In carne ſua non incident* ullam *inciſuram.*

3. Eſt quædam ſymbolizatio cum idololatris & ſuperſtitioſis: ſic enim extat de Sacerdotibus Baaliticis, 1 *Reg.* 18, 28. *Incidebant ſe, juxta morem ſuum, cultris & lanceolis, donec perfunderent ſe ſanguine.* Similes quoque ſunt mores Gentilium in quibuſdam partibus Indiæ.

4, Superſtitioſam iſtiuſmodi ſævitiem Paulus etiàm perſtringit. *Col.* II, 23. *Quæ rationem quidem habent ſapientiæ in cultû voluntario, & ſubmiſſione animi, & in eo quod corpori non parcant;* nec tamen *ullius ſunt pretii.*

Hoc igitur nomine rejiciendæ ſunt *Pontificiorum* flagellationes ſpontaneæ, à Monachis, aliiſque pœnitentibus, adhiberi ſolitæ; ac multùm commendatæ, tanquam inſigniter ſatisfactoriæ: ſed contra rationes modò indicatas, ſine ullâ ratione verè Theologicâ, ſine ullo exemplo in S S. Literis laudato, vel approbato.

Obj.

Obj. 1. Christus flagellatus est; *Matth.* XXVII, 26. Atque item Apostoli; *Actor.* 5, 40. Paulus cum Silâ: XVI, 23. Vide etiàm 2 *Cor.* XI, 24, 25. *Resp.* Ab hostibus id passi sunt; sed nemo eorum sibi ipsi tales cruciatûs intulit.

Obj. 2. Carnis crucifixio commendatur; *Gal.* 5, 24. *Resp.* Sed per carnem tunc intelligi debet vetus homo seu corruptio naturæ; quæ virtute crucifixionis ac mortis Christi pro nobis, subigi & mortificari debet quotidiè à quolibet regenito & sanctificato, ut novus homo capiat incrementum.

Obj. 3. 1 *Cor.* 9, 27. *Contundo corpus meum, & in servitutem redigo. Resp.* Corpus scil. peccati; ne illud pergeret adeò adversari spiritui, eumque impedire: quò quidem pertinuit abstinentia ab ejusmodi alimentis, deliciis, aliisque commoditatibus, quibus temperamentum posset inclinari ad quædam peccata; nec non jejunia, orationes, exercitia virtutum contrariarum; ût hæ redderentur magis familiares & faciles: non verò sævitia in propriam substantiam.

Obj. 4. Medici aliquandò membrum aliquod extirpandum censent, vel urendum, ad conservationem reliqui corporis: Ergò. *Resp.* Rectè sic censent, urgente necessitate satis gravi: sed spontanea sui flagellatio, nec ad corporis, nec ad animæ conservationem utilis est, nedùm necessaria: imò contrà propriæ satisfactionis opinio gratiæ Euangelicæ quam maximè adversatur; & sic summoperè noxia est.

LXXXII. Errant *Sociniani*, dùm contendunt, *sextum præceptum* sub N. T. auctum esse *mandato* charitatis ergà inimicos; & *prohibitione* iræ, atque conviciorum in proximum, nec non vindictæ. Quod enim ad *dilectionem inimicorum* attinet, ea sub V. T. quoque mandata fuit; *Prov.* 25, 21, 22. *Exod.* 23, 4, 5. Quin & Paulus *Rom.* 12, 20. allegato priori illo testimonio, eam probavit.

Quantum verò ad *iram*, (temerariam scil. vel immoderatam,) *convitium*, (similiter malignum,) & *vindictam* (privatam,) ea charitati proximo debitæ, & sub V. T. mandatæ, adversantur satis apertè: & disertè prohibentur, *Lev.* 19, 17, 18. *Ne odio habeas fratrem tuum in corde tuo: -neque impinges illi crimen. Non ulcisceris te; neque reservabis* odium *contra filios populi tui; sed diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* De irâ etiàm, *Eccl.* 7, 9. *Ne festines in spiritû tuo ad irascendum: quia ira in sinû stultorum requiescit.* Adde *Prov.* 14, 29.

LXXXIII. Circa *septimum præceptum* non est cum *Pontificiis* putandum, gradûs in matrimonio prohibitos, *Lev.* 18, 6, - 18, 24, 25. xx, 11, 12, 14, 17, 19, -23. pertinuisse solùm ad leges forenses Mosaïcas, vel ad cerimoniales; quô liberior & fructuosior Papæ Romano asseratur potestas de illis constituendi ac dispensandi. Nam Gentiles iisdem quoque fuerunt obligati; & ob earum transgressionem terra dicitur evomuisse suos incolas; *Levit.* 18, 24, -. xx, 22. Undè Paulus ad Gentium consensum provocat in istiusmodi casû, 1 *Cor.* 5, 1.

Obj. 1. Filii τῶν πρωτοπλάστων germanas sorores suas duxerunt. Ergò. *Resp.* 1. Id procul dubio factum est ex speciali dispensatione Divinâ, quæ istas personas à Legis obligatione exemit, Lege interim manente, & posteros omninò obligante: sive ex speciali constitutione, ut Legis obligatio & vigor in eorum posteris demùm sumeret initium.

Obj. 2. Abraham de Sarâ, *Gen.* 20, 12. *Verè soror mea est, filia patris mei; veruntamen non est filia matris meæ, & fuit mihi in uxorem.* *Resp.* Indè tamen non omninò constat, eam Terachi Patris Abrahami filiam naturalem fuisse: cùm sic etiàm appellari potuerit illius ex fratre neptis, vel aliter consanguinea, filiæ loco habita; & minimè certum sit, eandem fuisse Saram, quæ Jisca, *Gen.* XI, 29. Si tamen filia illius naturalis fuisset, conce-

concedimus, Abrahamum, citra dispensationem Divinam, eam neque uxorem ducere, neque deinceps in Matrimonio retinere potuisse licitè.

Obj. 3. Onan à patre Judâ jussus est uxorem ducere Thamaram viduam fratris sui prædefuncti, *Gen.* 38, 8. Cui facto convenit Lex, *Deut.* 25, 6. Vide etiàm *Matth.* 22, 24, 25, 26. *Resp.* Verùm ista in affinitate exceptio ab ipso Legislatore, Generis humani & Legis illius Domino, fieri potuit, & facta est, per absolutissimam ipsius potestatem; Exceptione Regulam non tollente, sed in reliquis confirmante.

LXXXIV. Sed *Jure Canonico veteri* Nuptiæ in lineâ transversali fuerunt prohibitæ usque ad gradum septimum; *novo* autem ad quartum inclusivè. Neque solùm illo Jure approbata & confirmatâ est Consanguinitas civilis, sed introducta quoque *Cognatio spiritualis*, ex Baptismo & Confirmatione. Atque ità *Jure Decretalium* ista Cognatio contrahitur, 1. inter baptizatum & susceptorem de baptismo. 2. Inter eundem baptizatum, & suscipientis filios; ejusque uxorem, quam ante istam susceptionem cognovit carnaliter. Atque item 3. Inter suscipientem, & baptizati patrem ac matrem. Imò etiàm 4. quæ de suscipiente dicta sunt, eadem ad baptizantem quoque transferuntur. Ac similiter in Confirmatione. Atque illa Cognatio non solùm dicitur impedire Matrimonium contrahendum, sed etiàm contractum dirimere. Verùm posteà *Concilium Tridentinum* Cognationem istam quodammodò restrinxit; statuitque, ut unus tantùm vir, aut una mulier, vel ad summum unus & una, baptizatum suscipiant; inter quos ad baptizatum ipsum, & utrumque ejus parentem, nec non inter baptizantem & baptizatum & hujus utrumque parentem, tantùm ea contrahatur: atque item, ne confirmantem & confirmatum, ejus patrem & matrem, ac tenentem, egrediatur. Sed perperam ἄπερ γραφῆς. Quin imò omnes verè fideles

in

in Christo mysticè uniti sunt, ut membra ejusdem corporis, ut fratres & sorores, &c. undè tamen Matrimonium non impeditur, sed sanctificatur: 1 *Cor.* 7, 39.

LXXXV. *Pontificii* plurimum tribuunt *Juri* suo *Canonico*: verùm in nostra Ecclesiâ, imò & Republicâ, nullum illud, quatenùs tale est, auctoritatem habet. Sed ex Verbo Dei & Jure Divino quæstiones Matrimoniales decidendæ sunt in ordine ad interiorem statum conscientiæ, forum poli, ipsamque communionem Ecclesiasticam: ubi Antecessoribus Ecclesiasticis sua potestas antecessoria ministerialis verè competit. Interim Magistratus Politicus ex *Jure Civili* & *Municipali*, & secundùm Verbum Dei, judicare etiàm potest ac debet, non solùm de Matrimonii accidentalibus, dote putà arrhis, & similibus; verùm insuper de ipsis substantialibus, in ordine ad statum Politicum, qui externus est & temporalis: Politia enim constituitur ex Familiis, quæ sine Matrimonio non consistunt. Perperam verò dicti Adversarii omnem de Matrimonio & causis Matrimonialibus cognitionem soli foro Ecclesiastico competere statuunt; ex falsâ hypothesi, quòd Matrimonium sit Sacramentum: contrarium nos σὺν Θεῷ probabimus suo loco.

LXXXVI. Publica quidem Matrimonii *confirmatio* Politica est, & Lege positivâ humanâ rectè introducta: tùm quia Reip. interest, ut legitime contrahantur Matrimonia; atque ut publicè constet, quis cujus maritus sit, & quæ cujus uxor, ad evitanda adulteria, aliaque istiusmodi peccata: tùm quia ad Magistratum Politicum pertinet ea curare, quæ ad statum externum & Politicum propriè spectant. Sed Ecclesiæ quoque interest, ut circa rem tantam observentur quæ Deus in Verbo suo præscripsit; ut cognoscat, per quos & quomodò propagetur Ecclesia, quantum attinet ad eos qui in communione fœderis gratiæ nascuntur; atque ut pro illis preces publicè concipiantur, & bene-

dictio

dictio iis juxta voluntatem Dei impertiatur. Ità hæc rectè fieri defendimus contra *Brownistas*: interim distinctio facienda est inter ejusmodi Ecclesiæ membra; quorum fides ac pietas satis est explorata; & inter alios homines, de quorum fide & pietate non constat.

LXXXVII. *Pontificii* Virginitatem ac Vitam cœlibem extollunt mirum in modum, & Matrimonio longè præferunt. Nos in utroque statû sua tum commoda, tùm etiàm incommoda, agnoscimus; & pro conditione personarum ac temporum, vel hunc, vel illum, potiùs amplectendum dicimus: non verò absolutè Virginitati ac Cœlibatui primas esse tribuendas. Nam 1. Deus in primâ rerum creatione, hominumque integritate, non modò marem & feminam fecit eos, conjugio junxit, istiq; statui vitæ benedixit; *Gen.* 1, 27, 28. II, 21, 24. sed disertè etiàm in Adami Cœlibatû imperfectio quædam notatur; II, 20. *At homini non invenit adjutorium, quod esset coram eo.* & minor bonitas, quàm foret in Conjugio: 18. *Dixerat Jehovah Deus; Non bonum* est, *hominem esse solum*; propterea *faciam ei adjutorium, quod* sit *coram eo.* Post lapsum non minor, sed potiùs major, est necessitas istius adjutorii: *Eccl.* 4, 9, - 12. *Meliores sunt duo quam unicus; quia est eis merces melior ex labore suo. Quia si ceciderint, unus eriget socium suum: væ ergo illi uni, &c.*

2. Christus secundum carnem ex Virgine natus est; sed Viro desponsatâ, imò in ejus domum jàm assumtâ; ne contemnerentur Nuptiæ: *Matth.* 1, 18, 21, 25. *Luc.* I, 27. II, 5. Nuptiis in Canâ Galilææ celebratis ipse cum matre ac discipulis suis quoque interfuit, easque primo suo miraculo condecoravit; *Joh.* 2, 1, 2, 11.

3. Est medium à Deo ordinatum, non modò ad Generis humani, & Rerum publ. verum etiàm ad ipsius Ecclesiæ propagationem, conservationem, & incrementum. Hinc *Eva*, Adamo nupta, utpotè vera mater omnium viventium, nomen accepit; *Gen.* 3, 20.

Atque

Atque ità *Mal.* I, 15. *Quid* fecit *unicus ille? Quæsivit semen Dei.* Et ipse Deus ad Abrahamum, *Gen.* 12, 2. *Faciam te ingentem magnam; & benedicam tibi, ac magnificabo nomen tuum; & eris benedictio.* Adde 15, 4, 5. XVII, 4,-12.

4. Accedit specialis utilitas, imò necessitas, ex præscripto Divino, in illis qui donum continentiæ non habent: neque enim omnibus istud obtingit; nec de eo precibus & jejuniis impetrando omnibus promissio est facta; non certè illis, quibus aliter datum est à Deo, & per quorum Nuptias ipsi Genus humanum, vel etiàm Ecclesiam, propagare placitum: 1 *Cor.* 7, 7. Undè etiàm Apostolus, de Viduis agens, 1 *Tim.* 5, 14. *Velim igitur juniores nubere, liberos gignere, domum administrare, nullam occasionem dare adversario ad convitiandum.*

Neque adeò mirandum, si rejecto illo incontinentiæ remedio, impurum Cœlibatum amplexa, omnia passim fœdis libidinibus conspurcârit meretrix Babylonica, concubinatû, scortationibus, adulteriis, non contenta. Certè quod olim ad *Romanos* scripsit Apostolus, idem in vitiosiorem eorum progeniem applicatur meritò, I, 26, 27. *Propterea tradidit eos Deus fœdis affectibus: - masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt sua libidine alius in alium. &c.*

LXXXVIII. *Obj.* 1. Sub V. T. immunditiës contrahebatur etiàm ex maritali & legitimo concubitû; *Levit.* XV, 16, 18. Hinc Deus Legem suam promulgaturus coram universis Israëlitis, mandavit, ne ad uxores suas accederent; *Exod.* XIX, 15. Similiter etiàm Sacerdos Achimelech, panem sacrum daturus Davidi & viris qui unà cum eo aderant, inquisivit, nùm à mulieribus sibi cavissent; 1 *Sam.* XXI, 4. *Resp.* Cerimonialis tantùm fuit ista immunditia: verùm ex eâ minimè sequitur, statum Conjugii, ejusque usum, per se moraliter impurum esse, vel illicitum; non magis quàm ex animalibus sub V. T. immundis colligi debet, quòd

eorum

eorum esus aut contrectatio etiam sub N. T. sit illicita & moraliter impura.

Obj. 2 *Jes.* LVI, 3, 4, 5. Insignis promissio facta est Eunuchis: ergo. *Resp.* Istic tum alienigenis, tum Eunuchis, qui sub V. T. per Legem cerimonialem arcebantur à sacris, promittitur fore, ut per fidem sub N. T. admittantur ad eandem communionem, & privilegia eadem cum reliquis: sic amplitudo hujus gratiæ exprimitur synecdochicè.

Obj. 3. *Rom.* 8, 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt:* tales autem sunt conjugati: ergò. *Resp.* Imo in carne esse dicuntur, qui Spiritum regenerantem & sanctificantem non habentes, corruptæ suæ naturæ obsequuntur. Hoc patet ex contextû, & locis parallelis. Sed pessimè illud transfertur & applicatur ad Conjugium; quod Apostolus disertè asseruit *honorabile inter quosvis, & cubile impollutum*; *Hebr.* 13, 4.

Obj. 4. Virginitatem & Cœlibatum commendat idem Apostolus, ut quantum fieri posset ità viverent Corinthii; VII, 1, 7, 8, 26, 38, 40. Ergò. *Resp.* Non tamen absolutè, omnes, & sempèr; sed qui ità donum haberent: *vers.* 2, 7, 17, 37. & quidem propter instantem necessitatem; *vers.* 26. & afflictionem in carne, cujus eos immunes esse optabat; *vers.* 28. Pauciora quidem Cœlibes circa cultum Dei impedimenta habere, Conjugatos majorem solicitudinem de rebus hujus vitæ, indicat, *vers.* 32, 33, 34. id tamen accipi debet non prorsùs absolutè & universaliter; sed positis ponendis, remotis removendis, atque in isto rerum statû ut plurimum: laqueum proptereà non injecit; *vers.* 35.

Obj. 5. *Apoc.* 14, 4. celebrantur aliquàm multa millia eorum, *qui cum mulieribus non sunt inquinati, quod sint virgines.* Ergo *Resp.* Ita scil. meretrici Babylonicæ prorsùs dissimiles sunt, qui sedulo sibi cavent ab idololatriâ & omni aliâ impuritate spirituali, atque adeò sive extra Conjugium, sive in eo, castitati & puritati etiam

etiàm dant operam: si autem contigerit, eos aliquandò pollui vitiis contrariis, abluunt se sanguine Agni; per fidem & resipiscentiam sinceram.

LXXXIX. Sed neque putandum est, cum iisdem *Adversariis*, Matrimonium saltem Ministris Ecclesiasticis & Religiosis esse illicitum; aut ab iis exigendum votum Cœlibatûs. Nam 1. ad ipsos etiàm pertinent generales rationes, de honestate, utilitate, imò & necessitate Conjugii pro ratione circumstantiarum. *Gen.* II, 18. *Non est bonum, hominem esse solum*, &c. *Eccl.* 4, 9. *Meliores sunt duo, quam unicus*, &c. *Hebr.* 13. 4. *Honorabile est inter quosvis Conjugium, & cubile impollutum.* Qui Ecclesiasticos & Religiosos excipiunt, dùm exceptionem suam non probant, nec probare possunt, censendi sunt decipere.

2. Consonant exempla Patriarcharum, Prophetarum, & Prophetissarum, nec non Nasiræorum, Levitarum, Sacerdotum, ipsiusque adeò Sacerdotis summi, sub V. T. ubi de Conjugii prohibitione ne hilum; sed leges & præcepta varia pro eo. Ac porro in N. T. *Matth.* 8, 14. Christus dicitur socrum Petri febricitantem miraculosè sanâsse. Uxorem igitur habuit Petrus. Insignis etiàm est locus 1 *Cor.* 9, 5. *Annon licet nobis sororem uxorem circumducere, ut & reliquis Apostolis, & fratribus Domini, & Cephæ?* Reliqui igitur Apostoli, & fratres Domini, & nominatim Cephas sive Petrus, uxorem quique suam circumduxerunt; eoque magis oneri fuerunt Ecclesiis; quod Paulus & Barnabas non item fecerunt, ut Ecclesiis parcerent.

3. Disertè etiam de Ministris N. T. *Tit.* 1, 5, 6. *Constituas oppidatim Presbyteros, sicut ego tibi ordinavi. Siquis est inculpabilis, unius uxoris vir, liberos habens fideles, qui non sint obnoxii crimini luxus, aut subjici nescii.* Similiter 1 *Tim.* III, 2, 4, 5. *Oportet igitur Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, -- Qui suæ domui bene præsit, qui liberos habeat subditos, cum omni honestate. Nam siquis propriæ*

propriæ domui præesse nescit, quomodo Ecclesiam Dei curabit? Qui unius uxoris vir est, domui suæ benè præest, & liberos habet subditos, ac porrò virtutibus & donis ibi commemoratis est instructus, is idoneus est qui eligatur in Episcopum.

4. Apostolus 1 *Tim.* 4, 1, 2, 3. diserte prædixit *fore, ut posterioribus temporibus desciscerent quidam à fide, attenti spiritibus deceptoribus ac doctrinis Dæmoniorum; Prohibentium contrahere Matrimonium*, &c. Unde liquet, prohibitionem Matrimonii & Esculentorum sub N. T. non esse doctrinam Dei, Apostolorum, fidorumque Doctorum; sed deceptorum, hypocritarum, imò & Dæmoniorum. Quod accipiendum de prohibitione tùm Matrimonii; tùm etiàm Alimentorum, quæ & quatenùs Deus concessit ad usum rectum & pium; undè nullo saltem modo excipi debet Matrimonium Ministrorum Ecclesiasticorum, cujus concessionem & usum ipse Apostolus, eodem Spiritû, quo hanc defectionem prædixit, etiàm docuit præcedenti *cap.* III.

XC. *Obj.* 1. Salvator noster ex Virgine natus est: atque ipse cœlebs vixit. Ergò *Resp.* Natus est ex Virgine; sed Viro desponsatâ, & in familiam ejus assumtâ: nec ipse contraxit Matrimonium secundùm carnem; quia non venerat Genus humanum carnali generatione propagaturus; sed per sui ipsius oblationem sibi semen spirituale acquisiturus: *Jes.* LIII, 10.

Obj. 2. Paulus quoque cœlebs vixit; 1 *Cor.* 7, 7, 8. *Resp.* Esto. Verùm & ipse scripsit, 7. *Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ità, alius autem ità.* Qui igitur donum ex Deo habent non ad Cœlibatum, sed ad Conjugium iis Conjugio nequaquam est interdicendum, Et 9. *Quod si se non continent, Matrimonium contrahant: nam melius est matrimonium contrahere, quam uri.* Qui igitur in conscientia turbantur eâ causâ, & in exercitiis suis piis impediuntur, remedium

à Deo ordinatum & monſtratum adhibere omnino permittendi ſunt. Vide ibid. 26, 35, 37.

Obj. 3. Idem Apoſtolus monuit *verſ*. 5. *Ne fraudate alter alterum, niſi ſiquid ex conſenſu ad tempus quoddam, ut vacetis jejunio & precibus*. At Sacerdotes quotidie debent rei ſacræ operam dare. Ergò. *Reſp*. Apoſtolus non de qualicunque re ſacra loquitur; ſed de extraordinariis exercitiis ſupplicationis ejuſmodi, ubi precibus & jejunio vacatur pariter. Interim iſta de cauſa non ſemper, nec nimis diù, ab uſu Matrimonii abſtinendum eſſe, docet verbis proxime ſequentibus; *Et rurſum ſimul convenite, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam veſtram*. Imo ipſe Conjugii uſus Verbo & precibus etiàm ſanctificatur: 1 *Tim*. 4, 3, 5. *Tit*. I, 15. *Hebr*. 13, 4. nedùm cum omnibus exercitiis pietatis, qua publicis, quà privatis, ſit ἀσύστατος.

Obj. 4. *Tit*. I, 7, 8. *Oportet Epiſcopum inculpabilem eſſe, --temperantem, juſtum, pium, continentem* & 1 *Tim*. 5, 22. *Teipſum purum conſerva*. Ergò. *Reſp*. Apoſtolus illo contextu ad *Titum* Matrimonium nequaquam prohibuit, vel excluſit; imo incluſit, tanquam legitimum medium continentiæ: ideo enim proxime præmiſit, *verſ*. 6. *Siquis eſt inculpabilis, unius uxoris vir, liberos habens fideles*, &c. Similiter altero ad *Timotheum*, voluit ut ipſe ne quidem peccatis alienis communicaret, quemadmodum præceſſit proxime: non autem ut exiſtimare deberet Matrimonium puritati adverſum eſſe, ſaltem in Epiſcopo, qui ejuſdem epiſtolæ *cap*. III, 2. ab eodem Apoſtolo edoctus erat; *Oportet igitur Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum*, &c.

Obj. 5. Aliqui Patres valde laudârunt & commendarunt Virginitatem & Cœlibatum; maxime in Miniſtris Eccleſiaſticis: *Hieronymus* adversus Jovinianum, &c. *Reſp*. Sed negamus ab initio fuiſſe ſic. *Clemens Alexandrinus* Stromatum lib III. ſerio talibus obſiſtit: atque idem egerunt alii. Memorabilis eſt ſententia

Æneæ

Æneæ Sylvii, seu Papæ *Pii II.* quam commemorat *Platina* in ejus vita; *Sacerdotibus magna ratione sublatas Nuptias, majori restituendas videri.*

XCI. Perperàm quoque distinguunt iidem *Adversarii* inter primas Nuptias, & inter secundas post obitum prioris conjugis; quasi hæ minus essent bonæ; & personam omnino redderent inhabilem ad ordinem Ecclesiasticum. Hic autem à Romanensibus non adeo discrepant *Græci*; qui mortuâ priore conjuge, non permittunt Ministrum Ecclesiasticum transire ad secundas Nuptias; aut si quis extra S. Ministerium constitutus secundas Nuptias contraxerit, eum, tanquam δίγαμον, à Ministerio arcent. Malè. Nam 1. quæ rationes suadent Nuptias primas, mortuâ conjuge suadere etiàm possunt secundas, vel tertias; utpotè, *Non bonum est, hominem esse solum*, &c. Item, *Propter scortationes suam quisque uxorem habeto, & propriam quæque virum habeto*, &c.

2. Paulus disertè non minùs de viduis, quam de cœlibibus, 1 *Cor.* 7, 8, 9. *Quod si se non continent: Matrimonium contrahant.* Atque iterùm. 39. *Uxor alligata est lege quamdiu vivit vir ipsius: quod si obdormiverit vir ipsius, libera est ad cui velit nubendum; tantum in Domino.* Et de mulieribus viduis, 1 *Tim.* V, 14. *Velim igitur juniores nubere*, &c.

3. Christus casum sibi propositum de muliere septem maritis ex ordine nuptâ, *Matth.* 22, 25, 26. minimè improbavit; quasi posteriores nuptiæ fuissent illicitæ, vel minus bonæ.

4. Manifesta est ratio; quia persona mortua non ampliùs habet partem in hâc vitâ; neque consequenter impedire potest, quô minùs qui fuit ejus maritus, aut quæ uxor, transeat ad altera vota.

Obj. In Episcopo, vel etiàm Diacono eligendo, requiritur *Tit.* 1, 6. 1 *Tim.* 3, 2, 12. ut sit *unius uxoris vir*: ergò. *Resp.* Scil. non δίγαμος, aut πολύγαμος si-

multaneus; qui pariter haberet consuetudinem cum uxoribus pluribus; vel unâ, aut pluribus malè repudiatis aliam duxisset, ex vitioso more tum Judæorum tum etiam Gentilium; à quo non statim omnes, Ecclesiæ Christianæ nomen dantes, erant immunes; quique tolerari potuit aliquantisper, per prima illa initia, in Christianis novitiis: at quo minùs istud malum permaneret, & defenderetur in Ecclesiâ, saltem tales à S Ministerio debuerunt arceri. Aliter res habet in digamiâ successiva: cujus enim prior conjux diem suum obiit, is desiit illi obstrictus esse conjugali vinculo, alteram vero ducens uxorem, non duarum uxorum, sed unius vir iterum evadit. Similiter de viduâ ad Ecclesiæ ministerium allegenda, cautum est 1 *Tim.* 5, 9. ut *fuerit unius viri uxor.*

XCII. Sed nulli homini solvere Matrimonii vinculum licet; *Matth.* 19, 6. Solutum tamen, vel non fuisse contractum, ex Verbo Dei declarare licet, quibus facultatem illam tum in Politiâ, tum in Ecclesiâ ipse dedit, qui non est incompositi statûs auctor, sed pacis, atque omnia decenter & ordine fieri vult; 1 *Cor.* 14, 33. 40. Talem igitur casum unum expressit Christus, *Matth.* 5, 32. *Quisquis dimiserit uxorem suam, extra rationem scortationis, facit ut ea mœchetur.* Et 19, 9. *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob scortationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Ubi exceptio causæ fornicationis, sive adulterii, ostendit, virum, qui dimittit uxorem adulteram, & aliam ducit, non peccare. Totalis dimissio intelligitur; non partialis, quoad thorum tantum: de illâ enim erat sermo, & disertè exprimitur, de aliâ in prioris locum ducendâ. Nisi ista fiant adulterii causâ, mœchatur vir sic dimittens & ducens; quia prius vinculum non est solutum: quin & mulier conditionem repudii facile accipiens, atque alteri nubens, similiter adulterium committit; nec non alter ille qui sic dimissam ducit.

Alte-

Alterum casum Matrimonii dirimendi expressit Apostolus, 1 *Cor.* 7, 12, 13, 15. *Si quis frater uxorem habet infidelem, quæ libens consentiat ad habitandum cum eo, ne eam dimittito: Et uxor, quæ habet virum infidelem, qui libens consentiat ad habitandum cum eâ, ne eum dimittito.- At si infidelis sese separet, separatus esto: non est servituti subjectus frater, aut soror, in hujusmodi* rebus. Scilicet in malitiosâ illa desertione pars deserens, similiter ut adulterium committens, reipsâ rumpit vinculum mutuum, ac desinit esse una caro cum alterâ: ac proinde hæc desinit etiàm obligari. Confer 1 *Tim.* 5, 9. *Quodsi quis suis, & maxime domesticis, non providet, fidem abnegavit, & est infideli deterior.* Consequenter ubi constat de adulterio, aut de malitiosâ desertione, Magistratus Politicus Politicè potest declarare, partem innocentem jàm esse ab illo vinculo liberatam, ac proinde habilem ad contrahendum alterum Matrimonium. Quemadmodùm Theologi ex Verbo Dei etjam declarare possunt, istam à priore vinculo libertatem, ac de novo contrahendi facultatem, in conscientiâ coram Deo esse licitam & validam.

Obj. Matth. 19, 6. *Quod Deus conjunxit, homo ne separato:* Ergò. *Resp.* Inde solum sequitur, peccasse eos, qui adulterio, aut malitiosâ desertione, separationem fecerunt; non vero, peccare eos, qui illam factam esse deinceps pronunciant.

XCIII. Sed nequaquam admittimus alias Matrimonii prorsùs dirimendi causas. Imò verò negamus, contra *Pontificios*, Divortium Religionis gratia, h. e. vitæ Monasticæ ergo, faciendum esse; tum in Matrimonio consummato, quamvis forte communis consensus isto tempore adsit; tum etiam in Matrimonio rato, quamvis non consummato. Et quidem 1. ob generalem Christi sententiam, *Matth.* 19, 6. *Non amplius sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus conjunxit, homo ne separato.*

2. Specialius cavit Apostolus, 1 *Cor.* 7, 5. *Ne fraudate alter alterum; nisi si quid ex consensu ad tempus quoddam, ut vacetis jejunio & precibus; & rursum simul convenite, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Unde satis manifestum est, quod non liceat Matrimonium ratum prorsùs abrumpere Religionis causa: nunc enim, eo ipso quod Matrimonium ratum est, *uxor proprium corpus non* amplius *habet in potestate; sed vir: similiter autem & vir, proprium corpus non habet in potestate; sed uxor:* 1 *Cor.* 7, 4. Atque item, quod personæ, quarum Matrimonium est consummatum, ne quidem consensû mutuo id prorsus debeant abrumpere; cùm ob rationem adjectam, usum solummodò intermittere iis liceat ad quoddam tempus.

3. Non licet Liberis, arbitratû proprio, se, aut sua, Parentibus suis subtrahere, Religionis etiam Divinitus institutæ causâ, ad quam illi speciale istiusmodi mandatum non habent: *Matth.* 15, 5, 6. Multo minus id licet alteri Conjugum, ubi Matrimonium modo ratum est, quamvis non consummatum.

4. Vita Monastica prorsus superstitiosa est, & ab hominibus male introducta, sub Religionis prætextû. Eô magis igitur hîc quadrat illud Christi, *Matth.* 15, 6. *Irritum fecistis præceptum Dei per traditionem vestram.*

XCIV. Similiter contra *Anabaptistas* quosdam asserimus, non alias legitimi Divortii causas esse admittendas; & specialius Divortium propter Excommunicationem alterius partis non esse licitum: nam 1. tale Divortium in SS. Literis nusquam docetur, aut approbatur.

2. Matrimonium ad statum naturæ pertinet, atque ex eo ad statum gratiæ & in Ecclesiam traductum est: Excommunicatio vero pertinet ad Ecclesiam institutam. Gratia autem naturam perficit quidem, sed minimè destruit: ac proinde non destruit statum, qui jam ante lapsum obtinuit; sed sanctificat eum quoad fieri potest: 1 *Cor.* 7, 14. 3. Ex-

3. Excommunicatus haberi quidem debet *ut Ethnicus & Publicanus*; *Matth.* 18, 17. sed non deteriore loco: at vero cum Ethnico, vel publicano, quia talis est, non licet Divortium facere: 1 *Cor.* 7, 12, 13.

Obj. Apostolus prohibet, ne fideles cum excommunicatis habeant commercium, ne commisceantur, nec unà edant quidem; 1 *Cor.* 5, 9. 11. 2 *Thess.* III, 15. Ergò. *Resp.* Omnis non necessaria familiaritas prohibetur, in ordine ad Ecclesiasticam societatem, & ad communicationem in peccatis, ob quæ illi sunt excommunicati, & de quibus istâ ratione ad pudorem debent adduci. Confer *Tit.* III, 10, 11. 2 *Joh.* 10, 11. Verùm sic non laxantur vincula Politica, aut OEconomica, quibus alii aliis obstricti sunt.

XCV. Ex loco *Deut.* 24, 1,-4. patet, inter Israelitas usitatum fuisse *Repudium*, & Politicè permissum, aut toleratum, ad evitanda graviora mala in Politia; atque adeo non punitum, nec prohibitum statuto Politico: non fuit tamen Ethice permissum, aut in conscientia coram Deo licitum. Probatur hoc 1. ex assertione Christi, *Matth.* 5, 13, 32. *Dictum est autem; Quisquis dimiserit uxorem suam, det ei libellum abscessionis. Ego vero dico vobis, Quisquis dimiserit uxorem suam, extra rationem scortationis, facit ut ea mœchetur.* &c. Eadem sententia repetitur, 19, 9. Atqui Christus non fuit novus Legis-lator; sed eadem Lex moralis indè ab initio fuit communis norma morum vivendi; quam Christus propterea à corruptelis Pharsæorum, aliorumque similium, repurgavit, suæque integritati restituit.

2. Ex probatione Christi, per argumenta à prima institutione Matrimonii desumta, cum ipsi quæstio à Phariseis esset proposita, 19, 3,-6. *Licetne homini dimittere uxorem suam quavis ex causa;? Ille respondens dixit eis; Non legistis,* (Gen. I, 27,) *Opificem ab initio fecisse masculum & feminam? Et dixisse;* (*II*, 24.) *Propterea*

 relin-

relinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur uxori suæ, & qui duo fuerant, *erunt una caro. Itaque non amplius sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo ne separato.*

3. Ex defensione istius sententię, tum adversùs Pharisęorum objectionem; tum etiàm adversus difficultatem ab ipsis Discipulis motam; *Matth.* 19, 7, 8. *Dicunt ei* (Pharisæi); *Cur ergo Moses præcepit dare libellum discessionis, & eam dimittere? Dicit eis; Quoniam Moses pro duritia cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: cæterum à principio non fuit ità.* Porro autem 10, 11. *Dicunt ei Discipuli ejus; Si tale est negotium hominis cum uxore, non expedit uxorem ducere. Ipse vero dixit eis; Non omnes sunt capaces hujus sermonis, sed ii quibus datum est.* Scilicet; ab hac nubendi necessitate non possunt esse omnes liberi, nisi quibus datum est Divinitus. Confer 1 *Cor.* 7, 7.

4. In eandem sententiam optime etiàm accipitur locus *Mal.* II, 14, 15, 16. *Quoniam Jehova testis est inter te, & inter uxorem adolescentiæ tuæ, in quam tu prævaricaris; cum ipsa sit socia tua, & uxor fœderis tui. Et an non unum fecit;* (Adamum scil. ex cujus costa formavit Evam; eamque sic illi conjunxit, ut isti duo essent in carnem unam.) *dum residuum spiritus erat ei?* (Ita ut plures feminas ab initio creare potuisset, & Adamo conjungere; nisi duorum tantum individua societas in Matrimonio ipsi placuisset) *Et quid unus iste? Quæsivit semen Dei.* (Prolem legitimam, secundum ipsius Dei ordinationem & benedictionem.) *Idcirco cavete in spiritû vestro, &. ne prævaricemini.* Sic Deus populum ab isto peccato dehortatur.

XCVI. *Polygamia* hîc intelligiter, cum quis maritus plures uxores habet simul. Ea 1. adversatur primęvæ institutioni Matrimonii; *Gen.* II, 23, 24. ubi Eva ex costa Adami formata, ei Connubio juncta est; atque edictum, ut etiàm deinceps maritus & uxor essent

essent in carnem unam. Istòc Christus provocat, *Matth.* 19, 5. *Qui duo* fuerant, *erunt una caro.* Atque item Paulus, *Eph.* 5, 31. non solùm repetivit eadem: sed & similitudinem transtulit ad Ecclesiæ unionem cum Christo; & cuique marito officia sua circa uxorem suam indè deduxit, *vers.* 33, 34,

2. Idem Paulus etiàm disertè, 1 *Cor.* 7, 2. *Propter scortationes, suam quisque uxorem habeto, & proprium quæque virum habeto.* Et *vers.* 4. *Uxor proprium corpus non habet in potestate, sed vir: similiter autem & vir proprium corpus non habet in potestate, sed uxor.*

3. In Episcopo etiàm, vel Presbytero eligendo, prærequiritur conditio, ut sit *irreprehensibilis*, sive *inculpabilis*, *unius uxoris vir*; 1 *Tim.* 3, 2. *Tit.* 1, 6. Atque item, ut *Diaconi sint unius uxoris mariti*; 1 *Tim. III*, 12. Quin, & de viduâ in Ecclesiæ ministerium allegendâ, cautum est, 1 *Tim.* V, 9. ut *fuerit unius viri uxor.* Undè omninò sequitur, polygamum simultaneum non esse irreprehensibilem, aut inculpabilem.

4. Imò & vestigium aliquod istius Juris naturalis comparet in quibusdam Bestiis; utpotè in Avibus illis, quarum solarum usum admisit Deus olim in Sacrificiis; Columbis & Turturibus: similiter etiàm in Oloribus, &c.

XCVII. Polygamia adhùc obtinet, & licita putatur, apud *Muhammedanos*, & *Gentiles*: eadem fuit sententiæ quorundam fanaticorum; utpotè *Bernardini Ochini*, *Davidis Georgii*, &c.

Obj. 1. Viro jure Divino concessa est potestas præ uxore. Ergò. *Resp.* Sic tamen ut hæc sit ejus socia: *Mal.* II, 14. Ubi quis autem plures uxores ducit, tùm hæ deprimuntur nimiùm: tùm ille multis se difficultatibus implicat, quibus ejus potestas vel prorsùs infringitur, vel in tyrannidem degenerat.

Obj. 2. Ad majorem Generis humani propagationem videtur illa conducere. Ergò. *Resp.* Verùm non

non est quærenda qualiscunque propagatio; sed secundùm ipsius Dei duntaxat ordinationem; Τοῦ γὰρ γένος ἐσμέν, *Act.* 17, 28.

Obj. 3. Polygamia suam vetustatem habet: & nititur exemplis plurimorum Patriarcharum. Ergò. Resp. *Sed ab initio non fuit ità*; *Matth.* 19, 8. & alia quædam peccata, utpotè Mendacium atque Homicidium, antiquiora sunt; *Job.* 8, 44. neque tamen proptereà desierunt esse peccata. Lamech, Adami per Kaïnum trinepos, primus legitur duas uxores duxisse, *Genes.* 4, 19, 23. Jacobum, Davidem, Salomonem, aliosque Polygamiâ peccasse dicimus; quia contra primævam & sanctam Matrimonii institutionem, & ordinem quærendi seminis Dei, egerunt; neque quicquam constat de dispensatione circa istam Legem in illis à Deo factâ.

Inst. Non subjicitur illis narrationibus reprehensio, vel improbatio, aut pœnitentia. *Resp.* Improbatio satis colligitur ex primævâ Matrimonii institutione, & aliorum praxi meliori. Neque mirandum, si specialis ejusmodi pœnitentia non commemoretur, cùm & plurima alia facta silentio involvantur. Loti ebrietas, & incestus cum utraque suâ filia, commemoratur similiter, non expressâ ibidem reprehensione, vel improbatione, aut speciali illius pœnitentiâ de istis peccatis, *Gen.* 19, 30, -.

Obj. 4. 2 *Sam.* 12, 7, 8, 9. *Sic aït Jehovah Deus Israëlis, Ego unxi te, ut esses* Rex *super Israëlem*: - *Dédique tibi domum domini tui, & uxores domini tui in sinum tuum*: &c. Ergò. *Resp.* Sic beneficia in ipsum collata, eaque varia, recenset Deus: quibus ille ad majorem gratitudinem, atque obedientiam Deo præstandam, permoveri debuisset: etiàm bonum aliquod jucundum, quod ille per providentiam Dei realem, accedente permissione quâdam physicâ, & tolerantiâ quasi politicâ acceperat, in uxoribus quoque Saulis: scil. cùm haberet

ret uxores adeò multas, tantò magis abstinere debuit ab uxore, quæ Urijæ erat unica, ab adulterio sic qualificato, quin & cœde ei additâ. Sed ipsius πολυγαμίας permissio ethica indè colligi non debet: non magis quàm adulterii & incestûs ex illis, quæ sequuntur vers. 12. *Tu fecisti abscondité; egò faciam hoc coram toto Israële, & coram Sole.*

XCVIII. *Sociniani* perperam existimant, Christum & Apostolos, huic *præcepto* addidisse pro N. T. 1, quòd Concupiscentia alienæ uxoris etiàm sit adulterium: 2. quòd Polygamia, ac Divortium extra casum adulterii, sint illicita; & 3. quòd omnis Scortatio, impuritas, turpiloquium, gestus & contrectationes libidinosæ, sint prohibita.

Ad *primum* enim quod attinet; Concupiscentia alienæ uxoris adulterio accensenda est: quoniàm 1. Præcepto huic spirituali, qualis est tota Lex, etiàm adversatur; tanquàm adulterium cordis.

2. Proptereà Salomon id seriò prohibuit; *Prov.* 6, 25. *Jeremias* reprehendit; v, 8. & *Job* tam sedulò vitavit; XXXI, 1.

3. Accensetur malis fructibus ebrietatis: *Prov.* 23, 33.

4. Decimo Decalogi præcepto disertè prohibetur concupiscentia uxoris alienæ, quæ deliberationem præcedit: quæ verò suscipitur deliberato consilio, & sic intentionem talis objecti magis formatam & specialem complectitur; magis etiàm censeri debet peccatum, & ad hoc præceptum referri.

Quantum ad *secundum*; Polygamiam simultaneam, & Divortium extra casum adulterii, adversari primævæ institutioni Matrimonii, atque adeò peccatis hoc præcepto prohibitis accenseri debere; non autem haberi pro nova quadam Christi prohibitione; patet ex sup. th. 95. & 96.

Quod ad *tertium*, peccata tùm oris, tùm operis, quæ

quæ tanquam adminicula subserviunt peccatis aliis, huic præcepto magis directè & apertè adversantibus, tàm in V. quàm in N. T. solent redargui. Vide *Prov.* 6, 23, 24. VII, 5, -27. *Eccl.* 7, 5, 6, 7. *Job.* 31, 1. *Psal.* 119, 37. *Prov.* 5, 20. VII, 10, 11, 12. *Jes.* 3, 16.- *Ezech.* 16, 49. *Prov.* 23, 29, -35. *Jes.* 5, 11, -14. *Hos.* 4, 11. *Am.* 4, 4, -7. Quid quòd etiàm sub V. T. impudicitia cordis fuerit prohibita; quantô magis igitur ista oris, & operis?

XCIX. In *Octavo præcepto* supponitur *distinctio dominiorum*, de quâ vide sup. th. 12. §. *8*. Adde, naturæ consentaneum esse, ut liberi Matrimonium ineuntes, distinctas familias constituant; atque adeò distincta etiàm habeant, vel acquirant media, quæ ad familiæ sustentationem necessaria sunt. *Gen.* II, 24.

Absurdè igitur *fures* aliqui disputare interdùm presumunt, omnia debere esse communia. Nec meliùs *Monachi cœnobitæ*; atque item *Anabaptistæ* quidam.

Nam 1. ostensum est, distincta rerum dominia in *Jure naturæ* fundata esse.

2. Nisi distincta forent: rerum dominia, nullus esset locus furtis, nullus justitiæ commutativæ.

3. Non posset liberalitas exerceri; nec speciali̇ùs eleëmosynæ erogari de nostro.

4. Periret etiàm istud officium, quòd Parentes debeant filiis thesauros congerere; 2 *Cor.* XII, 14.

Objicitur 1. exemplum Ecclesiæ primitivæ; *Act.* II. 44. IV, 32. *Resp.* 1. ex facto particulari fidelium istius temporis & loci, non sequitur jus universale, quod omnes semper debeant servare. 2. Neque illo ipso tempore omnes tenebantur privata rerum suarum dominia absolutè deponere: sed potuissent ea sibi servare: *Actor.* 5, 4. Verùm liberè ac liberaliter fideles tunc plurima contulerunt ad sustentationem pauperum, & in alios usûs Ecclesiasticos, prout persuadebat necessitas. 3. Imò etiàm mox ex illis, quæ

ad

ad pedes Apoſtolorum fuerunt depoſita, factæ ſunt diſtributiones in usûs pauperum; atque ità diſtinctæ poſſeſſiones iſtarum portionum. *cap.* IV, 34, 35. *Nullus erat egenus inter eos:- diſtribuebatur autem ſingulis prout cuique opus erat.* 4. Deinceps verò ex communi praxi aliarum Eccleſiarum, ex usû collectarum & eleëmoſynarum, ex furtorum prohibitione, &c. patet, non fuiſſe illìc omnium bonorum communionem; ſed diſtincta rerum dominia.

Objicitur 2. Communio ſanctorum. *Reſp.* Ea potiſſimùm conſiſtit in pari fidelium unione myſticâ cum Chriſto, tanquàm membrorum in unum corpus, ſub iſto capite; undè fluunt qualiacunque charitatis officia pro re natâ ergâ ſeinvicem exercenda; non autem abſoluta illa communio bonorum temporalium.

C. Prohibetur interim etiàm *Fœnus*; iniquum ſcil. lucrum ex pecuniâ mutuo datâ. Non quidem omnem uſuram rejicimus; h. e. quicquid ultra ſortem recipitur; ſed immoderatam. Aliquam enim uſuram Deus permiſit populo ſuo: *Deut.* 23, 20. *Extraneo fœnerabis.* Hoc nimirùm æquum eſt, ut dùm alter meâ pecuniâ quæſtum facit, ego partem aliquam iſtius quæſtûs recipiam: ſimiliter ut ſi alteri agrum meum conſerendum cedam, æquum eſt ut pro agro partem aliquam ſegetis, aut aliud quid æquivalens, recipiam. Confer 2 *Cor.* 8, 13, 14. & *Matth.* 7, 12.

Iniquum verò fœnus cenſetur *trifariàm*:

1. Reſpectû *objectorum*; non debet accipi à depauperatis, vel attenuatis; qui non ad quæſtum faciendum, ſed neceſſitatis ſublevandæ gratiâ, pecuniàm ſibi mutuo dari petunt. Hìc charitas poſtulat, ut gratis detur mutuo. *Exod.* 22, 25. *Levit.* 25, 35, 36, 37. *Deut.* 15, 11. XXIII, 19, 20. Similiter *Luc.* 6, 35, 36. Vide etiam *Nehem.* 5, 3, - 13.

2. Reſpectû *quantitatis*; uſura quæ accipietur licitè, non debet modum excedere; ſed aptam proportio-

portionem servare cum lucro, quod ex pecuniâ, accedente alterius industriâ, percipi solet. Ubi spectandus communis mutuantium consensus, experientia, & consuetudo. Si ergò communi usû receptum sit, ut ex centum mutuo sumtis solvantur quatuor, aut tria & semis, pro usurâ annuâ; nimium accipere censendus est, qui duodecim, quindecim, viginti, vel amplius accipit; ubi scil. de sorte & usura pariter, non magis periclitatur quàm alii. Hoc palàm adversatur æquabilitati, 2 *Cor.* 8, 13, 14. & legi charitatis, *Levit.* 19, 18. *Matth.* 22, 39. *Rom.* 13, 9. *Matth.* 7, 12. *Luc.* 6, 31. 1 *Cor.* 13, 5. *Phil.* 4, 5. Vide etiàm, *Psal.* 15, 5, *Prov.* 28, 8. *Jerem.* 15, 10. *Ezech.* 22, 12. *Luc.* 19, 8.

Similiter etiàm 3. respectû *pignorum*; omninò postulat charitas & æquitas, ne in securitatem sortis, vel etiàm usuræ, accipiantur & retineantur vestimenta, vel instrumenta, necessaria, ut quis opera vocationis suæ obeat, Ecclesiam adeat, alibi honestè sese exhibeat, exercitia pietatis observet, adversùs incommoda nocturna se tueatur, &c. *Exod.* XXII, 26, 27. *Deut.* XXIV, 6, 12, 13, 17. *Ezech.* XVIII, 7, 12. XXXII, 15.

CI. Hæ conditiones observari debent; & secundùm eas judicium instituendum est de *Judæis fœneratoribus*, aliisque *trapezitis*.

Objicitur 1. Diuturna tolerantia, permissio, vel etiàm approbatio superioris Potestatis. *Resp.* Ea neminem liberat in foro conscientiæ & poli. Quibusvis hominibus superior est Deus, qui secundùm suam ipsius Legem judicat.

Obj. 2. Mercatores, majus lucrum percipiunt: nec tamen culpantur. Ergò. *Resp.* 1. Illud perpetuùm non est. 2. Nec similem de mercibus accipiendis aut de pretio sibi solvendo, securitatem semper habent mercatores; sed plurima pericula eos experiri necesse est.

3. Quin

3. Quin & ipsis ratio habenda est, ne lucrum excedat æquitatem; neque in venditione peccent adversùs charitatem & misericordiam pauperibus debitam.

Obj. 3. Necessitas postulat. Ergò. *Resp.* 1. Non sunt facienda mala, ut eveniat bonum. 2. Quomodò aliter subveniri possit hominibus cujuscunque conditionis mutuum petentibus, varia alibi exhibita sunt consilia.

CII. Sed & contra *Socinianos* hîc notamus, Prohibitionem avaritiæ, atque item luxus in alimentis & vestitû, non esse à Christo primùm profectam sub N. T. atque ità Legem eâ auctam ac perfectiorem redditam.

Ad *avaritiam* enim quòd attinet, 1. David eam deprecatur, tanquàm malam, & Legi Divinæ adversam; *Psal.* 119, 36, 37.

2. Idem alios ab eâ dehortatur; *Psal.* 62, 11. Salomon comminatione etiàm absterret; *Prov.* 15, 27. & Deus reprehendit per *Ezechielem*; XXXIII, 31.

3. *Job* protestatur, quòd ab eâ sibi caverit; XXXI, 16, -20, 24, 25.

4. Quin imò *Exod.* XX, 17. decimo Decalogi præcepto prohibita est concupiscentia omnium eorum, quæ sunt proximi nostri, etiàm in motibus primò primis: quantô magis igitur illicita, ac prohibita fuisse, censenda est avaritia?

Similiter *de luxû in alimentis* patet, ex pœnâ lapidationis, quæ decreta fuit in filios prodigos & contumaces; *Deut.* 21, 20, 21. Et XXIX, 19. grandis statuitur iniquitas ejus, qui *adderet ebriam sitienti*. Graves etiàm dehortationes, & comminationes adversùs istum luxum extant, *Prov.* 23, 20, 21, 29, -. *Jes.* 5, 11, 12, 22. *Ezech.* 16, 49. *Am.* 6, 4, 5, 6.

Atque item *in vestibus*; *Jes.* 3, 16, -. *Zephan.* 1, 8.

CIII. Quantum ad *nonum Præceptum*: adversùs

mendacia tenendæ 1. disertæ eorum prohibitiones, & præcepta veracitatis: *Levit.* 19, 11. *Zach.* 8, 16. *Eph.* 4, 25. *Jac.* 5, 12.

2. Mendacium est proprium opus Diaboli, ac filiorum ejus: *Johan.* VIII, 44. *Jes.* XXVIII, 15. *Tit.* 1, 12.

3. Sicut Deus, est Deus veritatis, & verax: *Psal.* XXXI, 6. *Rom.* III, 4. mentiri nescius; *Tit.* 1, 2. nec dolus fuit in ore Christi; *Jes.* 53, 9. 1 *Petr.* 2, 22. ità Deus veritatem vult in renibus; *Psal.* 51, 8. & suos regenerat in veritatem: *Ephes.* 4, 20, - 25. *Col.* 3, 9. 10. *Psal.* XXXII, 1, 2. *Jes.* lXIII, 8.

4. Accedit odium Dei; quod adversùs hoc peccatum nominatim aliquoties denunciatur: *Psal.* 5, 7. *Prov.* 6, 16, 19. XII, 22. XIX, 9. *Apoc.* XXI, 8. XXII, 15.

CIV. Nequaquàm verò excipimus *mendacia officiosa*, quibus quis sibi ipsi, vel etiàm aliis prospicit, ad ignominiam vel damnum evitandum, aut bonum utile vel jucundum consequendum. Nam 1. argumenta modò producta, generalia sunt; & hæc etiàm redarguunt.

2. Non sunt facienda mala ut eveniat bonum: *Rom.* III, 8. atque ab omni specie mali abstinendum est: 1 *Thess.* 5, 22.

3. Nullum mendacium est ex veritate: 1 *Johan.* II, 21.

4. Causam Dei mendaciis agere non licet; ergò nec hominum: *Job.* XIII, 7.

Obj. 1. Remedium istud aliquandò necessarium est, ut quis hostium manûs effugiat, violentiam hominis furiosi avertat, &c. Ergò. *Resp.* Imò quibusvis aliis modis, veritati & juri consentaneis, id prudenter tentandum est: sin minûs, quidvis patiatur homo potiùs, quàm mendacio suo Dei inclementiam adversùm se concitet, & apud alios hoc sibi conciliet, ut deinceps ne quidem vera dicenti fides habeatur.

Obj.

Obj. 2. Exempla quædam in SS. Literis occurrunt, *Gen.* XVIII, 15. XXVII, 19. *Jos.* II, 5, 6. *Matth.* XXVI, 72. *Resp.* Ista non probant jus; sed αὐθεντίαν historiæ solum habent: adeoque ipsa mendacia approbata censeri non debent.

Obj. 3. Speciatim de obstetricibus mulierum Hebræarum, *Exod.* I, 19, 20. *Resp.* 1. Si mentitæ fuerint, peccârunt eatenùs: neque ista fuit causa benedictionis Divinæ, quam perceperunt; sed beneficentia in Israëlitas. 2. Interim certum non videtur, eas esse mentitas: quod enim dixerunt, fœminas Hebræas fortiores fuisse Ægyptiis, satis est verosimile; tùm ex Divinâ in ipsas benedictione; tùm ex laboribus ac molestiis, quibus erant assuetæ. Itemque, quod dixerunt, peperisse Hebræas ante obstetricum adventum, non videtur, in plærisque saltem, a vero alienum; maximè si obstetrices eas de mandato Regis fecerint priùs certiores, atque istiusmodi consilium dederint.

CV. Eadem est ratio *æquivocationum* & *mentalium reservationum*, quod potissimùm contra *Iesuitas* tenendum.

Æquivocationes dicuntur locutiones ambiguæ, quibus, dùm alio prorsùs sensû usurpantur, quam alter existimat, dolus committitur, atque ità peccatur contrà sinceritatem & charitatem; ad imitationem scil. patris mendaciorum ac fraudum.

Mentales verò *reservationes* intelliguntur, ubi orationis pars tantùm aliqua foràs profertur, altera verò in mente reservatur, quæ ad illius integritatem & veritatem omninò requiritur: ut si quis quod hodiè vel heri fecit, dicat *se non fecisse*; atque in mente reservet, *abhinc annum, aut sæculum*; vel, *eo fine ut alteri hoc narret* &c.

Sed etiam in his 1. ipsa enunciatio falsa est, & animo dicentis minimè consentanea: quod autem in mente reservatur, non est λόγος προφορικὸς; atque ad-

 eò

eò nec pars enunciationis, per quam suppleri posset defectus veritatis ethicæ.

2. Reprehenduntur ac prohibentur occultæ istiusmodi fraudes; & pii eas à se removent: *Psal.* XII, 3. *Jerem.* IX, 8. 1 *Petr.* II, 1. 2 *Cor.* IV, 2.

3. Commendatur sinceritas, a quâ istæ artes prorsus alienæ sunt: *Iac.* V, 12. *Ioh.* 1, 48.

4. Istæ artes adversantur charitati: nemo enim secum ità agi velit, in rebus ad ipsum pertinentibus.

CVI. *Obj.* 1. Non omnis veritas omnibus, & semper, & planè dicenda est: ergò. *Resp.* Concedimus antecedens: videndum enim quid necessitas, vel utilitas respectû gloriæ Divinæ aut respectû proximi nostri, poscat, vel etiàm prohibeat. Sed verum saltem esse oportet illud, quod dicitur: hoc autem istìc non fit.

Obj. 2. Abraham, *Gen.* XXII, 2. dixit de Sarâ uxore suâ; *Soror mea est*. Ergo. *Resp.* Verba ista in se vera fuerunt, quemadmodum ipse explicuit, *vers.* 12. Fraudem interim commisit Abraham; dum veritatem necessariam celavit; *vers.* 11. Debuisset enim uxorem potius profiteri, quam ejus pudicitiam in periculum tàm evidens adducere.

Simile est exemplum Isaaci, *Gen*: XXVI. 7,-

Obj. 3. *Joh* XI, 11. Christus Lazari mortem somnum appellavit. Ergo. *Resp.* Metaphoricè: ac potissimum eam mortem, undè ille tam brevi esset excitandus. Dum vero discipuli istam veritatem non capiebant, exposuit eam apertè, *vers.* 14. 15.

Aliud exemplum ferè simile est *Matth.* IX, 24, 25.

Obj. 4. Christus *Marc.* XIII, 32. dixit, se ignorare diem judicii. *Resp.* Id planè accipiendum est de ipso secundum humanam naturâ, & intellectum humanum.

Obj. 5. Paulus *Act.* XXIII, 5. dixit, se nescivisse istum esse Pontificem maximum. *Resp.* Id ab ipso vere ac sincere dictum existimamus; dum in illo Judæorum consessu omnia admodum confuse agebantur.

Obj.

Obj.6. Idem, *verſ.5, clamavit in conſeſſu; Viri fratres. ego Phariſæus ſum, filius* Phariſæi: *de ſpe & reſurrectione mortuorum ego in judicium vocor. Reſp.* Vere erat Phariſæi filius; atque ipſe deinceps in Phariſaiſmo educatus & inſtitutus; imo etiam adhuc in iis quæ inter Phariſæos & Sadducæos ſolebant controverti, Phariſæorum ſententiam tenebat; ac nominatim de reſurrectione mortuorum, inſigni illo capite Religionis. Interim minime negavit, ſe Chriſtanum eſſe, vel Apoſtolum quanquam iſto tempore id non dixit: ſed & perrecturus, atque iſtud confeſſurus fuiſſe videtur; niſi per ſeditionem fuiſſet impeditus, *verſ.* 7. Confer XXIV, 14-15. 16. XXVI, 4,--23 & 1 *Cor.* XV, 3, 4, 12,-

CVII. *Perfidia* huc etiam referenda eſt; fraus, qua quis dictis aut promiſſis non ſtat. *Pſal.* XV, 4. beatus prædicatur, qui cum *juravit in malum,* h. e. in detrimentum ſuum, *non mutat.* Nec admittenda eſt exceptio in fide data infidelibus, vel hæreticis; propter argumenta generalia ſuperius producta.

Addi poſſunt ſpecialia; 1. A reprehenſione perfidiæ filiorum Jacobi in Sichemitas: *Gen.* XXXIV. 25,-30. XLIX, 5. 6, 7.

2. Ab exemplo, cum quadam commendatione memorato, fœderis a Joſua & primoribus Iſraelitarum imprudenter pacti cum Gibeonitis, attamen religiose ſervati. *Joſ.* IX, 15,-21. X 10,-14.

3. A pœnis Sauli & populo ejus immiſſis, quod fœdus iſtud violaſſet: 2 *Sam.* XXI, 1, 2.

4. Ab improbatione perfidiæ Zedekijæ in Nebucadnezarem; 2 *Chron.* XXXVI, 13.

Contraria erat ſententia & praxis *Concilii Conſtantienſis*; quod Imperatores & Principes poſſent ac deberent reſcindere ſalvum conductum hæreticis, aut de hæreſi ſuſpectis, datum; ubi ita viſum eſſet Judici Eccleſiaſtico. Quod ipſum ſatis aperte agnovit *Concilium Tridentinum*, Seſſ. 2.

Quod autem dicitur in negotio *Iohannis Hussii*, & *Hieronymi Pragensis*, salvum conductum ab Imperatore Sigismundo datum quidem fuisse Politicè; sed Concilium, tanquàm Judicem competentem & superiorem, aliter censuisse; id Antichristo, & filio perditionis dignum quidem est; sed minimè consentaneum SS. Literis.

CVIII. Tenendum & hîc contra *Socinianos*, Christum & Apostolos non primùm sub N. T. prohibuisse Mendacium temerarium, Simulationes ac Dissimulationes, itémque Detractiones, & Condemnationes temerarias. Nam 1. omne *mendacium* in universum, atque adeò etiàm *temerarium*, non verò hoc solum, probavimus illicitum esse, & semper fuisse, productis quoque testimoniis ex V. T. & rationibus ad ipsum etiàm pertinentibus.

2. De *simulationibus*, ac *dissimulationibus*, quatenùs in iis falsitas aliqua asseritur, aut veritas necessaria celatur, idem manifestum est: nec non de *detractionibus*, & *condemnationibus temerariis*. Admodùm diserta sunt inter alia, quæ extant *Levit.* XIX. 11. 15. 16. *Psal.* XV. 1. 2. 3. CI. 2. 4. -7.

CIX. Succedit tandem *decimum Decalogi præceptum*. *Exod.* XX. 17. *Deut.* V. 21. Confer *Rom.* VII. 7. & XIII. 9. Ex quibus inter se collatis statim colligimus, hoc reverâ unicum præceptum esse, non duo distincta; contrà quàm velint *Pontificii*, quos hîc temerè sequuntur *Lutherani*; ut suppleant numerum denarium, postquàm in gratiam imaginum suarum *secundum præceptum* negârunt esse distinctum *à primo*.

Nam 1. Paulus manifestè indicat, distincto quodam præcepto prohiberi qualemcunque inordinatam concupiscentiam; dum breviter dixit, *Non concupisces*.

2. Prohibetur generatim concupiscentia omnium eorum, quæ sunt proximi nostri, ut pariter in *Exodo* & in *Deuteronomio* apparet; ubi species quædam recensentur,

sentur, & reliquæ omnes istius generis palàm indicantur porro: acproinde non debent hic ita spectari specialia objecta, ut pro eorum distinctione præcepta quoque distinguerentur; sic enim non duo tantum, sed multo plura, forent statuenda.

3. In *Exodo* prius recensetur domus proximi, deinde ejus uxor, &c. in *Deuteronomio* contrà prius uxor proximi, deinde ejus domus, & reliqua quæ sunt ipsius. Utrum igitur dicendum potius *nonum*; utrum *decimum præceptum*? *Adversarii* hic ordinem in *Deuteronomio* expressum sequi malunt: verum sic in *Exodo*, ubi ipsius Dei oraculum describitur, post octo priora præcepta, proposita fuisset pars aliqua *decimi præcepti*, deindè *nonum præceptum*, ac deinceps reliqua ad supplementum *decimi præcepti* necessaria; quod a Legislatore sapientissimo, qui idem est Deus ordinis, alienum censeri debet. Sed minus mirandum, si Mosis in sua repetitione, quæ extat *Deut.* v. accurate servato ordine ac distinctione singulorum præceptorum, in hoc vel isto speciali præcepto ordinem verborum nonnihil immutaverit, vel etiam objecta specialia aliquanto plenius expresserit; rei magis intentus, quam verbis: sicut etiam factum in *quarto præcepto*, &c.

4. Omnia ista ad concupiscentiam spectantia unico tantum versu comprehenduntur; etiam in Bibliis interlinearibus Antverpiæ editis, &c. cum tamen alia præcepta, quantumvis brevia, utpote sextum, septimum, & octavum, singula distinctis versibus sint comprehensa.

Obj. 1. Distincta est concupiscentia uxoris proximi, sub ratione boni jucundi; a concupiscentia servi, bovis, &c. sub ratione boni utilis: Ergo. *Resp.* Nego consequentiam: quia 1. si conditio objectorum, modusque specialis in ea tendendi, spectetur, jam peccata ista præceptis superioribus prohibita sunt. 2. Et

quidsi quis uxorem alterius concupisceret sub ratione boni utilis; vel ancillam, aut agrum, &c. sub ratione boni jucundi?

Obj. 2. Ante prohibitionem sculptilium non præcedit nota ס; quæ in *Deuteronomio* statim sequitur post verba, *ne concupiscas uxorem proximi tui.* *Resp.* Ista nota ס, aut פ, non est authentica: sed a descriptoribus curiose, & sæpe sine judicio addita, ad indicandum, quomodo ista periodus, aut istud colon, in priori exemplo, unde facta erat descriptio, cohæserit cum antecedentibus; eademne linea, an distincta.

CX. Motus primo primi, ex habituali peccato inhabitante proficiscentes, hoc præcepto proprie prohibentur: quos consequenter vere peccata esse asserimus, contra *Pontificios*, *Remonstrantes*, aliosque *Perfectistas*.

Hoc distincte *probamus*, 1 ex diserto Apostoli testimonio, *Rom.* VII. 7. Talis autem cupiditas, sive concupiscentia, istic prohibetur, qualem pro peccato non reputant quotquot Legem illam sanctam & spiritualem non recte didicerunt; atque adeo etiam ipse Paulus non reputavit, ante actualem conversionem suam. At vero deliberatum consilium de peccato patrando, & durantem complacentiam in peccato mente concepto, vere peccata esse, non possunt ignorare quotquot vel Legem naturæ utcunque meditantur: unde necessum est, priorem & subtiliorem quandam concupiscentiam istic intelligi.

2. Ex definitione peccati, 1 *Iohan.* III, 4. ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. Sed prima illa concupiscentia actualis discrepat a Lege, & fit contra eam. Lex enim spiritualis est; *Rom.* VII, 14. & obedientiam postulat ex toto corde, integris viribus, omni cogitatione; *Matth.* XXII, 37. *Luc.* X, 27.

3. Procedit ex malo principio: *Matth.* XV, 19. *Gal.* V, 17. 1 *Ioh.* II, 16. Atqui non potest arbor mala fru-

ctus

ctus bonos edere: *Matth.* VII, 18.

4. Ab effectis: ipsa enim hominem seducit, & peccatum ulterius producit: *Jac.* I, 14, 15.

Sed etiam hic statuendum, primæ istius concupiscentiæ actualis principium prohiberi eadem opera; ipsum scil. *peccatum originale inhærens*, & *qualemcunque vitiositatem habitualem*: eorumque *reliquias in ipsis regenitis*.

Obj. 1. In his non præcedit deliberatum consilium; atque adeo non sunt voluntaria. Ergo. *Resp.* Nego consequentiam: quia peccatum originale inhærens, est moralis quædam vitiositas, Legi Divinæ adversa, voluntaria in causa; imo etiam in nobis, voluntate quadam consequente. Vitiositates autem aliæ habituales acquisitæ, insuper voluntariæ sunt voluntate antecedente & concomitante. Actualis denique concupiscentia inordinata, etiam voluntaria est voluntate quadam concomitante.

Obj. 2. Regeniti concupiscentiæ resistunt frequenter, & actum ejus reprimunt. Ergo. *Resp.* Hoc faciunt per gratiam Spiritus: iidem tamen, dum imperfecta est vita spiritualis, in se habent istum actum; eumque suum esse, & quidem ἄνομον, non possunt non agnoscere.

Obj. 3. Sunt tantum veteris hominis. Ergo. *Resp.* In regenitis recte distinguitur novus homo a reliquiis veteris hominis; attamen istæ reliquiæ sunt ejusdem personæ: *Rom.* VII, 17, 20, 23, 25. *Jac.* I, 14.

CXI. Circa hoc *præceptum* errant quoque *Sociniani*: statuentes, quod Christus ei sub N. T. adjecerit, Animum non esse oblectandum concupiscentia rei alienæ, neque fovendam ejus cogitationem. Ista enim, & plura, jam sub V. T. hoc ipso decimo præcepto fuisse prohibita, patet ex superioribus. Et Paulus ex eo colligit diserte, *Rom.* VII, 7. Confer *Psal.* CXXXI, 2.

CXII. Æquè absurdè statuunt *iidem*, Christum præter universam istam Legem, tulisse insuper alia quædam præcepta moralia; nimirùm de sui Abnegatione, de Tolerantia crucis, & Imitatione ipsius Christi.

Quod enim *primò* attinet ad Abnegationem sui; præceptum satis antiquum esse patet, 1. si respiciamus Abrahamum, *Gen.* XII. 1.

2. Eandem exigit ipsa Lex, *Deut.* VI, 5. Sic enim abneganda fuit omnis cupiditas, cogitatio, inclinatio, dilectioni & obedientiæ Dei adversa.

3. Ex Prophetis etiam facilè est colligere illud officium: utpotè *Ierem.* III, 17. IV, 3, 4. VII, 23, 24.

4. Illustria exempla quoque occurrunt, *Psal.* CXXXI, 1, 2. *Job.* XXXI, 1.

Secundo, de Tolerantia crucis, sive afflictionum, castigationum, & probationum Dei, demonstratur facilè; 1. ex *Prov.* III. 11, 12. Huc respicit Apostolus, *Hebr.* XII, 1, 5, 6.

2. Præclara etiam sunt, 1 *Sam.* III, 18. Itemque *Job.* I, 21. II, 10. *Thren.* III. 27, 39. *Mich.* VII, 8, 9. *Psal.* CXXIX, 1, 2.

3. Consimilia indicantur in N. T. ubi hæc praxis confirmatur exemplis ex V. T. depromtis: *Hebr*, XI, 25, 26. 35, -38. XII, 1. *Jac.* 5, 10, 11.

Tertiò, de Imitatione Christi satis etiam patet ex mandatis, ubi Deus sanctitatem suam sub V. T. imitandam præcepit: utpotè *Levit.* XIX, 2. si nimirum conferantur ea, quæ de Christi Θεανθρώπου obedientia, humilitate, cæterisque virtutibus, jam olim fuerunt prædicta; *Dan.* IX, 24. *Psal.* XL, 7, 8, 9. *Jes.* LIII, 6, 7. *Zach.* IX, 9. In istis enim sita est Imitatio Christi: *Matth.* XI, 29. *Phil.* II, 5, -8. 1 *Petr.* II. 20, 21.

Quin & virtutes singulæ, quas nos in Christo observare atque imitari oportet, in V. T. fuerunt etiam propositæ ac mandatæ.

CXIII.

CXIII. Cæterum Lex illa *vel* simpliciter secundum se spectatur: *vel* prout est instrumentum primi Fœderis. *Priore modo* saltem est norma obedientiæ: specifice præscribens debitum dependentiæ nostræ moralis ad Divinam ὑπεροχὴν, & jus absoluti illius Dominii: unde fluit obligatio nostri ad præstanda officia mandata, & fugienda vitia contraria. Sed hactenus Deus nullo modo obligatus est Homini, ad gratitudinem ei referendam, vel remunerationem faciendam pro obsequio & cultu sibi præstito. *Job.* XXXV, 7. *Si justus es, quid das Ei; aut quid de manu tua accepit? Psal.* XVI, 2. *Bonum meum non* pervenit *ad Te. Rom.* XI, 35. *Quis prior dedit Ei, & reddetur ipsi? Luc.* XVII, 9, 10. *Num gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ipsi edicta fuerant? Non puto. Ita & vos, cum feceritis omnia, quæ edicta sunt vobis, dicite:* Servi *inutiles sumus: nam quod debuimus facere, fecimus.* Naturaliter tamen actus humanus, siqua morali malitia laboret, eo ipso convenientem pœnam demeretur; per justitiam Dei vindicativam. Vide sup. cap. 4. th. 56.

CXIV. Vox Hebræa בְּרִית *pactum, conventionem,* & *fœdus* notat: Græci *διαθήκην* appellant; q. d. *dispositionem.* Laxiore significatu quodlibet firmum statutum, etiam de rebus inanimatis, sic nuncupatur. *Jerem.* XXXIII, 20, 25. *Fœdus meum* de *die*, & *fœdus meum* de *nocte.* Occurrit etiam generale *fœdus*, quod Deus non solum cum hominibus pepigit, sed ad bestias quoque extendit, & iride obsignavit; de mundo non perdendo per diluvium; *Gen.* IX, 9, - 16.

Fœdera autem *Politicis* sunt Conventiones publicæ, quæ fiunt jussu summæ potestatis, & in quibus populus iræ Divinæ obstringi solet, si minus stetur dictis. Per ea *interdum* idem constituitur, quod est Juris naturæ: utpote inter hostes a bello discedentes; vel etiam inter eos, qui nihil ante contraxerunt; ne scil. alii alios lædant, &c. *Interdum* Juri naturæ aliquid adjicitur.

Suntque vel *Fœdera æqualia*, συνθῆκαι; quæ utrimque ſe habent eodem modo. Vel *inæqualia*, σπονδαί; ut ſi pars potentior auxilia promittat, nec reſtipuletur; ſive majora promittat: aut reſpectu partis minus dignæ ac potentis (προςάγματα, ἐπιτάγματα;) ubi aliquando fit imperii tranſlatio, vel ſaltem imminutio, vel onera quædam imponuntur.

Fœdera item ſunt vel *amicitiæ*, vel *reconciliationis*: in *his* ſupponitur offenſa; in *illis* non item.

CXV. *Fœdus primum*, de quo nunc agendum, alias *Legale* appellatur, vel *Operum*; interdum etiam *Naturæ*: eſtque inæquale, & amicitiæ inæqualis. *Deſcribitur* autem plenius; Quod Deus cum Adamo, ac pariter cum univerſo Genere humano, quod in eo tanquam capite cenſitum fuit, ita pepigit; ut ipſum Jus naturæ, Lege comprehenſum, firmaverit, tum ſanctione pœnali adverſus tranſgreſſores, tum liberali promiſſione erga eos qui perfectam obedientiam forent conſummaturi; ad demonſtrandam per omnia ſecula gloriam poteſtatis, gratiæ, & juſtitiæ ſuæ. Conſiderabimus autem deinceps 1. ſpecialem ejus *Modum*. 2. *Confirmationem*, 3. *Signa*, & 4 *Durationem*. Ad *Modum* illum pertinet, tum *Conditio præſtanda*, quam Deus ſtipulatus eſt; tum *Ordo generis humani*, quem Deus pro ſuo jure conſtituit.

CXVI. *Conditio præſtanda*, erat perfecta totius Legis obſervantia; omnium ſcil. & ſingulorum præceptorum, quovis loco ac tempore, ſingulis actibus humanis, ad extremum virium. *Deut.* VI. 5. *Matth.* XXII, 37, 38: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. *Deut.* XXVII, 26. *Gal.* III, 10. *Execrabilis eſt, quiſquis non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis, ut faciat ea.* Jac. II, 10. *Quiſquis enim totam Legem ſervaverit, impegerit autem in uno, damnas factus eſt omnium.* Scil. propter omnimodam Hominum à Deo dependentiam; *Act.* XVII, 25, 28.

Rom. XI, 36. & Legis Divinæ ſpiritualitatem ac ſancti-tatem; *Rom.* VII, 12, 14.

Iſta autem conditio, juxta *verborum formulam* in rigore ſuo acceptam, præſtari debuit a quovis Homine. in propria perſona. *Levit.* XVIII, 5. *Ezech.* XX, 11. *Rom.* X, 5. *Gal.* III, 12. *Qui præſtiterit ea, vivet per illa* ſine ulla mentione Sponſoris, aut Servatoris.

CXVII. Quantum attinet ad *Ordinem Generis humani*: *Adamus* primus & univerſalis pater fuit omnium Hominum: ſicut Eva eorum mater: *Gen.* III, 20. Confer *Act.* XVII, 26. Sed & ipſe Adamus principium quoque Mulieris, & caput ejus: *Gen.* II, 21, 22, 23. *Eph.* V, 23. Sic omnes Poſteri virtualiter fuerunt in Adamo, tanquam cauſa prima iſtius Generis: quæ eſt *Conſideratio phyſica.* Verum ad iſtam acceſſit alia *Conſtitutio politica & fœderalis*, ut omnes Poſteri in Adamo cenſerentur: atque adeo Adamus vel eorum bono eſſet perſeveraturus in ſtatu integritatis, curſumque obedientiæ conſummaturus, ad juſtitiam & gloriam æternam; vel etiam eorum malo eſſet lapſurus, eidemque ſecum calamitati & exitio eos ſimul involuturus.

Similiter *Hebr.* VII, 9, 10. Levi in lumbis Abrahami proavi ſui exiſtens virtualiter, in eodem quoque decimas cenſebatur dediſſe Melchizedeko. Certe prohibitio Arboris ſcientiæ boni & mali, Adamo facta, *Gen.* II, 17. ad Evam extenditur, III, 3. Et ad Poſteros quoque pertinuit eadem obligatio realis (non perſonalis): hinc Protoplaſti, ubi peccaſſent, Paradiſo excluſi, & ab aditu atque uſu Arboris vitæ remoti fuerunt una cum Poſteris ſuis; terra item maledictioni ſubjecta fuit, multæque calamitates immiſſæ, Poſterorum quoque incommodo: ſtatutum ſimiliter omnibus ſemel mori; atque in univerſum omne figmentum cogitationum cordis humani evaſit malum inde à pueritia, &c. *Gen.* III, 22, 23, 24. 16, -19.

Hebr. [illegible]

Hebr. IX, 27. *Gen.* VI, 5. VIII, 21. Clarissimè etiam Apostolus, 1 *Cor.* XV, 22. *In Adamo omnes moriuntur.* „*Rom.* V, 12, 14, - 19. *Per unum hominem peccatum* in „mundum *introiit*, ac per peccatum *mors*: & ita *in* „*omnes homines mors* pervasit, *in quo omnes peccarunt.* „--- *qui* (Adamus) *est typus illius* (Christi) *qui erat* „*futurus.* --- Per *unam offensam* (reatus venit) *in omnes* „*homines ad condemnationem*, &c. Confer sup. cap. 4. th. 69.

CXVIII. Ad *Confirmationem* pertinet primo *Sanctio pœnalis*, sive Comminatio pœnarum adversus peccata, si ea committerentur. Ubi non solum Deus clarè expressit, quid Justitia sua vindicativa postularet: sed ipsi quoque Homines hanc Fœderis conditionem amplectentes, & cum libertate complacentiæ subeuntes, ex sua etiam parte se obstrinxerunt Deo per istum contractum, ad quem sic Deus per συγκατάβασιν processit. Undè magis justificantur Dei judicia adversus peccatores, quando iis facit *secundum verba fœderis*, *Jerem.* XI, 18.

Sanctio illa breviter expressa est *Gen.* II, 17. „De „fructu Arboris scientiæ boni & mali ne comedas: „nam quo die comederis de eo, *moriendo morieris.* Confer *Rom.* VI, 23. „*Stipendia peccati mors*: donum „autem Dei est *vita æterna* in Christo Jesu Domino nostro. Et v, 14, 18. „*Regnavit mors* ab Adamo usque „ad Mosen, - *in omnes homines ad condemnationem.* Item *Eph.* 2. 1, 3. *Mortui in offensis & peccatis*: -- *natura filii iræ.* Ex quibus patet, intelligendam esse omnem mortem miseram, non solum corporalem & temporalem, sed quoque spiritualem & æternam.

Paulo aliter repetita est eadem Comminatio *Deut.* 27. 26. *Gal.* 3. 10. *Execrabilis est, quisquis non manserit in omnibus*, &c. Confer *Gen.* 3. 18, 19. „*Maledicta esto terra propter te*: *cum dolore* comedito pro„ventum ejus *omnibus diebus vitæ tuæ*: eaque *spinam*

„*& carduum proferto tibi.--In sudore vultus tui vescitor cibo, donec revertaris in humum*, &c. Itemque *Levit.* 26. 14.-. *Deut.* 28. 15.-. ex quibus constat de Maledictione hujus sæculi, initiis dolorum deinceps consummandorum. Adde *Matth.* 25. 41. *Execrati, abite à Me in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus*, quod est æternum istius Execrationis complementum.

CXIX. *Deinde* ad Confirmationem istius Fœderis quoque pertinet *Liberalis promissio*. Deus enim, ex superabundanti sua bonitate ac φιλανθρωπίᾳ, gratis ac sine remuneratione quæri & coli non voluit: *Jes.* 45. 19. *Hebr.* xi. 6. Atque ita se ultro Hominibus obligavit: & quodammodo iis debitorem fecit, ubi consummatus esset cursus obedientiæ. Sic autem *Vitam* illis promisit: ut non solùm immunes essent futuri ab omni morte; verum etiam deinceps transferendi in gloriosam beatitudinem cœlestem, & proximiorem communionem ipsius Dei. Vide *Psal.* 16. 12. Ita enim *Moses describit justitiam quæ est ex Lege, quod qui præstiterit ea, vivet per illa*: *Rom.* 10. 5. *Gal.* 3. 12. *Levit.* 18. 5. *Ezech.* 20. 11. Ubi quidem reipsa eadem Vita intelligenda est, quam postmodum nobis Christus acquisivit. Vide *Rom.* 10. 4. viij. 4. Unde etiam ipse Juveni interroganti, *Quid faciam, ut Vitam æternam possideam*? mandata Legis proposuit primum, *Matth.* 19. 16, 17. ac statim *Cœlum*, Regnum *cœlorum*, vel Regnum *Dei*, appellavit, Vitam illam æternam explicans; *vers.* 21. 23. *Luc.* 18. 24.

Hactenus *pietas Promissionem habet præsentis ac futuræ Vitæ*: 1 *Tim.* 4. 18. omnis generis beneficiorum in hoc sæculo: *Exod.* 20. 12. *Levit.* 26. 3,- 13. *Deut.* 28. 1,- 14. & beatitudinis ac gloriæ æternæ in altero sæculo: *Rom.* xi. 7. Observandum interim, in gratiosa ejusmodi repetitione post lapsum, bona fere proponi convenienter præsenti Hominis conditioni; atque ita

ut

ut jus illud, respectu omnium salvandorum, nunc fundetur in Christo.

CXX. Sequuntur *Signa Fœderis illius*. Hic autem initio se offert *Arbor scientiæ boni ac mali*: *Gen.* II. 9. cujus esu Deus Homini interdixerat; *vers.* 17. ut scil. isto symbolo Hominis obedientia probaretur; eademque opera confirmaretur, si is obedientiam præstaret & consummaret, certa bonorum affluentia, & malorum immunitas; sin secus, bonorum amissio, & malorum indubitata successio. Sic enim signative accipienda est ista Arboris illius appellatio.

Obj. I. Ista Arbor videtur habuisse naturalem facultatem acuendi ingenium, & faciendi sensus magis promtos atque expeditos ad suas operationes: ac proinde ejus usu vere acquiri potuisset sapientia, aut scientia perfectior. *Resp.* Tale quidem erat seductoris & homicidæ Diaboli mendacium; *Gen.* 3. 5. cui male fidem adhibuit Mulier peccare incipiens; *vers.* 6. Sed nulla causa materialis per se producere potest effectum immaterialem. Spiritibus autem animalibus perpetuò & satis aptè restaurandis suppetebant procul dubio alia satis multa; quibus tamen ista appellatio non tribuitur.

Obj. 2. Si signum fuit ista Arbor, signum fuit mortis & miseriæ. *Resp.* Imo non minus erat *Arbor Scientiæ boni*, quam *mali*; prout obedientia præstanda esset, vel non esset: quemadmodum jam explicatum est, & conditioni Hominis sub isto Fœdere conveniebat.

Obj. 3. Sacramenta percipi debent ab Hominibus Fœderatis: at ista Arbor percipi non debuit. *Resp.* Fructus ejus edi quidem non debuit: attamen Arbor conspici, ejusque ordinatio symbolica agnosci potuit & debuit; non minus quam in Iride, *Gen.* 9. 12, 13, 14. Ac porro in aliis Sacramentis, non ejusdem modi est perceptio: 1 *Cor.* 10. 1, 2, 3.

CXXI.

CXXI. Deindè illustris erat *Arbor vitæ*, in medio Paradisi, *Gen.* 2. 9. præclarum vitæ ac gloriæ æternæ sacramentum; sed juxta promissionem & conditionem istius Fœderis. Hinc porro *cap.* 3. 22. Homo ex ea comedens, dicitur victurus in sæculum: quoniam ejus esus ex ordinatione Divina, obsignabat, & sic certo inferebat, vitam æternam; verum Homines per lapsum re signatâ destituti, usu signi necessario prohiberi debuerunt.

Obj. Vocatur potius *Arbor vitæ*, quod haberet virtutem physicam vitæ in æternum producendæ; atque adeo esset remedium contra omnes morbos, omnem corruptionem, & ipsam senectutem, &c. *Resp.* 1. Morbi & corruptiones maximam habent diversitatem: omnis autem medicatio fieri debet per contraria: consequenter ea per unam arborem, aut ejus fructus, fieri non potuit naturaliter. 2. Et quid tum de ruina ædium, incendio, vi aquarum, &c. quæ pericula alibi producunt Adversarii? 3. Neque istiusmodi remedium erat necessarium: cum omnia alimenta essent satis salubria; ipsique Homines ea sapientia præditi, ut singulis fuissent recte usuri; nec etiam alia incommoda mortifera eventura, Deo omnia benigne & potenter disponente, juxta promissionem suam, ad Hominum immortalitatem & gloriam æternam; si modo in primæva integritate, suoque officio, perstitissent.

Inst. *Apoc.* 22, 2. „In medio foro ejus (Hierosoly„mæ), & ex utraque parte fluminis erat *Arbor Vitæ* fe„rens *fructus* duodecim, per menses singulos edens fru„ctum suum; & *folia sua ad sanitatem Gentium*. Ergo etiam in Paradiso terrestri Arbor vitæ erat ad sanitatem. *Resp.* Sic per visionem & figurationem Propheticam delineatur perpetua virtus vivifica & beatifica Servatoris nostri; qui nunc sub Fœdere Euangelico vere nobis impetravit, atque etiam applicat realiter, id ipsum quod sub Fœdere Legali olim significabat Arbor illa vitæ.

CXXII.

CXXII. Affinis est consideratio ipsius *Paradisi*, Horti amœnissimi cum quatuor suis fluviis, in orientali parte Hedenis; quæ est in Babylonia, parte Mesopotamiæ, &c. *Gen.* II, 8, -. Iste enim singulari sua amœnitate, ac potissimum contenta Arbore vitæ, ipsum Cœlum tertium, sive beatorum, & gaudium æternum, quoque significavit. Unde Cœlum istud *Paradisi* nomine diserte appellatur, 2 *Cor.* XII, 2, 4. *Luc.* XXIII, 43. *Apoc.* II. 7.

Sed post peccatum Deus Homines Paradiso expulit, redituque prohibuit, appositis Cherubinis, cum flamma gladii sese vibrantis: *Gen.* III, 23, 24. Hodie autem ille superstes non est; & maxime vero simile, quod per Diluvium sit corruptus.

Vanissimum vero est *Pontificiorum* commentum, ex detorsione loci *Apoc.* XI, 3, &c. de Paradiso adhuc superstite, & Enocho atque Elia in eum translatis, ibique permansuris usque ad congressum suum cum Antichristo; a quo sint occidendi, postea tamen virtute Divina resuscitandi, & in Cœlum assumendi.

CXXIII. Sed neque omittenda videtur observatio *Sabbathi*; de cujus primæva institutione diximus sup. th. 13. ut illa beatam requiem a cursu obedientiæ fideliter consummato in Cœlis agendā, sabbatismum perpetuum ac gloriosissimum, utcunque etiā adumbraverit, & studium ejus promoverit. *Heb.* 4, 3, 4., „*Introimus* „enim *in requiem nos qui credimus*, sicut dixit, (*Psa.* 95, „ 11.) Itaque juravi in ira mea, si *ingressuri* sint *in re-* „*quiem meam*: licet *operibus a facto mundi fundamento* „*factis*. Ita enim dixit quodam in loco de septimo die, „*Gen.* 2, 2.) Et *quievit Deus die septimo* ab omnibus ope- „ribus suis, &c. 9, 10., Itaque *reliquus est aliquis sab-* „*batismus populo Dei*. Nam qui *ingressus* est *in requiem* „*ipsius*, *requievit & ipse ab operibus suis*; *quemadmo-* „*dum a suis Deus*. Ita signo illo primævo illustratur beata requies & gloria, quam Deus isto Fœdere Protoplastis promiserat.

CXXIV. Supereſt ejus *Duratio*. Hæc autem mundo, & hominibus in eo viventibus, coæva eſt: quin & Judicium, quod ejus executio, erit æternum: *Hebr.* VI, 2. *Marc.* III, 29. *Aliter* tamen ſe habet in Hominibus, qui ſibi prorſus relinquuntur, extra ſalutarem Chriſti communionem; *aliter* in vere Chriſtianis. *Priores* omnino manent ſub iſto Fœdere, ac per ipſum condemnantur: ſic ira Dei manet ἐπὶ τοὺς ἀπειθοῦντας, *Joh.* III, 36. & eos occupat ad finem uſque: 1 *Theſſ.* II, 16. Hactenus ergo Fœdus legale non eſt abrogatum; neque quicquam ei derogatum.

In *poſterioribus* non fit ſtricta iſtius Fœderis executio, juxta verborum formulam: ſic enim illi, propter peccata ſua, ſervari non poſſent: at vero per Chriſti ſatisfactionem a reatu redemti ſunt; & ab execratione liberati; ejuſdemque obedientia univerſum jus Legis pro iis impletum. *Rom.* VIII, 1, -4. *Gal.* III, 13. Scil. Fœdus iſtud explicatum eſt a Deo clementiſſimo κατ᾽ ἐπιείκειαν: & conſequenter loco noſtro admiſſa ſolutio ἀντὶ λύτρου, a Redemtore digniſſimo nobiſque conjunctiſſimo; ac porro ab eodem impleta omnis juſtitia, qua nos juſti conſtitueremur, per gratioſam Dei imputationem; 2 *Cor.* V. 15, 17, 18, 19, 21. *Matth.* 3. 15. *Rom.* 5. 19. IV. 5. 6. cum 19. 18. Philem. Ita quidem, „ ut ſit *Ipſe Juſtus*, & *Juſtificans eum* „ *qui eſt ex Fide Jeſu.*-Siquidem Deus unus eſt, qui „ juſtificabit Circumciſionem ex Fide, & Præputium „ per Fidem. Legem igitur *inutilem reddimus* per Fi- „ dem? *Abſit.* Imo Legem *ſtabilimus*: *Rom.* 3. 26, 30. 31.

Obj. 1. *Matth.* 11, 13. *Omnes Prophetæ, & ipſa Lex, uſque ad Johannem prophetarunt.* Ergo Lex & Fœdus Legale non durant poſt Johannem Baptiſtam. *Reſp.* Non agitur iſtic proprie de Lege morali, aut Fœdere Legali; ſed de œconomia Prophetica, & Cerimoniali typica, V. T. Chriſtum venturum prænunciante atque adumbrante; cui finem impoſuit Johan-

nes Baptiſta, Chriſtum præſentem demonſtrans: *Joh.* I, 19, 36.

Obj. 2. *Rom.* 6, 14. *Non eſtis ſub* Lege: *ſed ſub Gratia.* *Reſp.* Fideles ſunt ſub Fœdere gratiæ; ac per ipſum liberati: non a Legis uſu normali; ſed ab ejus condemnatione, & rigore Fœderali.

Obj. 3. *Hebr.* 8, 10, -. ex *Jerem.* 31, 31, -. *Quamobrem hoc eſt pactum*, -. *Dum novum dicit, antiquavit prius*, &c. *Reſp.* Proponuntur iſtic bona Euangelica, quæ quidem clariora & uberiora ſunt ſub N. T. Per hanc autem œconomiam antiquata eſt prior V. T. ſub qua durior erat pædagogia, & rigidior inculcatio Fœderis Legalis. Unde tamen non ſequitur, Fœdus Legale abrogatum eſſe abſolutè.

Obj. 4. 1 *Tim* I, 9, 10. *Legem juſto non eſſe poſitam; ſed ſceleratis*, --. *Reſp.* Iterum in ratione Fœderis, ſanctio pœnalis ſpectatur ſynecdochice: ea autem non premit juſtos; etiam in Chriſto Euangelice. Attamen quia Chriſtus pro iis jus Legis complevit, non debet colligi abſoluta abrogatio.

CXXV. Pro *Praxi*; 1. Ex conſideratione Legis, ac Fœderis Legalis, ad fontem & archetypum aſcendamus: Sanctitatem Jehovæ meditemur, admiremur, imitemur: *Levit.* 19. 2. 3.

2. Normam illam rectiſſimam ſequamur tota vita, omnibus actionibus; nihil excipientes, nihil divellentes: *Pſal.* 19. 9. - 13. 119, 2, 4, &c. *Matth.* v, 17, 20, 48. *Jac.* 2. 4, 8, 10, 12. *Gal.* 6. 16.

3. Sic juſtam Legis Sanctionem contemplemur, ut Liberationem noſtri per vicariam Chriſti Satisfactionem, juxta Euangelium, pie admiremur: 2. *Cor.* v, 14, 15.

4. Scientes terrorem illum Domini, alios doceamus fugere a futura ira, eoſque ad fidem adducamus, juxta vocationem noſtram: 2 *Cor.* 5, 11. *Matth.* 3. 7.

5. Dum

5. Dum jus Legis pro nobis a Christo impletum est; *Rom.* 8. 4, atque hæc nobis facta est Lex libertatis, *Jac.* 1. 25. 2, 12. excitet nos amplissima ac saluberrima promissio, ad novam obedientiam & alacrem gratitudinem; *Hebr.* 11, 6. 12. 18, -24.

CAPUT X.

De Peccato.

Cognitio *nostri. Malum. Peccatum.* 1. Contra *Legem Divinam* proprie. 2. Non *positivum*, aut *substantiale*; nec *mere negativum*: sed *privativum. Subjectum quod*, & *quo*. 3. Ejus non *causa efficiens*; sed *deficiens*. Non omne peccatum est *voluntarium*, antecedente judicio ac deliberatione. 4. Non habet *finem* per se ac proprie dictum. 5. *Macula*. 6. *Reatus*, tum *potentialis*, tum *actualis*. 7. *Pontificii* male distinguunt *Reatum culpæ*, & *pœnæ*. *Obj.* solv. 8. *Conscientia condemnans*, & *spiritus servitutis*. 9. *Utilitas* distinctionis inter *Maculam*, & *Reatum*. 10. *Pœna*. Quomodo ad *Bestias* etiam referatur. 11. *Castigatio. Probatio. Martyrium.* 12. *Pœna damni*, & *sensus*. 13. *Peccatum* vel *omissionis*, vel *commissionis*. 14. *Habituale*, vel *Actuale*. 15. *Angelorum*, vel *Hominum*. 16. In Hominibus *peccatum primum*. Ejus *causæ principales deficientes*. *Libere*. 17. *Causa procatarctica. Serpens. Methodus* 18. *Consummatum. Inchoatum.* 19. *Deus* illius non *causa efficiens*; nec *privative deficiens*. *Permisit* tamen; &

CXII. Æquè absurdè statuunt *iidem*, Christum præter universam istam Legem, tulisse insuper alia quædam præcepta moralia; nimirùm de sui Abnegatione, de Tolerantia crucis, & Imitatione ipsius Christi.

Quod enim *primò* attinet ad Abnegationem sui; præceptum satis antiquum esse patet, 1. si respiciamus Abrahamum, *Gen.* XII. 1.

2. Eandem exigit ipsa Lex, *Deut.* VI, 5. Sic enim abneganda fuit omnis cupiditas, cogitatio, inclinatio, dilectioni & obedientiæ Dei adversa.

3. Ex Prophetis etiam facilè est colligere illud officium: utpotè *Ierem.* III, 17. IV, 3, 4. VII, 23, 24.

4. Illustria exempla quoque occurrunt, *Psal.* CXXXI, 1, 2. *Job.* XXXI, 1.

Secundo, de Tolerantia crucis, sive afflictionum, castigationum, & probationum Dei, demonstratur facilè; 1. ex *Prov.* III. 11, 12. Huc respicit Apostolus, *Hebr.* XII, 1, 5, 6.

2. Præclara etiam sunt, 1 *Sam.* III, 18. Itemque *Job.* I, 21. II, 10. *Thren.* III. 27, 39. *Mich.* VII, 8, 9. *Psal.* CXXIX, 1, 2.

3. Consimilia indicantur in N. T. ubi hæc praxis confirmatur exemplis ex V. T. depromtis: *Hebr*, XI, 25, 26. 35, -38. XII, 1. *Jac.* 5, 10, 11.

Tertiò, de Imitatione Christi satis etiam patet ex mandatis, ubi Deus sanctitatem suam sub V. T. imitandam præcepit: utpotè *Levit.* XIX, 2. si nimirum conferantur ea, quæ de Christi Θεανθρώπου obedientia, humilitate, cæterisque virtutibus, jam olim fuerunt prædicta; *Dan.* IX, 24. *Psal.* XL, 7, 8, 9. *Jes* LIII, 6, 7. *Zach.* IX, 9. In istis enim sita est Imitatio Christi: *Matth.* XI, 29. *Phil.* II, 5, -8. 1 *Petr.* II. 20, 21.

Quin & virtutes singulæ, quas nos in Christo observare atque imitari oportet, in V. T. fuerunt etiam propositæ ac mandatæ.

CXIII. Cæterum Lex illa *vel* ſimpliciter ſecundum ſe ſpectatur: *vel* prout eſt inſtrumentum primi Fœderis. *Priore modo* ſaltem eſt norma obedientiæ: ſpecifice præſcribens debitum dependentiæ noſtræ moralis ad Divinam ὑπεροχὴν, & jus abſoluti illius Dominii: unde fluit obligatio noſtri ad præſtanda officia mandata, & fugienda vitia contraria. Sed hactenus Deus nullo modo obligatus eſt Homini, ad gratitudinem ei referendam, vel remunerationem faciendam pro obſequio & cultu ſibi præſtito. *Job.* XXXV, 7. *Si juſtus es, quid das Ei; aut quid de manu tua accepit? Pſal.* XVI, 2. *Bonum meum non* pervenit *ad* Te. *Rom.* XI, 35. *Quis prior dedit Ei, & reddetur ipſi? Luc.* XVII, 9, 10. *Num gratiam habet ſervo illi, quia fecit quæ ipſi edicta fuerant?* Non puto. *Ita & vos, cum feceritis omnia, quæ edicta ſunt vobis, dicite:* Servi *inutiles ſumus: nam quod debuimus facere, fecimus.* Naturaliter tamen actus humanus, ſiqua morali malitia laboret, eo ipſo convenientem pœnam demeretur; per juſtitiam Dei vindicativam. Vide ſup. cap. 4. th. 56.

CXIV. Vox Hebræa בְּרִית *pactum, conventionem, & fœdus* notat: Græci διαθήκην appellant; q. d. *diſpoſitionem.* Laxiore ſignificatu quodlibet firmum ſtatutum, etiam de rebus inanimatis, ſic nuncupatur. *Jerem.* XXXIII, 20, 25. *Fœdus meum* de *die*, & *fœdus meum* de *nocte.* Occurrit etiam generale *fœdus*, quod Deus non ſolum cum hominibus pepigit, ſed ad beſtias quoque extendit, & iride obſignavit; de mundo non perdendo per diluvium; *Gen.* IX, 9, - 16.

Fœdera autem *Politicis* ſunt Conventiones publicæ, quæ fiunt juſſu ſummæ poteſtatis, & in quibus populus iræ Divinæ obſtringi ſolet, ſi minus ſtetur dictis. Per ea *interdum* idem conſtituitur, quod eſt Juris naturæ: utpote inter hoſtes a bello diſcedentes; vel etiam inter eos, qui nihil ante contraxerunt; ne ſcil. alii alios lædant, &c. *Interdum* Juri naturæ aliquid adjicitur.

Suntque vel *Fœdera æqualia*, συνθῆκαι; quæ utrimque se habent eodem modo. Vel *inæqualia*, σπονδαί; ut si pars potentior auxilia promittat, nec restipuletur; sive majora promittat: aut respectu partis minus dignæ ac potentis (προστάγματα, ἐπιτάγματα;) ubi aliquando fit imperii translatio, vel saltem imminutio, vel onera quædam imponuntur.

Fœdera item sunt vel *amicitiæ*, vel *reconciliationis*: in *his* supponitur offensa; in *illis* non item.

CXV. *Fœdus primum*, de quo nunc agendum, alias *Legale* appellatur, vel *Operum*; interdum etiam *Naturæ*: estque inæquale, & amicitiæ inæqualis. *Describitur* autem plenius; Quod Deus cum Adamo, ac pariter cum universo Genere humano, quod in eo tanquam capite censitum fuit, ita pepigit; ut ipsum Jus naturæ, Lege comprehensum, firmaverit, tum sanctione pœnali adversus transgressores, tum liberali promissione erga eos qui perfectam obedientiam forent consummaturi; ad demonstrandam per omnia secula gloriam potestatis, gratiæ, & justitiæ suæ. Considerabimus autem deinceps 1. specialem ejus *Modum*. 2. *Confirmationem*, 3. *Signa*, & 4 *Durationem*. Ad *Modum* illum pertinet, tum *Conditio præstanda*, quam Deus stipulatus est; tum *Ordo generis humani*, quem Deus pro suo jure constituit.

CXVI. *Conditio præstanda*, erat perfecta totius Legis observantia; omnium scil. & singulorum præceptorum, quovis loco ac tempore, singulis actibus humanis, ad extremum virium. *Deut.* VI. 5. *Matth.* XXII, 37, 38: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. *Deut.* XXVII, 26. *Gal.* III, 10. *Execrabilis est, quisquis non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea.* *Jac.* II, 10. *Quisquis enim totam Legem servaverit, impegerit autem in uno, damnas factus est omnium.* Scil. propter omnimodam Hominum à Deo dependentiam; *Act.* XVII, 25, -28.

Rom.

Rom. XI, 36. & Legis Divinæ ſpiritualitatem ac ſanctitatem; Rom. VII, 12, 14.

Iſta autem conditio, juxta *verborum formulam* in rigore ſuo acceptam, præſtari debuit a quovis Homine. in propria perſona. *Levit.* XVIII, 5. *Ezech.* XX, 11. *Rom.* X, 5. *Gal.* III, 12. *Qui præſtiterit ea, vivet per illa* ſine ulla mentione Sponſoris, aut Servatoris.

CXVII. Quantum attinet ad *Ordinem Generis humani*: *Adamus* primus & univerſalis pater fuit omnium Hominum: ſicut Eva eorum mater: *Gen.* III, 20. Confer *Act.* XVII, 26. Sed & ipſe Adamus principium quoque Mulieris, & caput ejus: *Gen.* II, 21, 22, 23. *Eph.* V, 23. Sic omnes Poſteri virtualiter fuerunt in Adamo, tanquam cauſa prima iſtius Generis: quæ eſt *Conſideratio phyſica.* Verum ad iſtam acceſſit alia *Conſtitutio politica & fœderalis*, ut omnes Poſteri in Adamo cenſerentur: atque adeo Adamus vel eorum bono eſſet perſeveraturus in ſtatu integritatis, curſumque obedientiæ conſummaturus, ad juſtitiam & gloriam æternam; vel etiam eorum malo eſſet lapſurus, eidemque ſecum calamitati & exitio eos ſimul involuturus.

Similiter *Hebr.* VII, 9, 10. Levi in lumbis Abrahami proavi ſui exiſtens virtualiter, in eodem quoque decimas cenſebatur dediſſe Melchizedeko. Certe prohibitio Arboris ſcientiæ boni & mali, Adamo facta, *Gen.* II, 17. ad Evam extenditur, III, 3. Et ad Poſteros quoque pertinuit eadem obligatio realis (non perſonalis): hinc Protoplaſti, ubi peccaſſent, Paradiſo excluſi, & ab aditu atque uſu Arboris vitæ remoti fuerunt una cum Poſteris ſuis; terra item maledictioni ſubjecta fuit, multæque calamitates immiſſæ, Poſterorum quoque incommodo: ſtatutum ſimiliter omnibus ſemel mori; atque in univerſum omne figmentum cogitationum cordis humani evaſit malum inde à pueritia, &c. *Gen.* III, 22, 23, 24. 16, -19.

Hebr.

Hebr. IX, 27. *Gen.* VI, 5. VIII, 21. Clarissimè etiam Apostolus, 1 *Cor.* XV, 22. *In Adamo omnes moriuntur.* „*Rom.* V, 12, 14, - 19. Per *unum hominem peccatum* in „mundum *introiit*, ac per peccatum *mors*: & ita *in* „*omnes homines mors* pervasit, *in quo omnes peccarunt.* „--- *qui* (Adamus) *est typus illius* (Christi) *qui erat* „*futurus*. -- Per *unam offensam* (reatus venit) *in omnes* „*homines ad condemnationem*, &c. Confer sup. cap. 4. th. 69.

CXVIII. Ad *Confirmationem* pertinet primo *Sanctio pœnalis*, sive Comminatio pœnarum adversus peccata, si ea committerentur. Ubi non solum Deus clarè expressit, quid Justitia sua vindicativa postularet: sed ipsi quoque Homines hanc Fœderis conditionem amplectentes, & cum libertate complacentiæ subeuntes, ex sua etiam parte se obstrinxerunt Deo per istum contractum, ad quem sic Deus per συγκατάβασιν processit. Undè magis justificantur Dei judicia adversus peccatores, quando iis facit *secundum verba fœderis*, *Jerem.* XI, 18.

Sanctio illa breviter expressa est *Gen.* II, 17. „De „fructu Arboris scientiæ boni & mali ne comedas: „nam quo die comederis de eo, *moriendo morieris.* Confer *Rom.* VI, 23. „*Stipendia peccati mors*: donum „autem Dei est *vita æterna* in Christo Jesu Domino nostro. Et V, 14, 18. „*Regnavit mors* ab Adamo usque „ad Mosen, - *in omnes homines ad condemnationem.* Item *Eph.* 2. 1, 3. *Mortui in offensis & peccatis*: -- *natura filii iræ.* Ex quibus patet, intelligendam esse omnem mortem miseram, non solum corporalem & temporalem, sed quoque spiritualem & æternam.

Paulo aliter repetita est eadem Comminatio *Deut.* 27. 26. *Gal.* 3. 10. *Execrabilis est*, *quisquis non manserit in omnibus*, &c. Confer *Gen.* 3. 18, 19. „*Maledicta esto terra propter te*: *cum dolore* comedito proventum ejus *omnibus diebus vitæ tuæ*: eaque *spinam*

„*&*

,,*& carduum proferto tibi.--In sudore vultus tui vescitor cibo, donec revertaris in humum*, &c. Itemque *Levit.* 26. 14.-. *Deut.* 28. 15.-. ex quibus constat de Maledictione hujus sæculi, initiis dolorum deinceps consummandorum. Adde *Matth.* 25. 41. *Execrati, abite à Me in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus*, quod est æternum istius Execrationis complementum.

CXIX. *Deinde* ad Confirmationem istius Fœderis quoque pertinet *Liberalis promissio*. Deus enim, ex superabundanti sua bonitate ac φιλανθρωπίᾳ, gratis ac sine remuneratione quæri & coli non voluit: *Jes.* 45. 19. *Hebr.* xi. 6. Atque ita se ultro Hominibus obligavit: & quodammodo iis debitorem fecit, ubi consummatus esset cursus obedientiæ. Sic autem *Vitam* illis promisit: ut non solùm immunes essent futuri ab omni morte; verum etiam deinceps transferendi in gloriosam beatitudinem cœlestem, & proximiorem communionem ipsius Dei. Vide *Psal.* 16. 12. Ita enim *Moses describit justitiam quæ est ex Lege, quod qui præstiterit ea, vivet per illa*: *Rom.* 10. 5. *Gal.* 3. 12. *Levit.* 18. 5. *Ezech.* 20. 11. Ubi quidem reipsa eadem Vita intelligenda est, quam postmodum nobis Christus acquisivit. Vide *Rom.* 10. 4. viij. 4. Unde etiam ipse Juveni interroganti, *Quid faciam, ut Vitam æternam possideam?* mandata Legis proposuit primum, *Matth.* 19. 16, 17. ac statim *Cælum*, *Regnum cælorum*, vel *Regnum Dei*, appellavit, Vitam illam æternam explicans; *vers.* 21. 23. *Luc.* 18. 24.

Hactenus *pietas Promissionem habet præsentis ac futuræ Vitæ*: 1 *Tim.* 4. 18. omnis generis beneficiorum in hoc sæculo: *Exod.* 20. 12. *Levit.* 26. 3,-13. *Deut.* 28. 1,-14. & beatitudinis ac gloriæ æternæ in altero sæculo: *Rom.* xi. 7. Observandum interim, in gratiosa ejusmodi repetitione post lapsum, bona fere proponi convenienter præsenti Hominis conditioni; atque ita

ut

ut jus illud, respectu omnium salvandorum, nunc fundetur in Christo.

CXX. Sequuntur *Signa Fœderis illius*. Hic autem initio se offert *Arbor scientiæ boni ac mali*: *Gen.* 11. 9. cujus esu Deus Homini interdixerat; *vers.* 17. ut scil. isto symbolo Hominis obedientia probaretur; eademque opera confirmaretur, si is obedientiam præstaret & consummaret, certa bonorum affluentia, & malorum immunitas; sin secus, bonorum amissio, & malorum indubitata successio. Sic enim signative accipienda est ista Arboris illius appellatio.

Obj. 1. Ista Arbor videtur habuisse naturalem facultatem acuendi ingenium, & faciendi sensus magis promtos atque expeditos ad suas operationes: ac proinde ejus usu vere acquiri potuisset sapientia, aut scientia perfectior. *Resp.* Tale quidem erat seductoris & homicidæ Diaboli mendacium; *Gen.* 3. 5. cui male fidem adhibuit Mulier peccare incipiens; *vers.* 6. Sed nulla causa materialis per se producere potest effectum immaterialem. Spiritibus autem animalibus perpetuò & satis aptè restaurandis suppetebant procul dubio alia satis multa; quibus tamen ista appellatio non tribuitur.

Obj. 2. Si signum fuit ista Arbor, signum fuit mortis & miseriæ. *Resp.* Imo non minus erat *Arbor Scientiæ boni*, quam *mali*; prout obedientia præstanda esset, vel non esset: quemadmodum jam explicatum est, & conditioni Hominis sub isto Fœdere conveniebat.

Obj. 3. Sacramenta percipi debent ab Hominibus Fœderatis: at ista Arbor percipi non debuit. *Resp.* Fructus ejus edi quidem non debuit: attamen Arbor conspici, ejusque ordinatio symbolica agnosci potuit & debuit; non minus quam in Iride, *Gen.* 9. 12, 13, 14. Ac porro in aliis Sacramentis, non ejusdem modi est perceptio: 1 *Cor.* 10. 1, 2, 3.

CXXI. Deindè illuſtris erat *Arbor vitæ*, in medio Paradiſi, *Gen.* 2. 9. præclarum vitæ ac gloriæ æternæ ſacramentum; ſed juxta promiſſionem & conditionem iſtius Fœderis. Hinc porro *cap.* 3. 22. Homo ex ea comedens, dicitur victurus in ſæculum: quoniam ejus eſus ex ordinatione Divina, obſignabat, & ſic certo inferebat, vitam æternam; verum Homines per lapſum re ſignatâ deſtituti, uſu ſigni neceſſario prohiberi debuerunt.

Obj. Vocatur potius *Arbor vitæ*, quod haberet virtutem phyſicam vitæ in æternum producendæ; atque adeo eſſet remedium contra omnes morbos, omnem corruptionem, & ipſam ſenectutem, &c. *Reſp.* 1. Morbi & corruptiones maximam habent diverſitatem: omnis autem medicatio fieri debet per contraria: conſequenter ea per unam arborem, aut ejus fructus, fieri non potuit naturaliter. 2. Et quid tum de ruina ædium, incendio, vi aquarum, &c. quæ pericula alibi producunt Adverſarii? 3. Neque iſtiuſmodi remedium erat neceſſarium: cum omnia alimenta eſſent ſatis ſalubria; ipſique Homines ea ſapientia præditi, ut ſingulis fuiſſent recte uſuri; nec etiam alia incommoda mortifera eventura, Deo omnia benigne & potenter diſponente, juxta promiſſionem ſuam, ad Hominum immortalitatem & gloriam æternam; ſi modo in primæva integritate, ſuoque officio, perſtitiſſent.

Inſt. *Apoc.* 22, 2. „In medio foro ejus (Hieroſolymæ), & ex utraque parte fluminis erat *Arbor Vitæ* ferens *fructus* duodecim, per menſes ſingulos edens fructum ſuum; & *folia ſua ad ſanitatem Gentium*. Ergo etiam in Paradiſo terreſtri Arbor vitæ erat ad ſanitatem. *Reſp.* Sic per viſionem & figurationem Propheticam delineatur perpetua virtus vivifica & beatifica Servatoris noſtri; qui nunc ſub Fœdere Euangelico vere nobis impetravit, atque etiam applicat realiter, id ipſum quod ſub Fœdere Legali olim ſignificabat Arbor illa vitæ.

CXXII.

CXXII. Affinis eſt conſideratio ipſius *Paradiſi*, Horti amœniſſimi cum quatuor ſuis fluviis, in orientali parte Hedenis; quæ eſt in Babylonia, parte Meſopotamiæ, &c. *Gen.* II, 8,-. Iſte enim ſingulari ſua amœnitate, ac potiſſimum contenta Arbore vitæ, ipſum Cœlum tertium, ſive beatorum, & gaudium æternum, quoque ſignificavit. Unde Cœlum iſtud *Paradiſi* nomine diſerte appellatur, 2 *Cor.* XII, 2, 4. *Luc.* XXIII, 43. *Apoc.* II. 7.

Sed poſt peccatum Deus Homines Paradiſo expulit, redituque prohibuit, appoſitis Cherubinis, cum flamma gladii ſeſe vibrantis: *Gen.* III, 23, 24. Hodie autem ille ſuperſtes non eſt; & maxime vero ſimile, quod per Diluvium ſit corruptus.

Vaniſſimum vero eſt *Pontificiorum* commentum, ex detorſione loci *Apoc.* XI, 3, &c. de Paradiſo adhuc ſuperſtite, & Enocho atque Elia in eum tranſlatis, ibique permanſuris uſque ad congreſſum ſuum cum Antichriſto; a quo ſint occidendi, poſtea tamen virtute Divina reſuſcitandi, & in Cœlum aſſumendi.

CXXIII. Sed neque omittenda videtur obſervatio *Sabbathi*; de cujus primæva inſtitutione diximus ſup. th. 13. ut illa beatam requiem a curſu obedientiæ fideliter conſummato in Cœlis agendã, ſabbatiſmum perpetuum ac glorioſiſſimum, utcunque etiã adumbraverit, & ſtudium ejus promoverit. *Heb.* 4, 3, 4. ,,*Introimus* ,,enim *in requiem nos qui credimus*, ſicut dixit, (*Pſa.* 95, ,, 11.) Itaque juravi in ira mea, ſi *ingreſſuri* ſint *in re-* ,, *quiem meam*: licet *operibus a jacto mundi fundamento* ,, *factis*. Ita enim dixit quodam in loco de ſeptimo die, ,,*Gen.* 2, 2.) Et *quievit Deus die ſeptimo* ab omnibus ope- ,, ribus ſuis, &c. 9, 10. ,,Itaque *reliquus eſt aliquis ſab-* ,, *batiſmus populo Dei*. Nam qui *ingreſſus* eſt *in requiem* ,, *ipſius*, *requievit & ipſe ab operibus ſuis*; *quemadmo-* ,, *dum a ſuis Deus*. Ita ſigno illo primævo illuſtratur beata requies & gloria, quam Deus iſto Fœdere Protoplaſtis promiſerat.

CXXIV. Supereſt ejus *Duratio.* Hæc autem mundo, & hominibus in eo viventibus, coæva eſt: quin & Judicium, quod ejus executio, erit æternum: *Hebr.* VI, 2. *Marc.* III, 29. *Aliter* tamen ſe habet in Hominibus, qui ſibi prorſus relinquuntur, extra ſalutarem Chriſti communionem; *aliter* in vere Chriſtianis. *Priores* omnino manent ſub iſto Fœdere, ac per ipſum condemnantur: ſic ira Dei manet ἐπὶ τοὺς ἀπειθοῦντας, *Joh.* III, 36. & eos occupat ad finem uſque: 1 *Theſſ.* II, 16. Hactenus ergo Fœdus legale non eſt abrogatum; neque quicquam ei derogatum.

In *poſterioribus* non fit ſtricta iſtius Fœderis executio, juxta verborum formulam: ſic enim illi, propter peccata ſua, ſervari non poſſent: at vero per Chriſti ſatisfactionem a reatu redemti ſunt; & ab execratione liberati; ejuſdemque obedientia univerſum jus Legis pro iis impletum. *Rom.* VIII, 1, -4. *Gal.* III, 13. Scil. Fœdus iſtud explicatum eſt a Deo clementiſſimo κατ᾽ ἐπιείκειαν: & conſequenter loco noſtro admiſſa ſolutio ἀντὶ λύτρου, a Redemtore digniſſimo nobiſque conjunctiſſimo; ac porro ab eodem impleta omnis juſtitia, qua nos juſti conſtitueremur, per gratioſam Dei imputationem; 2 *Cor.* V. 15, 17, 18, 19, 21. *Matth.* 3. 15. *Rom.* 5. 19. IV. 5. 6. cum 19. 18. Philem. Ita quidem, „ ut ſit *Ipſe Juſtus*, & *Juſtificans eum* „ *qui eſt ex Fide Jeſu*. Siquidem Deus unus eſt, qui „ juſtificabit Circumciſionem ex Fide, & Præputium „ per Fidem. Legem igitur *inutilem reddimus* per Fi- „ dem? *Abſit.* Imo Legem *ſtabilimus*: *Rom.* 3. 26, 30. 31.

Obj. 1. *Matth.* 11, 13. *Omnes Prophetæ, & ipſa Lex, uſque ad Johannem prophetarunt.* Ergo Lex & Fœdus Legale non durant poſt Johannem Baptiſtam. *Reſp.* Non agitur iſtic proprie de Lege morali, aut Fœdere Legali; ſed de œconomia Prophetica, & Cerimoniali typica, V. T. Chriſtum venturum prænunciante atque adumbrante; cui finem impoſuit Johan-

5. Dum jus Legis pro nobis a Christo impletum est; *Rom.* 8. 4, atque hæc nobis facta est Lex libertatis, *Iac.* 1. 25. 2, 12. excitet nos amplissima ac saluberrima promissio, ad novam obedientiam & alacrem gratitudinem; *Hebr.* 11, 6. 12. 18, -24.

CAPUT X.

De Peccato.

COgnitio *nostri. Malum. Peccatum.* 1. Contra *Legem Divinam* proprie. 2. Non *positivum*, aut *substantiale*; nec *mere negativum*: sed *privativum. Subjectum quod*, & *quo*. 3. Ejus non *causa efficiens*; sed *deficiens*. Non omne peccatum est *voluntarium*, antecedente judicio ac deliberatione. 4. Non habet *finem* per se ac proprie dictum. 5. *Macula*. 6. *Reatus*, tum *potentialis*, tum *actualis*. 7. *Pontificii* male distinguunt *Reatum culpæ*, & *pœnæ*. *Obj.* solv. 8. *Conscientia condemnans*, & *spiritus servitutis*. 9. *Utilitas* distinctionis inter *Maculam*, & *Reatum*. 10. *Pœna*. Quomodo ad *Bestias* etiam referatur. 11. *Castigatio. Probatio. Martyrium.* 12. *Pœna damni*, & *sensus*. 13. *Peccatum* vel *omissionis*, vel *commissionis*. 14. *Habituale*, vel *Actuale*. 15. *Angelorum*, vel *Hominum*. 16. In Hominibus *peccatum primum*. Ejus *causæ principales deficientes. Libere*. 17. *Causa procatarctica. Serpens. Methodus* 18. *Consummatum. Inchoatum*. 19. *Deus* illius non *causa efficiens*; nec *privative deficiens. Permisit* tamen; &

ordinavit in finem bonum. *Quæstiones* ſolv. 20. *Libere* peccarunt Protoplaſti; & tamen aliquo reſpectu *neceſſario*. 21. *Tentationes* interim variæ 22. *Gravitas* iſtius peccati. 23. *Effecta*. 24. *Peccatum originale*. 25. *Imputatum*: c. *Pelag. Socin.* &c. 26. *Poſteri*. Excipitur *Chriſtus*. 27. *Effectus*. *Obj*. ſolv. 28. Peccatum originale *inhærens*. 29. Probatur, c. *Socin. Anabapt.* &c. 30. Non excipienda *Virgo Maria*. *Obj*. ſolv. 31. *Modus* propagationis 32. *Effecta*. *Obj*. ſolv. 33. De *Libertate*: & de *Servo arbitrio*; c. *Pontif. Socin.* &c. 34. *Objectiones* ſolv. 35. Quod de iſta *corruptione* relinquitur in *regenitis*, &c. vere *peccati* rationem habet. 36. *Paulus Rom*. 7. 15, --. loquitur de *ſe regenito*. 37. *Peccata actualia*. Eorum *cauſæ*. 38. *Peccatum per ſe*. *Per accidens*. *Circa Deum* directe. *Circa proximum*. 39. Peccata *interna*. *Externa*. *Spiritualia*. *Carnalia*. *Extra proprium corpus*. *In proprium corpus*. 40. *Ex ignorantia*. *Infirmitate*. *Malitia*. 41. *Conſcientiam vaſtantia*. *Clamantia*. 42. Male *Pontificii* dividunt in *Mortalia*, & *Venialia*. *Obj*. ſolv. 43. *Remiſſibilia*. Peccatum *in Spiritum Sanctum*. 44. Quæ iſtud *conſtituant*. *Judicium* de eo difficillimum. *Pontificii* male ſtatuunt plures ejus *ſpecies*. 45. Peccata *manifeſta*. *Occulta*. 46. Aliis *graviora* unde. 47. *Iteratio*. *Recidiva*. 48. *Conſuetudo* peccandi. Peccatum *regnans*. An cadat in *regenitos*. Peccatum *tentans*. *In deliciis*. *Odio habitum* 49. *Fructus*. *Mors ſpiritualis*; in genere *damni*. In genere *ſenſus*. *Moderatio interna*. *Externa*. 50. Mortis *corporalis inchoatio interna*; in genere *damni*. *Senſus*. *Ex-*

terna;

terna; &c. *Moderatio.* 51. Mortis *corporalis Consummatio.* De *Corpore.* De *Anima* 52. Mortis *spiritualis consummatio.* 53. *Praxis.* 54.

I. UTilissima & valde necessaria est Cognitio nostrî ipsorum: 1 *Cor.* 11, 28. 2, xiij. 5. Triplex autem *Status* cognoscendus est pro hoc sæculo; *Naturæ Institutæ*, *Destitutæ*, & *Restitutæ*; sive *Integritatis*, *Lapsus*, & *Gratiæ*: atque item pro futuro, *Status*, vel *Gloriæ*, vel *Cruciatuum æternorum*. De *Natura instituta*, ejusque *Integritate*, diximus sup. cap. 7. th. 34,- 45. nunc tractationem de *Fœdere Legali* commodissime excipit dissertatio de *Peccato*, seu *Lapsu*, & *Natura destituta*,

Malum generatim est privatio boni. *Peccatum* vero est malum morale: aut plenius, Aberratio, vel Exorbitatio Creaturæ rationalis a Lege sibi lata. Hebraïce חַטָּאָה h. e. aberratio: ut *Iud.* 20. 16. *Funda mittens lapidem ad capillum, & non peccare faciebat*; sive *non sinebat aberrare.* Confer *Deut.* 5. 32, 33. *Phil.* 3. 12, 14. *Gal.* 6, 16. Græce ἁμαρτία: describitur autem, quod sit ἀνομία, 1 *Ioh.* 3. 4. Alias παράβασις, παράπτωμα, & παρακοὴ appellatur: *Rom.* 5. 14,- 19.

2. Legem hic omnino spectari, manifestum est. *Rom.* 4. 15. *Ubi non est Lex ibi nec est Transgressio.* 5, 13. *Peccatum non reputatur, non existente Lege.* 3. 20. *Per Legem est cognitio Peccati.* adde 7. 7.

Unus autem in Theologia proprie occurrit *Legislator, qui potest servare & perdere*: *Iac.* 4. 12. atque ipsius Lex: *Psal.* 51. 6. *Tibi Tibi soli peccaveram.* Cum vero *Pontifex Romanus* sibi arrogat jus sanciendi aliquid sub peccato mortali, ac faciendi de non peccato peccatum, & contra; manifeste *præ se fert, se esse Deum*; atque

atque adeo se Antichristum demonstrat: 2 *Thess*. 2. 4.
Hominibus quidem fit injuria: verum tunc peccatur proprie circa ipsos, & contra Deum ac Legem ipsius. Interim qui supereminentem Potestatem habent, Leges etiam ferre & Statuta condere possunt; quibus obtemperandum propter conscientiam, & propter Dominum: *Rom*. 8. 1, - 5. *Petr*. 2. 32, 17. Istorum transgressio, peccatum quoque est, & reatum inducit, per se ac directe in foro soli: indirecte etiam ac mediate, per Divinam ordinationem, in foro poli.

Quæ autem ab Ecclesia, per Antecessores, ordinis & communis ædificationis gratia constituuntur, prudenti deductione ex Verbo Dei, & applicatione ad præsentes circumstantias, sic serio observari debent: *Hebr*. 8. 17. 1 *Cor*. 14. 32, 40. *Matth*. 18. 17. Attamen Dominatio iis non competit: 1 *Petr*. 5. 3. *Matth*. 20. 25, 26. cum 23. 8, 9, 10. sed Ministerium: 1 *Cor*. 4. 1. 2, 5, 18, 19, 30. Consequenter non habent potestatem Leges ferendi; neque contra ipsos proprie peccatur: sed circa ipsos, eorumque defectiones & applicationes recte factas, contra Deum: *Luc*. 10. 16. Excessus igitur cavendus, contra *Pontificios*; atque item defectus, contra *Libertinos* & homines ἀτάκτους.

3. Sic patet, Peccatum formaliter non esse quid *positivum*; nedum *substantiale*; alteri Principio, Deo alicui malo, adscribendum: quemadmodum olim delirabant *Manichæi*. Nec *merè negativum*: sic enim nihil foret; & qui minime operarentur, imo minime existerent, maxime peccarent. Sed esse aliquid *privativum*; ut in subjecto capaci absit bonitas moralis debita inesse, seu necessaria conformitas cum Lege.

Subjectum quod sunt Creaturæ quædam rationales; tum Angeli, tum Homines. *Subjectum quo* sunt eorum

Facul-

Facultates naturales; itemque Habitus, Affectus, & Actiones; quatenus singula suo modo recedunt a norma sibi præscripta.

IV. Peccati formaliter nulla est *Causa efficiens* directa & proprie dicta: nedum Deo sanctissimo talis efficientia tribuenda sit. Iac. 1. 13. *Nemo, cum tentatur, dicat*, A Deo *tentor: nam* Deus *tentari malis non potest; nec quenquam tentat.* Sed creatura rationalis peccans, est ejus *Causa deficiens*; quatenus aberrat à norma & perfectione sibi præscripta.

Neque tamen cum *Pontificiis*, & *Socinianis*, eorumque sequacibus, asserendum. Nullum dari peccatum propriè dictum, quod non sit voluntarium, antecedente judicio ac deliberatione, & formali actu voluntatis: aliter enim res habet, 1. in peccato originali; de quo inferius. Itemque 2. in lapsibus per subitam occupationem & inadvertentiam: *Gal.* 6, 1. Nec non 3. in ipsa addubitatione ac deliberatione de peccato aliquo committendo; & in ordinatis motibus primo primis voluntatis atque affectuum, contra Legem Dei, cum acquiescentia & complacentia qualicunque, saltem interpretativa aut virtuali, & concomitante.

V. Cum sit exorbitatio a recta norma, & vero scopo, *Finem* per se ac proprie dictum etiam non habet: sicut enim omnis Finis intenditur sub ratione boni; ita Medium appetitur & assumitur propter Finem, ut conducibile ad ipsum: quod Peccato formaliter, tanquam privativo, non convenit. Peccantes quidem sibi Finem aliquem proponunt; bonum apparens jucundum, vel utile; sed misere decipiuntur. Rom. 3. 8. *Non sunt facienda mala, ut eveniat bonum.* Qui Apostolos interimebant, putantes se cultum præstare Deo, Ioh. 16. 2. intentione sua excedebant. *Prov.* 10. 28. *Expectatio improborum perit* Deus tamen peccata creaturarum sic gubernat, iisque

 abutitur,

abutitur, ut per accidens serviant Gloriæ suæ, & Electorum saluti.

VI. Ad *Effecta* & *Adjuncta* quod attinet; occurrunt primo *Macula*, & Reatus; ac porro *Pœnæ*.

Macula est spiritualis deformitas ac turpitudo in peccatore qua tali, pulchritudini Imaginis Divinæ contraria. *Matth.* 15. 19, 20. *Ex corde egrediuntur cogitationes malæ*, &c. *Hæc sunt quæ polluunt hominem.* Tit I. 15. *Pollutis & incredulis nihil est mundum; sed polluta est eorum & mens, & conscientia.* *Apoc.* XXII, 11. *Qui sordidus est, sordescat adhuc* Psal XIV, 3. *Simul putidi facti sunt* Ies. VI, 5. *Vir pollutus labiis sum*, &c. LXIV, 6. *Sumus ut immundus nos omnes*, &c. Adde Iob. XV, 14. *Prov.* XX, 9. & confer Psal. XLV, 12, 14. 1 Petr. III, 3, 4, 5.

Hinc peccans honore privatur, & in contemtum adducitur coram Deo, omnibusque sanctis. 1 *Sam.* II. 30. *Contemtores mei leves fient.* Ies. LXIV, 6. *Sicut panniculus abjectissimus*, &c. Rom. III, 23. *Peccaverunt, ac deficiuntur gloria Dei.* Hos. 4, 7. *Gloriam eorum ignominia commutabo.* Adde Pro. III, 35. *Ierem.* III, 25. *Dan.* XII, 2.

Accedit aversatio & abominatio ipsius Dei, maxime in peccatis gravioribus. *Prov.* III, 32. *Abominationi est Jehovæ præfractus.* VI, 16, 17. *Sex ista odit* Jehovah; *imo septem abominationi sunt animæ ejus: oculi elati*, &c. Confer *Ies.* I, 15. *Hab.* I, 13. *Psal.* V, 5, 6.

Item pudor intus; h. e. metus ex propriæ turpitudinis conscientia: *Ierem.* 3. 24, 25. *Pudendum istud consumsit laborem patrum nostrorum*, -. *Iacemus in pudore nostro*, &c. *Dan.* 9. 7. *Nobis pudor faciei.* Rom. 6. 21. *De quibus nunc erubescitis.* Et fuga quandoque foris; conatus quanquam irritus, effugiendi præsentiam Dei, qui istam turpitudinem tantopere aversatur. Exemplum est in Protoplastis, *Gen.* 3. 7. Adde *Proverb.* 28. 1. *Fugiunt improbi, nemine persequente.* Confer *Ies.* 2. 14. XXXIIJ. 14. *Hos.* 10. 8. *Lucæ* 23. 30. *Apocal.* 6, 16. IX. 6.

VII.

VII. R*eatus* est obligatio peccatoris ad pœnam luendam, juxta Legis sanctionem. *Rom.* 5. 16. *Reatus est ex una* offensa *ad condemnationem.* 3, 19. *Ut obnoxius fiat totus mundus condemnationi* Dei. *Levit.* 5. 2, 6. *Immundus est, & reus.* -- *Et adducet reatum suum* Iehov*æ.* ubi metonymice hostia intelligitur. A reatu peccata etiam appellantur *debita*; *Matth.* 6. 12. cum *Luc.* 11. 4. & peccatores dicuntur esse *sub peccato*; *Rom.* 3. 9. vel *in peccatis suis*; 1 *Cor.* 15, 17.

Spectatur autem reatus, tum *in actu primo*, sive *potentialis*; tum *in actu secundo*, sive *actualis*. *Priori modo* in se & absolute consideratur peccati demeritum ex justitia Divina; ut sit dignum puniri. Sic *Rom.* 1. 32. appellatur *Jus* Dei, ut Legis transgressores *digni sint morte.* *Posteriore modo* consideratur actualis obligatio ad pœnam, propter demeritum illud re ipsa infligendam; ut peccatum sit actu puniendum. Ita *Rom.* 1, 18. *Patet ira* Dei *è cœlo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum, ut qui veritatem injuste detineant.* 2, 1, 2. *Inexcusabilis es, o homo, quisquis alium damnas.* - *Scimus, judicium* Dei *esse secundum veritatem adversus eos qui talia agunt.*

Reatus in actu primo inseparabilis est a peccato, propter hujus repugnantiam adversus Sanctitatem & Justitiam Dei. Vide sup. cap. 4. th. 54, 55, 56. sed *in actu secundo* separari potest respectu ipsius peccatoris, per interveniens remedium satis validum: sicut fidelibus propter Satisfactionem Christi peccata ipsorum remittuntur; neque ulla est iis condemnatio, nec justa amplius eorum criminatio. *Eph.* 1, 7. *Col.* 1, 14. 2 *Cor.* 5, 19, 21. *Rom* 8, 1, 33. 34.

VIII. Absurde *Pontificii* distinguunt inter *reatum culpæ*, & *pœnæ*: ita quidem ut contendant, remissa culpa retineri frequenter pœnam; atque ista ratione locum facere conentur suis satisfactionibus in ordine ad Justitiam Divinam, pro pœnis temporalibus, tum in

hac vita, tum post eam in Purgatorio. Sed Reatus est vinculum, inter culpam & pœnam intercedens; sive obligatio ex culpa ad pœnam. Per Remissionem vero tollitur ista obligatio: ubi autem ea sublata est respectu culpæ, ex quo principio processerat; non potest remanere respectu pœnæ, tanquam termini. Relata sunt simul natura: uno eorum sublato, etiam necessario tollitur alterum, quatenus tale est. Ubi sublatum est vinculum conjugale respectu mariti, non potest manere respectu uxoris, &c. *Rom.* 7. 1, 2, 3.

Obj. 2 *Sam.* 7. 13, 14. Davidi remissum fuit peccatum suum, & sic sublatus reatus culpæ: filiolus ipsius tamen erat morte mulctandus, quod ille inimicos Dei blasphemare fecisset; retentus igitur fuit reatus pœnæ istius temporalis. *Resp.* Ista Davidi fuit castigatio paterna; eo magis necessaria, ut tolleretur offendiculum, neque fideles putarentur talia peccata prorsus impune committere: sed non fuit pœna stricte dicta, & ad justitiam Dei vindicativam satisfactoria: ac proinde nec retentus fuit reatus pœnæ.

IX. Reatum frequenter sequitur *Conscientia condemnans*, & horrorem atque cruciatum inducens: *Rom.* 2. 15. *Cogitationibus sese mutuo accusantibus. Jes.* 47. 20, 21. *Improbi, ut mare propulsum.* -- *Ita nulla* est *pax*, *inquit* Deus *meus, improbis.* Huc pertinet *spiritus servitutis*; Rom. 8. 15. unde peccatores *metu mortis per omnem vitam damnati sunt servitutis*; *Hebr.* 2. 15 & Diaboli *horrescunt*; *Jac.* 2, 19. Confer *Ioh.* 3. 20. *Ier.* 2. 19.

X. Utilissima est ista *Maculæ* & *Reatus* distinctio; 1. ut recte intelligantur variæ phrases S. Scripturæ: priori enim respectu *sordes*, *vulnera*, *sanguis*, &c. aliquoties commemorantur; posteriori, *debita*, *offensa*, *crimina*, &c.

2. Ut recte distinguatur *Iustificatio* a *Sanctificatione*: illa enim Reatum proprie spectat: hæc Maculam: atque item *Iustitia imputata*, ab *inhærente*; quarum

illa

illa ad materiam Justificationis pertinet; hæc Sanctificationis effectus est: contra *Pontificios*, *Socinianos*, &c.

3. Quo melius percipiatur, sublato Reatu actuali per Justificationem, remanere tamen utcunque Maculam in hac vita, etiam in baptizatis.

XI. *Reatus* ex Peccato fluit directe & immediate; *Pœna*, dispositive, & mediante Reatu. Est autem *Pœna*, Malum triste a Rectore inflictum propter demeritum peccati. 2 *Thess.* 1,6,-. *Iustum est apud* Deum,*vicissim reddere iis,qui affligunt vos,afflictionem:-infligent ultionem iis, qui* Deum *nesciunt*; - *qui pœnam pendant ignis æterni. Iudæ,* 7. *Ignis æterni pœnam sustinebis.*

Materiale pœnæ est Afflictio,seu Mali tristis perpessio in Creatura rationali: *Formale* autem est Respectus ad culpam; sive Ordinatio ad luendum pro demerito peccati, secundum dictamen Justitiæ. Hæc enim est Pœna proprie & stricte dicta. Sic Diaboli, & Homines reprobi, punientur in æternum; ac similiter Christus punitus est, ut Sponsor, loco & vice electorum suorum.

Bestiæ, aliæque creaturæ irrationales, ut juris, ita peccati, & pœnæ, per se capaces non sunt. Pœnæ tamen utcunque subjiciuntur; 1. cum homines propter sua peccata, ubi illis frequenter abutuntur, in istis suis possessionibus, & rebus ad ipsorum utilitatem, commoditatem, vel oblectationem ordinatis, puniuntur: *Gen.* 3. 17, 18. *Rom.* 8. 20, 21. 2. Si bestiæ etiam materialiter faciant, quod in hominibus enorme crimen foret, Deus in detestationem talis facti, bestias quoque simili malo tristi aliquando voluit affici; *Gen.* 9. 5. *Exod.* 21. 28, 29. *Levit.* 20. 15. 16.

XII. *Laxe & improprie pœna* quoque appellatur, malum triste, quod quidem peccati causâ perfertur: non tamen in compendium culpæ; sed ad emendationem & salutem eorum, qui sic exercentur. Talis est 1. *Castigatio*,

stigatio, παιδεία; *Paterna correctio*; qua a peccatis retrahimur, & ad Deum atque officia nostra salutariter compellimur. 1 Cor. 11. 32. *Dum judicamur, a Domino erudimur, ne cum mundo condemnemur. Hebr.* 12. 5,-11. *Obliti estis adhortationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur, Fili mi, ne parvi facito Castigationem Domini; neque animo frangitor, cum ab* Eo *argueris: Quem enim diligit Dominus, castigat,* &c. *ad commodum nostrum, ut participes simus sanctimoniæ ipsius. - Postea fructum tranquillum justitiæ reddit iis, qui per eam fuerint exercitati.*

2. Affinis est P*robatio*, δοκιμασία; qua exploratur & manifestatur, quid sit de statu hominis spirituali, ejusque virtutibus; quid de fide, charitate, obedientia, constantia, &c. quo majus incrementum capiant filii Dei, & ad gloriam promoveantur. *S*ic explorati, magis innotescunt sibi ipsis, aliisque fidelibus, imo etiam Angelis: 1 Cor, 4. 9. Deus autem explorare dicitur, quatenus media ordinat & dirigit in istum finem. *Gen.* 22. 1 De*us tentavit* A*braham.* 12. N*unc cognovi, quod timens* Dei *es; quod non peperceris filio tuo, unico tuo, propter* Me. *Rom.* 5. 3, 4, 5. *Etiam gloriamur de afflictionibus, scientes quod afflictio tolerantiam efficiat; tolerantia vero experientiam;* E*xperientia autem spem: porro spes non pudefacit. -. Jac.*1,2,3,4 *Summo gaudio ducite, fratres mei, quoties in tentationes varias incideritis: illud scientes, explorationem fidei vestræ efficere tolerantiam*, &c. Vide etiam 5. 10, 11. Similiter 1 P*etr.* 1: 6, 7. U*t exploratio fidei vestræ multo pretiosior* exploratione *auri, quod perit, & tamen per ignem exploratur, inveniatur vobis esse laudi, & honori, & gloriæ, cum revelabitur Jesus Christus.*

3. Accedit *Martyrium*, (Testimonium); quod est doctrinæ Euangelicæ confirmatio, per fortem & constantem afflictionum, cruciatuum, ipsiusque mortis violentæ, pro ea tolerantiam. Ipse Christus *fidus ille* Testis

Testis appellatur, *Apoc.* I. 5. Qui etiam Apostolis suis dixit, *Act.* I, 8, *Eritis mihi Testes*, -: Et *Math.* 5. 10, 11, 12. *Beati, quos persequuntur* homines *justitiæ causa*: -. *Apoc.* 2, 13. *Antipas Martyr ille meus fidelis occisus est*, -. Vide etiam 11. 3, -. *Col.* I, 24, 25. *Phil.* I, 12, 13, 14, Sed specialius usu Ecclesiastico *Martyres* appellantur, qui pro confirmatione Euangelii mortem oppetunt; reliqui vero, qui damna, carceres, cruciatus, exilia pro eadem veritate sustinent, *Confessores* dicuntur.

Fieri autem potest, ut *Castigatio* simul sit *Probatoria*: vel etiam aliquando *Martyrii* rationem habeat: quamvis alio respectu. Vide *Hebr.* 12. 2, - 11. 1 *Petr.* 4. 12.

XIII. *Pœna* proprie dicta est tum *damni*, tum *sensus*.

Pœna damni est privatio salutaris & gloriosæ communionis cum Deo, juxta ipsius sententiam. *Gen.* 4, 14. *En, expellis me hodie* -- *ut a facie* Tua *abscondam me* *Matth.* 7. 23. *Discedite a* Me, -, 25. 41. *Execrati, abite a Me.* 2 *Thess.* I, 9. expulsi *a facie* Domini, & *gloria virium Ipsius*.

Pœna sensus notat cruciatus positivos, quales impiis non solum immittuntur in hac vita, sed & post eam durabunt absque fine. *Matth.* 25. 41. *Abite a* Me, *in ignem æternum.* Marc. 9. 46. *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Apoc.* 14. 11. *Fumus tormenti ipsorum ascendet in sæcula sæculorum: nec habebunt requiem die, nec nocte.*

XIV. *Peccatum dividitur* multifariam: *primo* enim vel est *commissionis*, vel *omissionis*. *Peccatum commissionis* adversatur præcepto negativo, dum agitur, quod prohibitum est. Hic actus substratus metaphysice bonus est in genere entis: sed per repugnantiam adversus Legem Dei, caret bonitate morali.

Peccatum omissionis adversatur præcepto affirmativo, dum non agitur quod mandatum est. Hic facultas, aut habitus, cessat ab exercitio, quo occupari deberet

ret juxta præſcriptum: adeoque vel nihil agitur, h.e. nullum opus notabile; vel aliud agitur, quod iſtis circumſtantiis non convenit.

Omiſſio autem vel eſt *totalis*, ſive totius officii mandati; vel *partialis*, ſive modi alicujus, aliuſve adjuncti neceſſarii.

XV. *Secundo* peccatum eſt vel *habituale*, vel *actuale*.

Habituale notat difformitatem moralem, in ſubjecto ſuo, analogice per modum actus primi: unde ipſum ſubjectum vitiatur ac deturpatur, & quæcunque ab eo procedunt Rom.8,7,1. *Quod ſapit caro, inimicitia eſt adverſus* Deum *Legi enim* Dei *non ſubjicitur: nam ne poteſt quidem. Ergo qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Tit. I, 15. *Pollutis & incredulis nihil eſt mundum; ſed polluta eſt eorum & mens, & conſcientia:* Matth. 7, 18. *Non poteſt arbor mala fructus bonos ferre.*

Actuale vero eſt actus ſecundus, ſive actio, difformitate tali laborans: ſive cogitatum, dictum, aut factum contra Legem Dei. Matth. 15, 19, 20. „Ex „ corde *egrediuntur cogitationes malæ, cædes, adulteria,* „ *ſcortationes, furta, falſa teſtimonia, maledicta.*

XVI. *Tertio* peccatum eſt vel *Angelorum*, vel *Hominum*.

De *malis Angelis*, eorumque *lapſu* diximus ſup.cap. 7. th. 18. Sed poſt primam illam apoſtaſiam, ſecuta ſunt, & perpetuo ſequuntur, plura peccata: exinde enim omnes eorum actiones, vel univerſali ἀνομίᾳ laborant; vel ſaltem in principio, fine, & modo agendi deficiunt. Confer Matth. 7, 18. *Tit.* 1. 15. Omnes certe & ſinguli illi 1. libere defecerunt totaliter. 2. Nec Mediatorem habent, per quem reſtituantur. Vide *Hebr.* 11, 14, 16, 17. 3. Conſequenter etiam libere in apoſtaſia ſua ipſi perſeverant abſque fine, & ſine ulla reſipiſcentia. 4. Et juſto Dei judicio relinquuntur ac ſervantur æternæ condemnationi. 2 Petr. 11, 4. *Deus*

Angelis, qui peccaverunt, non pepercit; sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit, damnationi servatos. Similia sunt *Judæ.* 6 Et *Matth.* 25.41. *in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.*

XVII. De *peccatis Hominum* agendum uberius. Occurrit ibi *Peccatum primum*, & alia *a primo orta.*

Primum est ipsa primorum Hominum a primæva integritate defectio, per transgressionem præcepti Divini de non gustando fructu Arboris scientiæ boni & mali. *Gen.* 3, 1,-7.

Causæ principales efficientes, vel potius *deficientes*, fuerunt ipsi Homines protoplasti: sed Eva prior, quæ etiam Adamum seduxit: *Gen.* 3. 6. 2 *Cor.* 11, 3. Hinc 1 *Tim.* 11, 14. *Adamus non fuit seductus* (scil. prior, & tali modo per serpentem;) *sed Mulier seducta, causa transgressionis fuit.* Alibi tamen Adamus in hoc negotio potissimum commemoratur, tanquam Caput posteritatis politice ac fœderaliter in ipso comprehensæ & consitæ: *Rom.* 5, 12, 14, 15, 16, 18, 19. 1 *Cor.* 15, 21, 22.

Libere autem sic defecerunt Protoplasti; seque inclinarunt ad illud, quod Deus prohibuerat. *Eccl.* 7, 29. *Solummodo vide! hoc inveni, Deum ipsum fecisse hominem rectum; ipsos autem quærere ratiocinia plurima.*

XVIII. *Causa Procatarctica* ad peccandum pelliciens fuit Diabolus; Tentator ille; *Matth.* 4, 3. Pater mendacii, & Homicida a principio; *Joh.* 8. 44. Idem rursus Draco, & antiquus Serpens appellatur metaphorice & metonymice. *Apoc.* 12. 3, 4, 9. 20. 2. tum propter similitudinem versutiæ, quæ Serpenti naturalis est; tum κατὰ μνήμην, quod ille Serpentem ingressus, sub tali specie ac forma deceperit Evam; tum denique ob convenientiam inmicitiæ, quæ ex illo tempore fuit inter Serpentes & Homines: *Gen.* 3. 1. 4. 5. 15.

Dolum ergo texit Diabolus, animali callido & versuto ad eum abusus; Non quidem ignorarunt Protoplasti, Serpentem esse ἄλογον ζῶον: verum Diabolus rei novi-

novitate, ac doli methodo callidiſſima, illos detinuit, cepit, decepit.

Tentator primum Dubitationem injicere conatus eſt, de ſenſu prohibitionis Divinæ; ambigue quærens, *Gen.* 3. 1. *Etiamne edixiſſe Deum, ne comedatis ex omni fructu arborum hujus horti?* Cum vero Mulier diſtincte repoſuiſſet Divinam conceſſionem, prohibitionem, & ſanctionem; *verſ.* 2, 3. ille in ſanctionem aperte incurrit; *Non utique moriemini; verſ.* 4. & ad falſam prohibitionis cauſam confugit: *Novit enim Deus, quo die comederitis ex eo, aperturos ſe oculos veſtros; & vos fore ſicut Deos, ſcientes boni ac mali: verſ.* 5. Sic ille malum triſte, Præcepti tranſgreſſoribus certo eventurum, negavit; & bonum inſigne, quod Deus invideat, promiſit impudentiſſime. Hac κυβεία τῆς πανουργίας, καὶ μεθοδεία τῆς πλάνης, vera primum in dubium trahendo; ac deinceps ea tanquam falſa rejiciendo & contraria ſubſtituendo, ſeduxit initio Evam; ac per eam deinceps Adamum: illa enim, ubi *accepiſſet de fructu iſto, & comediſſet, etiam* comedendum *dedit Viro ſuo ſecum, qui comedit; verſ.* 6. Mulierem vero a verbis proceſſiſſe ad verbera, & ſic Maritum compuliſſe ad peccati ſocietatem, inane *Judæorum* commentum eſt.

XIX. Ita peccatum iſtud *conſummatum* quidem fuit actuali comeſtione illius fructus; ſed prius *inchoatum* fuit intus. Ubi Protoplaſti audiviſſent quæ a Tentatore proponebantur, ſtatim ea exigere debuiſſent ad Verbum ipſius Dei, cui fides habenda eſt ſine ulla dubitatione; atque ſic illa, tanquam falſa & fallacia, rejicere debuiſſent cum indignatione. Confer *Matth.* 4. 3.-10. Nunc initium peccati fuiſſe videtur nonobſervatio veracitatis Divinæ in iſtis circumſtantiis, atque adeo dubitatio; deinde perverſum judicium de iſto fructu, ſapientia, beatitudine, atque ipſo Deo; & inordinatus appetitus majoris excellentiæ & conformitatis cum Deo; ac porro propoſitum exequendi; quod

quod excepit ipſa conſummatio.

Juſtitia originalis in Protoplaſtis habitualiter fuit integra, quin & actualiter, ratione circumſtantiarum, uſquedum peccatum illud inchoaretur: ſed in primo peccandi momento privative abfuit illius exercitium, ſive actus ſecundus tunc neceſſarius. Sic Homo non uſus eſt habitu ſuo, quo uti potuiſſet ac debuiſſet; ipſe cauſa formaliter efficiens libera actionum ſuarum, & libere deficiens reſpectu iſtius *ἀνομίας*: Verum culpabilis iſta omiſſio ſtatim induxit deformitatem ſpiritualem; ſic extincta & amiſſa eſt habitualis illa bonitas.

XX. *Deus* nequaquam fuit lapſus illius *cauſa efficiens*: tum quia ipſe ſanctiſſimus: *Jac.* 1. 13. tum quia peccati, tanquam formaliter privativi, nulla eſt cauſa efficiens proprie dicta. Nec fuit *privative deficiens*: quia non tenetur operari omne bonum, ubique & ſemper, ad extremum virium ſuarum; eſt enim agens liberrimum. Sufficit, ipſum quæcunque operatur operari ſanctè, & convenienter ad gloriam ſuam, juxta decretum voluntatis ſuæ.

Permiſit tamen peccatum formaliter; quatenus non impedivit, quo minus homo in iſta operatione deficeret moraliter. Sic autem non-egit, atque adeo fuit non-auctor. Interim in actu ſubſtrato *cooperatus eſt* Deus, ut Cauſa prima, eminentiſſime & ſanctiſſime; cujus cogitationis & viæ a noſtris plurimum diſcrepant: *Eſ.* 55. 8, 9. *Ordinavit* denique complexum illud in finem bonum, juxta conſilium ſuum ſanctiſſimum & ſapientiſſimum; qui *omnia facit propter ſeipſum, etiam improbum in diem mali*: *Prov.* 16. 4. atque *omnes concluſit in inobedientiam, ut omnium illorum miſereretur*: *Rom.* xi. 32. Confer ſup. cap. 8, th. 16, 17: 23, 24.

Qu. 1. Num Deus antecedenter Homini ſubtraxerit gratiam habitualem? Neg. Nuſquam id patet:

C c neque

neque consentaneum est bonitati Divinæ. Sed Homo jam peccans non utebatur gratia sua habituali: atque adeo Deus, qui dederat Homini *posse quod vellet*, sive *auxilium sine quo non* potuisset perseverare, non dedit illi actu *velle quod posset*, sive *auxilium quo* reipsa perseveraret; seu non excitavit actum secundum eo modo & gradu, ut Homo superaret istam tentationem. Neque tamen Homini concreata fuit aliqua inclinatio ad malum. Vide sup. cap. 7, th. 41.

Qu. 2. An fieri potuerit, ut Homo gratia habituali uteretur, eam in actum secundum deduceret, & sic de facto recte operaretur, sine prævio & excitante concursu Dei? Neg. Id enim tum primitati Divinæ, tum dependentiæ humanæ, prorsus adversatur. Vide sup. cap. 8, th. 11, 12. Unde tamen non sequitur, Hominem obligatum fuisse ad impossibile: habitualiter enim præditus fuit potentia obediendi Deo, & perseverandi in sua integritate; quanquam dependenter a Causa prima, ut convenit Causæ secundæ. Interim non data actuali illa excitatione ad obedientiam & perseverantiam, hactenus saltem Homo potuit & debuit non tendere vitiose in oppositum. Imo posita etiam prædeterminatione & excitatione Dei ad actum illum substratum; ista Dei efficientia infert quidem efficientiam Creaturæ; & negatio aliqua ex parte Dei, infert quoque in Creatura absentiam ejus quod negatum, sive non datum est: verum ea non est vitiosa, seu peccaminosa; nisi quatenus ipsa Creatura rationalis formaliter deficit in genere moris, a norma sibi præscripta, & quidem libere.

XXI. *Libere* igitur peccarunt Protoplasti; nimirum intrinseca libertate causæ, spontaneitatis, & complacentiæ, etiam cum jam laberentur: quin imo libertate contradictionis, & contrarietatis, si respectus habeatur ad conditionem ipsorum antecedentem, & in sensu diviso. Si vero lapsus ille referatur ad

Decre-

Decretum Dei, Scientiam visionis, & Providentiam actualem, recte dicitur evenisse *necessario*; necessitate scil. extrinseca, consequentiæ, ex hypothesi, immutabilitatis, infallibilitatis, & in sensu composito; non autem intrinseca necessitate causæ, consequentis, absoluta, &c. ut unumquodque, dum est, eo ipso quod est, necessario est; quod jam fit, quantumvis libere, eo ipso quod fit, necessario fit. Quod observandum contra *Jesuitas, Socinianos, Anabaptistas*, *Remonstrantes*, & *Lutheranos*.

XXII. Distinguendæ interim *Tentationes* respectu Evæ: 1. Diaboli ad ipsam; seductoria, & vitiosa. 2. Dei ad Evam; probatoria, & sancta. 3. Evæ ad Deum; exploratoria veracitatis & constantiæ Divinæ, mala, 4. Evæ ad seipsam; excitatoria & seductoria sui ad peccatum porro committendum.

Itemque respectu Adami: 1. Evæ ad ipsum; seductoria. 2. Dei ad ipsum; probatoria. 3. Adami ad Deum; exploratoria. 4. Adami ad seipsum; seductoria.

Simili fere ratione in singulis Hominum peccatis tentationes istiusmodi conjungi solent.

XXIII. *gravitas* hujus peccati non ex pretio fructus prohibiti æstimanda est; neque solum intemperantia, aut qualiscunque superbia, putanda. Sed respicienda 1. Majestas Dei infinita; cujus Lex transgrediendo violata est. Hinc *Rom.* 5. 14,-19. *transgressio*, *offensa*, & *contumacia* appellatur.

2. Facilitas abstinendi ab illo fructu, cum alii suppeterent abunde: *Gen.* 2. 16, 17. III. 2, 3.

3. Ratio symbolica istius arboris; in qua Deus speciatim Hominum obedientiam probare voluit.

4. Insignis Hominum conditio, in ista sua integritate.

5, Ratio Fœderis, respectu Posterorum.

6. Præceptorum Dei, atque adeo obedientia, & pecca-

peccatorum plurimorum concatenatio: nam in lapsu isto fuit congeries incredulitatis, ingratitudinis, contumaciæ erga Deum, curiositatis, ambitionis, contrectationis rei alienæ, assensûs falso testimonio præbiti, defectionis ad hostem Dei, crudelitatis erga seipsos, & immanis ἀστοργίας erga posteros suos.

Hinc non male peccatum istud dicitur *gravissimum*: *tum intensive*, spectando gradum malitiæ in ejus consummatione; tum *extensive*, spectando singula quæ in eo involvuntur, etiam effecta turpia ac tristia.

Quin imo licet Eva peccaverit prior, peccatum Adami tamen insignem gravitatem habet: tum per ejus eminentiam præ Muliere; tum quod Caput universi Generis humani constitutus esset.

XXIV. *Effecta* occurrunt primo in ipsis *Protoplastis*: & quidem *communiter*; 1. Amissio justitiæ originalis; eique contraria Deformitas: peccando enim ista fuit abjecta; hæc vero contracta; efficienter, respectu ipsorum Protoplastorum; & meritorie, respectu Justitiæ Divinæ, unde Mors ista spiritualis immissa.

Obj. Uno actu non excutitur habitus. *Resp.* Neg. cum etiam uno actu tota sanitas, ipsaque vita naturalis auferri possit; nec primum peccatum fuerit actus simplex, sed ex plurimis compositus.

Huc pertinet ineptitudo ad omne bonum spirituale salutare; & inclinatio ad mala opposita; *Gen* 6. 5. VIII. 21. Joh. 8. 34. Rom. 8. 7.

2. Reatus coram Deo: *Rom.* 3. 19: v. 12, 16.

3. Terror conscientiæ; molestus sensus nuditatis cum pudore; & talis vestium necessitas: *Gen* 3. 7, 8, 21.

4. Ejectio ex Paradiso: *Gen.* 3. 22, 23, 24.

5. Omnis generis ærumnæ & calamitates in hac vita: *Iob.* 7. 1.

6. Inimicitia Serpentis, ipsiusque Diaboli: *Gen.* 3. 15. *Eph.* 6. 11, 12.

7. Mors

7. Mors temporalis, atque æterna; nisi interveniret redemtio Christi: *Gen.* 2.17. iij.19. *Deut.* 27.26. *Gen.* 3.15.

Adamo specialia fuerunt, singularis molestia & difficultas in rebus suis agendis; in labore manuum lassitudo, &c. cardui & spinæ in agris colendis; &c. *Gen.* 3.17, 18, 19.

Evæ, dura & molesta ad Virum subjectio; & multiplex in prolis gestatione, partu, atque educatione difficultas: *Gen.* 3.16.

Serpenti etiam suo modo imposita est quædam poena, in detestationem facti; ut scil. per ventrem serperet, ac terram lamberet, vel ederet, cum molestia & contemtu, atque ut Hominum inimicitiam experiretur: *Gen.* 3.14, 15.

Quin & *universa Creatura* Mundi aspectabilis, subjecta est vanitati, maledictioni, & servituti corruptionis: *Gen.* 3. 14, 17, 18. *Eccl.* 1.2. *Rom.* 8. 20, 21, 22.

Quæ autem de Protoplastis recensuimus, eadem ad *posteros* quoque justo Dei judicio extensa & propagata sunt: *Rom.* 8.7. 1 *Cor.* 2.14. *Eph.* 2. 3, 5. *Rom.* 3. 19. ij. 14, 15. *Job.* 7.1. XIV. 1, 2. 1 *Petr.* 5.8. *Rom.* 5.12. 1. *Tim.* 2.12, &c.

XXV. Succedunt *Peccata a primo orta*; tum *Originale*, tum *Actualia*.

Originale est Culpa ex primo illo lapsu universam Generis humani naturam, prout ea in Adamo fuit censita, ream faciens, atque inficiens miserrime. *Rom.* 5.12. *Per unum Hominem Peccatum in Mundum introiit, ac per Peccatum Mors: & ita in omnes Homines Mors pervasit, in quo omnes peccarunt.* *Eph.* 2, 3. *Eramus natura filii iræ, ut etiam reliqui.* Istud autem spectatur tum *Imputatum*; tum *Inhærens*.

XXVI. *Imputatum* est Fructus ille primi peccati, quo ipsum, juxta constitutionem Fœderis Legalis, æstima-

æstimatur naturale; ita quidem ut universam illam naturam eidem cum Protoplastis reatui involvat. *Probatur* hoc contra *Pelagianos*, *Socinianos*, aliosque eorum sequaces, 1. expressis quibusdam testimoniis: *Eph.* 2, 3. Ubi *filii iræ* intelligendi passive; h.e. obnoxii iræ Divinæ. Tales autem omnes homines sunt *natura*; scil. nunc vitiatâ; & quidem per eum qui universam naturam repræsentavit. 1 *Cor.* 15.21, 22. *Per Hominem mors.* - *In Adamo omnes moriuntur. Rom.* 5. 12. *Per unum Hominem* &c. Uno illo peccante omnes peccarunt; atque ita mors in omnes pervasit. 14. *Regnavit autem Mors ab Adamo usque ad* Mosen, *in eos etiam qui non peccaverunt ad similitudinem transgressionis Adami, qui est typus illius qui erat futurus.* Eidem reatui implicantur, qui non peccarunt similiter ut Adamus in persona propria; sed tantum peccarunt in Capite illo: quemadmodum fideles justificantur in Christo, cujus ille typus factus est 15,-19. *Illius unius offensa multi mortui sunt,- Reatus quidem ex una* offensa *ad condemnationem.-Per unam offensam* Mors *regnavit per unum.-* Per *contumaciam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Ex una igitur offensa, & contumacia unius hominis, est reatus multorum ad condemnationem, &c.

2. Ab effectu; Morte parvulorum, ante ulla ipsorum peccata actualia. Mors enim hominis omnino pœnæ rationem habet. Vide sup. cap. 7. th. 44. Ergo in infantibus, sine peccato suo actuali morientibus, agnosci debet aliud; scil. originale imputatum.

3. A consequente remotiori; necessitate redemtionis per Christum. *Matth.* 18. 11. *Venit enim Filius hominis ut servet quod perierat.* IX. 12. *Iis qui valent non est opus* Medico; *sed iis qui male* se *habent. Act.* 4. 12. *Nec est in alio quoquam salus*, &c. Vide etiam *Joh.* 14. 6. Marc. 16. 16. *Joh.* 3. 36. 2 *Cor.* 5. 15, 19, 21. Ubi Infantes salvandi quoque includuntur. *Marc.* 10. 14, 16. *Sinite Puerulos venire ad* Me, *& ne prohibete eos: talium*

lium enim est Regnum *Dei.* - *Et cum accepisset eos in ulnas, impositis in eos manibus, benedixit eis.* Act. XI, 38, 39. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomen Jesu Christi, in remissionem peccatorum* : - *Vobis enim facta est promissio, & liberis vestris*, &c. Confer *Gen.* 17, 7, 10, 12. Ergo etiam Infantes per naturam ex lapsu corruptam perierant.

4. A consequente propinquiori; vitiositate omnibus nunc per naturam inhærente: quoniam enim Deus justo suo judicio *omnes conclusit in inobedientiam*; Rom. xj. 32. (quod mox plenius explicabitur & confirmabitur,) inde etiam manifestum evadit peccatum illud Posteris imputari, atque in iis sic puniri.

XXVII. Intelligendi autem omnes *Posteri*, qui ab Adamo geniti sunt, ac porro descenderunt, juxta ordinem sub isto Fœdere institutum, cum benedictione illa, *Fœtificate, & augescite; & implete terram*; *Gen.* 1. 28. quique sic in ipso censiti fuerunt.

Solus igitur Christus excipitur; Mediator & Sponsor Novi Fœderis: adeoque non censitus in Adamo fœderaliter: a quo contradistinguitur, ut quadantenus typo; R*om.* 5. 14. 1 *Cor.* 15. 21, 22, 45, 47, 48, 49. Quanquam respectu humanæ naturæ utcunque virtualiter physice in illo fuit; juxta genealogiam, *Luc.* 3. 23.-38. Sed qui venit servare quod perierat; M*atth.* 18. 11. non erat venturus, si Adamus in sua integritate perstitisset; neque juxta ordinem tunc constitutum. Unde postmodum non naturali illo modo, ex Viro & Muliere; sed supernaturali Spiritus Sancti operatione conceptus est in Virgine, &c. Vide *Gen.* 3. 15. *Jes.* 7. 14. *Matth.* 1. 18, 20. *Luc.* 1. 34, 35.

XXVIII. *Effectus proximus* peccati istius imputati, est Reatus omnium Adamitarum, h. e. in ipso fœderaliter censitorum. R*om.* 5. 16. Unde consequuntur *effectus remotiores*: omnis generis calamitates, cruciatus, & miseriæ; sive simpliciter tristes, sive etiam tur-

pes: tum in hac vita, tum post eam in æternum. Ista enim pariter *Mortis* nomine comprehenduntur; *Gen.* 2, 17. Confer *Rom.* 5. 12, 14. Quare etiam *Condemnatio* diserte appellatur, *Rom.* 5. 16, 18.

Obj. 1. Servator parvulis tribuit *Regnum Cœlorum*; *Marc.* 10. 14. Iidem *Sancti* dicuntur; 1 *Cor.* 7. 14. Ergo. *Resp.* Non ratione naturæ; sed gratiæ, in Christo.

Obj. 2. Christus *Joh.* 9. 2, 3. negat, parentes illius cœci peccatis suis hoc esse in specie demeritos ut iste cœcus nasceretur. Ergo. *Resp.* Inde nequaquam sequitur, peccatum Adami non imputari Posteris in ipso censitis.

Obj. 3. *Jac.* 4. 11. Deus pepercit illis parvulorum millibus. Ergo. *Resp.* Non tamen absolute adversatur Divinæ justitiæ, vel etiam misericordiæ, peccata Parentum Liberis imputare; atque hos idcirco simul punire: ut factum in Diluvio, & alibi.

Obj. 4. Adamo peccante, nos non extitimus; ergo nec una peccavimus, aut in peccatum illud consensimus. &c. *Resp.* Extitimus virtualiter in Adamo, & fœderaliter in ipso comprehensi atque censiti sumus: unde illud peccatum non est a nobis alienum.

XXIX. P*eccatum originale inhærens*, est habitualis congenita vitiositas, ex primo illo peccato orta, per quam natura nostra prorsus inepta est ad omne bonum spirituale salutare, & proclivis ad mala opposita.

Non autem est ipsa Hominis substantia; qui *Flaccii Illyrici* erat error: nam 1. Substantia Deum auctorem habet.

Atque adeo 2. bonitatem suam in genere entis.

3. Filius Dei ejusdem speciei substantiam assumsit hypostatice; sed absque omni peccato.

4. In regeneratione, sanctificatione, & glorificatione, non mutantur homines substantialiter; sed qualitatibus solum: interim ab ista vitiositate liberantur.

Obj. Sæpius in SS. Literis appellatur *Caro*, *Corpus*

peccati,

peccati, *Membra terrena*, *Homo vetus*, &c. Ergo. *Resp.* Ista per metonymiam subjecti pro adjuncto dicuntur: & moralem universæ naturæ nostræ corruptionem indicant.

Neque tamen putanda est mera negatio, seu carentia justitiæ orginalis; quæ etiam bruto, aut lapidi, tribui potest: sed est vera ejus privatio, & quidem in subjecto activo rationali. Hinc ergo facultates, habitus, & affectus, quoties in actum deducuntur, vel feruntur in objecta mala, & sic male; vel in objecta bona, sed male. Unde *Peccatum peccans*, *Lex membrorum* & *peccati*, &c. appellatur, *Rom.* 7.13, 17, 20, 23, 26. *Jac.* 1. 14.

XXX. *Probatur* nunc ista vitiositas, adversus *Socinianos*, *Anabaptistas*, & *Remonstrantes*; 1. Locis quibusdam diserte & communiter universam illam corruptionem nativam docentibus: *Job.* 14. 4. *Quis edat mundum ex immundo? ne unus* quidem. *Joh.* 3. 6. *Quod genitum est ex carne, caro est.* Ita quidem ut dum talis manet, a Regno Dei excludatur. *Gen.* 6. 5. *Omne figmentum cogitationum cordis hominum tantummodo malum est omni tempore.* 8.24. *Figmentum cordis hominis est malum a pueritia ipsius.* Omnis igitur, etiam prima, operatio mentis humanæ, in statu hoc naturali, mala est moraliter. *Psal.* 51, 7. *En, in iniquitate formatus sum; & in peccato fovit me mater mea.* Adde *Gen.* 5.3. *Jes.* 48.8. LVIII. 4. *Ezech.* 16. 3,-6. *Jerem.* 17.9.

2. Pressius explicatur ista corruptio, respectu facultatum, habituum, affectuum, & actionum. *Rom.* 8. 7. *Quod sapit cara, inimicitia* est *adversus Deum. Legi enim Dei non subjicitur: nam ne potest quidem.* Sic autem caro est, quicquid ex carne natum. 1 *Cor.* 2, 14. *Animalis homo non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei; sunt enim ei stultitia. nec potest ea cognoscere: quia spiritualiter dijudicantur.* Animalis autem est, qui supernaturali gratia Spiritus Sancti destituitur. Confer

verſ. 15. & *Judæ,* 19. Iterum *Eph.* 2. 1, 2, 3. *Cum eſſetis mortui in lapſibus & peccatis; in quibus olim ambulaſtis, ut eſt vita mundi hujus. Eramuſque natura, ut etiam reliqui.* IV. 17, 18. *Sicut reliquæ* Gentes *ambulant, in vanitate mentis ſuæ; Tenebris obſcuratam mentem habentes, & alienati a vita* Dei, *propter ignorantiam quæ eſt in ipſis, per obdurationem cordis ipſorum.* Adde 5. 8. *Tit.* 3. 3. I. 15. *Rom.* 6. 19.

3. Ex neceſſitate regenerationis & ſanctificationis. *Joh.* 3. 5. *Niſi quis genitus ſit iterum, non poteſt videre* Regnum Dei. *Niſi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in* Regnum *Dei.* Per naturam igitur caremus vita ſpirituali. *Eph.* 4. 22, 23, 24. Edocti *deponere, quod ad priſtinam converſationem attinet, veterem illum hominem, qui de ſeductricibus cupiditatibus ſeſe corrumpit: Renovari vero ſpiritu mentis; Et induere novum illum hominem, qui ſecundum* Deum *conditus eſt ad juſtitiam & ſanctimoniam veram.* Vetus homo propter corruptionem exuendus eſt; novus, ad imaginem conditoris Dei, induendus neceſſario. II. 5. *Etiam nos, cum in offenſis mortui eſſemus, una vivificavit.* Per naturam ergo ſpiritualiter mortui ſumus: propterea vivificatione opus eſt. Adde 2 *Cor.* 5. 17, 18. *Ezech* 36. 26. Huc olim pertinebat Circumciſionis neceſſitas, quæ Cordis circumciſionem ſignabat: *Gen.* 17. 10, -14. cum *Deut.* 10. 16. XXX. 6. *Ierem.* 4. 4. & nunc Baptiſmi, ſpiritualem immunditiem neceſſario expurgandam indicantis: *Col.* 2. 11, 12. *Act.* 2. 38, 39. XXIJ. 16.

4. Ex Reliquiis iſtius corruptionis in regenitis & ſanctificatis. *Phil.* 3. 12. *Non quod jam* metam *apprehenderim, aut jam ſim conſummatus.* *Jac.* 3. 2. *In multis enim impingimus omnes.* 1 *Joh.* 1. 8, 9, 10. *Si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt.* &c. *Gal.* 5. 17. *Nam Caro concupiſcit adverſus Spiritum: Spiritus autem adverſus Carnem: hæc vero inter ſe oppoſita ſunt, ut non quæcun-*

que

que volueritis, eadem faciatis. Diserta est in hanc rem querela Apostoli, *Rom.* 7. 14.-. *Ego carnalis sum, venditus ut subjicerer peccato.* (Ratione istarum reliquiarum) *Quod enim perpetro,* (peccans,) *non agnosco,* (non approbo, qua modo regenitus). *Non enim quod volo,* (voluntate regenita.) *hoc ago; sed quod odi; hoc facio.* 17. *Nunc itaque non amplius ego id perpetro;* (ille ego, qui nunc sum; novus homo;) *sed peccatum, quod in me habitat*, id perpetrat, &c. Unde facile patet, qualis, & quanta, sit corruptio in homine naturali.

XXXI. Quomodo ad omnes *Adami posteros* extendatur ista corruptio, atque interim *Christi* alia sit ratio, satis innotescit ex dictis th. 27.

Mariam Virginem non item excipimus, neque immaculatam conceptionem ei tribuimus, cum *Pontificiis*. Quemadmodum ea neque peccatorum actualium fuit expers; juxta generalia effata, 1 *Reg.* 8. 46. *Prov.* 20. 9. *Eccles.* 7. 20. *Jac.* 3. 2. 1 *Joh.* 1. 8, 10. communem precationem; *Matth.* 6. 12. & Christi reprehensionem ad eam; *Luc.* 2. 49. *Ioh.* 2. 4. Unde etiam ipsa Servatore indiguit; *Luc.* 1. 47. *Ioh.* 14. 6. *Actor.* 4. 12.

Obj. 1. Christus ex Maria non potuit nasci sine labe hæreditaria, nisi & ipsa ejus fuerit immunis. *Resp.* Neg. 1. Alia enim Christi est ratio; qui in Adamo labente non fuit censitus. 2. Eadem consequentia ab ista labe eximi possent parentes Virginis Mariæ, ac porro illorum parentes, & majores, usque ad ipsum Adamum.

Obj. 2. *Psal.* 19. 5. *In Sole posuit tabernaculum suum*: ergo B. Virgo est prorsus immaculata. *Resp.* Vulgatus Interpres vitiose sic reddidit istum textum; ubi non agitur de B. Virgine, neque Christi in ea conceptione: sed celebratur, quomodo Deus Soli in regione cœlesti assignaverit suum spatium, quasi ad lineas decurrendum.

Obj. 3. *Cant.* 1. 15. *Ecce, tu pulchra es, amica mea!* Ergo

Ergo, &c. *Resp.* Istud de Ecclesia mystica dicitur, & respectu gratiæ; non de Maria, & respectu naturæ.

XXXII. Spiritualis iste morbus hæreditarius propagatur media generatione naturali: analogice ut fit in corporalibus morbis hæreditariis. A Patribus carnis nostræ, (*Hebr.* 12. 9.) cum quibus Matres, ut causas socias, una comprehendimus, (*Psal.* 51. 7.) procedit tale corpus organicum, multiplici intemperie laborans: hinc proficiscuntur affectus inordinati; & mores animi inclinantur. Animæ quidem à Deo creantur, sed nunc absque justitia originali. Producitur substantia spiritualis, cum suis facultatibus naturalibus, & quibusdam habitibus, exiguis Imaginis Divinæ reliquiis: sed non cum habituali ista integritate, quæ initio fuit in Protoplastis. Hactenus Deus se habet negative: sed subjectum ita productum habet se privative. Verum insuper actus positivus judicialis ex parte Dei agnoscendus est, quo ipse istam privationem in subjecto operativo ordinat in pœnam primi peccati; quod Posteris imputari, imo Posteros in Adamo etiam commisisse, probatum est superius. Hinc jam Facultates infirmæ, & ad spiritualia salutaria naturaliter ineptæ: Habitus imperfecti, & vitiati: Intellectus spirituali stultitia laborat; Voluntas, profanitate, & rebellione adversus Deum, ac Legem Ipsius: Affectus, omnino inordinati: Corporis membra sunt organa injustitiæ ad serviendum peccato: Actiones omnes peccaminosæ, &c. *Joh.* 15. 5. *Rom.* 5. 6. viij. 3, 7. 1 *Cor.* 2. 14. *Eph.* 4. 18. ij. 1, 2, 3. *Tit.* 3. 3. *Rom.* 6. 13, 16, 17. *Matth.* 7. 17, 18. *Joh.* 3. 6. *Job.* 14. 4. *Tit.* 1. 15. Qui enim rationaliter operari aptus natus & proclivis est, nec potest bene, necessario operatur male moraliter.

XXXIII. Ista ratione 1. universum Genus humanum in se vilissimum est coram Deo, prorsus contemnendum & abominandum: *Eccl.* 1. 2. *Psal.* 62. 9. Cxliv. 3, 4. *Tit.* 3. 3. *Eph.* 2. 3. 2. Miser-

2. Miserrimæ servituti mancipatum : *Joh.* 8. 34. *Rom.* 6. 16, 17, 20, 21. vij. 14, 23, 26.

3. Inde omnis generis peccata actualia : *Matth.* 7. 17, 18. *Jac.* 1. 14, 15.

4. Ac pro rata crescit reatus : *Rom.* 3. 4, 5, 19. v. 20, 21, 23.

5. Conscientia prorsus mala est : *Tit.* 1. 15. *Jes.* 57. 21.

Obj. 1. Sanguis infantium dicitur innoxius ; *Psal.* 106. 38. Nulla igitur vitiositas iis inhæret. *Resp.* Istud dicitur ; quia nullum adhuc peccatum actuale commiserunt ; nedum quo meriti essent, ab hominibus violenta istiusmodi morte mulctari.

Obj. 2. Destituuntur usu rationis: consequenter non sunt subjecta capacia alicujus peccati. *Resp.* Non quidem peccati actualis ; sed tamen originalis, ut imputati, ita quoque inhærentis.

Obj. 3. Aliqui fuerunt sanctificati, vel etiam Spiritu Sancto repleti, inde ab utero materno ; ut Jeremias, Johannes Baptista, &c. Ergo. *Resp.* Quæ à gratia supernaturali procedunt, à natura distingui debent : neque illa negant, aut statim tollunt, omnem naturæ corruptionem.

Obj. 4. Multi parentes sunt fideles & sancti : per eos ergo saltem non propagatur peccatum originale. *Resp.* 1. Generatio destinata est ad propagandam per se naturam ; non gratiam. 2. Ad propagationem illam interveniunt quidem parentes proxime ; sed potissimum spectandus est Adamus, in quo corrupta est universa natura.

XXXIV. Homini subjective inest sua *Libertas* ; sed subordinata Libertati Divinæ, & dependens à summa Providentia ; ut ostensum est suis locis. Nunc ex superioribus etiam deducimus contra *Pontificios*, *Socinianos*, *Anabaptistas*, & *Remonstrantes*, facultatem illam in homine irregenito, per nativam corruptionem,

nem, *impeditam* esse, quo minus se possit exerere ad bona spiritualia salutaria: atque adeo hominis naturalis *arbitrium*, in ordine ad ista objecta appetenda & prosequenda, *non* esse *liberum*; ut quidem est ad objecta naturalia, aut civilia, & moraliter mala; sed esse *servum* corruptioni & malitiæ.

Demonstratur hoc 1. disertis testimoniis: *Ioh.* 8. 34, 36. *Quisquis operam dat peccato, servus est peccati, - Itaque si vos Filius in libertatem vindicarit, vere liberi eritis.* Tantisper homo naturalis est servus peccati. Rom. 6. 6, 7, 16, 17, 19. *Veterem illum nostrum hominem cum Eo crucifixum esse, - ne nos amplius serviamus peccato. - An nescitis, quod cui sistitis vos servos ad obediendum, ejus servi estis, cui auscultatis? - Fuistis quidem servi peccati. - Exhibuistis membra vestra serva impuritati & iniquitati, ad* patrandam *iniquitatem.* 2 *Petr.* 2. 19. *Cum ipsi servi sint corruptelæ: siquidem à quo quis superatus est, huic etiam in servitutem est addictus.* Confer 2 *Tim.* 2. 25, 26.

2. Ex Morte spirituali; & necessitate vivificationis, &c. Naturaliter mortuus nullas actiones vitales potest producere; nec spiritualiter mortuus, actiones spirituales salutares. *Eph.* 2. 1, 2. *Cum essetis mortui in lapsibus & peccatis*: In *quibus olim ambulastis; ut est vita hujus mundi, -. 5. Etiam nos, cum in offensis mortui essemus, una vivificavit cum Christo.* IV. 18. *Tenebris obscuratam mentem habentes, & alienati à vita Dei*, &c. *Matth.* 8. 22. *Mortui* (spiritualiter) *sepeliant mortuos suos* (corporaliter). Hinc *opera* eorum *mortua* dicuntur: *Hebr.* 6. 1. ix. 14. Sed in Christo est vita: *Ioh.* 1. 5. xiv. 6.

3. Expresse inculcatur omnimoda nostra impotentia, respectu bonorum spiritualium salutarium. *Ioh.* 15. 5. *Seorsim à me nihil potestis facere.* 2 Cor. 3. 5. *Non quod idonei sumus per nos ipsos ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipsis*: &c. *Matth.* 7. 18. Non potest

test *arbor mala fructus bonos ferre.* Rom. 5. 6. *Cum nullis adhuc viribus essemus.* &c. Adde *cap.* 8. 3, 7. 1 *Cor.* 2. 14. *Deut.* 29. 4.

4. Et manifesta est contraria dispositio, inclinatio, & occupatio: *Tit.* 1. 15. *Pollutis & incredulis nihil est mundum: sed polluta est eorum & mens, & conscientia.* 1 *Cor.* 2. 14. *Animalis homo,* &c. *sunt enim ei stultitia.* Quia scil. subjectivè in ipsius mente inest spiritualis stultitia. *Rom.* 8. 7. *Quod sapit caro, inimicitia est adversus Deum.* xiv. 23. *Quicquid ex fide non est, peccatum est.* *Eph.* 4. 22. Vetus ille homo *de seductricibus cupiditatibus sese corrumpit.* Adde *Gen.* 6. 5. viij. 21. *Ierem.* 13. 23.

XXXV. *Obj.* 1. Philosophi, aliique inter Gentiles sapientia & virtute conspicui, plurima præclare fecerunt; Socrates, Aristides, Cato Major, Seneca, &c. Ergo. *Resp.* 1. Sed iidem ambitionis, aliorumque vitiorum, mancipia fuerunt. 2. Quæ absolutè, secundum specificationem operum, censeri possent bona; subjective tamen fuerunt spiritualiter mala, ratione principii, finis, & modi agendi; atque adeo splendida peccata.

Obj. 2. 1 *Cor.* 7. 37. *Nec adigitur necessitate, sed in potestate habet propriam voluntatem,* &c. Ergo. *Resp.* A Libertate in actionibus ad naturam, & ad vitam civilem spectantibus, utpote de matrimonio contrahendo, aut secus, &c. non valet consequentia ad Libertatem in spiritualibus salutaribus.

Obj. 3. *Matth.* 23. 37. *Quoties volui aggregare liberos tuos. -- & noluistis.* Qui autem possunt nolle, iidem quoque possunt velle. *Resp.* Homines corruptissimi stulte possunt contemnere & repudiare bona spiritualia: quæ est eorum amentia, & inimicitia adversus Deum: sed propterea non possunt in isto suo statu eadem bona spiritualia recte æstimare, eligere, & prosequi.

Obj.

Obj. 4. *Deut.* 30. 19. *Vitam & mortem proposui, benedictionem & maledictionem : deligat ergo vitam*, &c. Æquè igitur possunt eligere vitam & benedictionem. *Resp.* 1. Ex Præceptis, Promissionibus, Comminationibus, &c. rectè colligitur obligatio ad officium; non autem facultas ad præstandum istud officium in statu naturali corrupto. 2. In universa Israelitarum multitudine aliqui saltem fuerunt regeniti & sanctificati, qui per istam gratiam potuerunt etiam deinceps eligere vitam. Fieri quoque potuit, ut nonnulli audita illa exhortatione & obtestatione, quæ erat instrumentum morale, accedente intus hyperphysica operatione Spiritus Sancti, reipsa converterentur; & sic spirituali facultate eligendi vitam ac benedictionem instruerentur: dum reliqui sic magis ad officium obligabantur: & de peccatis suis convincebantur.

XXXVI. Sicut in Iustificatione fideles absolvuntur & liberantur à reatu, omnique pœna stricte dicta; quanquam in hac vita adhuc remanent castigationes, explorationes, &c. ita quoque in Regeneratione & Sanctificatione extinguitur vetus homo; non quidem ut statim prorsus esse desinat; sed ut saltem non dominetur, atque indies magis subigatur, & destruatur, donec cum fine hujus vitæ omnino aboleatur. Vide *Rom.* 6. 6. *Col.* 3. 5, 6, 7. 2 *Cor.* 4. 16. *Hebr.* 4. 9, 10.

Quod autem de naturali corruptione reliquum est in regenitis, justificatis, baptizatis, &c. vere etiam peccati rationem habet. Hoc contra *Pontificios*, aliosque. *asserimus*, 1. expressis quibusdam testimoniis; *Rom.* 7. 13. *Peccatum admodum peccans*. 17. 20. *Peccatum, quod in me habitat*: 21. *Mihi malum adjacet*. 23. *Lex peccati, quæ est in membris meis*. *Hebr.* 12. 1. *Peccatum, ad nos circumcingendos proclive*. Scil. peccatum illud habituale est causa peccatorum actualium.

2. Plane adversatur integritati Imaginis Divinæ, perfectioni nostræ morali: *Eph.* 4. 22, 23, 24. *Col.* 3. 7, 8, 10, 12.

3. Manifesta est difformitas à Lege Dei: *Gal.* 5. 16, 17. *Quod concupiscit Caro, ne perficite. Nam Caro concupiscit adversus Spiritum.* Jac. 1. 14, 15. *Unusquisque tentatur, dum à propria cupiditate abstrahitur & inescatur,* &c.

4. De ea dolent & conqueruntur fideles: *Rom.* 7. 24. *Ærumnosus ego homo! quis me eripiet ex isto corpore mortis?* cum 8. 10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.* Vide etiam sup. cap. 9. th. 110.

XXXVII. Nec dubitandum, quin Paulus *Rom.* 7. 14, &c. loquatur de se ipso, ut jam tum vere regenito: nam 1. diserte loquitur de se ipso, & quidem in præsenti tempore; *vers.* 14, 15, 16. &c.

2. Prædicat Legem mentis suæ, & Hominem interiorem, secundum quem delectabatur Lege Dei; *vers.* 15, 16, 22, 23, 26.

3. Serio & anxie conqueritur de peccato, quod in ipso erat reliquum; & oderat illud; *vers.* 14, 15, 17, 21, 23, 24.

4. Certus erat de redemptione per Christum; atque isto nomine gratias agebat Deo; *vers.* 25.

Exc. Irregenitus etiam meliora videre & probare potest. *Resp.* Potest naturali conscientia cognoscere & approbare ea, quæ civiliter bona sunt; non autem spiritualiter: neque iis delectatur.

Obj. Loquitur de homine carnali, vendito ut subjiceretur peccato: atqui talis non est regenitus. *Resp.* Sic appellat non absolute; sed a reliquiis carnis. Confer 1 *Cor.* 3. 1, 3. cum I, 2. Idem interim secundum hominem interiorem, novus ille Paulus, vere serviebat non peccato, sed Legi Divinæ; eâque delectabatur: sic peccatum non faciebat, nec volebat; sed odio habebat.

XXXVIII. Ex originali illa vitiositate oriuntur deinceps *peccata actualia*; ut actiones ex habitu; & fructus mali ex arbore mala: *Matth.* 7. 17, 18. *Jac.* 1. 15. Unde *peccatum peccans* appellatur; *Rom.* 7. 13.

Accedunt horum aliæ etiam passim *causæ internæ*: utpote, 1. pravi habitus acquisiti; si homines sint edocti male facere, &c. *Jerem.* 13. 23.

2. Ignorantia facti, vel etiam juris: 1 *Tim* 1. 13. 1 *Cor.* 2. 8. *Act.* 3. 17. *Psal.* 147. 20. cum *Act.* 14. 16.

3. Infidelitas: *Rom.* 14. 23. *Tit.* 1, 15.

4. Vacuitas reverentiæ Dei; *Gen.* 20. 11. *Psal.* lv, 20. 21.

5. Mentis cœcitas, & cordis durities: *Eph.* IV, 17, 18.

6. Carnis infirmitas: *Matth.* 26, 41.

7. Inordinata concupiscentia: *Jac.* 1, 15.

8. Subjectio ad serviendum peccato: *Rom.* 6. 16. 1 *Reg.* 21, 25.

9. Alia peccata, propter cognationem, affinitatem, vel dispositionem: 1 *Tim.* 6. 10. 1 *Joh.* 2. 16. *Ezech.* 16. 49.

Atque item *externæ*: 1. Diabolus, tenator & seductor: *Joh.* 8. 44. *Matt.* 4. 3. 2 *Cor.* 2. 11. XI, 3. 1 *Petr.* 5. 8. *Eph.* 6. 11, 12. *Apoc.* 2. 24.

2. Mundus corruptus: 1 *Joh.* 5. 19. Quò pertinent hominum mundanorum consilia prava, doctrinæ falsæ ac fallaces, invitationes, & persuasiones malæ, tentationes tum ad dextram, tum ad sinistram: *Prov.* 1. 10,-15. *Matth.* 7. 15, 16. *Apoc.* 2. 14. 1 *Cor.* 15. 33. *Dan.* 3. 6. *Act.* 26. 11.

3. Res prosperæ, quibus plurimi per abusum luxuriant: *Ezech.* 16, 49. *Psal.* 62. 11. *Rom.* 2. 4. *Prov.* 30. 8, 9.

4. Ex accidenti etiam ipsa Lex Divina: *Rom.* 7. 9, 10, 11.

XXXIX. Peccata isto *dispescuntur* multifariam. Ratione *materiæ*, aliud est *peccatum per se*; aliud *per accidens*. *Peccatum per se* dicitur, ubi ipsa talis actio objective prohibita est Lege Divina: ut idololatria, furtum, mendacium, &c.

Per accidens, ubi ipsa actio mandata est, vel saltem ethice permissa; sed vitiatur ex conditione efficientis, finis, modi, aliarumve circumstantiarum: ut actus liberalitatis, justitiæ, temperantiæ, fortitudinis, &c. in Socrate, Aristide, Scipione, Alexandro M. &c. *Tit.* 1. 15. *Rom.* 14. 23; 18, 19, 20. *Matth*, 6. 1. Vitiositatem illam vere Deus improbat; attamen opus, utcunque bonum, ab homine infideli factum, pro admirabili sua tolerantia, & gratia, temporalibus adhuc beneficiis quandoque compensat. *Ezech.* 29. 19, 20. 1 *Reg.* 21. 27, 28, 29.

Ratione *objectorum*, vel peccatur *circa ipsum Deum directe*; vel *circa proximum*. 1 *Sam* 2. 25. *Si peccaverit ullus in alterum, judicabit eum Magistratus: sed si in* Jehovam *ullus peccat, quis oret* Illum? *Luc.* 15. 18, 21. *Peccavi in cælum, & in tuo conspectu.* Tenenda hic distributio Decalogi in duas Tabulas: unde porro *subdivisiones* institui possunt, secundum singula Præcepta.

XL. Ratione *subjectorum*, peccata alia sunt *interna*; cordis, vel animi; quæ ipso intellectu, voluntate, aut affectibus intus patrantur. *Psal.* 14. 1. *Stultus dicit in corde suo; Non est Deus*. *Matth.* 15. 19. *Ex corde egrediuntur cogitationes malæ.* v. 28. *Quicunque irascitur fratri suo temere*, -. Huc autem potissimum pertinent *primo* addubitatio, & prima quæque inclinatio ad approbanda, appetenda, amplectenda, patranda, quæ Lege prohibita sunt: *tum* morosa in objectis illis apprehensis delectatio: ac *porro* deliberatum consilium de iis patrandis.

Alia vero sunt *externa*; & foras exeruntur, *tum ore*, tum opere. *Rom.* 3. 13, 14. *Linguis suis ad dolum abusi sunt*, &c. *Matth.* v. 22. *Quicunque dixerit fratri suo, Raca*; -. *Quisquis autem dixerit, Fatue*, &c. Adde 12. 36. Item Rom. 6. 19. *Exhibuistis membra vestra serva impuritati & iniquitati, ad* patrandam *iniquitatem.* Adde 111, 15, 16.

Iterum alia dicuntur *ſpiritualia* ; quæ ſic ipſâ mente committuntur, ut eam propriè & proximè contaminent, & Diaboli imaginem ei per ſe imprimant: ut blaſphemia, hæreſis, ſuperbia, invidia, mendacium, &c.

Alia *carnalia* ; quæ voluptates corporeas, ac porro exteriorem corporis conditionem & habitum proxime ſpectant ; atque ita corpus etiam polluunt, & hominem belluis quodammodo aſſimilant: ut ebrietas, fornicatio, homicidium, rapina, &c. Vide *Rom.* 1, 21, 24. ubi oſtenditur, quomodo Deus peccata ſpiritualia carnalibus puniverit.

Affinis eſt diſtributio, ſecundùm quam plurima peccata committuntur *extra* proprium *corpus*, ratione objecti terminantis: ut falſum teſtimonium, furtum, &c. alia *proprium corpus*; polluendo, vel etiam debilitando illud inſigniter: ut ſcortatio, ebrietas, &c. 1 *Cor.* 6, 18. *Fugite ſcortationem* : *omne peccatum* (ut plurimum) *quod fecerit homo, extra corpus eſt* : *ſed qui ſcortatur, in proprium corpus peccat.*

XLI. Ratione *principiorum* ; alia *ex ignorantia* procedunt: homo ſcil. ignorat ſe iſto opere peccare ; omiſſurus potius, ſi hoc ſciviſſet. Iſta autem eſt Ignorantia practica, Juris particularis, & Puræ negationis ; aut facti. *Act.* 3, 17. *Fratres, ſcio vos per ignorantiam iſta feciſſe.* 1 *Cor.* 2, 8. *Si cognoviſſent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* 1 *Tim.* 1, 13. *Miſericordia ſum donatus. Nam ignorans* (id) *faciebam.*

Alia *ex infirmitate* ; ubi peccator ſuccumbit tentationi vires ſuas ſuperanti, quanquam ſciens habitualiter, & abſolutè: ſcil. priuſquàm judicio comparato ſtatuerit, quid ſibi in iſtis circumſtantiis juxta voluntatem Dei agendum ſit, ſubitariâ tentatione occupatur & labitur; vel etiam diuturnâ graviore, dum judicium practicum interim falſis rationibus, vel affectibus obnubilatur. *Gal.* 6. 1. *Fratres, etiamſi præoccupatus fuerit homo in aliqua offenſa; -conſiderans* (unuſquiſque) *temet*

temet ipsum, ne & tu tenteris. Hebr. 5.2. de Pontifice; *Quod & ipse, circumdatus sit infirmitate.* Vide etiam 12.1. *Num.* 15. 27, 28.

Alia denique *ex malitia*; ubi peccans, animo perverso eligit, & audacter prosequitur malum morale, quamvis sic cognitum; dum hic & nunc ipsum apprehendit ut bonum jucundum, vel utile, vel gloriosum. Ita in his inest deliberatum consilium & audax rebellio contra sanctissimam Dei Legem; atque adeo actualis ignorantia Juris, etiam universalis, & Ignorantia affectata, ac pravæ dispositionis. *Num.* 15. 30, 31. *Anima, quæ fecerit manu excelsa,* (vel *elata,*) *Iehovam probris afficit: atque excidetur anima illa è medio populi sui. Quia verbum* Iehov*æ sprevit, & præceptum ejus irritum fecit, &c.*

Priora duo genera in regenitos & sanctificatos cadunt non item tertium; nisi secundum similitudinem aliquã, ubi gratia actuali aliquamdiu destituuntur, & caro in iis tantisper prævalet: sed irregenitis hoc proprium est.

XLII. Ratione *effectorum*, quædam peccata præ aliis dicuntur *vastare conscientiam*; h. e. insigni sua enormitate ac malitia illam deturbare ob officio indicandi, dirigendi, retrahendi, accusandi condemnandi, juxta judicium ipsius Dei. Sic 1 *Tim.* 1. 19. aliqui dicuntur, *bonâ conscientia repulsa*, naufragium fidei fecisse. Et 4, 2. quorundam *conscientia cauterio resecta*, ut sensum amiserit. *Hos.* 4. 11. *Scortatio, vinumque, & mustum, intercipit mentem. Rom.* 1, 21, 24, 26, 28. *Vani facti sunt in ratiocinationibus suis; & obtenebratum est cor eorum intelligentia carens.-Tradidit eos Deus in mentem omnis judicii expertem.*

Item quædam præ aliis appellantur *clamantia*; quod graviorem pœnam, eamque exemplarem, & præsentem postulent. *Gen.* 4, 10, 11. *Ecce vocem sanguinum fratris tui, me ab ipsa humo inclamantiũ: Nunc itaque tu maledictus* esto, &c. 18, 20, 21. *Clamor Sodomæ &*

Gomorræ cum multus sit, & peccatum istorum cum grave sit valde: Descendam nunc. &c. Confer XV, 16. Iterum *Exod.* 22.22, 23, 24. *Nullam viduam, aut orphanum, affligitote. Si qua afflictione afflixeris eam; (Nam si tantillum clamet ad me, utiq; exauditurus sum clamorem ejus)* T*um accensa ira mea occidam vos gladio,* &c. *Jac.* 5.4. *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, per vos interversa, clamat: & vociferationes eorum qui messuerunt, in aures Domini Sabaoth introierunt.* Confer *Rom.* 2. 4.

XLIII. P*ontificii* male distinguunt inter *peccata mortalia,* & *venialia. Mortalia* dicunt fieri contra Legem Dei; & mortem seu condemnationem æternam demereri. *Venialia* vero dicunt fieri præter Legem, & per se ac sua natura non mortem, sed veniam mereri; interveniente scil. expiatione, aut satisfactione hominum, sive in hac vita, sive in Purgatorio.

Nos sic *venialia* nulla agnoscimus: 1. quia S. Scriptura nusquam docet istam distinctionem; neque ullam remissionem, nisi quæ fit fidelibus, per gratiam, in Christo. *Eph.* 1.7, *In quo habemus redemtionem, per sanguinem Ipsius; remissionem offensarum, prout est dives Ipsius gratia* 1 *Ioh.* 1. 7. *Sanguis Iesu Christi Filii ejus purificat nos ab omni peccato.*

2. S. Scriptura prorsus aliter loquitur de peccatis; & quidem in universum: R*om.* 6. 23. *Matth.* 5. 19. G*al.* 3. 10. I*ac.* 2. 10.

3. Omne peccatum adversatur Legi Divinæ; quæ est unica vitæ nostræ & morum regula: 1 *Ioh.* 3. 4. cum P*sal.* 19. 8. *Matth.* 22, 37, 38, 39. & D*eut.* 27, 26.

4. Omne peccatum, qua tale, adversatur infinitæ & sanctissimæ Majestati Divinæ, eamque offendit: consequenter inducit reatum isti offensæ convenientem, pœnarum æternarum.

O*bj.* 1. *Iac.* 1, 15. Peccatum, ubi consummatum est, gignit mortem: ergo non omne est mortale. *Resp.* I-

stic

ſtic loci indicatur communis methodus, & progreſſus à concupiſcentia originali, ad actualem volaticam, ad delectationem moroſam, ad conſilium deliberatum, ad media deſtinata, ad conſummationem, ad mortem. Verum ſic nequaquam omnia, quæ conſummationem antecedunt, liberantur a reatu mortis. Neque ipſi Pontificii id auſint aſſerere.

Obj. 2. *Matth*. 5, 22. Quædam peccata dicuntur inducere reatum gehennæ; alia ſolum reatum judicii, aut conſeſſus. Ergo. *Reſp*. Iſtic allegorice, ſimilitudine deſumta a variis Judæorum judiciis & ſuppliciis, docetur inæqualitas peccatorum, atque ipſius reatus, ratione graduum: ſic tamen ut omnis reatus in foro poli æternus ſit, & maneat, niſi interveniat gratia Euangelica.

Obj. 3. Diſerte appellatur *peccatum ad mortem*; 1 *Joh*. 5. 16, 17. Ergo. *Reſp*. Sed illud eſt prorſus irremiſſibile: unde nec aliis permittitur orare pro iis, qui iſtud commiſerunt; ut mox explicabitur. Sed P*ontificii* aliter loquuntur de ſuo mortali.

XLIV. *Remiſſibilia* tamen ſunt, & de facto remittuntur, quælibet peccata omnium eorum, qui ſincere reſipiſcunt, & Chriſtum Servatorem vera fide amplectuntur. *Act*. 10, 43. *Huic omnes* Prophet*æ teſtimonium dant, remiſſionem peccatorum accepturum per nomen* Ejus *quemvis, qui crediderit in* Eum. Rom. 8. 1. *Nulla igitur nunc eſt condemnatio iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu* &c. Una vero peccati ſpecies ab aliis diſcernitur, tanquam *irremiſſibilis*: *Matth*. 12. 31, 32. „Quodvis peccatum & blaſphemia remittetur hominibus: „*blaſphemia* vero *in* Spiritum S*anctum non remittetur* „*hominibus*. Et quiſquis locutus fuerit adverſus Filium „hominis, remittetur ei: *quiſquis* autem *fuerit locutus* „*adverſus Spiritum Sanctum, non remitttetur ei, neque* „*in hoc ſæculo, neque in futuro*. pro quo *Marc*. 3. 29. *Non habet remiſſionem in æternum; ſed tenetur æterno judicio.*

Item *Hebr.* 6. 4, 5, 6. „*Fieri non potest*, ut qui semel „fuerint *illuminati*, gustaverintque bonum Dei Verbum, ac virtutes futuri sæculi; *Si prolabantur, denuò* „*renoventur ad resipiscentiam*; ut qui rursum crucifigant sibi Filium Dei, & ignominiæ exponant. x, „26, -29. „Si *ultro peccaverimus post acceptam cogni-* „*tionem veritatis, non adhuc pro peccatis reliqua est* „*hostia*: Sed horrenda quædam expectatio judicii, „&c. Quanto (putatis) *acerbiore supplicio dignus* „censebitur, qui *Filium Dei conculaverit*, & *sangui-* „*nem Fœderis*, per quem fuerat sanctificatus, *profanum duxerit*, & *Spiritum gratiæ contumeliâ affecerit*? „Ac tandem 1 *Joh.* 5. 16. „Si quis viderit fratrem suum „peccare peccato, quod non est ad mortem, petet, „& dabit ei vitam: peccantibus dico non ad mortem. „Est *peccatum ad mortem*: *non pro illo* dico ut *roget*.

XLV. *Peccatum* illud *in Spiritum Sanctum*, ut patet ex allegatis, *præsupponit* non solum qualemcunque auditionem & admissionem veritatis Euangelicæ; sed internam illuminationem & persuasionem per Spiritum Sanctum, quod ista doctrina sit verè salutaris. *Formaliter* autem *consistit* non in veritatis istius sic agnitæ qualicunque desertione, vel abnegatione; sed malitiosa ejus rejectione, odio, & blasphemia. *Consequenter* etiam *infert* finalem impœnitentiam, & impossibilem renovationem eorum, qui sic peccaverint; atque adeo certam eorum condemnationem; scil. juxta istiusmodi decretum, talem Dei ac Christi in opere redemtionis intentionem, & talem voluntatis Divinæ revelationem.

Citra extraordinariam revelationem, ac tale donum discretionis, difficillimum est *judicium*, quod hic vel ille commisisset istud peccatum; quia absolute non scimus interiora animi ejus.

Pontificii plures illius peccati *species* statuunt perperam; utpote desperationem de gratia Dei, jactationem

tionem gratiæ ſine bonis operibus, invidiam de donis gratiæ in alios collatis, pertinaciam, &c. atque adeo peccatum illud etiam remitti poſſe; ſed ægrè admodum: contra doctrinam ex SS. Literis modo propoſitam.

XLVI. Ratione *adjunctorum*, dicuntur *peccata manifeſta*; quæ ſic committuntur, ut multi ſint eorum conſcii. Jeſ. 3. 9. *Peccatum ſuum ſicut Sodom enunciant; non celant.* Gal. 5, 19. *Manifeſta ſunt opera carnis: quæ ſunt adulterium, ſcortatio*, &c.

Alia vero ſunt *occulta*; quæ clam patrantur, ut præter peccantem nulli, aut ſaltem pauciſſimi eorum ſint conſcii: imo etiam frequenter ipſe peccator ea ignorat, per inadvertentiam, vel per oblivionem. 2 Sam 12. 12. *Tu feciſti clam.* Eph. 5. 12. *Quæ occultè fiunt ab iis, turpe eſt vel dicere.* Pſal. 19. 13. *Errores quis intelligat? ab occultis abſolve me!*

XLVII. Ratione *graduum* peccata alia aliis *graviora* ſunt. *Ezech.* 5. 6. „Mutavit jura Mea in improbi-„tatem *plus, quam Gentes ipſæ*; & ſtatuta Mea *plus*, „*quam regiones* quæ circumſtant eam. viij. 15. Adhuc „viſurus es *abominationes majores iſtis.* Joh. 19. 11. „Qui Me tradidit tibi, *majus peccatum* habet.

Oritur autem iſta differentia 1. ab objecto: nam cæteris paribus, gravius eſt peccatum, quod directe committitur adverſus Deum, quam quod contra homines; lædere Principem, quam plebejum; parentem, quam peregrinum, vel ignotum, &c. Vide *Exod.* 22. 28. *Mal.* 1, 6. *Levit.* 18. 7. &c.

2. A conditione peccantis, & gratiâ ei præſtitâ: Hoſ. 4. 14. *Si ſcortaris tu* Iſraël, *ne reatum obeat* Jehudah. Luc. 12. 47. 48. *Ille ſervus, qui novit voluntatem* Domini *ſui*, &c. Ioh. 15. 22. *Hebr.* 10. 26.

3. A genere & natura rei: *Matth.* 5. 22. *Quicunque iraſcitur fratri ſuo temere*, —: *quicunque vero dixerit fratri ſuo*, Raca, &c.

4. A principio, & modo agendi; ex ignorantia, infirmitate, vel etiam malitia. Vide sup. th. 41.

5. Ab intensione vel remissione actus: Prov. 1, 16. *Pedibus suis ad malum concurrunt; & festinant ad effundendum sanguinem. Phil.* 3. 6.

6. A circumstantiis loci, temporis, & personarum præsentium: *Jes.* 26. 10. *In terra æquissima inique agit.* 1 *Cor* XI, 10, 22.

Nullum interim peccatum absolute leve putandum est; propter repugnantiam adversus infinitam & sanctissimam Dei Majestatem, ac Legem Ipsius.

XLVIII. Admodum fertile est malum peccati; *Matth.* 7. 17. *Gen.* 6. 5. viij. 21. *Psal.* 19. 13. Unde etiam fit, ut peccantes in idem specie peccatum prolabantur sæpius. Petrus ter abnegavit Dominum; *Matth.* 26. 70, 72, 74, 75. Et Abraham denuo uxorem suam; *Gen.* 12. 13, 18, 19. xx. 2, 5, 13. Ubi autem hoc contingit, postquam de priori suo actu admoniti sunt peccantes, & resipuerunt, *recidiva spiritualis* appellatur; quæ gravior est, & maximopere vitanda. Tristissimus vero est eorum casus, qui se rursum totos peccatis prioribus mancipant. *Prov.* 26. 11. *Ut canis redit ad vomitum suum, ita stolidus iterat stultitiam suam.* 2 *Petr.* 2. 21, 22. *Melius enim fuisset eis, non cognovisse viam justitiæ,* &c. *Judæ*, 12. *Arbores bis emortuæ.*

XLIX. Iterando peccata, acquiritur consuetudo & habitus quidam peccandi: *Jerem.* 13, 23. Unde originalis corruptio incrementum capit; nisi per gratiam supprimatur, mortificetur, &c.

Hinc peccatum habituale dispescitur in *regnans*, & *non regnans*. *Rom.* 6. 12, 13, 14, 16. „*Ne regnato* igitur „*peccatum* in mortali vestro corpore; *ut auscultetis* „*ei in cupiditatibus corporis.* --*Peccatum* enim *vobis* „*non dominabitur:* non enim estis sub Lege, sed sub Gratia, &c.

Pec-

Peccatum igitur *absolute regnans* est, cui peccator omnino servit; dum extra Christi communionem, & Spiritus sanctificantis gratiam constitutus, per eam non emancipatus est. Joh. 8. 36. *Si vos Filius in libertatem vindicarit, vere liberi eritis.* 2Cor. 3, 17. *Dominus vero Spiritus ille est: tibi autem Spiritus ille Domini, illic libertas.* Confer *Rom.* 14. 9. 1 *Joh.* 2. 27. *Joh.* 14. 26. xvj. 13. *Rom.* 8. 13, 14.

Fieri tamen potest, & contingit sæpe, ut regeniti ac sanctificati tentationibus aliquando & aliquamdiu succumbant; atque ita prælio inferiores sint, peccatum vero prævaleat, Spiritu se tunc non exerente; quamvis tandem bello plus quam victores futuri, per virtutem Christi. Huc pertinet deprecatio *Psal.* 19. 14. *A contumaciis subtrahe servum Tuum, ne dominentur in me: tunc integer & insons ero a defectione magna.* Confer *Matth.* 6. 13. xxvj. 41. Spiritus enim in ipsis manens, eos erigit rursum & stabilit; hostem vero sternit. 1 *Joh.* 3. 9. *Quisquis natus est ex Deo, peccato non dat operam; quoniam semen Ipsius in eo manet: nec potest peccare, eo quod ex Deo natus est.* Adde v, 18. *Rom.* 16, 20.

Aliter se habet *peccatum tentans* quidem, sed *non prævalens*; ubi tentatus per gratiam actualem superior evadit, etiam in isto conflictu: quod in regenitis & sanctificatis passim est obvium.

Peccato regnanti affine est, quod vocatur *peccatum in deliciis*; ad quod peccator per corruptionem suam, aut reliquias ejus validiores, præ cæteris inclinatur, ità ut ægre ab eo divellatur, illud passim excusare conetur, nec facile admittat ejus reprehensionem. *Prov.* 9. 17. *Aquæ furtivæ suaves sunt,* &c. xx. 17. *Suavis est cibus falsitatis,*-. Confer exemplum Herodis, *Marc.* 6. 17.-.

Contrarium est *peccatum odio habitum. Am.* 5. 15. *Odio habete malum,*--. *Psal.* 119. 104, 128. *Odi omnem semitam falsitatis.*

L. Se-

L. Sequuntur *Fructus peccatorum actualium*. Primò autem M*ors spiritualis* per ea continuatur, & incrementum capit. I*n genere damni* huc pertinet ulterior deformatio Imaginis Divinæ; dum ejus reliquiæ amplius corrumpuntur, & conscientia vastatur. *Eph.* iv, 18, 19. „*Abalienati à vita* Dei, propter ignoran-„tiam quæ est in ipsis, per *obdurationem cordis ipso-„rum*: qui *postcaquam dedoluerunt*, sese dediderunt lascivie, ad *certatim patrandam impuritatem omnem*. 22. De *seductricibus cupiditatibus sese corrumpit*. Adde J*udæ*, 12. I*erem*. 13, 23.

In *genere sensus* est continuatio & aggravatio *Servitutis spiritualis*, sive subjectionis ad potestatem hostium spiritualium: 1. *Diaboli*, qui efficaciter operatur in peccatoribus sibi relictis. 2 *Petr*. 2. 19. *A quo quis superatus est, huic etiam in servitutem est addictus*. 2 *Cor*. iv, 4. I*n quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes*, &c. *Eph*. 2, 2. „U*t est vita mundi hujus, se-„cundum principem* cui est potestas aëris, & *spiritus „nunc agentis in hominibus contumacibus*. Confer I*oh*. 12, 31. xvj. 11. *Act*. 26, 18. 2 T*im*. 2, 26. *Hebr*. 2, 14.

2. Similiter se habet S*ervitus mundi*; subjectio ad quælibet irritamenta malorum, quibus mundus abundat. 1 *Ioh*. 5. 19. *Mundum totum in illo improbo jacere*. iv, 5. E *mundo sunt*; *ideo mundana loquuntur*. Adde ij. 15, 16. *Phil*. 3. 19.

Itemque 3. S*ervitus peccati habitualis* multum adaucti & confirmati per exempla, irritamenta; & consuetudinem vitiosam. *Rom*. 6, 16, -. Jerem. 13. 23.

Accedit *Terror conscientiæ*, cum *Desperatione* conjunctus; ex incremento reatus, & pœnarum gravissimarum certò imminentium in æternum, si peccatores sibi relinquantur. *Heb*. 2. 15. *Metu mortis per omnem vitam damnates servitutis*. Adde x. 31. *Prov*. 28. 1. *Jes*. 33. 14.

Occurrit interim admiranda Dei benignitas ac

φιλανθρωπία erga electos; in Christo: *Eph.*1,7 *Col.*1. 14. 1 *Joh.* 1,7. *Rom.* 8. 1. *Joh.* 3. 16. v. 24. Quin & circa alios adhibetur quædam *Moderatio*; primò *interna*, in nonnullis Imaginis Divinæ reliquiis, quamvis non salutaribus: quò pertinent Principia quædam tum theoretica, tum practica; Synteresis & Conscientia naturalis; Inclinatio ad quædam civiliter bona, & Aversatio atrociorum quorundam criminum: *Rom.* 1. 19, 20, 32: ij. 14, 15. 1 *Cor.* 5. 1, &c. Accedit in quibusdam Gratia cohibens, refrenans, illuminans, &c. Deinde etiam *externa*, in mediis Politicis, Ecclesiasticis, Scholasticis, OEconomicis; quibus multi a variis peccatis retrahuntur, &c.

LI. Mortem spiritualem comitatur *corporalis*. Ad hujus *inchoationem internam, in genere damni*, pertinet ulterior sanitatis, roboris, ac vivacitatis amissio: *Iob.* 14. 1, 2. *Homo natus muliere, brevis ætate, satur commotione*, &c. *Psal.* 90. 5, 6, 8, 10. lv. 24. 1 *Cor.* xi. 30.

In *genere sensûs*, accedunt fatigationes, dolores, cruciatûs, morborum molestiæ, & species quandoque novæ: *Iob.* 16. 1. *Deut.* 28. 21, 22, 27, 28, 35.

Ad *inchoationem externam, in genere damni*, Amissio bonorum externorum, quæ tum sustentandæ, tum cohonestandæ vitæ serviebant: utpote 1. Paupertas, sive inopia victûs, vestitûs, possessionum: *Prov.* 6. 11. *Deut.* 28. 16, 17, 18, 48.

2. Amissio dominii in creaturas inferiores; unde nunc sæpè damna inferuntur, quin & vulnera; cædes, &c.

3. Privatio gloriæ, & misera vilitas: 1 *Sam.* 2. 30. *Rom.* 3. 23.

In genere sensûs, occurrunt calamitates & adversa innumera, cruciatûs ac dolores inducentia, opprobria, &c. *Deut.* 28. 25, 26, 37, 38. *Levit.* 26. 21, 22. *Ioel.* 1, 4,-. *Psal.* 29. 5, 7, 10. Confer 1 Reg. 13. 24. 2, ij. 23, 24. xvij. 24. Ve-

Verum etiam hic intervenit *Moderatio*: *intus* enim conceditur aliquod vitæ ſpatium; & multiplex demonſtratio benignitatis ac longanimitatis Divinæ, hominem ad officia ſuæ revocantis: *Gen.* 6. 3. *Rom.* 2. 4. Et ſimul *externe* conceduntur quæ ad vitam tantiſper conſervandam neceſſaria ſunt; alimenta, medicamenta, &c. *Act.* 14. 17. xvij. 25, 26. Nec non reliquiæ quædam veteris dominii: *Gen.* 9. 2.

Sed iſta omnia illuſtriora ſunt, & ſalutaria, in fidelibus: *Tit* 1. 15. *Rom.* 14. 14. *Act.* 15. 9. *Rom.* 8. 17. 1 *Cor.* 3. 21, 22, 23. *Hoſ.* 2. 17.

LII. Sic fuerunt Initia dolorum, & Mors inchoata. *Mors corporalis conſummatur* actuali ſeparatione Animæ a Corpore. *Eccl.* 12. 7. *Redeunte ipſo pulvere in terram*, &c. *Hebr.* 9. 27. *Sicut illud ſtatutum eſt hominibus, ut ſemel* Moriantur, *poſtea vero Iudicium*. Hinc tamen prorſus eximendi ſunt fideles, qui noviſſimo die erunt ſuperſtites: 1 *Cor.* 11. 51. 1 *Theſſ.* 4. 16, 17.

Corpus porro reſolvitur in ſuas partes, & elementa; intercedente fere in iſtum finem humatione; alibi etiam combuſtione. Abjici ſine ſepultura, ut cadaver canibus, avibus, & feris laniandum relinquatur; vel etiam publico ludibrio, nauſeæ, & averſationi objiciatur, ſpecialem habet ignominiam: *Deut.* 28. 26. *Pſal.* 79. 2, 3. *Ierem.* 22. 19. xxxvj. 30.

Anima vero ſtatim à ſeparatione ſiſtitur coram Deo judice: *Eccl.* 12. 7. eique ſua manſio, ſuus ſtatus aſſignatur: qui eſt condemnationis & cruciatuum in omnibus infidelibus: *Act.* 1. 25. 1 *Petr.* 3, 19, 20. *Judæ*, 7. *Luc.* 16. 23,-26, 28. Fidelium enim propter redemtionem Chriſti alia omnino eſt conditio: *Joh.* 5. 24. x, 27, 28. 2 *Cor.* 5. 1, 2, 6, 8. *Phil.* 1. 21, 23. *Luc.* 16. 22, 25. xxiij. 43.

LIII. *Mortis ſpiritualis*, atque *univerſæ maledictionis* ex-

extrema *consummatio* fiet die novissimo, in universali illo judicio: ubi infideles & improbi suscitabuntur ad opprobria & contemtum æternum; mox condemnati conjicientur in gehennam, ad supplicia & cruciatus æternos, absque ullo fine, aut remissione: *Dan.* 12.2. *Joh.*5.28, 29.*Matth.* 10. 28. xxv.31,32,33,41, 46. *Judæ* 14, 15. *Apoc.* 14. 11. xx, 10,-13. xxj, 8. *Marc.* 9. 44, 46, 48.

Fidelium vero & piorum, juxta Euangelium, status æternus erit beatissimus ac gloriosissimus. Vide hæc paucis indicata sup. cap. 1. th. 41. pluribus σὺν Θεῷ explicanda & confirmanda cap. 19.

LIV. Quod ad *Praxin*, 1. Hoc agamus sedulo, ut sint nobis sensus exercitati ad discretionem boni & mali: *Hebr.* 5.14. 1 *Cor.* 14.20. M*atth.* 10.16.

2. Legi Divinæ in eum finem serio ac perpetuo studeamus: P*sal.* 1.2. cxix. 99,-105. D*eut.* 4.6.

3. Super peccatis nostris, & vilitate, quam ea inducunt, humiliemur: de turpitudine erubescamus: ex reatu nos ipsos judicemus: P*sal.* 51. 5, 6, 7. J*es.* 64.6. 1 C*or.* xi. 31. *Jerem.* 2. 19.

4. Justitiam Dei in omnibus suis judiciis agnoscamus, & prædicemus: P*sal.* 51. 6. R*om.* 3. 4. 2 *Sam.* 3. 18.

5. Ad Christum Servatorem omni desiderio anhelemus; summa ope contendamus; ejusque communionem per fidem quæramus: M*atth.* 1. 21. v. 6. xi. 28. R*om.* 7. 24. P*hil.* 3. 8, 9.

6. Castigationes patienter feramus, & ad emendationem nostri applicemus: M*ich.* 7. 9. P*sal.* 119. 71. 1 C*or.* xi. 32. *Hebr.* 12. 11. R*om.* 8. 28.

7. Conscientiam sæpissime & accuratissime exploremus; sensus & inclinationes observemus, &c. T*hren.* 3. 40. *Zephan.* 2. 1. 1 C*or.* xi. 28. 2, xiij, 5. M*atth.* 15. 19, 20. P*sal.* 131: 1. I*ob.* 31. 1.

8. Vigilemus speciatim adversus peccata, quæ solebant

lebant esse familiaria, vel in deliciis; caveamus à peccato regnante, contra conscientiam, recidivâ spirituali, &c. *Prov.* 4. 23. Jerem. 17, 9. 1 Petr. 5. 8.

9. Imbecillitatem nostram spectemus; viribus propriis ne confidamus; prudentiam sanctorum & robur spirituale in Christo per fidem quæramus, ab Eo expectemus: *Matth.* 26. 41. Jac. 3, 1, 2. iv. 6. 2 *Cor.* 3, 5. *Thren.* 5. 21. 1 *Thess.* 5. 23. 24.

10. Ex gravitate ac multitudine peccatorum & pœnarum, à quibus per Christum liberamur, rectè æstimemus beneficium redemtionis; eôque magis ad amorem Dei & Christi, & animum gratum perpetuo præstandum, nos devinctos agnoscamus: *Luc.* 1, 74, 75. vij, 47, 50. *Rom.* 6. 1,-. 2 *Cor.* 5. 14, 15.

11. Magis etiam aliorum peccantium commiseratione tangamur, &c. *Luc.* 22, 32. 2 *Cor.* 5. 11. *Jac.* 5. 19, 20. cum *Hebr.* 2, 18. iv. 15.

CAPUT XI.

De Fœdere Euangelico.

Fœdus Euangelicum *definitur*. Partium *inæqualitas*. Fœdus *reconciliationis*. 1. Quid *Deus* in hoc negotio egerit. 2. Quid *Christus Mediator*. 3. Quid *Populus fœderatus* agat. 4. *Partes* hujus conventionis. *Finis supremus*. *Subordinatus*. *Medium proximum*. 5. *Communio* ejus *interna*, *electorum* propria; c. *Pontif*. *Socin*. &c. *Externa reprobis* quibusdam obtingit. 6. *Participes* istius Fœderis variè. 7. Quomodo *Fœdus æternum*. Ejus *initium*. 8. *Euangelium*. 9. *Promissionis*. *Impletionis*. Realiter *idem*. 10. *Acceptiones* variæ *Euangelii*.

gelii. 11. *Fœderis Euangelici* comparatio cum *Legali.* 12. Male *Pontif.* ſtatuunt *Conſilia Euangelica.* &c. Uſus *Legis* circa *Fœdus Euangelicum.* 13. *Teſtamentum. Unum* reipſa: prout *una Hæreditas.* 14. Ex morte *ejuſdem Teſtatoris.* 15. Eadem *doctrina Teſtamentaria* ſub V. T. quæ ſub N. 16. Eadem *fides juſtificans.* 17. Sententiæ *Socin.* &c. Nec non *Pontif. Obj.* ſolv. 18. *OEconomiæ V. T.* duæ *periodi* illuſtriores. 19. *Prima* Euangelii *prædicatio. Vocatio, Juſtificatio,* &c. 20. Inſtituta *cerimonialia. Sacrificia. Sacramenta.* 21. Quæ *tempore Abrahami* acceſſerint. 22. *Altera periodus.* Ejus *Signa extraordinaria. Ordinaria.* 23. *Miniſtri extraord. Ordin.* 24. *Sacerdotes.* Eorum *conſecratio.* 25. *Summus.* Ejus *ornatus. Unctio.* 26. Summus Iſraelitarum *Senatus. Naſiræi. Mundi.* 27. *Sacrificium. Expiatorium. Euchariſticum.* Eorum *conſecratio.* 28. *Suffitus ſacer. Oleum ſacrum. Aqua expiationis.* 29. *Lucerna ſacra. Tubæ argenteæ. Cibi ſacri.* 30. *Novalia.* Primitiæ. *Decimæ. Vota.* 31. *Tabernaculum.* Ejus *partes continentes.* 32. *Velum. Sanctum Sanctorum. Arca fœderis. Cherubim. Thuribulum aureum. Sanctum Altare ſuffitus. Lychnuchus.* 33. *Atrium. Altare holocauſtorum. Labrum æneum.* 34. *Templum. profanatum. Combuſtum. reſtauratum.* iterum *profanatum. repurgatum. renovatum. penitus everſum.* 35. *Tempora ſacra. Dies.* Sabbathum. *Neomeniæ.* 36. *Feſtum* Paſchatis. Pentecoſtes. *Tabernaculorum.* 37. *Feſtum Tubarum. Dies expiationis.* 38. *Annus* Sabbathicus. *Jubilæus. Status Iſraelitarum* Politicus. 39. *OEconomia*

nomia N. T. ab illa distinguitur *differentia temporis.* 40. *Claritate. Libertate.* 41. *Quantitate intensiva*; & *extensiva.* 42. *Adventus Messiæ* jam dudum præteriit; c. *Judæos.* 43. *Objectiones* solv. 44. *Vocatio Gentium.* 45. Permutatio in *OEconomiam magis spiritualem & gloriosam*, abrogato veteri *cultu typico.* 46. *Objectiones* solv. 47. *Praxis.* 48.

I. SUccedit *Restitutio* Generis electi, juxta *Fœdus Euangelicum*, seu *Gratiæ*, & *Fidei*: quod est Gratiosa dispositio Dei erga homines electos, per peccatum in miseria constitutos; ut isti ex Satisfactione & Merito Mediatoris Christi, remissionem peccatorum, justitiam, salutem, atque omnia ad hanc necessaria, gratis consequantur per fidem: ipsi autem Euangelio credant, resipiscant, & gratitudinem ac novam obedientiam Deo consequenter præstent, ad laudem gloriosæ ejus misericordiæ.

Maxime hic conspicua est Partium contrahentium Inæqualitas, Deique ad Homines συγκατάβασις; & quod hoc sit Fœdus *Reconcilationis*: 2 Cor. 5. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians Sibi*, -. *Col.* 1. 20. *Ut per Eum reconciliaret omnia Sibi*, &c.

II. *Deus* in hoc negotio 1. Mediatorem ipse proposuit: *Joh.* 3. 16. *Ita enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum illum unigenitum dederit*, &c. *Rom.* 3. 25. *Gal.* iv. 4.

2. Iustitiam, salutem, atque omnia ad hanc necessaria, ipsius satisfactione, & merito fundata, offert & confert gratis per fidem: 1 *Cor.* 1. 30. -*Estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, justitia & sanctificatio, & redemtio. Ioh.* 1. 16. *Eph.* 2. 8. 2 *Petr.* 1. 3, 4.

3. Stipulatur autem ab electis praxin fidei & resipiscentiæ: *Marc.* 1. 15. *Resipiscite, & credite Euangelio.* Itemque gratitudinis: *Col.* 3. 17. *Quicquid feceritis*

ceritis-id facite *gratias agentes Deo*. Ac novæ obedientiæ: Gen. 17. 1. -*Indesinenter ambula coram* Me, *&* *esto integer*. Rom. 6. 13. *Sistite vos Deo ut ex mortuis vivos*, &c.

III. *Christus* Mediator & Sponsor hujus Fœderis. 1. Vadimonium suscepit: *Jes*. 53. 10. *Exposuit se ipse sacrificium pro reatu*. Ipse de se, *Hebr*. x. 7. (ex *Psal*. 40. 8, 9.) *Ecce adsum, ut faciam Deus voluntatem Tuam*.

2. Agendo & patiendo, omnia ad justitiam & salutem necessaria plenissime consummavit: Hebr. x. 10. *Qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis* Iesu *Christi semel* factam.

3. Eademque, tum revelat & offert moraliter: *Ies*. 61. 1, 2. cum *Luc*. 4. 18. *Ut euangelizem pauperibus misit* Me; --*ut prædicem captivis dimissionem*: tum applicat & confert efficaciter; *Ioh*. x. 27, 28. *Oves illæ Meæ vocem Meam audiunt*,- *&* *sequuntur* Me. *Et Ego vitam æternam do eis*:-*neque rapiet eas; quisquam è manu Meâ*.

IV. *Populus* vero fœderatus 1. Promissiones illas Divinas certo credit: *Act*. 13. 48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam*. Rom. 1. 17, iv, 23, 24.

2. Constanter sperat: Rom. 8. 23. *Apud nos ipsos suspiramus, adoptionem exspectantes*, --. 25. *Per tolerantiam expectamus*.

3. Et novæ obedientiæ, ac gratitudini, serio dat operam: *Psal*. 110. 3. *Populi tui oblationes voluntariæ* futuræ sunt. Unde Paulus, in sui conversione; *Act*. 9. 6. *Domine, quid me vis facere?* & Rom. 7. 22. *Delector lege Dei, quod ad interiorem hominem*, &c. Adde *Act*. 2. 37. *Phil*. 3. 14. 2 *Cor*. 13. 13.

V. Partes igitur hujus Conventionis sunt, hinc *Deus* reconciliari volens hominibus electis, imo eos sibi reconcilians in Christo; inde *Homines electi*, qui reconcilationem accipiunt: *Mediator* autem intercedit *Christus*: 2 *Cor*. 5. 19. Rom. 5. 11. 1 *Tim*. 2. 5, 6.

Finis supremus est Dei gloria: *Prov*. 16. 4. *Subordina-*

dinatus, Hominum pax, & salus: *Eph.* 1. 13, 14, 15. *Medium proximum*, Unio & communio cum Christo per fidem. *Eph.* 3. 17. cui inservit Vocatio: 1 *Ioh.* 1. 3. *Rom.* 8. 30. quæ Christi redemtionem præsupponit: *Eph.* 1. 7. &c.

VI. Cæterum hujus Fœderis *communio* vel *interne* spectatur & mystice; vel *externe* tantum. Prior consideratio ad electos restringitur, contra quàm existimant *Pontif. Socin. Anabapt. Remonstr.* & alii. Posterior quibusdam reprobis etiam obtingit.

Prius assertionis nostræ membrum *probamus*:

1. Ex conditione beneficiorum ad internam communionem istius Fœderis pertinentium; quæ individuum cum salute nexum habent, & electorum salvandorum propria sunt. *Nam quos præscivit, etiam prædestinavit, conformandos imagini Filii sui; quos vero prædistinavit, eos etiam vocavit: & quos vocavit, eos etiam justificavit: quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.* Rom. 8. 29, 30. Sic *fides* est *electorum Dei*; *Tit.* 1. 1. *non* vero *omnium*; 2 *Thess.* 3. 2. Et *credidisse* dicuntur, *quotquot ad vitam æternam erant ordinati*; *Act.* 13. 48.

2. Ex consideratione Christi Mediatoris; qui suos efficaciter salvaturus, iisque vitam æternam certo daturus est: *Ioh.* 6. 39. x. 27, 30. *Rom.* 5. 9, 10, 11. 1 *Petr.* 1, 5.

3. Ex æterna & immutabili electione certarum definitè personarum ad communionem beneficiorum vere salutarium, atque ipsam beatitudinem consequendam. Vide sup. cap. 6. th. 15. Deus autem singula exequitur *juxta consilium voluntatis suæ*, *Eph.* 1, 11.

4. Ex eventu: Nam qui non salvantur etiam non pertinuerunt ad internam communionem Fœderis Euangelici, de quibus tenendum illud, 1 *Joh.* 2. 19. *Si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.*

Po-

Posterius patet, Ex conditione Ecclesiæ externæ institutæ; multitudinis videl. coëuntis ad communes aliquos actus externos, Prædicationem Euangelii, Administrationem Sacramentorum, &c. Huc pertinet similitudo Areæ, cujus triticum à paleis repurgandum dicitur, *Matth.* 3. 12. Agri variis partibus varie consiti; xiij, 3. &c. Speciatim hic notandi πρόσκαιροι; ibid. *vers.* 21. Filii regni foras ejiciendi; viij. 12. Palmites in Christo fructum non ferentes: *Joh.* xv. 2. quales fuere Judas Iscariotes; *Matth.* x. 1, 4. Simon Magus; *Act.* x. 13. & similes, de quibus vide 2 Petr. 2. 22. atque hoc sensu, *Multi vocati, pauci vero electi* dicuntur, *Matth.* 20. 16. xxij. 14.

VII. Secundum distinctionem datam, sunt qui utroque modo habent communionem Fœderis Euangelici; scil. qui in Ecclesia instituta viventes, fide salvifica præditi sunt: alii neutro modo, ut infideles in Gentilismo, Muhammedismo, aut Judaismo: alii interne, non externe; ut Catechumeni vere fideles, à Gentilismo, &c. conversi, sed in communionem Ecclesiæ alicujus institutæ nondum recepti: alii externe, non interne; de quibus th. præced.

VIII. Quia Fœdus Euangelicum ab æterno in salutem electorum est præordinatum; ut patet, tum ex generali consideratione Decreti; *Ies.* 46. 10. *Eph.* 1. 2. *Act.* 15. 18. tum ex ipsa speciali prædestinatione Christi, & Christianorum; *Eph.* 1. 4. quæ salus in æternum quoque duratura est; *Psal.* 16. 11. xlviij. 15. *Ioh.* 3. 16, 36. v. 24. xvij, 3. recte dicitur *Fœdus æternum*; Gen. 17. 7. Ierem. 32. 40. sed cum inter Deum & homines electos in miseria sua constitutos hoc Fœdus formaliter intercedat &, initium ejus collocandum est post lapsum, in prima Euangelii promulgatione. *Gen.* 3. 15.

IX. Dispensationi ejus servit *Euangelium*; quasi dicas. *Bonum nuncium*; ab εὖ *bene*, & ἀγγέλλω *nuncio*; sic

ſic *Luc.* 2. 10. *Ecce, euangelizo vobis gaudium magnum,* --. *Jeſ.* 52. 7. lxj. 1, 2, 3. *Marc.* 16. 15, 16. & alibi. Eſt autem *Euangelium*, Doctrina à Deo profecta, & per Chriſtum, ejuſque Miniſtros, multifariàm promulgata, de remiſſione peccatorum, juſtitia, & vitâ æternâ per fidem ipſius conſequendâ, ad ſalutem electorum, & glorioſæ Dei miſericordiæ demonſtrationem.

X. Eſtque tùm *Euangelium promiſſionis*; de Chriſto in carne exhibendo; quale obtinuit ſub œconomiâ V. T. vel *Impletionis*; de Chriſto in carne exhibito; quale ſpectandum eſt ſub œconomiâ N. Hinc 1 *Petr.* 1. 10. *Prophetæ de venturâ in vos gratiâ prophetârunt.* 12. *Quibus revelatum eſt, eos non ſibi, ſed nobis ea adminiſtrare, quæ nunc annunciata ſunt vobis*, &c. Similiter Paulus *prædicavit* Euangelium *Dei, quod antè promiſerat per Prophetas, - De Filio Suo*: *Rom.* 1. 1, 2, 3.

Et hactenus quidem, in modo diſpenſationis Euangelicæ, accidentalis aliqua diſtinctio agnoſcenda eſt; ſed ipſum tamen Euangelium eſſentialiter unum idemque eſt: nam *Jeſus Chriſtus heri & hodiè idem eſt, & in ſæcula*: *Hebr.* 13. 8. undè & *æternum* appellatur, *Apoc.* 15. 6. *Quod non eſt aliud*; *Gal.* 1. 7, 8, 9. Adde *Joh.* 14. 6. *Act.* 4. 12. x. 43. 1 *Cor.* 3. 11. x. 1, - 4.

XI. Sic *Euangelium*, ubi propriè & *ſtricte* ſumitur, ſalutaria in Chriſto annunciat: undè *Euangelium pacis*; *Eph.* 6. 15. & *ſalutis*, dicitur; I. 13. Aliquando *latius* accipitur; prout fideles in praxi ſua dirigit, adhibita etiàm lege per modum indicis & normæ: 1 *Cor.* 11. 28, 31. *Phil.* 1. 27. *Jac.* 1. 25. ij. 12. Aliquando denique *latiſſime*, prout ipſa ſanctio Fœderis Legalis nonnunquam repetitur, ſuiſque objectis ex voluntate Dei applicatur: *Rom.* 2. 16.

XII. *Fœdus Euangelicum* cum *Legali* convenit in quibuſdam generalibus: utpote, 1. reſpectu Auctoris Dei, Et quidem 2. Contrahentis cum Hominibus. 3.

Ita ut horum Obedientia utrobique sit necessaria. 4. Vita æterna Promissa; & 5. Finis, Dei gloria.

Sed in specialibus plurimum ab eo discrepat: & quidem potissimum ipsa *Summa* & *Conditione*; quæ in Fœdere Legali erat ista: *Fac hoc, & vives: sin minus, maledictus esto. Levit.* 18. 5. *Ezech.* 20. 11. *Rom.* x. 5. *Deut* 23. 26. *Gal.* 3. 10. Sed in Fœdere Euangelico hæc; *Qui credit in Filium, accipit remissionem peccatorum, & vitam æternam*: *Act.* x. 43. *Joh.* 3. 36. Magis istud apparet, considerato

1. *Genere* & *Modo communionis*: *Illud* enim est quasi Fœdus amicitiæ; quod Deus immediatè iniit cum Adamo, ejusque posteris. Hoc vero est Fœdus reconciliationis; quod pepigit Deus cum electis in Christo ipsorum Mediatore & Sponsore: 2 *Cor.* 5. 18, 19. 1 *Tim.* 2. 5. *Hebr.* 7. 22.

2. Respectu *utriusque partis, & principii*: *Illud* enim pro imperio suo, & sapienti consilio, Deus iniit cum Homine integro: *Hoc* vero ex merâ Dei misericordia processit erga Hominem perditum, & in peccatis suis planè mortuum: *Rom.* 5. 6, 8, 10. viij. 3.

3. *Objectorum latitudine*: *Illud* ad omnes extenditur: *Rom.* 3. 19. *Hoc* propriè & internè ad electos restringitur. Vide sup. th. 6.

4. *Promissorum amplitudine*: *Illud* Vitam tantum pollicetur: *Hoc* ipsam Justitiam, atque omnia ad Salutem necessaria: *Rom.* 1. 16, 17. 2 *Petr.* 1. 3.

5. *Fundamento*: quod *illic* fuit propria hominis facultas; *hic* Jesus Christus, ejusque satisfactio, & meritum, morte consummata: quapropter & hoc *Testamentum* dicitur; illud non item: *Hebr.* 9. 15,-18.

6. *Effectis*: *Illud* docet quid justum sit: *Hoc* ipsam justitiam in Christo monstrat, & confert per fidem. 1 *Cor.* 3. 6,-9. *Jerem.* 31. 33, 34. *Rom.* 8. 3, 4.

7. *Tempore*: *Illud* ante lapsum est initum: *Hoc* post eum. *Gen.* 2. 17. iij. 15.

8. *Cognitione* : *Illud* per naturam innotescit; *Rom.* 1. 19, 20, 31. ij. 14, 15. *Hoc* non supernaturali revelatione : 1 *Cor.* 2. 7, - 10. *Eph.* 3. 9, 10.

9. *Duratione* : *Illud* antiquatum est in electis efficaciter vocatis & justificatis ; *Hebr.* 8, 8. 13. *Hoc* vero perpetuum est ; *Gen.* 16. 7. *Rom.* xi. 29.

XIII. Male *Pontificii* Euangelium cum Lege confundunt, statuentes *Consilia* quædam *Euangelica*; atque item *Sociniani*, cum sequacibus, contendentes, Legem Moralem per Christum sub N. T. auctam esse & perfectiorem redditam. Vide sup. cap. 8. th. 32. & cap. 9. th. 18. Interim tenendum, quod Legi post lapsum, circa Fœdus Euangelicum, usus sui ministeriales etiam conveniant : docet enim,

1. Quam perfecta, atque omnibus numeris absoluta requiratur justitia ; hanc autem Euangelium in Christo monstrat. *Rom.* 3. 25, 28, 31. viij. 4, x. 4.

2. Hominem facultatibus istis destitutum inopiæ & injustitiæ suæ convincit : Euangelium vero Christum revelat, & hominem miseriæ suæ sibi conscium ad ipsum invitat ; & sic illa quasi Pædagogus est ad Christum : *Gal.* 3. 24. *Joh.* 16. 9, 10.

3. Explicat modum gratitudinis ac novæ obedientiæ Deo præstandæ ; ad quam invitamur beneficiis Euangelio revelatis, sic in nos collatis; sublato tamen rigore fœderali, & maledictionis aculeo, per gratiam Domini Jesu : *Rom.* 6. 11. vij. 22. xij. 1. xiij. 8.-. *Jac.* 1. 25. ij. 8, 12.

XIV. *Testamenti* appellatio de Fœdere Euangelico recte etiam usurpatur ; juxta locum *Hebr.* 9. 15, - 22. quin & voces בְּרִית & *διαθήκη* isto significatu etiam occurrunt. Confer *Exod.* 24. 8. cum *Hebr.* 9. 20. &

Gal.

Gal. 3.15. Consequenter Christus etiam *Testator* dicitur, quod Fœdus istud morte ipsius confirmatum sit: quemadmodum autem unus est *Testator*, & una ipsius *Mors*: sic unum re ipsa *Testamentum*: quod tamen ratione duplicis dispensationis in V. & N. T. dispesci solet.

U*num* duntaxat re ipsa *Testamentum* esse, probamus *primo*: Quia una eademque Salus est sive *Hæreditas*; cujus fideles tum V. tum N. T. facti sunt, & fiunt participes: quod patet, 1. ex promissione Divina Abrahamo proposita, *Gen.* 15.1. *Ego clypeus* sum *tibi, merces tua ampla valde.* xvij. 7. *Ut sit Fœdus perpetuum. Me esse tibi Deum, & semini tuo post te.* Consequenter ad Mosen, *Exod.* 3.6. *Ego* sum *Deus patris tui, Deus Abrahami, Deus Isaaci, Deus* Jacobi. quod conferendum cum *Psal.* 33.12. *Beata gens illa, cujus Jehovah Deus est*,--. Inde autem vitam æternam, & beatam resurrectionem, collegit Servator, M*atth.* 22. 31, 32. qui ipse iterum *Matth.* 8.11. D*ico vobis, multos ab oriente & occidente venturos; & accubituros cum Abrahamo, Isaaco, &* Jacobo, *in* Regno *cœlorum.* Sic ad ejusdem Regni cœlestis hæreditatem, cum Patriarchis & fidelibus V. T. perveniunt; qui ex Gentilismo convertuntur sub N. juxta idem illud Fœdus perpetuum.

2. H*ebr.* xi. 5. Per *fidem Enoch fuit translatus*: --*testimonium obtinuerat, quod fuerit gratus Deo*: & 6.-- *Nam qui accedit ad Deum, hunc credere oportet esse Deum, & præmia largiri iis, qui ipsum requirunt.* Sic illo etiam tempore credebant fideles gratiosam Dei communionem, & præmii largitionem juxta Fœdus gratiæ. Similiter de Abrahamo, *vers.* 9. 10. ac porro de reliquis. *vers.* 13,- 16. *Secundum fidem mortui sunt isti omnes*, &c. Adde *vers.* 26. & 35. & xij. 22, 23 *Hierusalem cœlestis, spiritus justorum consummatorum.*

3. Illu-

3. Illustris est prophetia, Dan. 12. 2. *Tandem multi ex dormientibus in pulverulenta terra, expergiscentur; hi ad vitam æternam*, &c. Atque adeo Paulus, *Act.* 26. 6, 7. --- *Ob spem promissionis factæ patribus nostris à* Deo, *ad quam* promissionem *duodecim tribus nostræ--sperant se deventuras*, &c.

4. Et eximia moribundi Patriarchæ confessio. Gen. 49. 18. *Salutem tuam expecto, Jehovah*. Atque item Jobi, 19. 25,-27. *Equidem ego novi, Redemtorem meum vivere*, &c. Adde *Psal.* 16. 5, 8,-11. xxxvj, 9, 10. lxxiij. 23, 26. Quin & *Num.* 23. 10.

XV. *Secundo*, Quia Salus etiam fidelium V. T. pendebat à Morte ejusdem Testatoris, sive Satisfactione & Merito *Christi*. Unde 1. *Hebr.* 9. 15. quod ejus *mors quoque intercessit ad redemtionem earum transgressionum; quæ fuerant sub priore pacto*. Vide etiam 22, 23. Et 25,-. *Neque ut sæpe offerat seipsum, -alioquin oportuisset* Ipsum *sæpe passum fuisse à jacto mundi fundamento*, &c. Statim igitur à jacto mundi fundamento exeruit se virtus mortis Christi; *qui unica sui oblatione consummavit in perpetuum eos, qui sanctificantur*, x. 14.

2. Rom. 3. 25, 26. *Quem præstituit* Deus, *ut esset placamentum per fidem in sanguine Ipsius;-propter dissimulationem peccatorum quæ antecesserunt, Deo illa tolerante. Ad demonstrationem justitiæ suæ præsenti tempore: ut sit ipse justus, & justificans eum qui est ex fide Jesu*. Scil. ante Christi adventum fuit dissimulatio & tolerantia quædam peccatorum, quasi per inducias: sic illis temporibus Deus pœnas pro peccatis fidelium V. T. justitiæ suæ satisfactorias, non exegit: sed earum exactionem distulit usque in tempus N. T. ubi Christus sanguine suo intercessit, & placationem sic peregit, ut justitia Dei sufficienter demonstrata sit, atque ita Deus justus declaratus; quod non remittat peccata, nisi virtute satisfactionis, à Christo suo

tem-

tempore præstitæ. *Lex* enim *cassa non* est *reddita*; sed *stabilita*; vers. 31.

3. *Act.* 15. 11. *Per gratiam* Domini *Jesu Christi, credimus NOS servatum iri, quemadmodum & ILLOS.* Ubi per *NOS*, intelligendos esse non tantum Apostolos, sed etiam fideles N. T. per *ILLOS* autem, Patres & fideles V. T. ex versu præcedenti satis manifestum est. Quæstio enim instituta erat de Discipulis ex Gentilismo conversis: & palam asseritur, jugum Legis portari non potuisse, neque sic salutem acquiri. Idem ergo est modus salutis consequendæ per gratiam Domini Jesu Christi, tum sub V. tum sub N. T.

4. Huc denique referri debet universalitas illa mortis Christi: quod *pro omnibus mortem gustarit*; *Hebr.* 2. 9. ubi tota electorum & salvandorum universitas intelligi debet. *Omnes* dicuntur *peccasse*, & *justificari* per redemtionem Christi; *Rom.* 3. 23, 24. ut hoc sit necessarium medium justificationis à peccatis. *Per unum* Christum, & ipsius *obedientiam*, *justitia venit in omnes*, (qui nempe justificantur, & ad Fœdus gratiæ pertinent;) quemadmodum *per unum* Adamum, ejusque *transgressionem*, *condemnatio venit in omnes*, (qui rei constituuntur, & ad Fœdus operum pertinebant): *Rom.* 5. 11, 12, 15, 17, 18, 19. 1 *Cor.* 15. 22. quin imo *Joh.* 14. 6. *Nemo venit ad* Patrem, *nisi per* Christum. *Act.* 4. 12. *Neque aliud nomen sub cœlo datum est inter homines, per quod* quis possit *salvari*. Similiter *Apoc.* 5. 8, 9. dicitur Christus *redemisse nos* Deo *per sanguinem suum, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.* Adde *Apoc.* 13. 8. 1 *Petr.* 1. 19, 20. Quæ quidem omnia talia sunt, ut fideles V. T. omnino complectantur.

XVI. *Tertio*, Quia eadem doctrina Testamentaria de Christo, ejusque justitia, etiam sub V. T. fuit proposita: ejusque adventus in carnem, & reliqua istuc pertinentia, plurimis prophetiis fuerunt prædicta.

dicta, variisque typis præfigurata: ut patet.

1. In ipsa historia Euangelica: sic enim Servator noster, *Luc.* 24. 27. *Exorsus a Mose et Prophetis, interpretabatur - in omnibus Scripturis, quæ de Se scripta erant.* Atque iterum *vers.* 44, 45, 46. unde frequens loquendi formula, Hoc *autem factum est, ut implerentur Scripturæ Prophetarum. Matth.* 26. 56. & alibi passim. Confer *Ioh.* 1. 46. v. 39, 46.

2. In Actis Apostolorum: utpote de Passionibus Christi; *Act.* 3. 18. *Deus autem, quæ pronunciaverat per os omnium Prophetarum suorum, Christum suum perpessurum, ita implevit.* Atque amplius, *vers.* 21,- 25. cum *Deut.* 18. 15, 18, 19. *Moses etenim ad* Patres *dixit;* Prophetam *suscitabit vobis* Dominus *Deus vester ex fratribus vestris, sicut me*, &c. *Sed et omnes Prophetæ à Samuele, et deinceps - prænunciarunt dies istos.* Adde *Act.* x. 43. xiij. 32, 33.

3. In Epistolis: sic *Rom.* 1. 1,- 3. Euangelium *Dei, (quod ante promiserat, per* Prophetas *suos, in Scripturis sanctis.)* De *Filio suo*, &c. Similiter iij. 21, 22. - *Iustitia* Dei *manifesta facta est, comprobata testimonio Legis, ac Prophetarum: justitia inquam* Dei *per fidem Iesu Christi in omnes, et super omnes, qui credunt.* Nempe eadem doctrina de justificatione, idem justificandi modus, tum sub V. T. per Prophetas, tum sub N. per Apostolos & Euangelistas exhibitus est. His adde *Gal.* 3. 8, 9. cum *Gen.* 12, 3. xviij. 18. xxij, 18. ac porro *Gal.* 4. 21. *et seqq.* ubi explicatur, quomodo Fœdus Euangelicum adumbratum fuerit in Isaaco, filio Abrahami, ex Sara ad libertatem & hæreditatem nato. Ità *Col.* 2. 16, 17. cerimoniale discrimen cibi & potus, itemque respectus Novilunii, Festorum, & Sabbathorum, dicitur fuisse. U*mbra rerum futurarum; Corpus* vero *Christi.* Per Umbram igitur ad Corporis agnitionem, & fidem adduci debuerunt Fœderati istius temporis. Illustria etiam hujus veritatis testimonia

extant

extant in Epist. ad *Hebr.* ubi cap. 1. 1. *Multis modis, multisque vicibus, olim* Deus *locutus* dicitur P*atribus in* Prophetis. Et iij, 5. *Moses fidus in tota domo* Dei, *ut famulus, ad testificanda quæ post erant dicenda.* Adhæc viij, 5. de Sacerdotibus V. T. diserte asseritur, quod *exemplari et umbræ deservierint rerum cælestium.* Confer x, 5, -10. cum P*sal.* 40. 7, 8, 9. & rursus 15, 16, 17. cum *Ierem.* 31, 31, - 34. Adde 1 *Petr.* 1. 9, -12, 20. ij. 6; 22, 24. cum Ies. 28. 16. liij. 4, 9. &c.

4. Adjungi possunt insigniora quædam loca V. T. utpote G*en.* 3. 15. de Semine mulieris contrituro caput serpentis. XLIX. 10. de adventû ipsius Schilo. *Num.* 24. 17. de Stella ex Jacobo oritura, Sceptro ex Israële prodituro. & D*an.* 9. 24. De adventu Messiæ, de iniquitatibus expiandis, & æterna justitia afferenda; & similia passim obvia. Item H*ag.* 2. 8, 9. *Mal.* 3. 1. iv, 2.

XVII. *Quarto*, Quia eadem fides justificans obtinuit sub V. T. quæ nunc obtinet sub N. Hoc autem 1. ex superioribus facile deducitur: si enim eadem salus per eundem Servatorem, juxta idem Euangelium; consequenter eadem fides: unde & ista una dicitur, E*ph.* 4. 5. Confer R*om.* x. 10, -.

2. Accedunt exempla fidelium V. T. iis qui sub N. vivunt, ad imitationem proposita: nominatim *Abrahami*, & D*avidis*. De A*brahamo* quidem R*om.* 4. 3. *Credidit* A*braham* D*eo, et imputatum est ei ad justitiam.* Ac deinde vers. 23, 24. *Non scriptum est autem propter eum solum, quod, hoc imputatum fuerit ei. Sed etiam propter nos, quibus futurum est ut imputetur; iis nimirum qui credunt,* &c. Similiter G*al.* 3. 7. *Nostis eos, qui ex fide sunt, esse filios Abrahami.* & 9. *Itaque qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli illo* A*brahame*: sic passim ejusdem fidei ad justitiam imputatio, atque eadem ex fide benedictio, & Abrahamo, & reliquis fidelibus N. T. diserte assignatur.

De

De Davide autem *Act.* 2. 30. 31. *Cum sciret fore, ut ex fructu lumbi ipsius, quod ad carnem attinet, Christum illum suscitaret, quem collocaret super ejus throno, Præscius locutus est de resurrectione Christi--.* Atque item Matth. 22. 43, 44. --*Quomodo ergo David per Spiritum vocat eum Dominum, dicens* (*Psal.* cx. 1.) *Dixit Dominus Domino meo*, &c. Sic ille per Spiritum præscivit, & credidit, futuram Christi ex familia sua nativitatem; mortem, resurrectionem, & dominium: imo Dominum suum dixit per Spiritum: à quo consequenter salutem & gloriam expectavit. Vide amplius Rom. 4. 6, 7, 8. cum *Psal.* 32. 2. & 2 Cor. 4. 13, 14. cum *Psal.* 116. 10.

3. Item exempla aliorum, non tantum Prophetarum: 1 *Petr.* 1. 11. 12. sed fidelium quorumcunque: *Matth.* 13. 17. ut Abelis, Enochi, Noachi, & similium; de quibus fuse admodum, *Hebr.* xi. Pari ratione de Israelitis in deserto, testatur Apostolus 1 *Cor.* x. 3, 4. *Omnes eandem escam spiritualem edisse, & omnes eundem potum spiritualem bibisse: bibebant enim ex sequente spirituali petra; petra vero illa erat Christus.* Sic igitur, qui inter eos vere fideles fuerunt, eandem nobiscum spiritualem gratiam sacramentaliter obsignatam, fide perceperunt; & Messiam suo tempore venturum certo crediderunt: quod in reliquiis ipsorum circa adventum Christi, sæculo tam corrupto, manifestum est; nominatim in Simeone, *qui expectabat consolationem* Israel; *Luc.* 2. 25. In Anna Prophetissa; *quæ palam agnoscebat Dominum: & loquebatur de eo omnibus, qui redemtionem expectabant* Hierosolymis; *vers.* 38. In Josepho Arimathæo; *qui & ipse expectabat regnum Dei*; *Luc.* 23. 51. In Samaritana; *Joh.* 4. 25. ejusque popularibus; *vers.* 29. &c.

4. Consequenter Gentiles, qui olim fuerant *absque Christo, abalienati à civili statu* Israelis, *& extranei quod ad pactorum promissiones* attinet; - *Eph.* 2. 12. nunc

in

in ejusdem Ecclesiæ Catholicæ communionem adoptati, atque *unum facti sunt, soluto intergerini parietis septo*; *vers.* 14. Vide etiam 16, 19, -. *Rom.* xi. 17, -. *Gal.* 6. 16. iv, 26. *Hebr.* 12. 22, 23.

XVIII. *Sociniani*, quibus hac in parte valde affines sunt *Anabapt.* & *Remonstr.* promissiones spirituales ac salutares, earumque agnitionem & fidem à V. T. prorsus removent; & non nisi bona corporalia & temporalia fidelibus istius œconomiæ proposita fuisse, existimant. Sed & *Pontif.* triplicem quandoque salutis viam recensent; 1. Legem naturæ, 2. Legem Mosis. & 3. Euangelium, sive Gratiam. *Iidem* viam Cœli sub V. T. clausam fuisse volunt; nec quenquam ingressum, ante mortem Christi. Sed perperam; ut probatum.

Obj. 1. *Lex per* Mosen *data est*: non gratia, quæ per Christum demum facta. Ergo. *Joh.* 1. 17. *Resp.* Lex quidem sub V. T. rigide fuit inculcata: sed cum Morali obtinuit etiam Cerimonialis, quæ Christum adumbravit, & docuit convenienter isti œconomiæ. Sic per istam dispensationem, parcius quidem & obscurius promissiones Euangelicæ fuerunt propositæ: cum in N. T. *Gratia & Veritas per* Christum *præstita sit*: *Gratia*, opposite ad Fœdus Legale; *Veritas*, ad umbras futurorum bonorum. Sed idem tamen re ipsa fuit Fœdus Euangelicum; atque eadem beneficia salutaria jam tum secundum rem obtinuerunt.

Obj. 2. *Lex & Prophetæ usque ad Johannem*: postea Regnum cœlorum annunciari cœpit: *Matth.* 11. 12, 13. *Resp.* Tantisper obtinuit pædagogia Legis, cum typis & prophetiis de Christo venturo: sed Johannes eum præsentem demonstravit. Ac deinceps obtinuit Euangelium impletionis.

Obj. 3. Nobis primum annunciata est ista salus, &c. Euangelium prius non prædicatum: *Hebr.* ij. 3. *Eph.* 3. 8, 9. 2 *Tim.* 1. 10. 1 *Petr.* 1. 11, 12. *Resp.*

Ista

Iſta etiam accipienda ſunt de Euangelio impletionis, oppoſite ad Euangelium promiſſionis; & de uberiori illius gratiâ.

Obj. 4. Sub V. T. priore tabernaculo adhuc conſiſtente, via ad ipſum cœleſte Sacrarium nondum facta fuit manifeſta; eo quod ſacrificium ipſius Chriſti nondum fuerit peractum *Hebr.* 9. 8. Ergo. *Reſp.* Ingreſſi tamen ſunt fideles in Cœlum, per anticipationem, virtute ipſius Chriſti: cujus ſatisfactio & meritum per immutabilem decreti Divini certitudinem, valorem ſuum jam tum habuit in eſſe cognito; licet actu non præceſſerit ipſum eſſe reale: quemadmodum in pactis bonæ fidei, ſimilia paſſim obvia ſunt.

XIX. In œconomia V. T. duæ potiſſimum illuſtriores *periodi* ſpectandæ veniunt: quarum *prior* eſt ab Adamo ad Moſen, *poſterior* à Moſe ad Chriſtum. In univerſum œconomia iſta fuit quaſi infantilis, ac proinde quodammodo ſervilis; licet revera fideles etiam tunc liberi fuerint & hæredes: *Gal.* 4. 1, 2, 3. paulatim tamen adolevit, quaſi infante ad annos pubertatis & ſui juris accedente propius.

Initio quidem obtinuit *Miniſterium extraordinarium*, per Patriarchas; quos Sp. Sanctus extraordinariè afflavit, ac de fide & cultu Divino πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως inſtruxit: *Hebr.* 1. 1. cum *Num.* 12. 6.

Ordinarium vero, ex illorum directione per ipſos Patres familias, & Primogenitos; qui ſacra potiſſimum adminiſtrabant, dum fere erant Eccleſiolæ domeſticæ.

XX. Prima interim *Euangelii prædicatio* facta eſt ab ipſo Deo, ſtatim poſt lapſum in Paradiſo; *Gen.* 3. 15, *Semen mulieris conteret caput ſerpentis*. Confer *Apoc.* 12. 7. *Rom.* 16. 20. *Matth.* 3. 7. 1 *Joh.* 3. 8. *Hebr.* 2. 14. *Gal.* 4. 4. Conſequenter cœptum eſt invocari nomen Domini, fidelibus ad iſtiuſmodi exercitia frequentius collectis *Gen.* 4. 26. atque diſtinctio facta inter filios

Dei,

Dei, & filios hominum, vj, 2. Sic exercita tunc fuit *Vocatio*, atque obtenta *Justificatio, Adoptio, Sanctificatio*; & expectata *Glorificatio*: quam insigniter confirmavit Enochi post exemplarem fidei, ac pietatis demonstrationem, in cœlum translatio: *Gen.* 5. 22, 24. *Hebr.* x1. 5. Ac deinde etiam Arcæ structura, & Noachi cum familia per eam conservatio à diluvio; *Hebr.* x1, 7. 1 *Petr.* 3. 20, 21.

XXI. Quædam etiam *instituta Cerimonialia* jam tunc obtinuerunt: scil. *Distinctio animalium* mundorum & immundorum; *Gen.* 7. 1. quæ tum Sacrificiis inserviit, tum etiam Sanctificationem adumbravit.

Jus primogenituræ, cui annexa Sacrorum cura; *Gen.* 4.7. xxv. 31,-34. xxvij, 36. cum *Exod.* 4. 22. 23.

Item *Decimæ* Deo dicatæ; *Gen.* 14. 20. cum *Hebr.* 7. 4, 5.

Atque ipsum quoque *Sacerdotium*, aliquamdiu ante Leviticum. Sic *Gen.* 14. 18. commemoratur *Melchizedek*. Rex Schalemi, sacerdos Deo forti excelso: unde ordo Melchizedeki. *Psal.* 110. 4.

Sacrificia etiam recensentur: utpote *Caini* de frugibus terræ; & *Abelis*, de primogenitis, & eximiis pecudum suarum: *Gen.* 4. 3, 4, 5. *Hebr.* x1. 4. Atque item N*oachi* statim post diluvium; qui *Gen.* 8. 20. *exstructo Iehovæ altari, ex omnibus pecudibus & volucribus mundis holocausta obtulit; & odoratus est* Jeho*vah odorem illum gratum.* Quod conferendum cum *Eph.* 5. 2. *Christus dilexit nos, & tradidit semet ipsum pro nobis, oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ.* Similiter *Abrahamus* in peregrinationibus suis *Altaria* passim exstruxit; *Gen.* 12. 7, 8. xiij, 14, 18. Memorabile autem præ cæteris fuit Sacrificium filii ejus unici Isaaci, Divinitus mandatum ab ipso inchoatum, sed ariete vicario consummatum, xxij 1,-14. Deinde *Isaacus* quoque Altare legitur exstruxisse; xxvj, 25. quemadmodum & *Jac.* 32, 20. Atque

Job in terra Hutzi, qui filios suos post eorum convivia sanctificavit, ac pro numero eorum Holocausta obtulit; *Job*. 1. 5. Et posteà ipse Deus ad Eliphazum Themaniten. *cap*. 42. 7, 8. *Accensa est ira mea in te; & in duos amicos tuos-Quamobrem nunc sumite vobis septem juvencos, septemque arietes, & adite servum meum Jobum; ut offerendum curetis holocaustum pro vobis; & servus meus Job oret pro vobis, -ut non afficiam vos pœna flagitii*, &c. Sic Deus offensus, sed idem placabilis, placari voluit sacrificio precibus comitato; atque hoc medium satisfactionis & reconciliationis typicæ, intercedere ad eorum liberationem à pœnâ.

Sacramenta hujus Fœderis ordinaria ab initio non comparent. De Arca Noachi, & conservatione per eam à diluvio, dictum th. 20. Ipsa interim Sacrificia, quatenus communionem cum Altari inferebant, ipsique offerentes pariter coram Domino convivium sacrum celebrabant, alquid sacramentale involvebant: 1 *Cor*. x. 18. *Exod*. 18. 12. Sic enim communionem gratiosi istius Fœderis obsignabant.

XXII. *Tempore* autem *Abrahami* insigniora quædam accesserunt: specialis scil. ipsius *Abrahami Vocatio*; *Gen*. 12. 1, 2, 3, 7. *Fœderis Euangelici renovatio*; xv. 1, 5, &c. *Promissio terræ Canaan*; quæ cœlestis patriæ typus fuit; xvij, 8. atque item *Seminis benedicti*; *vers*. 16. 19, 21. addito insuper *Sacramento Circumcicisionis*: *vers*. 10,-14.

Deinde *Electio* in personis Isaaci & Jacobi, dilectis præ Ismaële & Esavo, fuit repræsentata: *Rom*. 9. 11, 12, 13. *Salutis impetratio & applicatio*, in Benedictione Abrahami per Melchizedekum Sacerdotem & Regem; *Gen*. 14. 18, 19, 30. *Hebr*. 7. 1,-10. & promissione Seminis benedicti, atque item terræ Canaan, aliquoties iteratâ. *Justificatio* per expressum Dei testimonium; *Gen*. 15. 6. *Rom*. 4. 3, 10. 11, 12. *Adoptio* per distinctionem Filiorum promissionis ex matre libera:

bera: & Hæreditatis assignationem ad eos; *Gal.* 4. 22, 26, 28, 30, 31. *Sanctificatio* etiam per Circumcisionem; *Deut.* 30. 6. *Col.* 2, 11. Ac denique *Glorificatio* per Benedictiones ac Promissiones terræ Canaan; *Hebr.* xi. 9, 10, 13.-22.

XXIII. *Altera periodus*, à Mose ad Christum, conditionibus hujus Fœderis scripto consignatis, cultu magis ordinato, novisque tum extraordinariis, tum ordinariis additamentis, multo fuit illustrior.

Extraordinarie quidem *Salutis impetratio & applicatio* adumbrata fuit per Liberationem Israelitarum ex Ægypto, factam ministerio Mosis, qui hac potissimum in parte typus Christi fuit: *Act.* 7. 35, 36. *Hebr.* 3. 2,-6, xi, 28. ac porro per Introductionem in terram Canaan, duce Josua, altero Christi typo: *Hebr.* 4. 8. xj, 16. tum etiam per Transitum maris rubri, quo salvi iter ingressi sunt Canaan versus, hostibus ipsorum extinctis: 1 *Cor.* 10, 2. itemque per Nubem, qua adversus externas injurias tegebantur, lucemque & refectionem ac directionem habebant, tum interdiu, tum noctu: 1 *Cor.* x, 1. *Exod.* 13, 21. *Psal.* 105, 39. nec non per Manna cœlitus datum, & Aquam è rupe, quæ sacramentaliter fuit Christus, in perpetuum nutrimentum: 1 *Cor.* x. 3, 4. *Ioh.* 6. 32, 33. ac denique per æneum Serpentem; cujus aspectu, à serpentibus ignitis lethaliter vulnerati & infecti, curabantur; *Joh.* 3. 14. viij., 28. xij, 32, 33.

Ordinarie per Sacerdotes, & eminentiore quodam modo per Pontificem maximum, Sacrificia expiatoria, & Altaria, aliaque instrumenta, in istum usum destinata: *Hebr.* 5. 1. x.-. 1,-. xiij, 8, 9, 10. *Justificatio* specialius per Sacrificia ad remissionem peccatorum ordinata, variasque ablutiones, & sacramentum Paschatis: *Hebr.* 9, 13, 14, 22, 23. 1 *Cor.* 5. 7. *Adoptio* per Primogenitos Deo sacros: *Exod.* 13. 11,-16. *Rom.* xj; 16 *Sanctificatio* per instituta illa, quæ munditiem spe-

ctabant: *Hebr.* 9. 13, 14. *Glorificatio* denique, per Hæreditatem terræ Canaan; & specialia quædam Symbola gratiosæ præsentiæ Divinæ, Tabernaculum videl. (cui postea Templum successit, atque inprimis Sanctum sanctorum: *Hebr.* xi. 13, 14, 16. ix, 2, 3, 9, 11, 12. 1 Reg. 8. 21, 29, 30, 42, 43.

XXIV. Sed propius in ista periodo spectemus, 1. *Personas*, 2. *Res & agenda*, 3. *Loca*, 4. *Tempora*.

Personæ occurrunt, tum Sacrorum administræ, tum aliter Sacræ & Mundæ.

Ministri extraordinarii erant *Prophetæ*, viri ex quacunque tribu promiscuè à Deo excitati, ad cultum ipsius instituendum, eundemve collapsum restaurandum, ad explicanda arcana, prædicenda futura, & nominatim de Messia, ejusque adventu, officiis, beneficiis, &c. ac proinde Christum summum illum Prophetam quodammodò præfigurantes: *Deut.* 18. 15,-19. *Act.* 3. 22, 23, 24. x. 43. 1 *Petr.* 1. 10, 11, 12: 2. I. 19, 20, 21.

Munus autem Propheticum, cum extraordinarium esset, ipsum quoque Sacerdotium eminenter in se comprehendebat: *Levit.* 7. 15,-. 1 *Reg.* 18. 31,-.

Ordinarii erant *Sacerdotes*, ac suo etiam modo reliqui *Levitæ*; quorum *illi* perpetua successionis linea ex Aharonis familia desumti, ad Sacerdotium in Tabernaculo, ac deinde in Templo obeundum applicati: *Exod.* 28. 1. xxix. 44. *Num.* 18. 1, 7. xxv. 13. populo docendo, sacrificiis offerendis, benedictioni, alisque agendis sacris, ordinarie operam dabant. *Mal.* 2. 7. *Num.* 6. 22,- Et sic Christum Sacerdotem verè consummatissimum, omnis benedictionis auctorem, eundemque Doctorem summum, præfigurabant: *Hebr.* 7 11,-; 23, 24, 25. iij. 1. *Eph.* 1. 3.

Hi, primogenitorum loco adhibiti, Sacerdotibus præsto erant: *Num.* 3. 9, 12, 13. vij. 13,-19. xviij. 6. Tabernaculumque cum ejus instrumentis custodiebant ac deportabant: iv. 3, 5,-15. &c.

XXV. Sacerdotes autem esse debuerunt personæ ab omni corporis vitio prorsus immunes, & ad functionem istiusmodi habiles. *Levit.* 21. 17,- 24.

Consecratio eorum fiebat coram tota Ecclesia: *Levit.* 8. 3. adhibita Lotione: *Exod.* 29, 4. Amictu sacro Tunica sc. cum Baltheo, Tiara, & Femoralibus: *Exod.* 28. 4, 40; 42, 43. xxix. 8, 9. Sacrificiis specialibus, cum applicatione sanguinis ex ariete ad auriculam infimam, & pollices dextros: *Exod.* 29. 15; 20; 24, 25, Accedebat consperſio ex oleo sacro, & sanguine de altari, in ipsos, & vestes ipsorum: 21. *Levit.* 8. 30. Iisdem assignati erant *Cibi sancti*: *Levit.* 22, 2, 3, 10, 11, atque insuper mandata specialis abstinentia, mundities & gravitas: xxi, 1,- 9. Ut videl. absolutissima Christi perfectio & sanctitas, nec non salutis per eum impetratio & applicatio, adumbraretur: *Hebr.* 7. 26. 27, &c.

XXVI. In Sacerdotibus unus erat Summus, ab Aharone successionis vicissitudine descendens, cui peculiaris cultus, & observatio anniversaria in Sancto Sanctorum competebat; unde & illustrior Christi typus fuit. *Levit.* 16, 2. &c. xxi. 12. *Hebr.* 7. 23, ix. 6. 7. &c.

Notandus etiam peculiaris ejus Ornatus: quo dignitatem Christi eminentissimam præfigurabat. Primarium ejus ornamentum fuit *Amiculum*, & *Pectorale*, cum nominibus duodecim tribuum in gemmis; *Exod.* 28. 2, -. Ita Christus coram Patre Ecclesiam repræsentat. In hoc latebant *Urim & Thummim. vers.* 39. ex quibus responsa dabantur; & quæ Christum designabant, Verbum & Interpretem Patris.

Caput illius exornabat *Cidaris*, cum Lamina aurea: *vers.* 36. 37. 38. Summam Christi dignitatem designans.

Unctio ejus peculiaris quoque fuit; oleum scil. tum in Tabernaculum, & quæ in eo erant, tum in caput

summi Sacerdotis, effundebatur: *Levit.* 8. 10, 11, 12. Sic plenitudo Spiritus, sanctitatis, omniumque donorum in Christo, Ecclesiam perfundit, & perficit: *Psal.* 2. 6. xlv, 8. cxxxiij, 2, 3. *Joh.* 1. 16. *Col.* 2. 3, 9, 10.

Specialis etiam in illo requirebatur mundities & gravitas: *Levit.* 21. 10, - 15. &c.

XXVII. Affinis erat *Summus Israelitarum Senatus*, ex Sacerdotibus Leviticis, constituto etiam supremo Judice in ista Θεοκρατίᾳ, ad arduas lites & controversias dirimendas: *Deut.* 17. 8, - 12. Confer 2 *Chron.* 19. 8, -. Sic Christus Regale habet Sacerdotium: *Zach.* 6. 11, &c. xij, 7, - 10.

Personæ aliter *Sacræ* erant *Nasiræi*, qui se peculiari voto ad tempus segregabant, & sanctificabant Deo, juxta ipsius institutum: *Num.* 6. 2, *& seqq.* Consequenter typi erant singularis sanctimoniæ Christi. Extraordinarium exemplum nativi Nasiræi occurrit in *Simsone*; *Iud.* 13. 5. cui non absimile videtur, quod exstat de *Iohanne Baptista*: *Luc.* 1, 15.

Occurrunt denique *Mundi*; immunes a qualicunque cerimoniali immunditia: eaque vel communi; qua quis immundus erat usque ad vesperam; tunc autem lotis vestibus purgabatur: *Levit* xj. 24, 25. &c. vel speciali; quæ quidem gravior inducebatur ex contactu cadaveris humani, ossium, aut sepulchrorum: *Num.* 19. 16. itemque ex gonorrhæa: *Levit.* 15. & partu recens edito: *cap.* 12. Sed gravissima, oriebatur ex Lepra: *cap.* xiij. xiv. De modis purgationum vide ibid. Hac interim ratione omnis nostra spiritualis immundities, in Christo unice expianda, & remedium nativæ nostræ corruptionis in ipso solo quærendum, significabatur: *Tit.* 2. 12, 14. *Psal.* 51, 7.

XXVIII Sequuntur Res & *agenda sacra*: in quibus spectandum primo *Sacrificium*, quod erat Res sacra ab offerente adducta, & a Sacerdote, ritu sacro super altari Deo oblata.

Erat-

Eratque vel *Expiatorium*, vel *Eucharisticum*.

Expiatorium ad carnalem peccatorum expiationem in foro illo civili erat ordinatum: *Hebr.* 9. 13. *Levit.* v. 5, 13. Atque interim remissionem peccatorum in foro poli adumbrabat: *Hebr.* 9. 14, 15, 23. Eratque vel pro omnibus peccatis; ut *Holocaustum*, quod totius victimæ combustione peragebatur: *Levit.* 1, 3, - 13. vj, 9, 10, 11. vel pro certis tantum: iisque rursum vel ex errore, vel ex infirmitate commissis: iv, v, vj. Sic Christus pro omnibus & singulis electorum peccatis, tum maximis, tum minoribus, se obtulit: *Hebr.* 9. 14. x, 5, 10, 14. *Jes.* 53. 11, 12.

Eucharisticum, ad gratitudinem coram Deo in Christo testificandam, ordinatum erat: ubi Christus, ejusque satisfactio & meritum eâdem operâ præfigurari debuit: *Exod.* 24. 5. *Levit.* 3. 1, &c. Sic interim nos ipsos, & omnia nostra, grato animo ipsi Deo debemus offerre: *Hos.* 14. 3. *Hebr.* 13. 15.

Illud autem peragebatur, aut solis Muneribus; aut adhibitis etiam Animalibus: quorum prius *Libatio* dicebatur; ubi cibus, potus, sal, thus, oleum, &c. offerebantur: posterius iterum aut Pinguedinis tantum victimarum incensione; & *Hostia pacificorum* appellabatur: aut Animalium quoque mactatione, cum Libatione, expediebatur; & *Sacrificium laudis* dicebatur.

Consecrationi Sacrificiorum in universum, præter ipsum Altare, de quo *Exod.* 29. 37. *Matth.* 23. 19. serviebant quoque Ignis, & Sal: *Marc.* 9. 49. *Levit.* 11. 13. Ignis Spiritum Sanctum adumbravit: *Matth.* 3. 11. *Act.* 2. 3. per quem Christus se ipsum obtulit inculpatum Deo: *Hebr.* 9. 14. ac simul passiones iræ Divinæ, quas Mediator pro nobis tulit: *Marc.* 9. 43, 44. *Jes.* 53. 4, 5, 10. Omnis etiam oblatio Sale Fœderis debuit saliri, ad significandum Fœdus Dei salutare & perpetuum: in quo fideles confirmati & corrobo-

roborati, pacem Dei omnibus aliis rebus anteponunt, certoque conservantur ex omnibus periculis & difficultatibus: *Marc.* 9. 47, 49, 50.

XXIX. Secundo, *Suffitus Sacer*: de cujus confectione vide *Exod.* 30. 34, 35. Ejus erat, ut Sacerdos ex eo contunderet minutatim, poneret super Thymiaterium, & adoleret suffitum unoquoque mane ac vespere coram Iehova: *vers.* 46: Addita lege, ne quis similem suffitum in usum privatum sibi pararet, è populo cæteroquin exscindendus: *vers.* 37, 38. Sic Intercessio Christi; & fervidæ fidelium preces in ipsius nomine, adumbrabantur: *Psal.* 141. 2. *Apoc.* 5. 8. a quibus procul abesse debet profanitas: *Eccles.* 5. 1. *Psal.* 50. 15, 16.

Tertio *Oleum Sacrum*, cujus usus erat ad Tabernaculum integrum, cum vasis, & instrumentis suis omnibus, ipsoque ejus atrio, omnes item personas in illo ministrantes, earumque vestes, ungendas & consecrandas, *Exod.* 30. 25,-30: addita simili lege ut in Suffitu, & pari sanctione comminatoria: *vers.* 31, 32, 33. Hoc pacto figurabantur præstantissima Sp. Sancti dona, quibus Christus in humana sua natura, & singuli fideles, atque omnia ad ipsos pertinentia, Deo sanctificantur in honorem: *Hebr.* 1, 9. 1 *Joh.* 2. 20, 27. simulque docebatur, Sanctum canibus non dandum: *Matth.* 7. 6.

Quarto, *Aqua expiationis* erat, qua separati ex immunditia purgabantur carnaliter. *Num.* 19. 9. Ita sanguis Christi nos purgat ab omni peccato: 1 *Joh.* 1, 7. atque omni immunditia spirituali, *Zach.* 13. 1.

XXX. Quinto, *Lucernæ Sacræ* septem erant in Candelabro aureo, instruendæ quovis mane oleo olivarum extuso puro; & accendendæ singulis vesperis, ut per noctem essent luminaria in atrio conventus *Exod.* 25. 31, 37. xxvij, 20, 21. *Levit.* 24. 2, 3, 4.

Sic

Sic illuminatio per Verbum & Spiritum figurabatur: 2 *Petr*. 1. 19, 21-. *Eph*. 5. 8

Sexto, *Tubæ* erant duæ *argenteæ*, opere continente factæ, ut Sacerdotes earum clangore cœtum convocarent, lætitiam celebrarent, vel etiam profectionem castrorum imperarent. *Num*. 10. 2. Sic clangor Verbi Spiritu comitati, ejusque virtus in colligenda Ecclesia, lætis annunciandis, peccatis arguendis, & fidelibus ad spiritualem pugnam incitandis, adumbrabatur: *Jes*. 58. 1. *Eph*. 6. 11, -18. *Psal*. 89. 16.

Septimo, *Cibi sacri* ex præscripto ipsius Dei Sacerdotibus fuere destinati; sanctissimi quidem maribus eorum solis comedendi permittebantur in atrio conventus; alii etiam familiis eorum. Sanctissimæ erant reliquiæ ex Sacrificiis pro peccato, quorum sanguis non portabatur in Sanctuarium; atque ex muneribus eorum. *Levit*. 7. 6, 7, 9, 10, vj. 16,-18, 25, 26. viij. 31, 32. similiter illis dati erant Panes propositionis. xxiiij. 5, 9. Hac ratione figurabatur virtus Christi conservatrix & nutrix vitæ spiritualis in electis. *Prov*. 9. 2, 5. *Psal*. 23. 1, 5. *Ioh*. 6. 33, 35, 48, 50, 51.

XXXI. Succedunt quædam secundario in rebus sacris spectanda; ut pote primo *Novalia*: nam cujusque arboris ab Israelitis plantatæ in Canaan, fructus esculenti, postquam tribus annis habiti essent præputiati, in cibum non assumendi, quarto anno separabantur, ut essent res sanctæ laudationum Jehovæ; & quinto demum anno ab Israelitis percipiebantur: *Levit* 19. 23, - 25. Hoc pacto significatum fuit, omnia alimenta nobis quidem per peccatum immunda; sed per fidem in Christum, precibus & gratiarum actionibus, sanctificari: *Tit*. 1, 15. 1 *Tim* 4. 4, 5. *Rom*. 14. 6. 1 *Cor*. 10. 31.

Secundo *Primitiæ*, quæ erant primi proventus,

 tum

tum rerum, tum personarum, Deo sacri: *Exod.* 13. 2, 13. xxij. 29, 30. *Num.* 15. 20, 21. Sic optima quæque Deo, ejusque cultui, sunt consecranda: *Ies.* 66. 20, 21. 1 *Cor.* 6. 19, 20. Interim Christus omnium creaturarum primogenitus, in quo nos etiam sanctificamur, fuit adumbratus: *Col.* 1. 15. *Hebr.* 1. 2. ij. 10, 11.

Tertio, *Decimæ* quoque possessionum ac proventuum Deo, ejusque cultui, offerebantur, in sustentationem Levitarum, pauperum, &c. *Gen.* 14. 20. *Levit* 27. 30. *Deut.* 26. 12, &c. Sic ex omnibus, quæ nobis suppetunt, in similes usus pios erogandum pro re nata, quantum necessitas postulat, & facultates nostræ ferunt: *Gal.* 6. 6,-9. *Jac.* 2. 13, 15. 16. *Hebr.* 13. 16.

Quarto denique *Vota*, quibus Deo liberi ad cultum suum promittebantur & dicabantur personæ, vel res: *Levit* 27. 2, *& seqq.* Exemplum personæ Deo dicatæ, vide 1 *Sam.* 1. 11, 22. &c. Sed frequenter in votis *redemtio* habebat locum, suspensa tamen ab æstimatione Sacerdotis: *Levit.* 27. 25. Sed חֵרֶם, quod speciali modo ex personis, aut rebus quibuscunque, Deo devotum erat, usibus humanis sic eximebatur, ut vendi aut redimi non posset: *Num.* 21. 2, 3. *Jos.* 6. 17, 18. 1 *Sam.* 15. 3. Sic in usus Ecclesiasticos, aliosque pios, liberaliter conferendum est ex iis, quæ largitus est Deus: 1 *Cor* 9. 7,-11, 13, 14. xvj. 2. *Gal.* 6. 6, 10. *Hebr.* 13. 16. Nec quæ sic donata sunt, injuste vel fraudulenter aliorsum intervertì debent: *Matth.* 22. 21. *Rom.* 2. 22. *Act.* 5. 1,-11.

XXXII. Agendum porro de *Locis sacris*. De his generatim vide *Exod.* 20. 24. *Levit.* 17. 2,-9. *Deut.* 12. 5.-xiv. 23. Speciatim vero jussu Dei, ad peragendum cultum sacrum, destinatum fuit primo *Tabernaculum*, ac deinde *Templum*.

Tabernaculum, pro ratione peregrinantium in deserto, mobile quidem & terrestre Sanctuarium fuit; sed tum conditionem peregrinantis in hisce terris Ecclesiæ; tum immobile, & cœleste illud Sanctuarium præfiguravit: *Exod.* 25. 8, . *Hebr.* 9. 1, &c.

Duæ vero *partes continentes* in eo potissimum spectandæ: *Tegumentum* videl. & *Tabulatum*. *Tegumentum* externum erat, & quidem triplex; sed ordinatum ad interna tegenda & protegenda: *Exod.* 26. 14. xxvij. 9. Sic Deus Ecclesiam suam, & singula ejus membra, protegit perpetuo: *Ies* 4. 5, 6. *Psal.* 27. 5.

Tabulatum constabat Asseribus & Transtillis, cum suis Stylobatis & Annulis: *Exod.* 26. 15,-. Artificiosa Tabernaculi coagmentatio Ecclesiam figurabat, per commissuras & compages suas congruenter unitam cum Christo capite suo per Spiritum intus agente: *Eph.* 4. 12, 13, 15. 16. iij. 16.

XXXIII. *Tabernaculum* bipertitum erat, in *Sanctum Sanctorum*, & *Sanctum*, intercedente *Velo*: *Exod.* 26. 33. *Hebr.* 9. 2, 3.

Velum opere artificiosissimo confectum, & Cherubinis erat refertum; atque ex quatuor columnis ligneis, sed auro obductis, suspensum: *Exod* 26. 31,-33. Sic Christus, cui inserviunt exercitus Angelici, majestatem suam vere Divinam humana carne quasi operiens, ad Deum & Cœlum viam nobis paravit: *Hebr.* 10. 19,-22. cum *Ies.* 6. 2, 3. *Ioh.* 1. 52. *Hebr.* 1, 6, 14.

Sanctum Sanctorum erat intra *Velum*, quo summus Sacerdos semel quotannis ingrediebatur *Exod.* 26. 33, 34. *Hebr.* 9. 3, 7. Hoc ipsum Cœlum figurabat, in quod Christus nostro bono semel ingressus est: *vers.* 11, 12; 24, 25. Erat autem in eo *Arca fœderis*, cui intus impositæ erant Tabulæ legis: *Exod.* 25. 16. *Hebr.* 9. 4. immisso superne *Operculo propitiatorio*: *Exod.* 25. 17. Sic Christus maledictionem Legis à fidelibus avertit, & jus Legis pro iis ipse adimplevit: *Rom.* 3. 25. viij. 1,

4. In

4. In extremitatibus Operculi erant duo *Cherubim*: *Exod.* 25 18, 20. è quorum medio Deus Mosen alloquebatur: *verſ.* 22. *Num.* 7. 89. Sic Deus in Chriſto, & per ipſum, ſuos docet ac regit: *Pſal* 80. 2. xcix, 1.

Eodem pertinebat *Thuribulum aureum*, inſerviens ſuffitui iſtic faciendo ad Propitiatorium: *Hebr.* 9. 4. *Levit.* 16. 12, 13. Sic interceſſio Chriſti in cœlis, & noſtræ preces in ejus nomine, figurabantur: *Apoc.* 8. 3,-5. Ad Arcam porro collocata fuit *Urna aurea*, mannam in ſe occultam habens; atque inſuper *virga Aharonis*, quæ germinaverat: *Hebr.* 9. 4. *Exod* 16. 33, 34, Sic Chriſtus ſuos ſpiritualiter & efficaciter alit ac regit: *Apoc* 2. 17. *Col.* 3. 1, 2, 3. 1 *Cor.* 10. 3.

Sanctum erat ante *Velum*; ubi Sacerdotes ordinarie ſacra peragebant: *Hebr.* 9. 2. Hoc Chriſti humanitatem adumbrabat; ac porro Eccleſiam myſticam; *verſ.* 11,-. Erat in eo *Altare ſuffitus*, e lignis Sittim, ex cujus angulis prominebant cornua auro puro obducta; *Exod* 30. 1, 2, 3. in quibus ſemel quotannis facienda erat expiatio, per ſanguinem ſacrificii pro peccato in die ſolennis expiationis: *verſ.* 10. Sic Chriſtus glorioſiſſime pro nobis comparet coram Patre, atque intercedit, virtutem ſanguinis atque oblationis ſuæ repræſentans: *Hebr.* 9. 24, &c. x, 14. Atque item *Menſa* è lignis Sittim, auro etiam obducta; cum vaſis aureis, & duodecim ſcutulis, &c. quibus imponebantur *Panes propoſitionis*. *Exod.* 25. 23, 29, 30. Ac tandem *Lychnuchus* aureus: *verſ.* 31, 37. Sic docebatur, Chriſtum, ſuis cibum & lucem eſſe, ad vitam æternam: *Pſal.* 23. 1, &c.

XXXIV. Erat inſuper *Atrium*, ipſum Tabernaculum ambiens; atque omnibus patens: *Exod.* 27. 9, &c. Sic notabatur externæ & viſibilis Eccleſiæ conditio: *Pſal.* 55. 15. *Apoc.* 11. 1, 2. In eo ſtabat ante portam Tabernaculi *Altare holocauſtorum*, e lignis Sittim confectum, ſed ære circumquaque obductum: *Exod.*

27. 1, 2. Sic Christi humanitas per Deitatem sustentata est, & digna effecta ad peragendam nostri cum Deo reconciliationem: *Hebr.* 5. 8, 9. & sic ipse prædicatur in Ecclesia visibili: *Tit.* 2 11, 12. Ac porro *Labrum æneum*; purgandis Sacerdotibus, Tabernaculum administrandum ingressuris, destinatum: *Exod.* 30. 18,-21. Sic non nisi sanguine & Spiritu Christi a peccatis abluti, ad Deum recte appropinquare possumus: *Hebr.* 10. 22. 1 *Joh.* 1. 6, 7.

XXXV. Succedit *Templum*; in quod ipsum Tabernaculum, post varias de loco in locum transportationis, cum Arca, tandem fuit illatum: 1 *Reg.* 8. 4 2 *Chron.* 5. 5. Templum illud a Salomone Rege pacifico, Hierosolymis in monte Moria, ubi fuerat area Ornanis Jebusæi, fuit exstructum: 2 *Chron.* 36. 14. 1, xxj, 22, 26,- 28. xxij, 1. De hujus figura & fabrica, atque instrumentis, vide 1 *Reg* vi. & vij. 2 *Chron.* iij. & iv. Hoc interim tenendum, quod Templum illud, & loci stabilitate, & ornatuum amplitudine, longe magnificentius fuerit Tabernaculo. Sic spirituale Ecclesiæ incrementum, plenitudo item & stabilitas, ac denque præstantia bonorum spiritualium in Christo, propius fuit adumbrata.

Veruntamen ad imperfectionem istius œconomiæ demonstrandam, Templum illud aliquoties expilatum; 1 *Reg.* 14. 25. 2 *Chron.* 24. 7. & profanatum; 2 *Chron* 33. 4, 5, 7. tandem a Chaldæis eversum; *Ezr.* 5. 12. & igne combustum est; 2 *Reg.* 25. 9. Post reditū tamen è captivitate Babylonica, Templum ex mandato Cyri denuo ædificatum; 2 *Chron.* 36. 22, 23. *Ezr.* 1. 2,- iij. 2,-. Sed structura ejus per malevolos primum impedita; iv. sub Dario & Artaxerxe deinceps continuata; vj. 1, 6,- 15. tandem fuit consummata; *ibid.* Sic nimirum Ecclesia per Euangelium erat restauranda: *Zach.* 6. 12, 13.

Stante Templo secundo Christus opus redemtionis

nis nostræ peragere debuit: *Hag.* 2. 8,-10. Sed posteaquam illud ab Antiocho Epiphane profanatum: *Dan.* 8, 11, &c. xj, 31. a Juda Maccabæo repurgatum; 1 *Macc.* 4. 43,- ab Herode Magno splendide restauratum fuit; tandem, juxta prophetiam *Dan.* 9. 26. & ipsius Christi prædictionen, *Matth.* 23. 38. xxiv, 2. à Tito Vespasiano penitus eversum est absque ulla spe restaurationis. Sic umbra cessavit, exhibito corpore: I*oh.* 1. 17. *Col* 2. 17. *Hebr.* 10. 1, 2.

XXXVI. Supersunt *Tempora sacra*, cultui œconomico V. T. specialiter dicata: horum quædam recurrebant quotannis, sive aliquoties, sive semel: quædam non nisi plurium annorum lapsu.

Aliquoties quotannis recurrebant primo *Dies*: Singulis enim diebus sua stata erant sacra: Juge scil. sacrificium agni anniculi in holocaustum, cum munere suo, tum mane tum iterum vesperi offerendum; iisdemque temporibus suffitus in Thymiaterio faciendus erat: *Num.* 28. 2,-8. xxix, 38,-42. xxx, 7, 8, 26. Sic jugis noster cultus Deo præstandus & acceptus est in Christo: R*om.* 12. 1.

Secundo *Sabbathum* sub V. T. hebdomadatim sancta quiete erat transigendum, & quidem ipso die a creatione septimo, duplicato tunc jugi sacrificio: *Num.* 28. 9, 10. Ita quò magis cultui Divino vacamus, eo debemus reconciliationem Christi meditari ardentius.

Tertio *Kalendæ*, seu N*eomeniæ*; quæ erant principia Mensium, cum denuo conspiceretur Luna post sui cum Sole conjunctionem. De speciali cultu tunc præscripto, vide N*um.* 28. 11,-15. Sic omnes menses & tempestates, per Christum nobis sanctificantur.

XXXVII. Semel quotannis recurrebant *Festa*: eaque vel magis, vel minus solennia; atque item *solennis dies expiationis*. Festa magis solennia erant, primo *Festum* P*aschatis*; quod celebrandum erat mense primo

mo anni ſacri, qui noſtro Martio potiſſimum reſpondet: atque huc pertinuit eſus Agni paſchalis, & Panum azymorum, atque item Dies Convocationis. Agnus paſchalis die decimo quarto, qui erat plenilunii, inter duas veſperas debuit jugulari; integer ad ignem aſſari; à perſonis mundis cum azymis & amaris herbis comedi; reliquiis, ſi quæ ſupereſſent in matutinum ſequens, igne combuſtis: *Exod.* 12. 2,-6, 8, 9. 10, 46. *Num.* 9. 1,-5. Sic commemorabatur egreſſus ex Ægypto; & fides eadem opera dirigebatur in Chriſtum, Agnum inculpatum: 1 *Petr.* 1, 19. tollentem peccata mundi: *Ioh.* 1. 29. cujus morte redemti è ſervitute ſpirituali in cœleſtem hæreditatem traducimur. Panes azymi, quibus per ſeptem dies veſcendum fuit, remoto ipſo primo die omni è domibus fermento, *Exod.* 12. 15. indicabant, ab omni perverſæ doctrinæ & iniquitatis fermento abſtinendum accurate: 1 *Cor.* 5. 6, -8. Per dies autem Convocationis, qui erant primus, & ſeptimus, ſive ultimus Paſchatis, quibus nullum opus, præter ciborum præparationem, permiſſum fuit: *Exod.* 12. 16. indigitabatur omnimoda, per initium & finem, totius vitæ noſtræ Deo conſecratio: 1 *Cor.* 5. 7.

Secundo *Feſtum ſeptimanarum*; de quo *Levit.* 23. 10, -14. Scilicet die decimo ſexto menſis primi afferendus erat ad Sacerdotem manipulus primitiarum, agitandus coram Jehovâ. Sic meſſis cerimonialiter ſanctificata, noſtri ſpiritualem ſanctificationem per Chriſtum figurabat. Exinde ſeptem numerandæ erant ſeptimanæ; poſtridie vero erat *Pentecoſte*: tunc novum munus adferri debuit Iehovæ in agitationem; de quo copioſe ibid. *verſ.* 15, -21. Sic videl. cum lætitia ſpirituali celebrare debuerunt memoriam liberationis ex Ægypto; ſimulque ſpiritualem liberationem per Chriſtum fide contemplari. *Deut.* 16. 10, 11, 12. *Hebr.* XI. 28, 29. 1 *Cor.* X. 1,-4.

Ter-

Tertio; *Feſtum Tabernaculorum* celebrandum erat die decimo quinto menſis ſeptimi: ac deinceps: agitanda tunc erat lætitia coram Iehova, per ſeptem dies continuos; & commemorandum, quomodo Iſraelitæ Ægyptum egreſſi habitaſſent in tabernaculis: *Levit.* 23. 34,-36;40,-43. *Nehem* 8.15,-19. De ſacrificiis & muneribus hujus Feſti vide *Num.* 29.12, *& ſeqq.* Sic Chriſtus, ejuſque vita humilis, σκήνωσις ἐν ἡμῖν, mors & redemtio, cum gaudio ſpirituali indeſinenter commemoranda: *Zach.* 14. 16, &c. *Ioh.* 1. 14.

XXXVIII. Minus ſolenne erat *Feſtum Tubarum*; primo die menſis ſeptimi, tubarum clangore, quiete, & ſancta convocatione tranſigendum: *Levit.* 23. 24, 25. De ſacrificiis hujus Feſti vide *Num.* 29. 2,-6. Sic autem continua ſpiritualis lætitia, & gratiarum actio, ſub Euangelio reſonare debent: *Ieſ.* 35. 1, 2, 10, *Phil.* 4.4 1 *Theſſal.* 5.16.

Supereſt *Solennis dies expiationis.* Decimo ſcil. die menſis ſeptimi, animæ ſtato & quieto jejunio erant affligendæ: *Levit.* 16, 29. 31. *Num.* 29. 7. oblatis ſacrificiis, ut in octavo Feſti tabernaculorum; & ordinato peculiari cultu ad ſanctuarium, tentorium conventus, altare, Sacerdotes, totumque populum, per Pontificem expiandos: *Levit* 16. 32,- 34. Sic omnes fideles per Chriſtum expiati ſunt, omniſque eorum ſanctificatio ex ipſo proficiſcitur: *Hebr.* 9.14. 1 *Ioh.* 2.2. *Tit.* 1.15

XXXIX. Plurium annorum lapſu recurrebant *Annus Sabbathicus*, & *Jubilæus*. *Ille* erat ſeptimus quiſq; indè ab introitu in terram Canaan, quo terra quievit, & omnis ejus cultus fuit intermiſſus: *Levit* 25. 4,- 7. Sic quies cœleſtis per Chriſtum adumbrabatur: *Hebr.* 4, 6, 11. *Col.* 3.1, 2.

Hic erat annus quiſque quinquageſimus, quo omnibus Tubarum clangore libertas promulgari, ſinguli ad hæreditates & familias ſuas reverti, & ſervi popu-

lares

lares manumitti consueverant: *Levit.* 25. 8,16; 27. 28. &c. Sic plena libertas per Christum parta, hæreditas cœlestis per eundem vindicata, & Euangelio promulgata, figurabatur: *Ies.* 61. 1,- 4. *Luc.* 4. 17,- 21.

Sed neque prætereundum, quod ipse *status Israelitarum politicus*, à Deo peculiaribus quibusdam legibus speciatim ordinatus ac munitus, spiritualem & beatum Ecclesiæ statum, in communione Christi, figurarit: *Eph.* 2. 12, 13, 14; 19,- 22. *Hebr.* 12, 22,- 24. 1 *Petr.* 2. 9, 10.

XL. Sic satis de œconomia V. T. Succedit *œconomia* N. T. quam ejusdem essentialiter Fœderis ac Testamenti esse cum Veteri, probavimus nuper. Notandum interim *discrimen aliquod accidentale*, *tum* ratione temporis, *tum* respectu qualitatis & quantitatis:

Ratione temporis: quia sub V. T. Messias credebatur exhibendus; unde vota fidelium, *Utinam lacerans cælos descenderes!* *Ies* 64. 1. *O si quis daret te fratrem esse mihi, sugentem ubera matris meæ!* *Cant.* 8. 1. & similia; virtute fidei & infallibili promissionum Divinarum certitudine interim sustentata: *Ies.* 9. 5. At sub N. T. prædicatur Messias exhibitus. Confer Historias Euangelicas.

XLI. R*atione qualitatis*, *Claritas* sub N. T. longe major est, quam sub V. Tunc enim obtinuit *umbra*; nunc sub N. *ipsum corpus*: *Col.* 2. 17. & *expressa forma rerum*: *Hebr.* 10. 1. Illic fideles *promissa eminus* tantum fuere *conspicati*; hic *adepti*: *Hebr.* XI. 13. atque adeo in universum doctrina Euangelica sub N. T. & Verbo clarius explanatur, & signis expressius confirmatur in ordine ad intellectum nostrum; quam olim sub V. 2 *Cor.* 3. 11.- 13.

Libertas nunc etiam major est: primo enim sub V. T. Fœdus Legale rigide identidem fuit inculcatum, nec consolationibus Euangelicis tam clare ac suavi-

 ter

ter temperatum; ac proinde populus quadam servitutis specie detinebatur. At sub N. T. ipsum Euangelium clarius prædicatur; gratia tum sanctificationis, tum adoptionis major est, atque adeo major libertas. *Hebr.* 8. 8,-10. &c. *Ierem.* 31. 31, &c. *Gal.* 3. 24, 26. Deinde sub V. T. obtinuit *jugum* istud Legis Cerimonialis, onerosum & grave. Sed totum hoc in N. T. omnino sublatum est. unde Paulus, *Gal.* 5.1,2,3. *In libertate igitur, qua Christus nos liberavit, perstate; & ne regredientes implicamini servitutis jugo,* &c. Vide etiam *Act.* 15 10.

XLII. R*atione quantitatis*, primo *intensive* sub N. T. dona gratiæ sunt insigniora; & efficacior ordinarie per Spiritum est applicatio, quam sub V. Unde illa oppositio *Literæ*, & *Spiritus*; *ministerii condemnationis* ac *mortis*, & *justitiæ* ac *vitæ*, quatenus tunc Spiritus se parcius exerebat ad justitiam & vitam: 2 *Cor.* 3. 6,-9; 18.

Deinde *extensive*, respectu *locorum* & *gentium*, de qua restrictione sub V. T. *Psal.* 147. 19,20. *Indicat verba sua* Iacobo, *statuta & jura sua Israeli. Non fecit ita ulli genti*, &c. Confer *Eph.* 2. 13. *Vos qui olim eratis longinqui, propinqui facti estis.*-. Adde *Gal.* 3. 28. *Ioh.* 4. 21, 23. Nec non respectu *temporis*; quatenus œconomia V. T. juxta prophetiam *Dan.* 9. 24,27. abolenda, & novum pactum veteri erat successurum: ita ut vetus pactum per novum istud prorsus sit antiquatum: *Hebr.* 8. 7. & seqq. œconomia vero N. T. ad consummationem sæculi duratura: *Matth.* 28. 19, 20. Quapropter & hæc postrema tempora dicuntur: *Act.* 2. 17. 1 *Tim.* 4. 1. 1 *Ioh.* 2. 18. cum post hac non alia doctrina, non alia œconomia, expectari debeat.

XLIII. Atque ita asserimus contra Judæos; 1. Messiam dudum venisse; & quæ in terris erant peragenda omnia consummasse. 2. Gentiles ad salutarem ejus communionem etiam vocatos. & 3. Oeconomiam

miam V. T. carnalem & umbraticam, hac œconomia N. T. magis ſpirituali & glorioſa eſſe permutatam.

Primo Adventum Meſſiæ jamdudum præteriiſſe, probamus; 1. Ex ſtatu Judæorum politico: Sic *Gen.* 49. 10. *Non recedet Sceptrum à Iuda, nec Legiſlator de medio pedum ejus uſque dum venerit Schiloh; & ipſi obedientia populorum.* Vaticinium illud de Meſſia exponendum, ex ipſo verborum contextu cuilibet obvium eſt; atque adeo cum Tempus adventui Meſſiæ deſtinatu præciſe aſſignetur, omniſque poteſtas, tum Regum, tum Ducalis, & Legiſlatoria penens tribum Judæ manſura dicatur, donec veniret Meſſias, Rex ille ſpiritualis, cui omnes populi in fide eſſent parituri; jam autem omnis poteſtas a gente Judaica dudum ſit ſublata; ipſum Meſſiam dudum veniſſe, neceſſum eſt. Adde Prophetias, 2 *Sam.* 7. 15, 16. *Pſal.* 89. 4, 5, 30 36, 37. *Ier.* 33. 17, 20, 21, 22. 2 Reg. 8. 19. *Ieſ.* 9. 5, 6.

2 Ex ſtatu Judæorum Eccleſiaſtico: *Hag.* 2. 7, - 10. - *Adhuc puſillum illud eſt; & commoturus ſum cœlos, & omnes gentes, ut veniant ad deſiderium omnium gentium: implebo hanc domum gloria. - Meum eſt argentum, & meum eſt aurum. - Major futura eſt gloria domus hujus poſterioris quam illius prioris: - nam in loco hoc dabo pacem,* &c. Agitur ibi de Templo poſteriore, cui præ priore, & quidem brevi major gloria promittitur; non quæ conſiſteret in auro, argento, &c. ſed in pace; eaque non corporali, quæ durante Templo ſecundo non fuit valde inſignis; ſed ſpirituali: quo ſenſu ipſe Meſſias appellatur, *Princeps pacis*; *Ieſ.* 9 6. qui proinde venturus debuit intelligi ſtante adhuc Templo ſecundo. Cum autem Templum illud ſecundum ſit everſum, conſequens eſt & ipſum Meſſiam dudum veniſſe.

Similiter *Mal.* 3. 1. *Ecce, Ego miſſurus ſum Angelum meum, qui expediat viam ante me: & repente veniet in Templum ſuum Dominus, quem vos quæritis; & Angelus fœderis, quo vos delectamini. Ecce venturus eſt!* atque

iterum IV. 5. Ecce Ego *missurus sum vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Iehovæ maximus & reverendus*. Scil. mittendus erat Messias, Dominus cujus erat Templum, Angelus ille fœderis, cujus præcursor Elias; atque ille confestim expectabatur, brevi mittendus ad Templum. Sic illum quasi advenientem demonstravit postremus Propheta; cujus finem, Euangelii sui principium fecit *Marcus*, 1. 1, 2.

3. Ex illustri vaticinio, *Dan.* 9. 24,- 27, ubi uterque status, & utriusque excisio, diserte proponitur; ac simul definitum tempus exprimitur, quo venire debuit Messias. Sic autem habet textus; *Septimanæ septuaginta decisæ sunt super populum tuum, & super civitatem sanctam tuam, ad cohibendum defectionem, & ad obsignandum peccata, & ad expiandum iniquitatem & ad adducendum justitiam perpetuam, & ad obsignandum visionem ac prophetam, & ad ungendum Sanctum sanctorum. Igitur cognoscito, & intelligito, ab enunciatione verbi de reducendo* populo, *& de ædificandis Hierosolymis, usque ad Messiam antecessorem, fore septimanas septem; deinde septimanas sexaginta duas.- Post septimanas autem illas sexaginta duas excidetur Messias; sed non propter se.-Corroborabit vero multis Fœdus septimana una: dimidio autem septimanæ abolebit sacrificium, & munus,* &c. De Messia agi, palàm est ex aperta ejus designatione, *vers.* 24. & 26. quin imo talia de eo commemorantur, *vers.* 24. quæ non possunt nisi Messiæ competere. Et quidem illa omnia evenire debuerunt intra 70. hebdomadas à restauratione populi & urbis tunc facienda, ad ultimam utriusque excisionem. Hebdomadas autem annorum hoc loco intelligendas esse, (de quibus etiam *Levit.* 25. 8.) plus quam manifestum est: undè consequenter summa conficitur annorum 490. Cum vero tempus illud, & multa insuper sæcula dudum præterierint, rursum colligimus, Messiam quoque dudum venisse.

Addi-

Addimus propter affinitatem: *Dan.* 2. 44, 45. *In diebus* Regum *istorum, suscitabit Deus cœli* Regnum, *quod in sæcula non destruetur; & Regnum ipsum populo alieno non relinquetur: comminuet, & consummabit omnia illa regna; ipsum autem persistet in sæcula. Quandoquidem vidisti è monte exscindi Lapidem, qui non est in ullis manibus*, &c. Messiæ regnum hic necessario intelligenduum est: nullum enim aliud tam perpetuum & constans datur; nec alii, illud de Lapide, sine manibus exciso, potest applicari. Confer *Ies.* 28. 16. *Psal.* 118. 21, 22. Illud autem suscitandum dicitur in diebus Regum istorum, Ægypti sc. & Asiæ minoris; Seleucidarum & Lagidarum. Confer *Dan.* xj. 4. ij. 41, 42, 43. viij. 21. 22, 23. Cum vero priora illa regna non solum a Romanis devicta & occupata sint, sed & ipsum illud Romanum imperium dudum occiderit; consequens est, & ipsum Messiam dudum venisse.

4. Ex quibusdam circumstantiis, ut quod nasci debuerit Bethlehemæ, in oppido Iudæ: *Mich.* 5. 1, 2. ex semine Abrahami, Isaaci, & Iacobi; *Gen.* 22. 18. tribu autem Iudæ; 49. 8, 10. & quidem ex familia Davidis; *Jes.* xi. 1. &c. 2 *Sam.* 7. 22. *Psal.* 132, 10, 11. cujus nomine Messias frequenter insignitur; *Ierem.* 30. 9. *Hos.* 3. 5. & alibi. Sed cum oppidum illud jampridem fuerit desolatum ac dirutum; & tota gentis Iudaicæ politia prorsus eversa, personis omnino dispersis, & distinctionibus tribuum ac familiarum penitus sublatis, evidens est Messiam jam venisse; & frustra venturum à Iudæis expectari.

His addi possunt nonnulla ad hominem ex propriis *Iudæorum* sententiis, & opinionibus de Adventu Messiæ.

XLIV. *Obj.* 1. Elias nondum venit, qui Messiæ viam parare debuit: *Mal.* 4. 5. *Resp.* Elias dudum venit: non quidem Thisbites ille; sed alter, ejus spiritû & virtute; Johannes Baptista; *Luc.* 1. 17. cum *Matth.* xi. 14. xvij. 12.

 Obj.

Obj. 2. Hactenus mons Tzionis non est exaltatus; nec obtigit illa pax, de qua *Jes.* 2. 2, 3, 4. *Resp.* Locus ille allegorice de illustri Ecclesiæ statu sub N. T. accipiendus est; cujus gloria potissimum consisteret in vocatione Gentium, pace spirituali, & mysticâ sanctorum communione

Obj. 3. *Zach.* 6. 12, 15. Templum à Messiâ exstruendum dicitur; quod non factum. Ergo. *Resp.* Imo Templum spirituale, ex Judæis & Gentibus collectum est, & porro colligitur: 1 *Petr.* 2. 4. 5.

XLV. Vocationem Gentium prædixit 1 Moses: *Gen.* 49. 10. istic enim adventui Schilonis adjungitur obedientia populorum. Et jam ante, ix. 27. *Alliciet Deus Iaphetum, ut habitet in tentorijs Schemi.* Iterum *Deut.* 32. 21. *Ad zelotypiam commovebo eos, per eum qui non est populus; per gentem stultam provocabo eos.* 43. *Cantate Gentes, & Populus ejus!* Confer *Rom.* 10. 19. xv. 10.

2. Probatur ea ex *Psalmis*; ij. 8, - *Donabo gentes in possessionem tuam, & fines terræ jus possessionis tuæ.* lxxij. 8, - 11. *Dominabitur à mari uno ad alterum, & à flumine quaqua* sunt *fines terræ. Coram eo honorem exhibèntes incurvabunt se barbari. - Omnes gentes servient ei.* Adde xxij. 28. lxvij. 3, - 6. &c.

3. Ex Prophetis; *Ies.* 2, 2, 3, 4. *Erit ergo ultimis temporibus, ubi constitutus fuerit mons domus Iehovæ in vertice aliorum montium; - ut confluant ad eum omnes gentes, - dicentes; Venite, ut ascendamus in montem* Iehovæ; *ut doceat nos de viis suis,* &c. xj. 10: *Erit etiam tempore illo, ut ad eum qui è radice Isaï stabit in signum populorum, gentes consulturæ veniant,* &c. Vide insuper *Ierem.* 7. 19, - 21. *Dan.* 7. 13, 14. *Hos.* 1, 10, - 12. *Ioel.* 2. 28. Confer *Rom.* 4. 11, 12. 21. Complementum illustre habemus in orbe Christiano, si consideretur, qui olim obtinuit, Gentilismus. Hinc de Ministris Euangelii, *Rom.* 10. 18. *in omnem terram exivit sonus eorum; & ad ultima*

ma orbis terrarum verba eorum : juxta mandatum Servatoris, *Matth.* 28. 19. *Ite, & docete omnes gentes*, &c. Confer *Col.* 1:28. *Rom.* 4. 9,-12,16, & seqq.

Obj. Nondum omnes Gentiles conversi sunt; & multi à Christo defecerunt ad Muhammedismum, aliasque hæreses, errores, & schismata. *Resp* : Sufficit, si multi ex iis olim fuerint conversi, aut hodie etiamnum convertantur; atque ita illi adducantur, & conserventur efficaciter, qui ex Dei proposito ad istam gratiæ communionem vere pertinent.

XLVI. *Tertio*, Permutationem œconomiæ V. T. in Oeconomiam N. magis spiritualem & gloriosam, sive abrogationem cultus cerimonialis typici V. T. & exhibitionem ipsius corporis in N. quod utique eminentiorem œconomiæ nostræ statum haud obscure indigitat, asserimus; 1. Ex diserta prophetia, *Dan.* 9. 24,-27. ubi cum morte Messiæ conjungitur consequens urbis Hierosolymitanæ excidium; atque adeo actualis abrogatio sacrificiorum legalium, reliquique cultus cerimonialis; cujus illa erat metropolis.

2. Ex imperfecta ratione typica. Typis enim non potest competere ipsa virtus & efficacia rerum signatarum: ac proinde in iis non est subsistendum. Hinc ipse Christus ad Patrem suum, *Psal.* 40. 7,-9. *Sacrificio & munere non es delectatus; holocaustum & oblationem pro peccato non expetivisti. Tum dixi; Ecce, venio facere voluntatem tuam, Deus mi!* Sic per sacrificia, & cultum cerimonialem, qui obtinuit sub V. T. salutis nostræ negotium confici non potuit; sed veritas in Christo debuit compleri; & exhibito corpore sub N. T. umbram oportuit cessare. Confer *Exod.* 25. 40. cum *Hebr.* 8. 5.

3. Ex restrictione Legis cerimonialis; ad unum populum, certam terram, & definitam metropolim: ita *Circumcisio* restringitur ad *Abrahamum*; ejusque *posteros, per ætates*, vel *generationes suas*; & quidem addi-

ra promissione de inhabitanda *terra Canaan*: *Gen* 17. 7, 8. 9. Idem quoque de Sacerdotio dicitur, *Levit*. 7. 36. Confer xxiv. 3. *Deut*. 4. 5, 14. vj. 1. xj. 31, 32. & alia. Cum igitur populus iste non posset amplius constituere distinctam politiam, & gentes etiam remotissimæ ad eandem religionis & gratiæ salutaris societatem essent adducendæ: quod sub N. T. factum; omnes certe in unam urbem, ad unum Templum, aliquoties convenire quotannis non potuerunt: atque adeo necessum est, ut cultus isti tantum populo, loco, & tempori peculiaris, cessarit.

4. Ex conditione Novi Fœderis; *Jer*. 31. 31. &c. cum *Hebr*. 8. 7, &c. ubi vero *Novum* promittitur, idque magis spirituale, antiquatio & abrogatio prioris indicatur. Sceptrum & Legistator istius œconomiæ tolli debuerunt: *Gen*. 49, 10. Messias, maximus Propheta, audiri debuit: *Deut*. 18. 15. *Psal*. 2. 7, 10. Idem Sacerdos esse debuit, ordinis diversi ab Aharonico: *Psal*. 110. 4. Per eundem assumendi Sacerdotes & Levitæ ex quacunque gente, ad Sacrificia alia spiritualia; *Ies*. 66. 20, 21. Confer *Zach*. 14. 20, 21. *Mal*. 1. 11. *Ies*. 19. 18, 19. *Ierem*. 3. 19. xvj. 14. Atque ita factum re ipsa: Abrogatum est sacerdotium Leviticum, & simul tota Lex cerimonialis: *Hebr*. 7. 12, 18, 19, 24. viij. 7, &c. ix, 9. x, 1, 9, 10, 18. *Act*. 15. 1, 5, 10. *Gal*. 2. 18. iv. 5. v. 1.-5. *Col*. 2. 14. Nominatim loca & tempora cerimonialiter sacra; *Ioh*. 4. 21, 23. *Rom*. 14. 5, 6. *Gal*. 4. 10, 11. *Col*. 2. 16, 17. Discrimen nationum, & ciborum; *Act*. 10, 13, 15, *Rom*. 14, 2, 14. 17. Atque item Circumcisio; *Gal*. 2. 3, 4. v. 3, 4.

Idem dicendum de Lege Forensi Mosaica, quatenus ea isti populo in ista terra fuit præscripta, imo ipsius Legis cerimonialis quodammodo pars fuit & vinculum. Sic ergo Sceptrum, & Legislator, & Politia post adventum Messiæ tolli, alia vero conditio perfectior & spiritualior succedere, debuit.

XLVII. *Obj.* 1. Lex Dei perfecta: *Psal.* 19. 8. cui nihil addendum, vel demendum: *Deut.* 4. 2. xij. 32. Ergô nec Cerimonialis, aut Politica, debuit abrogari. *Resp.* Toti S. Scripturæ perfectio sua competit integraliter, & singulis ejus partibus analogice partialiter: sed indè non sequitur, quod singula contenta omnes & singulos, ubique & semper, obligent ad observantiam. Lex enim cerimonialis & forensis, obligarunt solum ad terminum sui complementi; Moralis in perpetuum.

Obj. 2. Lex cerimonialis aliquoties dicitur observari debuisse לְעוֹלָם, *Resp.* Vox illa non semper absolutam æternitatem notat; sed aliquando durationem tantum ad terminum quem communem in isto rerum genere: *Exod.* 21. 6. 1 *Sam.* 1. 22. *Psal.* 61. 5. *Jes.* 32. 14. *Jerem.* 5. 22. *Mal.* 3. 4. Unde frequenter adjungi solet limitatio. *Ad generationes istius populi.*

Obj. 3. Ipse Jesus professus est, se non venisse ut Legem solveret, sed ut eam impleret; *Matth.* 5. 17. *Resp.* Recte: implevit Legem, tum Cerimonialem, cujus veritas & complementum in ipso fuit; tum Moralem, universam ejus obedientiam consummando, à corruptelis humanis eam vindicando, & ut perpetuam vitæ normam puritati suæ restituendo.

XLVIII. Pro *Praxi*; 1. Summam ipsius Dei & Mediatoris nostri φιλανθρωπίαν, in hoc Fœdere gratiæ demonstratam pie agnoscamus: 1 *Joh.* 4. 9, 10. 2 *Cor.* 5. 14, 15. 1 *Petr.* 2. 9.

2. Internæ hujus Fœderis communioni serio studeamus: 1 *Joh.* 1. 3.

3. Euangelium, quo Fœdus istud annunciatur, maximi semper faciamus: *Rom.* 1. 16. x, 8, 17. 1 *Cor.* 2, 2.

4. Felicitatem hujus Oeconomiæ, tum claritate, tum libertate, tum etiam amplitudine sua, præ veteri apprime commendabilem, prudenter æstimemus: 2 *Cor.* 3. 18. *Gal.* 5. 1, 13.

5. In hâc majori gratiæ intensione, quæ nunc obtinet, ejusdemque ampliori extensione, non tantum de propria nostra salute, sed & aliorum conversione, sedulo laboremus: 2 *Petr.* 1. 5,-8. *Phil.* 2. 12. 1 *Thess.* 5. 11. *Hebr.* x. 24.

CAP. XII.

De Christo Mediatore.

מָשִׁיחַ Χριστός. *Unctio* ista. *Christiani.* 1. *Jesus.* Minoritarum *Jesus typicus. Iesuitæ.* Istud *nomen* non prosequendum *cultu adorationis. Object.* solv. Neque ipsum chartæ inscriptum, haberi debet pro *remedio adversus pestem*, &c. *Nazarenus.* 2. *Descriptio* Jesu Christi Mediatoris. 3. Debuit esse *Deus & Homo.* 4. *Duæ naturæ* sæpius *conjunctim* proponuntur in SS. Literis. *Natura Divina.* 5. *Naturæ humanæ veritas.* 6. *Ortus causa efficiens prima.* 7. *Principium ex quo*; c. *Anabapt.* 8. *Objectiones* solv. 9. Sententia *Socini.* Corporis *conformatio.* 10. *Maria Virgo.* solv. Non *vovit* perpetuam virginitatem; c. *Pontif.* 11. Duarum naturarum *unio hypostatica.* 12. *Unitas personæ.* 13. Sententiæ *Nestorianorum. Eutychianorum. Monotheletarum.* 14 *Objectiones* solv. 15. Nulla *mutatio* Deitatis. *Patripassiani.* Non *mutatio* personæ τοῦ Λόγου. In Humanitate *Gratia unionis personalis. Charismata.* 16. *Sanctitas* & *impeccabilitas. Obj.* solv. 17. *Sapientia. Potentia.* 18. In personâ, *Gratia muneris Mediatorii. Communicatio idiomatum* in *esse reali*, in *modo prædicandi.* 19. Sententia *Lutheranorum. Obj.* solv. 20. *Omnipræsentia* non competit humanæ naturæ. *Obj.* solv. 21. Nec *Omniscientia.* aut *Virtus vivificandi*

candi. Potestas remittendi peccata. Majestas, & Gloria Divina. 22. *Communio apotelesmatum.* 23. *Officium* *Christi.* *Mediator.* Etiam *apud Deum pro hominibus; reconciliationem* vere peragens. 24. *Objectiones* solv. 25. Mediator *secundum utramque naturam*; c. *Pontif.* *Socin.* &c. 26. Non *Angelorum.* *Obj.* solv. 27. Factus statim *post lapsum.* 28. *Unus*; c. *Pontif.* 29. *Sponsor* noster. *Obj.* solv. 30. *Redemtor.* 31. *Exc.* & *Obj.* solv. 32. *Salvator, verus*; *perfectus*; *unicus. Obj.* solv. 33. *Unctus. Propheta. Sacerdos. Rex.* Plenissimè *opitulatur* necessitatibus nostris. *Ordo* istorum̃ munerum. 34. Munus *Propheticum.* 35. Ejus *perfectio. Fidelitas. Efficacia. Modi.* 36. Munus *Sacerdotale* verum ac proprie dictum; c. *Socin. Obj.* solv. 37. Ejus *typi.* 38. *Summus Sacerdos V. T. Melchizedek.* 39. *Oblatio* Christi. 40. *Unica*; in cruce: c. *Socin. Obj.* solv. 41. *Sententia* *Pontif.* *Crux* non altare proprie. 42. Oblationis *effectus.* Non obtulit etiam *pro seipso*; c. *Socin.* 43. *Intercessio.* Hæc *Christo propria.* 44. *Munus Regium. spirituale.* Pluribus modis *universale*; sed cum *discrimine* 45. Ejus *actus.* 46. Istud Regnum *Christo proprium.* 47. *Status* Christi *incarnandi. Incarnati. Humiliationis.* 48. *Nativitas.* Non facto *clauso utero* c. *Pontif.* & *Luther. Obj.* solv. 49. *Vita privata. Paupertas. Humilitas. Subjectio ad Legem Dei. Circumcisio. Præsentatio coram Domino.* 50. *Vita publica.* Ejus *initiatio.* Non *raptus in cœlum*: c. *Socin. Obj.* solv. 51. *Peractio. Paupertas.* Non *Mendicitas*: c. *Pontif. Conclusio.* 52. *Mors. Actus.* 53. *Inchoatio mortis spiri-*

ſpiritualis. Moderatio. *Inchoatio mortis corporalis. Mitigatio.* 54. *Conſummatio mortis ſpiritualis. Deſcenſus ad inferos.* Chriſtus vere *paſſus in anima rationali*: c. *Pontif.* 55. *Conſummatio mortis corporalis. Sepultura.* 56. Non *deſcendit* proprie ad *limbum infernalem*; c. *Pontif. Obj.* ſolv. 57. *Fines* humiliationis iſtius. 58. Status *Exaltationis.* 59. *Reſurrectio.* Ejus *actus* duplex. *Prædicta.* Facta *virtute Divina*: etiam ipſius *Chriſti. Fines* ejus. Quomodo *comprobata.* 60. *Aſcenſio in Cœlum. Subjectum. Termini. Modus. Tempus. Prædicta. Cauſa efficiens. Fines.* 61. *Ratio ordinis. Teſtes.* 62. Non *omnipræſentia* Chriſti ſecundum humanam naturam; c. *Luther.* nec *multipræſentia*; c. *Pontif. Obj.* ſolv. 63. *Seſſio ad dextram Dei.* 64. *Cauſa* ejus *efficiens. Fines.* 65. Male *Lutherani* inde colligunt *ubiquitatem* Chriſti ſecundum humanam naturam. Et *Socin.* Chriſtum per eam factum eſſe *Filium Dei*, &c. 66. Jeſus Chriſtus eſt *verus Meſſias*: c. *Jud. Obj.* ſolv. 67. *Praxis.* 68.

I. M*Ediator* Fœderis Euangelici Hebraice frequenter מָשִׁיחַ appellatur; h. e. *Unctus*: à rad. מָשַׁח, utpote peculiari quadam ratione præ conſortibus ſuis unctus; *Pſal.* 45. 8. & à Patre ſuo, ad negotium ſalutis nobis impetrandæ & applicandæ unicè deſignatus. *Act.* 4. 12. Cæteroquin nomen illud laxiore ſignificatu aliis etiam commune eſt: ut 1 *Sam.* 24. 7. 2, I, 21. *Pſal.* 105. 15. In N. T. Μεσσίας dicitur; quod Græcè redditur nomine idem ſignificante, Χριςὸς, à verbo χρίω, *Ungo*; *Joh.* 1. 42. IV, 25.

De

De Unctione illa vide specialius *Jes.* 61. 1. *Psal.* 2. 6. *Act.* 4. 27. quæ cum in omnia & singula ejusdem Corporis mystici membra à Capite quodammodo dimanet, juxta locum 1 *Joh.* 2. 27 *Unctio, quam vos accepistis ab* Eo, *manet in vobis*, &c. nihil mirum ab ista unione, & spiritualis chrismatis communione cum *Christo*, fideles denominari *Christianos*; qui titulus Antiochiæ primum usurpatus: *Act.* xi. 26. & deinceps alibi quoque frequentatus; xxvj, 28. 1 *Petr.* 4. 15, 16. ad nos tandem pari ratione traductus est.

II. Nomen proprium, ab ipso Deo per Angelum ei impositum, est Ἰησοῦς, *Jesus*, à rad. ישע quod in Hiph. הוֹשִׁיעַ, *Salvum fecit, Liberavit*. Atque hinc *Matth.* 1. 21. *Vocabis nomen ejus* Jesum: *Ipse enim liberabit populum suum ex peccatis ipsius*. Sic *Jesus* idem valet, quod *Servator*.

Ac proindè non nisi blasphemè inter *Pontificios*, Minoritæ, Franciscum suum *Jesum typicum* appellant; quemadmodum & Loyolitæ sectam suam vocant *Societatem* Jesu, & *Jesuitas*: plures enim Servatores, aut Servatoris socios, Scriptura prorsus ignorat; quin imò Servator de se, *Jes.* 63. 3. *Torcular calcavi solus; nam ex populis nullus vir mecum.* & *vers.* 5. *Quum intuerer, nullum esse adjutorem*, &c.

Perperàm eidem Nomini tribuitur singularis quædam sanctitas; cujus gratia ipsum auditû perceptum, identidem cultu adorationis esset prosequendum: cultus ille non nisi personæ debetur; Nomen autem signis accensendum est. Neque istud nomen dicendum magis sanctum, quam יְהוָה, aliavè similia.

Obj. Phil. 2. 10. *Ut in nomine Iesu omne genu se flectat*, &c. *Resp.* Id metonymicè de personâ intelligendum; ut *Act.* 4. 12.

Nec minus absurde nomen *Iesu* chartæ inscriptum, vel insuper additis nominibus *Mariæ* & *Annæ*, ex collo suspenditur, aut valvis affigitur, &c. tanquam pro-

prophylacticon adversus pestem, aliave mala, &c.

Nomini *Iesu* frequenter additur agnomen *Nazareni*: *Marc.* x. 47. *Luc.* 18. 37. & alibi: de cujus origine vide *Matth.* 2. 21, -23. cum *Ies.* xi. 1.

III. *Iesus Christus Mediator* est secunda Essentiæ Divinæ Persona, quæ Naturam vere humanam ex substantia Virginis Mariæ, quantum ad Corpus attinet, in plenitudine temporis assumsit, eamque sibi univit hypostatice; ad opus redemtionis & salutis nostræ peragendum. *Joh.* 1. 14. *Sermo ille factus est caro.* 1 *Tim.* iij. 16 *Deus conspicuus factus est in carne.* *Gal.* 4. 4, 5. *Postquam venit plenum tempus, emisit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum Legi subjectum; ut eos, qui Legi subjecti erant, redimeret.*

IV. Mediator noster omnino Θεάνθρωπος esse debuit, h. e. Deus & Homo in una Persona; ut esset verus ille עִמָּנוּאֵל, *Jes.* 7. 14. & utriusque naturæ, tum Divinæ, tum humanæ particeps, quæ apud Deum & Homines erant peragenda, vere expediret. *Hebr.* 5. 1. 1 *Tim.* 2. 5, 6.

Homo ut esset, requirebat ipsa Dei Justitia; quæ peccatum punire noluit, nisi in ea natura quæ peccasset: *Gen.* 2. 17. Redemtor igitur, & Vindex noster futurus, nobis conjunctissimus, & quidem per omnia similis, fieri debuit: *Hebr.* 2. 14. 17. excepto tamen peccato: iv, 15. Nam cum ipse peccator ne quidem pro se possit satisfacere; *Psal.* 130. 3. nedum pro aliis; xlix, 8. consequens est, ut Vas, & Sponsor noster factus; & ipsemet Legi subjectus, sanctus esset ac justus: *Hebr.* 7. 26, 27. ut nos ab execratione Legis redimeret: *Gal.* 3. 13. atque omnem obedientiam Legi debitam, ad jota & apicem unum, præstaret: *Matth.* 5. 17. iij. 15. Sic ille pro peccatis pati debuit, justus pro injustis, &c. 1 *Petr.* 3. 18. *Rom.* 5. 19. viij. 3, 4. 2 *Cor.* 5. 21. Hinc Filius Dei non Angelos assumsit, sed semen Abrahæ: *Hebr.* 2. 16. ut & Is qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno sint omnes: *vers.* 11.

Deus ut esset, requirebat, tum salutis Impetratio, tum ejusdem Applicatio. *Impetratio* quidem: Nam infiniti valoris satisfactio pro reatu præstanda. Sacerdotem, Sacrificium, & Intercessionem immensæ dignitatis ac meriti postulabat: neque enim aliter infinitæ Majestatis offensa poterat expiari, quam ejus sanguine, qui esset infinitus: *Act.* 20. 28. non aliter ira Patris placari, quàm ejus reconciliatione, qui esset Filius dilectissimus: *Rom.* 5. 10. non aliter potestas Satanæ & mortis aboleri, quàm ab eo, qui omnibus Diabolis potentior, mortis potestatem & imperium vere haberet: *Hebr.* 2. 15. cum *Apoc.* 1, 18.

Atque item *Applicatio*: Nam & illa potentiam requirebat infinitam; cum non alius nos efficaciter ad imaginem Dei potuerit restaurare, nisi qui esset imago Dei invisibilis: *Col.* 1. 15. non alius nos Dei filios facere, nisi qui esset Filius Dei naturalis: *Hebr.* 1. 3. non alius justitiam nobis donare, nisi qui esset Jehovah justitia nostra: *Jerem.* 23. 6. non alius Spiritum conferre, nisi is à quo Ille procedit: *Joh.* 15. 26. nec alius vitam æternam nobis dare, nisi qui esset ipsa vita: *Ioh.* 14. 6.

V. Hinc etiam duæ istæ Naturæ toties conjunctim proponuntur: ut *Jes.* 9. 5. - *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis; - cujus nomen - Deus fortis robustissimus, Pater æternitatis*, &c. *Mich.* 5. 1. *Tu, Bethlehem Ephratæ, - ex te Mihi prodibit, futurus dominator in Israele; cujus exortus inde à principio, à diebus sæculi* sunt. *Joh* 1. 14. *Sermo ille factus est Caro; & spectavimus gloriam ejus, gloriam ut* Unigeniti *à* Patre. *Rom.* 1. 3, 4. *De Filio suo facto ex semine Davidis secundum carnem, declarato Filio* Dei *potenter*, - . ix. 5. - *Ex quibus est Christus, quod ad carnem attinet; qui est supra omnes Deus benedictus in sæcula.* Adde *Act.* 20. 28. 1 *Tim.* 3. 16. *Tit.* 2. 13, 14. *Hebr.* 1. 3. ix. 14. 1 *Petr.* 3. 18.

Sed

Sed distincte considerandæ veniunt *Duæ* illæ *naturæ*, & earum *Unio hypostatica*. Prior *natura* est *Divina*, re ipsa quidem communis tribus Personis; at hic spectanda prout subsistit secundâ personalitate, τȣ̃ Λόγȣ. De ea autem egimus, quantum satis est, *cap.* 5. th. 11, 16. Altera est *Natura humana*; cujus tum *veritatem*, tum *ortum* exponemus.

VI. *Veritatem* Scriptura docet; *Hominem* appellando; *Joh.* 8. 40. *Rom.* 5. 15. 1 *Tim.* 2. 5. Item *Virum*; *Act.* 17. 31. *Jes.* 53. 3. & *Filium hominis*; *Matth.* 8. 20. IX. 6. & passim. Unde etiam *alter Adamus* dicitur; 1 *Cor.* 15. 45. Quin imo partes *Hominis essentiales*, Animam & Corpus, cum suis *Affectionibus*, ei tribuendo.

Anima ipsi tribuitur, *Jes.* 53. 10, 11. *Matth.* 26, 38. ejusque *facultates*, Intellectus; *Luc.* 2. 51. *Marc.* 13, 32. & voluntas; *Matth.* 26, 39. Ac porro *Affectus*, ut Gaudium; *Luc.* X, 21. Tristitia; *Matth.* 26, 38. *Luc.* 19, 41. Metus; *Hebr.* 5, 7. Ira; *Marc.* 3. 5. & cæteræ infirmitates istiusmodi miserabiles (non culpabiles), quas ipsemet in vita humili subinde expertus est; *Hebr.* 4. 14. Consequenter Anima humana de Christo non est neganda; nec ipsa Deitas cum *Apollinaristis* loco animæ substituenda.

Corpus ei quoque adscribitur; *Hebr.* X, 5, 10. 1 *Petr.* 2. 24. & in institutione Cœnæ; *Luc.* 22, 19. & Caro; *Joh.* 6. 51. Atque etiam *proprietates Corporis*: ut sunt Localitas, Visibilitas, Finitudo; *Luc.* 2, 7. *Marc.* 16, 6. Palpabilitas: *Luc.* 24, 39. & similes aliæ. Nec non infirmitates Corporis: Videl. Somnus; *Matth.* 8. 24. *Fames*; 4, 2. Fatigatio & Sitis: *Joh.* 4. 6, 7. Rejiciendus igitur *Marcionitarum & Manichæorum* error, qui veritatem Corporis Christi negarunt; & ejus carnem, passionis omnis expertem, dixerunt.

VII. Ad *Ortum* humanæ istius naturæ quod attinet;

net; ejus *Causa efficiens prima* est Deus triunus: *Act.* 13. 32. -*Deus excitavit* Israeli *Servatorem Iesum*. Confer *Gal.* 4. 4. *Hebr.* x, 5. Item *Phil.* 2. 7. *Ipse sese inanivit forma servi accepta*, &c. Et *Luc.* 1, 35,--*Spiritus Sanctus superveniet in te*,--*Matth.* 1. 20. Salvo interim cuique Personæ suo ordine operandi, & Filio terminatione istius humanitatis per suam hypostasin. Proxime tamen efficientia ista tribuenda est Sp. Sancto; qui portionem aliquam ex substantia Virginis, ad generationem apta, separavit; & eminentissimâ suâ virtute supplens defectum Viri, Corpusculum humanum inde formavit, animam rationalem ei increavit, eodemque hoc momento totum illud humanæ naturæ efficienter univit cum Persona τȣ̃ Λόγȣ, & à prima sua origine sanctificavit.

VIII. *Principium ex quo* unicum, & simul *Causa efficiens secunda* sui ordinis, fuit fœcunda substantia Virginis Mariæ. Hæc erat ex tribu Judæ, *Hebr.* 7. 14. *Matth.* 1. 1, 2,-15. *Luc.* 3. 23,-38. Istud autem contra *Valentinianos*, *Apollinaristas*, eorumque sequaces *Anabaptistas*, probe observandum: qui contendunt, Servatorem non ex ipsa substantia Virginis Mariæ carnem assumsisse; sed eam cœlitus adduxisse ex substantia ipsius Dei, vel Sp. S. modo aliquo inexplicabili factam, aut originis incertæ; sic in uterum Virginis immissam & suo tempore in lucem editam. Nos catholicam veritatem asserimus:

1. Quia diserte appellatur *Semen mulieris*; *Gen.* 3, 15. cum *Hebr.* 2. 14. *Semen Abrahami*: 22, 18. cum *Gal.* 3. 16. ex *Semine Davidis*: *Rom.* 1. 3. *Act.* 13. 33. Nec est quod Adversarii excipiant, fœminas semen non habere; cum & Scriptura, *Hebr.* xi, 11. *Levit.* 12. 2. & natura, contrarium doceant.

2. Ex phrasibus æquipollentibus; ut quod dicatur *Fructus ventris Mariæ*; *Luc.* 1. 42. *Fructus lumborum Davidis*; *Act.* 2. 30. juxta promissionem 2 *Sam.* 7. 12.

1 *Chron.* 17. 11. Atque huc ſpectant termini *Generationis*, *Conceptionis*, *Impraegnationis*, *Partus*, & ſimiles; *Matth.* 1, 16, 18, 20, 23. & alibi

3. Ex appellatione *Filii*: ſic κατ' ἐξοχὴν vocatur *Filius hominis* ſup. th. 6. ſpecialius autem *Filius Mariae*. *Marc.* 6. 3. & Maria viciſſim, *Mater Jeſu*; *Matth.* 1. 18. *Luc.* 1. 43. *Joh.* 19, 25.

4. Ex Genealogiis, *Matth.* 1. 1,-15. *Luc.* 3, 23,- quarum verus finis eſt, ortum humanae naturae Chriſti demonſtrare.

IX. *Obj.* 1. Servator noſter dicitur *Conceptus ex Spir.* S. Ergo. *Reſp.* Praepoſitio *Ex* non ſemper notat cauſam materialem; ſed quandoque efficientem: *Rom.* xi. 36. 1 *Cor.* 1, 30. ut & hoc loco.

Obj. 2. *Ioh.* 6. 33; 51. *Panis ille Dei is eſt, qui de coelo deſcendit, & dat vitam mundo,* - -. *Ego ſum panis ille verus, qui de coelo deſcendi. Panis autem, quem ego dabo, caro mea eſt*: Ergo caro localiter è coelo deſcendit. Similia ſunt *Eph.* 4. 9, 10. *Ioh.* 3, 13. *Reſp.* Iſta. *Ioh.* 6. 33, 51. dicuntur quod perſona τȣ̃ Λόγȣ e coelo deſcenderit Θεοπρεπῶς, & in carne manifeſtata ſit; ad vitam ſpiritualem electis ſuis impetrandam, eamque inſtar mannae coeleſtis efficienter conſervandam. 2. Sic etiam de Perſona Θεοπρεπῶς intelligi debet *Deſcenſus ille in infimas partes terrae*, unde poſtmodum *aſcendit longè ſupra omnes coelos*, *Eph.* 4. 9, 10, Atque item 3. locus *Ioh.* 3, 13. niſi quod Aſcenſus iſtic metaphorice ad mentem, ſeu ad intellectum, referendus ſit; quo Filius non terrena ſolum, ſed & coeleſtia intime novit.

Obj. 1. 1 *Cor.* 15, 47. *Primus homo e terra pulvereus: ſecundus homo, ipſe Dominus è coelo*, &c. *Reſp.* Et ibi de Perſona agitur, beatae reſurrectonis principio; eiuſque glorioſa virtus & poteſtas coeleſtis denotatur ſecundum communicationem idiomatum.

Obj. 4. *Ioh.* 3. 6. *Quod genitum eſt ex carne, caro eſt,* ſcil.

peccaminosa. Consequenter Christus, si ex substantia Mariæ carnem suam accepisset, eidem corruptioni foret obnoxius. Sed hoc absurdum est. Ergo. *Resp.* Participatio illa corruptionis ad Christum extendi non debet. Vide sup. cap. 10. th. 27.

X. Affinis est sententia *Socini*, admittentis quidem Christum hominem ex ipsa Dei substantia non esse genitum; imo ex substantia Matris non minus accepisse, quàm alii ex suis matribus accipiant: sed insuper comminiscentis, virtutem Dei in uterum Virginis substantiam aliquam creatam immisisse, aut ibi creasse; ex qua Christus, juncto eo quod ex Virginis substantia accepit, verus Homo generatus sit. Adeo quidem ut Christus qua Homo, non Matrem tantum habuerit, nempe Virginem Mariam; sed Patrem quoque, videl. Deum. At vero cum conceptus iste non sit Scripturarius, sed absurde confictus operosa refutatione non indiget: neque enim Deum patrem Christi, qua hominis, proprie dicendum, vel ex eo planum est, quod pater ita dici soleat à generatione activa, per quam alia persona ejusdem naturæ generatur. Sed humanitas Christi, natura a Deo diversissima est.

De Corpore *Christi* multi contendunt, illud prorsus unico momento paratum & conformatum fuisse, quamvis posteà successive perductum ad perfectam quantitatem. 1. Quia virtus agentis fuerit infinita. 2. nec Filius Dei assumserit aliquod imperfectum & inanimatum. 3. & Corpus Christi fuerit assumtum mediante anima.

Verum rationes istæ non evincunt, nullas præparationes ac dispositiones in substantia illa præcessisse: nam 1. ex infinita virtute agentis, recte quidem colligitur, quid potuerit; non quid voluerit, Deus. 2. Ipsa generatio formaliter facta est in momento: ex materia satis præparata formatum est corpusculum humanum, eodemqne momento anima rationalis

creata, & ei indita; simulque humana ista natura sustentata ac terminata hypostasi τȢ Λόγȣ; atque adeo Filius Dei non assumsit aliquid imperfectum, aut inanimatum, sed animatum eodem illo momento, ac perfectum essentialiter & integraliter in genere & pro conditione humanæ naturæ jam nunc genitæ. 3. Quemadmodum ergo justum Gestationis tempus post Conformationem subsecutum est, ita non video, cur negandum sit, justum etiam tempus præcessisse, quo materia genitalis foveretur, ac præpararetur, ad justam fœtus conformationem.

XI. *Virgo* autem concepit, ac deinceps peperit; juxta prophetiam, *Jes.* 7. 14. cujus complementum indicatur *Matth.* 1. 18,-. *Luc.* 1. 27, 31, 34, 35. Sic illa ante partum, atque etiam in partu, Virgo fuit: nec verisimile est, vas illud a Sp. Sancto semel impraegnatum, ab homine postea fuisse cognitum carnaliter.

Obj. 1. *Matth.* 1. 18. *Priusquam ipsi convenissent*, &c. *Resp.* Illud *Convenire*, non de usu matrimonii; sed de cohabitatione, aut Virginis in domum deductione, commodè potest intelligi. Vide *vers.* 20. 24.

Obj. 2. *vers*: 25. *Neque cognovit eam* Josephus, *quousque peperisset Filium illum suum primogenitum*: Ergo postea cognovit eam. *Resp.* Particulæ *non quousque*, & similes, dum quid negant factum ante certum terminum, non necessario statim inferunt post illum terminum id factum, vel futurum. Confer 2 *Sam.* 6. 23. *Matth.* 28, 20.

Obj. 3. Christus appellatur *Primogenitus Filius Mariæ*. Ergo. *Resp.* Sic appellatur, quia Mater neminem peperit ante ipsum; non quasi plures post ipsum peperisset. Vide Legem de redimendis primogenitis; *Num.* 18. 15, 16. Scil. *primogenitus* idem est, qui *adaperiens matricem*; *Exod.* 13. 2. *Num.* 8. 16. *Luc.* 2, 23.

Obj. 4. Fratres & Sorores Domini Jesu appellantur.

tur. *Matth.* 13, 55, 56. Ergò. *Resp.* Voces istæ Cognatos & Agnatos subinde notant: ut *Gen.* 13. 8. & alibi. Nisi forte Josephus fuerit viduus, & isti ejus liberi ex priore conjugio; atque adeo fratres Domini Iesu affinitate.

Pontificii in gratiam sui Monachatus contendunt, B. Virginem ante istam annunciationem fecisse votum perpetuæ virginitatis; eo quod dixerit, *Luc.* 1, 34. *Virum non cognovi.* *Resp.* Absurde: eadem enim non potuit virginitatem Deo, & nuptias simul Iosepho promittere: cum nupta non habeat proprium corpus in potestate; 1 *Cor.* 7. 4.

XII. Succedit duarum Naturarum U*nio hypostatica*: ubi primo spectanda *Actio uniendi*, sive ipsa *unitio*, quæ est actio Dei, per quam effectum est, ut ista humana natura, cum natura Divina (prout hæc in secunda Persona subsistit) eadem illa hypostasi sustentaretur, ac ultimate terminaretur in existendo. Ea efficienter quidem SS. Trinitati communis est; terminative vero soli Personæ secundæ adscribenda.

Porro autem actionis istius effectus formalis est U*nio*, sive S*tatus unitatis hypostaticæ*, in quo deinceps permanserunt duæ istæ Naturæ. Atque ista Unio vere est personalis. Hinc I*oh.* 1. 14. *Sermo ille factus est caro.* Scil. per talem unionem: similiter fere ut *Gen.* 2. 7. *Finxit Jehovah Deus hominem de pulvere terræ, sufflavitque in nares ejus spiraculum vitæ: sic factus est homo in animam viventem.* Et *Col.* 2. 9. I*nhabitat in eo omnis plenitudo Deitatis corporaliter*; sic in ista humanitate, & in isto corpore, tanquam adjuncto substantali ἐνυποστάτῳ, existit, & sese exserit perfectissima Deitatis sufficientia. Confer 1 *Tim.* 3. 16.

XIII. Exprimitur etiam istud mysterium per *Corporis adaptationem*; *Hebr.* x. 5. & cum peculiari respectu ad Filium, per A*ssumtionem*, vel A*cceptionem*: *Phil.* 2. 6, 7, 8. *Hebr.* 2. 16. qui tamen non H*ominem*

assumsit, aut *Personam humanam*; sed Naturam humanam tantum, propria personalitate destitutam: verum ὁ Λόγος sua hypostasi terminat eam ultimatè in existendo, ut una solum Persona sit.

Atq; hinc 1. diserte *unus Mediator* dicitur, 1 *Tim.* 2. 5. non duo: & 1 *Cor.* 1, 13. *Christus divisus* esse negatur.

2 Illi Personæ ab isto assumtionis momento, duæ distinctæ Naturæ in SS. Literis passim assignantur; Divina & humana.

Itemque 3. Attributa, tum Divina, tum humana.

Nec non 4. Opera duum generum; adeoque duo principia ἐνεργητικά: imo etiam passiones humanæ, & principium tale παθητικὸν; à Natura Divina manifestissime distinctum.

XIV. *Nestoriani* olim, ut duas in Christo Naturas, sic duas quoque Personas, statuebant; Unionem vero nullam agnoscebant, nisi σχετικὴν, relativam. Sed contra hos orthodoxa Antiquitas veritatem solide asseruit; Unionem scil. inter duas distinctas Christi Naturas, esse vere ὀσιώδη, *substantialem*. Atque ita factam esse unam eandemque substantiam primam intelligentem, &c. Et quidem Ἀδιαιρέτως, *indivise*, ut Persona non dividatur, nec in ea alius & alius agnoscatur: atque item Ἀχωρίστως, *inseparabiliter*: ut humana ista Natura separari ab hypostasi τοῦ Λόγου non potuerit a primo Unionis hypostaticæ momento, nec separata unquam extiterit, ne quidem in triduo mortis.

Eutychiani, in alterum extremum ruentes, putarunt, post incarnationem, unam solum in Christo fuisse Naturam: sive per conversionem humanitatis in Divinitatem; sive duabus Naturis in unam Naturam per confusionom, aut commixtionem, coeuntibus

bus. Sed contra istos eadem orthodoxa Antiquitas asseruit, in una Christi Persona esse vere aliud & aliud: & quidem Ἀτρέπτως, *sine conversione*; ut enim in Deitatem nulla cadit conversio, sic ea ex conversione alterius naturæ fieri minime potest. Et Ἀσυγχύτως, *sine confusione*, tum Naturarum, tum proprietatum utriusque Naturæ; cum nec Deitas ullo modo mutabilis sit, nec humanitas Attributorum Divinorum capax, ut subjectum quo; neque Deitas proprietatum humanarum: nec Attributa Divina realiter differant a Natura Divina. Unde veteres admodum concinne; *Nequaquam distinctione Naturarum sublatâ propter Unionem: sed potius servata cujusque Naturæ proprietate; & in unam Personam, atque unam subsistentiam, concurrente.* Huc etiam pertinet Distichon:

Sum quod eram; nec eram quod sum: nunc dicor utrumque:
Ignoras, nisi me stirpe ab utraque tenes.

Eutychianis affines erant *Monothelctæ*, qui unicam duntaxat in Christo voluntatem agnoscebant. Hoc autem absurdum esse, vel ex eo liquet, quod duæ distinctæ Naturæ intellectuales, duas quoque distinctas voluntates inferant.

XV. *Obj.* 1. Ubi existit utraque pars essentialis ad Hominem constituendum necessaria, ibi etiam existit Persona humana: atqui hic præter Personam τοῦ Λόγου: existit utraque illa pars essentialis: ergo. *Resp.* Partes essentiales in homine non faciunt formaliter Personam: sed Modus existendi completè, incommunicabiliter, & sic ultimatè: at vero Humanitas Christi ultimatam terminationem per se non habet, sed in Persona τοῦ Λόγου.

Obj. 2. Illud imperfectionem argueret in Humanitate Christi. Ergo. *Resp.* Neg. Cum ea habeat quæcunque ad perfectionem humanæ naturæ requirun-

tur; & modus perfectior satis compenset absentiam imperfectioris.

Obj. 3. Talis duarum substantiarum unio, sine earum confusione, fieri non potest. Ergo. *Resp.* Neg. Quemadmodum enim in Homine, in eadem natura singulari, Anima & Corpus distincte suam essentiam, & proprietates habent: sic in Christo utraque Natura suam habet essentiam, & sua attributa; non obstante unione personali. Et Deitatis personalitas sustentat, atque ultimate terminat in existendo, Naturam istam humanam suis proprietatibus præditam.

Obj. 4. Christus Nicodemo dicebat, *Filium hominis esse in cœlo*: Joh. 3. 13. & Paulus *Act.* 20; 28. *Deum acquisivisse Ecclesiam proprio suo* sanguine: ità quæ sunt unius naturæ, tribuuntur alteri. &c. *Resp.* Negamus sequelam. Consideratio personæ in concreto, non debet confundi, cum alterutrius naturæ consideratione in abstracto.

XVI. Deitati nulla hinc accidit mutatio; sed relatio rationis accessit solum ab illa efficientia ad extra. Nec putandum cum *Patrispassianis*, quod Pater, aut Sp. S. eadem opera sit incarnatus, passus, mortuus, &c. in sua humanitate; cum humanitas in hypostasin Filii tantum sit assumta. Quin imo nec ipsi Personæ ȣ̃ Λόγȣ mutatio accidit, etiamsi per hanc hypostasin formaliter in existendo terminata sit Humana Christi natura.

Humanitati verò accidit, primo, Modus ille existendi in istâ hypostasi, quem vulgo *Gratiam unionis personalis* vocant; ac deindè singularia quædam *Charismata*, seu Gratiæ habituales; quibus humana Christi natura præ cæteris creaturis insigniter fuit locupletata: *Joh.* III, 34. *Non enim* Huic *admetitur Deus Spiritum.* scil. simili mensura, quali reliquis hominibus admetitur. Adde *Psal.* 45. 8. *Jes.* xi. 1. xlij. 1. *Joh.* 1, 14. *Act.* 10.

Act. 10.38. *Col.* 1.19. 1 J. 3,9. Inprimis igitur hic spectanda ejus *Sanctitas*, *Sapientia*, & *Potentia*.

XVII. Quod ad *Sanctitatem* attinet; hanc ipsa unctio Sp. S. à primo conformationis momento humanæ Christi naturæ præstitit: & quidem ita, ut ipsa non tantùm immunis fuerit à peccato originali, sed planè impeccabilis, adeo ut ne quidem actu peccare potuerit. Propterea 1. ex istâ Spiritûs Sancti operatione *Sanctum illud* vocatur; *Luc.* 1.35.

2. Spiritus S. electos salvandos regenerat & sanctificat, ut observent præcepta Dei; *Ezech.* 36.26. atque efficit in iis ipsum velle, & ipsum agere, pro gratuitâ suâ benevolentia; *Phil.* 2. 13. Multô magis igitur idem Spiritus debuit esse efficax in Naturâ ἐνυποστάτῳ illi Personæ, cujus est iste Spiritus.

3. *Talis* omninò *nos decebat Pontifex, sanctus, ab omni malo remotus, sine labe*, &c. *Hebr.* 7. 26, 27. Id postulabat, tùm justitia Divina: nam Jus Dei pro nobis impleri non poterat à peccatore: tùm veritas Divina, juxta æternum Decretum, & Prædictiones ac Typos V.T.

Obj. 1. Formalis effectus personalitatis est, naturam ultimatè tantùm terminare in existendo; non verò eam impeccabilẽ præstare. *Resp.* Hoc loco non est spectanda qualiscunque personalitas; sed personalitas Personæ essentialiter sanctissimæ. Nunc autem in Naturâ tam arctè τῷ Λόγῳ unita, necesse fuit τὸν Λόγον per Spiritum sanctificationis, simul operari convenienter suæ sanctitati.

Obj. 2. Vita Personæ istius Divinæ non statim fecit Humanitem illam immortalem: ergò nec ejus Sanctitas fecit impeccabilem. *Resp.* Negamus consequentiam: Deus enim non aversatur, vel odit, mortem peccatoris, aut Sponsoris pro peccatoribus, quatenùs ea est bonum justitiæ; sed eam postulat, & approbat: *Prov.* J. 26. *Deut.* 28. 63. *Ies.* 53. 10. *Hebr.* 10. 7, 9, 10.

Peccatum vero nequaquàm postulat vel approbat; sed aversatur & odit: *Psal.* 45. 8. v. 5,6,7.

Obj. 3. Per istam impeccabilitatem tolleretur libertas arbitrii in humanâ Christi Naturâ. *Resp.* Neg. Imo stabilitur: cum peccabilitas meram imperfectionem dicat; & majoris longe sit perfectionis, bonum morale sanctitati Divinæ prorsus conforme, constanter velle quam posse illud repudiare.

XVIII. Quantum ad *Sapientiam* Christi, secundum humanam ipsius Naturam; illa apprimè insignis est; non tamen infinita: cùm subjectum ejus quo, sit finitum; adeoque progressu temporis incrementum ceperit; *Luc.* 2. 52. quin imo quædam ignoraverit; *Marc.* xi. 13. xiij. 32. ignorantiâ videl. puræ negationis.

Exc. Christus tunc ignorabat diem extremi judicii, ut Doctor; quia nondum debuit, aut voluit, eum Discipulis indicare. *Resp.* Simili modo etiam Pater dicendus fuisset eum ignorare.

Obj. *Omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in eo absconditi* dicuntur, *Col.* 2. 3. *Resp.* Illud de Personâ in concrero est accipiendum; non de Natura humanâ in abstracto.

Potentia Christo quà Homini etiàm insignis competit, sed finita. Ac proindè Virtus physica principalis ad patranda Miracula ei secundum humanam Naturam non est adscribenda; Ipse enim in eorum patratione preces adhibuit; *Ioh.* xi. 41, 42. Humanitas igitur istic se habuit, ut instrumentum morale.

XIX. Succedit in Personâ *Gratia muneris Mediatorii*: quod scil. Christus secundum utramque Naturam sit Mediator; & sic etiam ut Homo, gratus & acceptus *Deo*: *Ies.* 42. 1. *Matth.* 3. 17: ac talis ab hominibus agnoscendus, & sic recipiendus: xvij. 5. *Act.* 3. 22. ex *Deut.* 18. 15.

Spectanda porro *Communicatio idiomatum*, *tum* in esse reali, *tum* in modo prædicandi. *Communicatio idioma-*

ma-

matum in esse reali, nihil aliud est, quam concursus, aut conjunctio Attributorum & Proprietatum utriusque Naturæ, in eadem Personâ; quæ necessario sequitur hypostaticam Unionem duarum istarum Naturarum. *Communicatio* vero *idiomatum in modo prædicandi*, sequitur modum essendi.

De Personâ igitur non solum rectè prædicantur, 1. quæ ei secundùm utramque Naturam communiter conveniunt: Ex. gr. Jesus Christus est Mediator, &c.

Verum insuper 2. Attributa & Proprietates alterutrius Naturæ: Ex. gr. Christus est æternus, immortalis, &c. itemque, Christus in tempore natus est, mortuus est, &c.

Quin imo 3. de Personâ ab alterutra Natura, sed in concreto, denominatâ, recte prædicantur enunciata, & proprietates alteri naturæ convenientes: Ex. gr. Deus, (Filio ὑποστατικῶς intellecto,) aut Filius Dei, natus est ex Maria Virgine, &c. Vide *Act.* 20. 28. Iste homo, aut Filius hominis, cum apud Nicodemum esset in terra, simul erat in cœlo, &c. I*oh.* 3. 13. Hæc omnia vere dicuntur. Alibi tamen Spiritus S. plenius & distinctius loquitur; ut R*om.* 1. 3, 4. IX. 5. *Act.* 2. 30. 1 P*etr.* 3. 18, 19.

XX. Perperam ergo L*utherani Nestorianismum* nobis impingunt; quasi non realem, sed solummodo verbalem, Communicationem idiomatum statueremus: ipsi vero, dum quorundam Attributorum realem communicationem requirunt, aut transfusionem de Natura Divina in humanam, nominatim *Omnipræsentiæ*, *Omniscientiæ*, *Omnipotentiæ*, *Virtutis vivificandi*, P*eccata remittendi*, atque adeo *Majestatis Divinæ*, ab indirecto saltem E*utychyanismo* excusari non possunt, & in Dei Simplicitatem injurii sunt; per quam Attributa Divina nec à se invicem, nec ab essentiâ Divina, realiter differunt; adeo ut cui unum Attributum convenit,

nit, ei omnia conveniant, atque ipsa Essentia.

Obj. 1. In Homine vita Animæ commuuicatur Corpori: ergo Attributa Divina possunt etiam communicari humanæ Naturæ in Christo. *Resp.* Animæ vita spiritualis Corpori non communicatur: Corpus enim non intelligit, aut vult; sed Anima, aut Homo secundum animam. Interim Corpus vivum denominatur, quatenus Anima informatum est, sic ab ea movetur, eique in operationibus suis servit quantum potest.

Obj. 2. Ferro candenti communicatur intensus ille calor, & lux; quæ cæteroquin Ignis proprietates sunt. *Resp.* Ista est συνδύασις: nam particulæ Igneæ insinuarunt se poris Ferri; sic Ferrum permeant; atque ipsæ in Ferro calent & lucent; non vero ipsum Ferrum.

Obj. 3. *Col.* 2. 9. *Plenitudo Deitatis* habitat in Christo *corporaliter*: ergo in corpore Christi insunt attributa Divina. *Resp* 1. *Corporaliter* synecdochicè idem est quod *personaliter*. 2. In humana Christi natura, & in corpore ejus, existit etiam natura Divina, & consequenter attributa Divina; sed non adæquate; neque sic, ut humana natura, vel corpus ejus, esset subjectum quo attributorum Divinorum.

XXI. *Omnipræsentia* humanæ Christi naturæ non competit, ex Unione hypostatica:

1. Quia Unio hypostatica jam cum ipsa fœtus conformatione in utero Virginis facta est; ac proinde, si ea Omnipræsentiam humanæ naturæ inferret, hæc utero Virginis non fuisset conclusa, ex utero non vere prodiisset, fasciis involvi, in præsepi deponi, circumcidi, &c. non potuisset: contra *Luc.* 2. 5, 7. 12, 16, 21.

2. Christus secundum humanitatem suam uno loco tantum, non pluribus simul, fuit præsens, durante statu humiliationis: *Joh.* XI. 15. *Gaudeo, Me illic non fu-*

fuisse; sed eamus ad eum! Lazarum scil. defunctum. Et *vers.* 32. Maria soror Lazari; *Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.* Adde *Luc.* 2. 22. *Matth.* 2. 14, 20, 22, 23. *Luc.* 2. 42. *Marc.* 6. 45,-. *Joh.* 6. 17,-. *&c.*

3. Similiter à Resurrectione ex mortuis. Diserte Angelus, *Marc.* 16. 6. *Non est hic: Ecce locus, ubi posuerant* Eum. Adde *Luc.* 24. 39, 40. *Act.* 1, 3.

4. Neque aliter factum per Ascensionem in cœlum: de qua ipse, *Joh.* 16. 5. *Nunc abeo ad Eum, qui misit Me.* 7. *Confert vobis, ut Ego abeam,* &c. atque iterum *vers.* 28. *Prodii a Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & proficiscor ad Patrem.* Et 17. 11 *Non sum amplius in mundo.* & sic porro. Confer *Luc.* 24. 51. *Act.* 1. 9, 11. iij, 21. 1 *Cor.* xi. 26. Atque huc pertinet valida Pauli consequentia ad instructionem fidei; *Hebr.* 8. 4. *Nam si esset in terra, ne Sacerdos quidem esset.* Adde *Matth.* 24. 26. Et ad exhortationem: *Col.* 3. 1, 2. *Si resurrexistis cum Christo, superna quærite, ubi Christus est ad dextram Dei sedens. Superna satagite, non terrestria.* Adde 2 *Cor.* 5. 6, 8. *Phil.* 1. 23.

Obj. 1. *Eph.* 4. 10. & 1, 23. Christus dicitur *omnia in omnibus adimplere.* Ergo est ubique præsens, & quidem secundum humanam naturam. *Resp.* Implet omnia; non quidem omnia spatia, corporali sua præsentia; sed totam Ecclesiam, donis & benedictionibus: quatenus videl, in omnibus & singulis electis perficit, quæcunque ad vitam & pietatem pertinent. Implet etiam omnia, quæ de Ipso per Prophetas prædicta sunt.

Obj. 2. *Matth.* 18. 20. & xxviij, 20. Christus fidelibus promisit suam præsentiam. Ergo. *Resp.* Istic agitur de speciali modo præsentiæ, secundum Deitatem; & singulari manifestatione gloriosæ pariter ac gratiosæ suæ Majestatis, per charismata, & benedi-

ctiones spirituales: non autem de præsentia corporali.

Obj. 3. Si natura humana Christi non esset adæquatè præsens Divinæ, inde sequeretur naturarum à se invicem divulsio. *Resp.* Neg. cum humanitas personalitate τȣ̃ Λόγȣ ultimate terminetur, ubi existit: Divinitatis vero ut alia natura, sic alia quoque sit existentia & præsentia.

XXII. *Omniscientiam* quoque humanæ Christi naturæ non esse communicatam, ut hæc esset subjectum ejus quo, ex iis apertum est, quæ diximus th. 18.

Idem de *omnipotentiâ* dicendum: 1. quia subjectum finitum est.

2. Quia in humanitate Christi manifesta satis fuit potentia obedientialis passiva.

3. Quia isto respectu Christo tribuuntur deprecationes & supplicationes, cum clamore valido & lachrymis, apud Eum qui poterat ipsum servare, &c. *Hebr.* 5 7.

Obj. Attamen Christo homini tribuitur potentia summa, infinita: *Phil.* 3. 21. *Hebr.* 2. 8. 1 *Cor.* 15. 27. *Act.* 10. 38. *Resp.* Ista de Persona dicuntur in concreto.

De cæteris, utpote *Virtute vivificandi*; de qua 1 *Cor.* 15. 21. atque item de *extremo Judicio*: quod Filio hominis œconomice demandatum est; *Matth.* 16. 27. *Joh.* 5. 27. *Act.* 17. 31. idem judicium esto: quemadmodum & de *Potestate remittendi peccata*, quæ absolute summa Christo tantum competit, quatenus Deus est: *Luc.* 5. 20, 24. & supremus omnium Dominus ac Rector: *Jac.* 4. 12.

De *Majestate & Gloriâ*, vide sup. cap. 4. th. 75.

XXIII. Succedit *Communio Apotelesmatum. Apotelesma* hoc loco est opus aliquod Christi Mediatoris, ad officii sui functionem pertinens. *Communio* autem

eâ

ea est, ut opera ista procedant à personâ Θεανθρώπῳ, secundum utramque naturam; Divina in illis conferente quod suum est, & humana quod suum est: unde ista opera Θεανδρικὰ appellantur. Ὁ ἐνεργῶν igitur unus est Christus Mediator, producens tale ἀποτέλεσμα. Τὸ ἐνεργητικὸν, sive principium activum quo, geminum est; Natura Divina & humana. Ἡ ἐνέργεια, operatio, similiter gemina est; ut principium quo Τὸ ἐνέργημα denique, seu ἀποτέλεσμα unumquodque, Personæ tribuendum est: hujusmodi sunt, Redemtio, Vivificatio, Miraculorum patratio, Ecclesiæ gubernatio, Judicii administratio, &c. In his agit utraque natura quod suum est, cum alterius communione; Verbo scil. operante quod Verbi est, & Carne exequente quod carnis est.

XXIV. Hactenus de *Persona Christi*. Spectandum nunc ejus *Officium*, quo Ipse defungitur œconomice ad salutem hominum electorum, & in Dei gloriam. Hoc autem exprimitur potissimum istis titulis; *Mediator*, *Sponsor*, *Redemtor*, *Salvator*, *Unctus*.

Christus est *Mediator Dei & Hominum*: 1 *Tim*. 2. 5. qui ut Persona, sic officio, *medius* intercedit: non tantum ut *Interpres Dei*, quo Deus ad fœdera cum hominibus pangenda utatur; & per quem populus, de voluntate Divina sufficienter instructus, ad Deum accedat: quod est *Socini* commentum. Sed alterius plane, & sublimioris conditionis; apud Deum pro Hominibus, & apud Homines nomine Dei, vere peragens omnia ad pacem & salutem illis valide impetrandam, atque efficaciter applicandam, necessaria. Hinc 1. Apostolus μεσίτευμα istud explicans, 1 *Tim*. 2. 6. dicit; *Se ipsum dedit redemtionis pretium* (ἀντίλυτρον) *pro omnibus*.

2. *Hebr*. 9. 15. *Ob id novi pacti* Mediator *est, ut*

morte ad redemtionem transgressionum intercedente, qui vocati erant, promissam æternam hæreditatem acciperent.

3. Similiter, xij. 24. *Novi pacti Mediatori* Jesu *tribuitur sanguis aspersionis, meliora loquens quam loquatur Abel.*

Et 4. viij, 16. *Tanto præstantior functio Sacerdotalis, quanto præstantioris pacti* Mediator *est*, &c. Ergo Christi Mediatio functionem Sacerdotalem involvit peccatorum expiatoriam, nostrique cum Deo reconciliatoriam per mortem Ipsius, & sanguinis effusionem. Vide amplius R*om*. 5. 10. 2 C*or*. 5. 19, 21. C*ol*. 1. 19, -22. E*ph*. 2. 11, -17.

XXV. O*bj*. 1. Principes internuncios suos ad fœdera cum rebellibus pangenda non mittunt, nisi jam vere sint placati. Ergo etiam Deus per Mediatorem non erat placandus. R*esp*. 1. Negamus, Christum duntaxat esse Internuncium. 2. Etiam Principes placari volentes, conditiones fœderis & pacis rebellibus solent præscribere; quemadmodum in hoc negotio Deus Mediatorem constituit; cujus Sacrificio Ipse placari, & cujus intercessione nos in Ipsius gratiam reduci, voluit: R*om*. 3. 25, 26. Confer J*ob*. 42. 7, 8, 9.

O*bj*. 2. Moses dicitur Mediator, cum internuncius solum esset; *Gal*. 3. 19. cum D*eut*. 5. 5. & *Act*. 7. 57. 58. R*esp*. 1. In veritate plus esse, quam in typo, nihil mirum. 2. Moses non tantum nomine Dei internuncium egit apud populum; sed pro populo apud Deum intercessit quoque: E*xod*. 32. 30. &c. D*eut*. ix. 18, 19. & oblatis sacrificiis altare conspersit eorum sanguine, ac porro etiam populum: *Exod*. 24. 5, -7.

O*bj*. 3. Christus aliquoties dicitur nos Deo reconciliasse, non vero Deum nobis. Ergo. R*esp*. Cum omnis reconciliatio sit reciproca, utrumque recte dicitur, & alterum ex altero sequitur. Vide M*atth*. 5. 24. Interim ei reconciliatio activa potiori jure competit, qui

qui hoc maxime egit, ut amicitia restauraretur.

XXVI. Mediator autem est Christus secundum utramque naturam; non secundum Divinam tantum: quod contendebat *Osiander*: nec secundum humanam duntaxat; quod volebat *Stancarus*; & communiter *Pontif.* atque item *Sociniani*: isti, ut propriis suis satisfactionibus & meritis velificentur; hi, quia non nisi humanam in Christo naturam agnoscunt. Sed 1. proponitur nobis Mediator, ut Θεάνθρωπος, & עִמָּנוּאֵל: *Matth.* 1. 21, 23. ex *Jes.* 7. 14. Quæ appellatio utramq; naturam conjunctim respicit. Confer *Hos.* 1. 7. *Jer.* 23. 6. & *Heb.* x. 5. ex *Ps.* 40. 7. 8. Neutra igitur temere excludenda est.

2. In morte propter peccata nostra; & in resurrectione ad justificationem nostram. *Rom.* 4. 24. exeruit se utraque natura. *Joh.* x. 17, 18. *Ego depono animam meam, ut eam rursus assumam. Nemo tollit eam à me; sed Ego depono eam per Me ipsum: Auctoritatem habeo deponendi eam, & auctoritatem habeo rursus eam assumendi. Hoc præceptum accepi à Patre meo.* Cum Christus sibi præceptum à Patre datum commemorat, manifestè loquitur, ut Mediator & Sponsor: ubi Auctoritatem animæ deponendæ, ejusque rursum assumendæ, dicit, Deitatem indicat; sic tamen ut effectus formalis fuerit in Humanitate. Similiter 1 *Petr.* 3. 18. *Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis, ut nos ad* Deum *adduceret: morte quidem affectus carne, vivificatus autem Spiritu.* Confer *Rom.* 1. 1, 4.

3. Virtus oblationis ac redemtionis Christi & animarum nostrarum purificatio, ad operationem Divinam cum humana conjunctam refertur, *Hebr.* 9. 13, 14. *Nam si sanguis taurorum & hircorum,* &c. *quanto magis sanguis* Christi, *qui per Spiritum æternum se ipsum obtulit inculpatum* Deo, *emundabit conscientiam vestram à mortuis operibus, ad colendum Deum vivum?* 1 *Joh.* 1. 7. *Act.* 20, 28.

4. Atque ita requirunt reliqua ἀποτελέσματα, quæ sunt opera Θεανδρικὰ; unio nostri cum Deo, Vita spiritualis, &c. *Joh.* 17. 21,-23. *Ut omnes unum sint, sicut Tu Pater in Me, & Ego in Te; ut & ipsi in Nobis unum sint, Et Ego gloriam, quam dedisti Mihi, dedi eis; ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis, & Tu in Me; ut sint consummati in unum. Gal.* 2. 20. *Vivit in me Christus*, &c. Adde 1 *Cor.* 1. 30. 2. v, 17. *Eph.* 3. 17,-18. *Hebr.* 2. 11. 1 *Joh.* 4. 9.

Obj. 1 *Tim.* 2. 5. *Mediator* dicitur, *Homo Jesus Christus*: Ergo secundum humanam naturam. *Resp.* Sed non solam. Similiter ut *Act.* xx. 28. *Deus* dicitur *Ecclesiam acquisivisse suo proprio sanguine*: sed non exclusa, imo inclusa, humana natura.

XXVII. Christus Mediator est Hominum electorum; non Angelorum.

1. Quia Christi μεσίτευμα est redemtorium & reconciliatorium; quod in Angelos non quadrat: cum lapsorum non sit restitutio; & reliquorum conservatio tantum & confirmatio in suo statu.

2. Christus est Mediator Novi fœderis; quod melioribus promissis sancitum est: *Hebr.* 12. 34. viij. 16. neque ad Angelos pertinet.

3. Ut Mediator esset, personâ medius esse debuit inter partes, & utriusque naturæ particeps: at vero *Christus Angelos non assumsit*: *Hebr.* 2. 16.

4. Munus Mediatorium diserte restringitur ad Homines: 1 *Tim.* 2. 5. Mundum: 2 *Cor.* 5. 19. Populum suum: *Matth.* 1. 21. atque hinc ipse Angelus tam emphatice ad Pastores; *Luc.* 2. 10. 11. *Euangelizo vobis gaudium magnum*:--nempe *natum esse Vobis hodie Servatorem*, &c.

Obj. 1. *Col.* 1. 20. *Ut per Eum reconciliaret omnia Sibi,-tum quæ in terra: tum quæ in cœlis*: Ergo & Angeli per Christum reconciliati sunt, &c. *Resp.* Per ea *quæ in cœlis*, intelligi possunt fideles jam tum defuncti;

functi; quorum Animæ erant in cœlis. Aut si qui ipsos Angelos malit intelligere, sensus esse poterit, homines electos Deo per Christum reconciliatos, eadem opera cum Angelis Dei amicis quodammodo reconciliari: quemadmodum *Hebr.* 12. 22, 23.

Obj. 2. *Col.* 2. 10. Christus dicitur *Caput omnis imperii & potestatis.* Ergo etiam Angelorum. Consequenter eorum quoque Mediator est. *Resp.* Christus gloria & potestate supra omnes creaturas longè evectus est; quæ proinde alacriter & promte ipsi debent inservire; etiam Angeli. Verum inde non sequitur, Ipsum esse Mediatorem Angelorum.

XXVIII. Mediator ille ab æterno quidem præordinatus fuit decreto Dei, ad munus Mediatorium: unde *præcognitus* dicitur *ante jacta mundi fundamenta*; 1 *Petr.* 1. 20. *& nos in Ipso electi ante jactum mundi fundamentum*; *Eph.* 1. 4. Attamen actû demum cœpit esse Mediator statim post lapsum Adami; ubi Ipse etiam talis declaratus est in prima Euangelii promulgatione; *Gen.* 3. 15. Et tunc demum existebant partes, inter quas Mediatorem intervenire necesse erat; Homines miseri, & Deus per eorum inobedientiam offensus, sed per Mediatorem illum electis reconciliari volens.

Consequenter 1. ὁ Λόγος peccata electorum jam tum susceperat expianda Sacrificio sui corporis, suo tempore adaptandi. Vide pactum illud. *Jes.* 53: 10. *Si posuerit pro reatu*, &c. Et de Sacerdotio; *Psal.* 110. 4. xl. 7, 8, 9. cum *Hebr.* x. 5, 7, 10. Item *Zach.* 1. 8. 10, 11, 12. Et *Dan.* ix. 17. *Psal.* 80. 15, 16, 18.

2 Variis modis revelavit ea, quæ ad salutem consequendam requirebantur: 1 *Petr.* 1. 11. iij. 19. *Gen.* 18. 1, 2, 9, 10, 13, 14, 17, 21, 33. xxij. 1, 2, 11, 12. 15, 18. cum *Joh.* 8. 56, 58. &c.

3. Ecclesiam collegit, gubernavit, servavit: *Gen.* 48. 16. *Exod.* 23. 20, 23. *Jes.* 63. 9. cum 1 *Cor.* x. 4. 9. *Psal.*

9. *Psal.* 2. 6. *Hos.* 1. 7.

4. Fideles cum ipso spiritualem unionem & communionem habuerunt: 1 *Cor.* x. 4, 9. Sic justificati & salvati sunt: *Gen.* 15. 6. xxij, 17, 18. xlix, 10, 18. *Act.* x, 43. xv, 11. &c.

Obj. Christus est Mediator secundum utramque naturam; ac proinde non fuit Mediator ante incarnationem. *Resp.* Hoc solum sequitur, quod incarnatio suo tempore necessario fieri debuerit; cum sine ea non potuerint peragi omnes actus muneris Mediatorii.

XXIX. *Unus* autem agnoscendus est *Mediator*; non plures: ut 1. diserte exponitur, 1 *Tim.* 2. 5. Similiter, *Act.* 4. 12. *Neque aliud nomen sub cœlo datum est, per quod nos oporteat salvari.* & 1 *Cor.* 3. 11. *Nemo aliud fundamentum ponere potest,* &c.

2. Nulla talis persona datur præter Christum, qualis ad μεσίτευμα requiritur.

3. Nec alii competunt actiones, ad reconciliationem nostri cum Deo necessariæ.

4. Fides in Ipsum solum, est unicum medium salutis percipiendæ: *Joh.* 3. 16, 18, 36. *Marc.* 16. 15, 16.

Pontificii perperam plures saltem Mediatores intercessionis statuunt: quod speciatim alibi refutabitur.

XXX. Titulo *Sponsoris* Dominus Jesus indicatur, se ipsum pro nobis obligasse, ad peragenda & sustinenda omnia, quæ ad nostri liberationem, & salutem pertinebant. Ita 1. ῥητῶς Hebr. 7. 22. *Tanto melioris pacti Sponsor factus est Jesus.* &c. Pacti nimirum, quo ipse spopondit, se pro nobis impleturum conditiones impetrandæ remissionis peccatorum, & vitæ æternæ. Prius *Sacerdotem* dixerat Apostolus; iste autem constituitur pro Hominibus in iis, quæ apud Deum agenda: *Hebr.* v. 1. Confer Sponsionem Pauli pro Onesimo; *Philem.* 18, 19. Itemq; loca *Heb.* x. 7, 10. *Ps.* xl. 8. 9. lxix. 5.

2. Clarè etiam indicatur Christi substitutio in locum nostrum, tanquam Sponsoris: sic enim dicitur

Pro

Pro nobis passus & mortuus, ipse innocens & justus. *Hebr.* 2. 9. *Ut Pro omnibus mortem gustaret.* *Joh.* XI. 50. *Moreretur pro populo.* 2 *Cor.* 5. 15. *Unus pro omnibus, ac si illi omnes essent mortui.* Adde *Luc.* 22. 19. 20. 1 *Cor.* 11. 24; 25. *Rom.* 5. 7. 8. 1 *Tim.* 2. 6. *Tit* 2. 14. 1 *Petr.* 2. 21. iij. 18. iv, 1. Neque solum in hoc negotio usurpatur præpositio ὑπὲρ; sed etiam ἀντὶ, quæ surrogationem aperte notat: ut *Matth.* 20. 28. *Marc.* x. 45. *Ut det animam suam redemtionis pretium pro multis; ἀντὶ πολλῶν.* Similiter quoque *traditus* dicitur *propter peccata nostra.* *Rom.* 4. 25. tanquam causam demeritoriam istarum perpessionum, ex hypothesi sponsionis.

3. Eodem respectu dicitur *peccata nostra tulisse in corpore suo.* 1 *Petr.* 2. 24. & ipse *justus multos iustificare quorum iniquitates bajulaverit*; *Jes.* 53. 11. Quin etiam *incurrisse in eum pœna omnium nostrum*; ibid. *vers.* 6.

4. Apostolus emphaticè, *Gal.* 3. 13. *Christus nos redemit ab execratione Legis, dum pro nobis factus est execratio.* Et 2 *Cor.* 5. 21. *Fecit Deus ut qui peccatum non novit, pro nobis Peccatum* esset, (h. e. ut pœnas peccatis nostris debitas ferret;) *ut nos efficeremur Justitia Dei in eo.* Confer *Rom.* 4. 3, 5. 9, -11; 22, -25. & v, 19.

Obj. In debitis pecuniariis Sponsores admittuntur; cum brevis manus fictione, pecunia unius censeri possit fieri alterius: sed in pœnis corporalibus, utpotè propria persona perferendis, hoc locum non habet. *Resp.* Personæ quidem peccatrices juxta rem Fœderis Legalis erant in obligatione: sed facta ejus interpretatione κατ' ἐπιείκειαν, substitutio Sponsoris admissa est; qui pœnas essentialiter easdem tulit, quas nos eramus promeriti, & durationis æternitatem infinita dignitate sua compensavit.

XXXI. *Redemtor*, alias *Vindex*, Hebraice גּוֹאֵל, Græce λυτρωτὴς, & ὁ ῥυόμενος, dicitur. Sub V. T. specialiter גּוֹאֵל appellari consueverat, qui jus redimendæ hæreditatis, & seminis suscitandi propinquo suo sine liberis defuncto habebat; juxta *Levit*. 25. 25, 26. Exemplum insigne occurrit *Ruth*. 2. 20. iij, 9, 12. iv, 1, 3, 6, 8, 14. Sic Christus, propinquus & frater noster, causam nostram, cum annexo ejus onere, in se recepit; & persoluto liberationis pretio, quod per justitiam Dei debebatur, è captivitate & miseria spirituali nos redemit, atque in libertatem vindicavit. De hoc in V. T. *Job*. xix. 25. *Ego novi* Redemtorem *meum vivere*. *Jes*. 59. 20. *Veniet ad Tzion* Redemtor.

2. Clarius in N T. *Rom*. 3. 24 *Justificantur gratis, ejus gratiâ, per* Redemtionem *factam in Christo Jesu*. *Eph*. 1. 7 *In quo habemus* Redemtionem, *per sanguinem ipsius*, quod repetitur *Col*. 1. 14. Adde *Tit*. 2. 14. *Hebr*. 9. 12. 1 *Petr*. 1. 18, 19. In tribus locis prioribus est vox ἀπολύτρωσις, quam *Socinus* definit, Liberationem captivi e manu detinentis pretio detinenti dato. Sed per se patet, captivitatem spiritualem hic spectandam: (vide *Jes*. 52. 2. *Eph*. 4. 8. 2 *Tim*. 2. 26.) & talis pretii dationem qualis in pœnis obtinet. Unde in locis allegatis expresse adjicitur *sanguis Christi*; itemque 1 *Petr*. 1. 18, 19. appellatio *Agni*, & quidem opposite ad *aurum*, *argentum*, &c. quibus alias inter homines Redemtio nonnunquam peragitur. His adde emphaticam ἀντιλύτρου expressionem. 1 *Tim*. 2. 5, 6. Confer *Matth*. 20. 28. *Marc*. x. 45: cum *Psal*. 49. 8, 9.

3. Alia constructione *Hebr*. 9. 15. dicitur *Mors Christi intercessisse ad* Redemtionem *transgressionum*. Ita scil. notatur compensatio criminum, sive satisfactio pro iis.

4. Huc etiam pertinent phrases æquipollentes; 1 *Cor*. 6. 20. vij, 23. *Emti estis pretio*. *Act*. 20. 28. *Deus*

Ecclesiam proprio suo sanguine acquisivit. Adde *Gal.* 4. 4. 5. iij, 13. *Ioh.* 6. 51.

XXXII. *Exc.* Verbum *Redimendi* frequentissimè sumitur pro qualicunque liberatione. *Resp.* Impropria istius vocis significatio non adeo frequens est, quam quidem opinantur Adversarii: nam multis in locis, ut *Exod.* 15. 13. *Deut.* 7. 8. aliisque, ubi de liberatione Israelitarum ex Ægypto per Mosen agitur, (quæ redemtionis nostræ per Christum typus erat (adhibitum fuit, atque adeo recte consideratur λύτρον, redemtioni isti typicæ conveniens; Agnorum scil. Paschalium: Cum cæteroquin cædendi etiam fuissent ipsorum primogeniti; quibus deinde surrogati sunt Levitæ, & reliqui siclis æstimati ac redemti: *Exod.* 12. 12, 13; 22, 23, 27. xiij, 2. xxx, 12, 13. *Num.* 3. 47. viij, 14, 19. Atque hinc Moses redemtionis istius typicæ minister, typice etiam Λυτρωτὴς appellatur; *Act.* 7. 35. In aliis locis quàm plurimis ipsius Christi Redemtio innuitur.

Obj. 1. Dicimur *à Diabolo captivi facti*; 2 *Tim.* 2. 26. & *metu mortis damnates servitutis*, cujus ille habebat imperium; *Hebr.* 2. 14, 15. consequenter λύτρον non Deo, sed Diabolo fuisset persolvendum. *Resp.* Homo peccando obligatus erat, & Deo, & Diabolo: nam quantum ad culpam, Deum offenderat, & Diabolo se subdiderat, ei consentiens: quantum vero ad pœnam, Deo principaliter obligatus erat, ut Iudici; Diabolo tantum ut tortori: quapropter per respectum ad Deum justitia postulabat, ut Homo sic redimeretur; non autem per respectum ad Diabolum.

Obj. 2. Christus totus Dei fuit, aut (ex vestra sententia) ipse Deus summus; nihil igitur potuit Deo summo tradere & persolvere. &c. *Resp.* In debito pœnali non requiritur realis traditio & acceptio: sufficit pœnas ferri, & æstimari, in ordine ad justitiam punitivam; sicut etiam fit in damnatis.

Obj. 3. *Apoc.* 5.9. xiv. 4. & alibi, dicimur *Deo* emt per sanguinem Christi. At vero pretium non debetur nec persolvitur ei, cui res emta acquiritur. Ergo. *Resp.* Ante hanc ἀπολύτρωσιν Dominio ac Iudicio Dei procul dubio eramus subjecti: sed liberati sumus ab ipsius ira & justitia vindicativa, per Christi ἀντίλυτρον, in ordine ad istam justitiam. Summus autem finis est, ut ex illa miseria redemti, Deo serviamus liberali sanctitate ac justitia in gloriam Ipsius: *Luc.* 1. 74, 75. *Rom.* 6, 13, 16, 19, 22, 23. *Hebr.* 9. 14.

XXXIII. *Salvatorem* sonat nomen proprium *Iesu*: de quo sup. th. 2. Hic autem est Salvator *verus*, *perfectus*, & *unicus*. *Verum* dicimus, opposite ad typos V. T. quorum *veritas per ipsum præstita est*: *Ioh.* 1. 17. & nominatim ad *Iesum* illum alias *Iosuam*, filium Nun, qui Israëlitas salvos introduxit in terram Canaan; *Hebr.* 4. 8. cum *Deut.* 31. 23. *Ios.* 1. 2, 6. Itemque ad alterum, filium Iozedek, Sacerdotem maximum, quo in sacris Antecessore facta est restitutio ex captivitate Babylonica; *Ezr.* 3. 1, 2. *Zach.* 3. 1, 4, 5.

Perfectum; ratione termini à quo, omnis miseriæ spiritualis; & termini ad quem, omnimodæ salutis, tum impetratæ, tum applicatæ: Hebr. 7. 25. *Servare perfecte potest eos, qui per ipsum accedunt ad* Deum. *Col.* 2. 9, 10. *In eo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*: *Et estis in eo completi.* 2 Petr. 1. 3. *Prout Divina vis ipsius omnia nobis donavit, quæ ad vitam & pietatem* pertinent. Adde Hebr. x. 24. Rom. 8. 1. *Ioh.* 1. 16. 1 *Ioh.* 1. 7.

Unicum, ob rationes allegatas sup. th. 29. Perperam ergo *Pontificii* salutem suam, tum in propriis, tum in aliorum hominum satisfactionibus ac meritis quærunt; quasi non foret in nostro Iesu omnis plenitudo. *Gal.* 5. 4. *Inanes facti estis, separati à Christo, quicunque per legem justificamini; & a gratia excidistis.* Adde *Ies.* 55. 2. *Ierem.* 2. 13.

Obj. 1 *Tim.* 4. 16. *Intentus esto tibi ipsi, & doctrinæ; & permane in istis: id enim si feceris, & te ipsum servabis, & eos qui te audierint.* Ergo etiam alii servant, &c. *Res.* Non salutem impetrando, nec principaliter applicando: sed per gratiam Dei in Christo, viam ingrediendo, & aliis monstrando, quâ itur ad possessionem ac fruitionem salutis: *Eph.* 2. 8, 9. 2 *Cor.* 5. 19, 20. 1, iij. 5.

XXXIV. Superest titulus *Uncti*; undè agnomē *Christi*: sup. th 1. *Unctio* cerimonialis sub V. T. ad triplex *officium* legitur adhibita; *Propheticū*: 1 *Reg.* 19. 16. *Sacerdotale*; *Exod* 30. 30. *Lev.* 8. 12. & *Regium*; 1 *Sam.* 10, 1. xvj. 13. 1 Reg. 19. 15. 16. Sic Divina illorum ordinatio ad ista officia, & simul specialis pro re nata donorum collatio, quasi peculiari sacramento fuit obsignata.

Christus autem conjunctim est *Propheta*: *Deut.* 18. 15. *Prophetam è medio tui, è fratribus tuis, sicut ego* sum, *suscitabit tibi Iehovah* Deus *tuus: ei auscultate.* quod Christo applicatur, *Act.* 3. 22. Item *Ies.* 61. 1, 2. *Spiritus* Domini *Iehovi* est *super me, eo quod* Unxit *Iehovah me, ad euangelizandum mansuetis,- ad proclamandum captivis libertatem,* &c. Confer Luc. 4. 16,- 21.

Sacerdos; *Psal.* 110. 4. *Iuravit Iehovah;- Tu es Sacerdos in sæculum secundum ordinem* Melchizedeki, cum *Hebr.* 7. 15,- 17; 24,- 26. Similiter *Zach.* 6. 12. 13. *Sic ait* Iehovah;- *Ecce virum, cujus nomen est* GERMEN:-- *Eritque Sacerdos in solio suo,* &c.

Rex: *Ps.* 2. 6. *Ego inungens* Regem *meum, præfeci Tzioni. Zach.* 9. 9. *Exulta, Filia Tzionis!-- ecce* Rex *tuus adveniet tibi, justus, & salute præditus. Apoc.* 17. 14. *Agnus vincet eos,- quoniam Rex Regum est.*

Sic ergo Christus necessitati nostræ opitulatur plenissime: Ignorantiæ, docendo, ut Propheta; Reatui, expiando, & justitiam impetrando, ut Sacerdos; reliquis malis tristibus, ab iis nos eripiendo, & salutem conferendo, ut Rex: 1 *Cor.* 1. 30. Ordine naturæ primum est Munus Sacerdotale, quo salus nobis impetra-

tur: succedit Propheticum, quo hæc impetrata annunciatur, & moraliter revelatur: sequitur Regium, quo eadem applicatur reali efficacia. De Prophetico tamen tractari solet primo loco, quia ipsum ante alia à nobis percipitur, & nos in reliquorum notitiam ducit.

XXXV. *Munus* ergo Christi P*ropheticum* est, quo ipse sapientiâ rerum Divinarum instructissimus, eandem fideliter & efficaciter docet, præcipuè populum suum, ad ejus salutem, & Dei gloriam. Hinc *κατ' ἐξοχὴν Doctor* appellatur; M*atth*. 23. 8, 10. & *Apostolus professionis nostræ*; Heb*r*. 3. 1. Nec mirum, cum ipse sit ὁ Λόγος; Jo*h*. 1. 1, 14. & S*apientia* hypostatica; P*rov*. 8. 1. & seqq. Consequenter Prophetia aliter omnino competit Christo, quam ullis aliis Prophetis: scil. non tantum per modum actus secundi transeuntis; sed per modum habitûs semper in ipso manentis: non ex principio externo, sed interno Sp. S. qui ipse est Spiritus Filii; *Gal*. 4. 6. Unde arcana Dei ad instructionem populi docere potuit, quoties & quantum ipse voluit. Jo*h*. 3. 12, 13. S*i terrena dixero vobis, & non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis? Nullus enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit à cœlo*; nempe F*ilius hominis qui est in cœlo*. 34. Is demum *quem misit* Deus, *verba* D*ie loquitur*; *non enim* huic *admetitur* Deus S*piritum*. Sic ille Summus fuit Propheta: reliqui tantum subordinati; & ab ipso, ac ipsius Spiritu, acceperunt revelationes, quando & quantum ipsi placuit: Jerem. 42. 7,-. 1 Petr. 1. 10, 11, 12.

XXXVI. Docuit autem omnia ad salutem necessaria, sive fidem spectes, sive mores vivendi: Euangelium ut ipse implevit, sic impletum primus prædicavit. Hebr. 2. 3. *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem; quæ cum primum enarrari cœpit per ipsum Dominum*, &c. speciatim vero prophetias ac typos V. T. in seipso compleri clare demonstravit: & Legē moralē a corruptelis Pharisæorū probe vindicatā, unice observandam docuit.

Ipse

Ipse in hoc munere summam præstitit *fidelitatem*. *Fidelis* dicitur, *Hebr.* 3. 2. *Viam Dei in veritate docuit*, fatentibus adversariis; *Matth.* 22. 16. Hinc tam pathetice, xxiij. 37. *Quoties volui congregare liberos tuos, ut gallina congregat pullos suos!* Adjunxit quoque *efficaciam* tum *moralem*, docendo solide, prudenter, familiariter, cum gratiâ & auctoritate: *Matth.* 7. 29. *Ioh.* 7. 45, 46. Itemque doctrinam suam multis miraculis confirmando; *Matth.* 4. 23, 24. xj. 4, 5. *Joh.* 5. 19, 20, 21, 36. x, 37, 38. tum insuper *realem*; intellectum subjective illuminando ad veritatem agnoscendam; & voluntatem flectendo, ad obsequium: potissimum per veram regenerationem & sanctificationem, ad fidem salvificam & sanctimoniam minime simulatam; *Act.* 5. 31. xvj. 14. *Luc.* 17. 5. *Eph*: 1, 17, 18.

Cæterum doctrinam suam tum *immediate* proposuit; non intercedēte creaturæ alicujus opera: quemadmodum sub V. T. Patriarchis & Prophetis ipse nonnunquam apparuit, & mysteria salutis revelavit; *Gen.* 18, 22. cum *Joh.* 8. 56. atq; iterum in diebus carnis suæ Discipulos suos, aliosq; familiariter docuit: *Matth.* 4. 17, 18; 23. v, 1, -, *Luc.* 4. 15, -22. tum *mediate*, per Ministros, sive extraordinarios, sive ordinarios: *Eph.* 4, 11, 12. rarius per Angelos: *Apoc.* 1. 1. *Luc.* 2. 8, -14 *Hebr.* 22. 2. Interna autem realiter efficax operatio fidei & resipiscentiæ ab ipso Christo per Spiritum suum, procedit semper immediate; quanquam ad externam & moralem operationem, causæ istæ instrumentales mediæ accedunt: 1 *Cor.* 3. 5, 6, 7, 9. xij. 3, - 11.

XXXVII. Munus Christi *Sacerdotale*, ordinatum est ad peccata nostra expianda; & favorem complacentiæ Divinæ nobis conciliandum. Huc pertinet generalis Descriptio, *Hebr.* 5, 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumtus pro hominibus constituitur in iis quæ apud Deum* agenda sunt, *ut offerat dona & victimas pro peccatis.* Confer sup. th. 34. ubi modo probavimus, Chri-

Christum *Sacerdotem* esse. Sed nunc contra *Socinianos* asserimus amplius, Christum esse *verum sacerdotem*: atque hoc ipsius officium vere distinctum, ut à *Prophetico*, sic à *Regio*. Nam

1. In Christo est veritas omnium eorum, quæ Lege Cerimoniali præfigurabantur: *Ioh.* 1, 17. *Col.* 2. 17. *Hebr.* 10. 1. Ergo verum Sacerdotium, & veri actus Sacerdotalis in ipso agnosci debent, ex Sacerdotio, & actibus Sacerdotalibus typicis V. T.

2. *Hebr.* 5. 1 describitur verus ac proprie dictus Pontifex: atque ista descriptio mox Christo applicatur, *vers.* 5 -9. Similiter fere, viij. 3. *Omnis Pontifex ad offerenda dona & victimas constituitur*: *Unde necesse fuit, Hunc quoque habere quod offerret.*

3. Christus est Sacerdos secundum ordinem, non Aharonis, sed Melchizedekis & quidem talis cum juramento constitutus: *Hebr.* 7. 21. Ergo verus & proprie dictus. Fideles enim sub N. T. qui metaphoricè Sacerdotes appellantur, nulli ordini accensentur. Et siquidem non ipsa veritas, sed similitudo solum spectaretur, certe Christus similitudinem satis insignem habet cum Sacerdotibus Aharonicis.

4. Apostolus *Hebr.* 7. & seqq. ex instituto probat, Christum in ratione Sacerdotii longe præstantiorem esse Sacerdotibus Legalibus. Sed metaphoricus Sacerdos non potest esse perfectior vero Sacerdote in ratione ipsius Sacerdotii; cum ista veritate destituatur.

Obj. 1. *Hebr.* 3. 1. duo solum officia Christi commemorantur; Propheticum & Sacerdotale: Ergo Sacerdotale non est reipsa distinctum à Regio. *Resp.* Nego consequentiam: nam & Regium ei tribuitur; tum alibi, tum *Hebr.* 1. 2, 8, 13. & actus muneris Regii plane differunt ab actibus muneris Sacerdotalis.

Obj. 2. Sacerdotio substernitur, quod Christus sit Filius Dei; idem alibi Regno substernitur: Ergo. *Resp.* Iterum nulla est consequentia: eadem illa excellentia

præ-

prærequirebatur in utroque isto officio; imo etiam in Prophetico ejus munere, ad salutarem effectum.

XXXVIII. Typi autem respectu istius officii fuerunt, non solum Summus Sacerdos V. T. ex ordine Levitico; & specialiter extra eum ordinem Melchizedek: sed etiam Sacerdotes reliqui. Confer sup. cap. 2. th. 24, 25, 26. Hos enim non esse hic omittendos, quemadmodum & reliqua sacra expiatoria præter anniversaria & stata illa, quæ pro toto populo fiebant, contra *Socinianos* etiam probamus:

1. Quia Hebr. 9. 13. omnis omnino carnalis per victimas purificatio, quæ in conscientia non poterat consummare cultorem cum spirituali purgatione Christi confertur; cujus sanguis nos purgat ab omni peccato. Neq; enim Apostolus in specie tantum agit de sanguine victimarum in anniversario expiationis sacrificio; quem sanguinem *hircorum* & *vitulorum* appellat, *vers.* 12. sed in genere de omnibus victimis & purgationibus V. T. recensendo sanguinem *taurorum*, & *hircorum*, & *cinerem juvencæ*, *vers.* 13. Vide quæ sequuntur *vers.* 21. &c.

2. Quia Hebr. 10. 1. Lex cerimonialis in universum dicitur *obtinuisse umbram futurorum bonorum.* & *vers.* 5, 6, 8. nominantur, *Sacrificium*, *Oblatio*, *Holocautomata*, & *Hostia pro peccato*; quæ certe latius patent anniversariis istis & statis sacris: quod autem de iis negatur, id *unicæ oblationi corporis Christi* tribuitur *vers.* 10. Ac deinceps *vers* 11. Apostolus de *omni Sacerdote* universim loquitur, qui *quotidie* (N. B) *adstat, sacram functionem obiens, & easdem offerens hostias quæ nunquam possint auferre peccata*: Christum vero asserit, una pro peccatis in perpetuum oblata victima, consedisse ad dextram Dei, *vers.* 12.

3. Quia similiter Col. 2, 17. omnia & singula Legis cerimonialis instituta, dicuntur *umbra rerum futurarum; corpus autem Christi*: Itemque Joh. 1, 17. *Lex per Mosen data; gratia autem & veritas per Iesum Christum facta.*

facta. Consequenter in omnibus istis ratio typi agnoscenda est; nec sola sacrificia summi Sacerdotis stata & anniversaria pro typis admittenda.

4. Agni Paschales, potissimum in prima institutione, vim aliquam typice expiatoriam habuerunt; *Exod*. 12. 13, 22, 23, 27. cujus memoria quotannis recolebatur: atque interim Christus præfigurabatur; 1 *Cor*. 5. 7. *Ioh*. 19. 36. Ergo non subsistendum in solis illis sacrificiis anniversariis summi Sacerdotis, & statis illis quæ reputant *Sociniani*.

XXXIX. Interim haud gravate concedimus, illustrioris typi rationem fuisse in Summo Sacerdote: maxime autem in *Melchizedeko*. 1. Quia ipsum hujus nomen notat *Regem justitiæ*: Christus vero justus, nos sua justitia constituit justos: *Jes*. 53. 11. *Ierem*. 23, 6. 1 *Cor*. 1. 30. 2. v. 21.

2. Quia ipse erat *Rex Salem*, h. e. *Pacis*. At Christus vere est *Princeps pacis*; *Ies*. 9. 5. & *pax nostra Eph*. 2. 14.

3. Quia simul erat *Rex hominum*, & *Dei Sacerdos*. Idem de Christo dicendum, juxta th. 34.

4. Quia Abrahamo benedixit, & decimas ab eo accepit, atque adeo ab ipso Levi in lumbis ejus. Hoc enim quoque pertinuit ad eminentiam Christi præfigurandam: *Hebr*. 7. 4, 5, 6, 8, 9, 10.

5. Quia nec ejus genealogia, nec ætas, usquam commemoratur: nam & Christi generatio, præsertim Divina est ineffabilis; atque item æterna duratio.

6. Quia denique nullos, vel Antecessores, vel Successores, in Sacerdotio habuit: sic enim & Christus unicus est Sacerdos, peccata nostra vere expians, & conscientias mundans, quoad statum internum & æternum; quod nulli vel ante, vel post eum competit; *Hebr*. 13. 8. cum 10, 2, 3, 4, 10, 11, 12. vij. 23, 24.

XL. *Actus Sacerdotales* potissimum sunt Oblatio & Inter-

Intercessio. *Oblatio* est Actus Christi Sacerdotalis, quo se ipsum sanctissimum, nobisque conjunctissimum, suscepto in se omni nostro reatu, semel in cruce per Sp. Sanctum Deo obtulit; ad faciendam peccatorum nostrorum expiationem, & impetrandam remissionem iniquitatum æternam. Hinc *Eph.* 5.2. *Christus tradidit semet ipsum pro nobis oblationem ac victimam* Deo, *in odorem bonæ fragantiæ. Hebr.* 9.14. *Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum æternum se ipsum obtulit inculpatum* Deo, *emundabit conscientiam vestram à mortuis operibus ad colendum* Deum *vivum?*

Christus autem idem *Sacerdos* fuit secundum utramque naturam conjunctim: *Hebr.* 5.6,7. cum *Psal.* 110.4. *Sacrificium*; secundum humanam tantum: unde specialim Corpus exprimitur, *Hebr.* x. 5. 10. 1 *Petr.* 2. 24. *Col.* 1.21, 22. Sanguis, *Col.* 1.20. *Hebr.* 9.12. xiij, 12. & Anima *Ies.* 53. 10. *Matth.* xx. 28. Ac denique *Altare*, secundum Divinam naturam proprie; cum ab eâ processerit sanctificatio & valor Sacrificii; *Hebr.* 9.14. xiij, 10, 12, 15. cum *Matth.* 23. 19. & *Joh.* 17, 19.

XLI. *Unica* duntaxat est *oblatio* Christi, quam ipse peregit in *Cruce*: unde 1. *Hebr.* 9. 11, 12. Christus *per proprium sanguinem ingressus est semel in sacrarium æternam redemtionem nactus.* Vide porro *vers.* 15,-18; 22, 23.

2. Iterum *vers.* 25,-28. *Neque ut sæpe offerat semet ipsum: -sed nunc semel, - ad peccatum per immolationem sui ipsius in medio tollendum, factus est manifestus. -Christus semel oblatus,* &c.

3. Similiter x. 10. *-Sanctificai sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel* factam.

Deinde 4. *vers.* 12. *Una pro peccatis oblata in perpetuum victima, consedit ad dextram Dei,* & *vers.* 14. *Unica enim oblatione consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur.*

Soci-

Sociniani contra negant, Christum in terris vere Sacerdotem fuisse, ibique Sacrificium obtulisse: sed passiones & mortem ejus putant fuisse conditionem tantum præcedaneam, ad functionem Sacerdotalem in Cœlis demum peragendam.

Obj. 1. *Hebr.* 7. 26. Pontifex noster *sublimior cœlis* evadere debuit: cum alioquin, *Si esset in terra, ne Sacerdos quidem esset*; viij. 4. Ergo, &c. *Resp.* Nihil inde colligitur; nisi quod Christus, ut functiones suas Sacerdotales plené obiret, cœleste sacrarium, ad peragendam Intercessionem, debuerit ingredi. Nam si post oblatum sacrificium semper in terris mansisset, ibique omnem functionem sacerdotalem absolvisset; Sacerdotium ipsius, nec Levitico præstantius fuisset, nec efficacius.

Obj. 2. *Hebr.* 7. 16. *Pontifex* dicitur factus *secundum vim indissolubilis vitæ.* Ergo Pontifex non fuit, quamdiu mortalis. *Resp.* Apostolus minime negat Christum fuisse Pontificem, priusquam actu haberet humanam vitam indissolubilem; sed docet solum eam ad absolvendas functiones aliquando fuisse necessariam, *vers.* 25. Interim Christus vim indissolubilis vitæ habuit secundum Deitatem, etiam cum mortalis esset, & moreretur, secundum humanitatem; qua virtute postmodum humana ipsius natura facta est immortalis: *Joh.* 2, 19. x, 18. *Hebr.* 9. 14. 1 *Petr.* 3. 18. *Rom.* 1, 4.

Obj. 3. *Hebr.* 5. 9. 10. *Cum perfectus esset redditus*, dicitur, *factus obedientibus sibi omnibus causa salutis æternæ: appellatus à Deo Sacerdos secundum ordinem Melchizedeki.* Ergo ante illam consummationem non fuit Sacerdos. *Resp.* Illud dicitur respectu applicationis gloriosæ, quam in Cœlis peragit modo glorioso; licet etiam prius salutem promiserit & contulerit plurimis: *Matth.* 9. 2, 6. *Joh.* 6. 33. *Luc.* 23. 43. Hoc respectu Intercessionis perpetuæ: *Hebr.* 7. 25. Quemadmodum ergo prius etiam fuit Mediator,

tor; Redemtor, Salvator: sic quoque Sacerdos.

XLII. Sed & *Pontificii* oblationem Christi adhuc quotidianam statuunt in Missa, per Sacerdotes suos, pro peccatis, ut loquuntur, tum viventium, tum mortuorum in commentitio suo Purgatorio laborantium. Verum de abominando illo & Antichristiano sacro alibi ex professo.

Crux in oblatione Christi non fuit proprie Altare: cum istud victimam sanctificet: *Matth.* 23. 19. Sed merum duntaxat maledictionis symbolum fuit: scriptum est enim: *Execrabilis est quisquis pendet in ligno*: *Gal.* 3. 13. *Deut.* 21. 23.

XLIII. Proprius oblationis Christi *effectus* est, vera peccatorum expiatio, & remissionis impetratio: *Eph.* 1: 7. *Col.* 1. 14. *Rom.* 3. 24, 25. quam ipse pro omnibus & singulis electis impetravit sufficienter, & applicat efficaciter: *Hebr.* x, 14. *Rom.* 8. 34.

Nec audiendus hâc in parte *Socinus*, contendens ex locis *Hebr.* v, 3. & vij. 26, 27. Christum non minus, quam legalem Pontificem, *quemadmodum pro populo, ita etiam pro semet ipso, pro peccatis* obtulisse: nam posterius istud membrum Christo non est applicandum; qui cum esset sanctissimus, necesse non habuit *pro peccatis propriis victimas offerre*. *Hebr.* 7. 26. Nec est quod Adversarius ad infirmitatem carnis confugiat; hoc est, ad mortalitatem & patibilitatem in Christo: illa enim à peccatis diversissima est: iv, 15. Et quæ, sodes super propria mortalitate & patibilitate in cœlis fieri potuit oblatio; cum Christus, ex *Socini* sententia, post resurrectionem demum, in cœlis Sacerdos factus, immortalis jam tum & impatibilis fuerit?

XLIV. Sequitur *Intercessio*, Actus Christi Sacerdotalis, quo æternam oblationis suæ virtutem, suamque de promovenda salute nostra voluntatem, convenienter nunc statui suo glorioso, in cœlis repræsentat coram Patre. Hinc *Hebr.* 9. 12. *ingressus* dicitur

cœleste *sacrarium*, *per proprium sanguinem*, *æternam redemtionem nactus*: atque ita *vers.* 24. *comparere coram facie Dei pro nobis*. Sic *Advocatum habemus apud Patrem*; 1 *Joh.* 2. 2. qui *pro nobis interpellat*; *Rom.* 8. 34. & quidem ita, ut *Pater eum exaudiat*; *Ioh.* xi. 42. *nos ipse diligat*; xvj, 27. & *nondum clamantibus respondeat*; *Ies.* 65. 24. Imo etiam Christus per Spiritum suum in cordibus fidelium interpellat gemitibus inenarrabilibus. *Rom.* 8. 26. Precesque nostras, & gratiarum actiones, quæ in ipsius nomine fiunt, Deo acceptas facit: *Apoc.* 8. 3. 4. *Ioh.* 14. 13, 14. xvj, 23. Confer *Eph.* 3, 12. *Hebr.* 4, 16.

Intercessio ista Mediatoria, soli Christo propria est; non Angelis, aut Sanctis demortuis communis: Nam 1. solus Christus est Pontifex noster, habetque hoc officium ἀπαράβατον: *Hebr.* v. 5, 6. vij. 4, 6, 7, 11, 16, 17, 21, 22, 24. &c.

2. Cujus est ipse oblatio, ejus quoque est oblationis repræsentatio, *Hebr.* 9. 12, 24. *Rom.* 8, 34. 1 *Ioh.* 2. 1. 2.

3. Nec ullus est, qui immediate pro nobis ad Deum accedat, præter eum qui est עִמָּנוּאֵל. *Ioh.* 14. 6. *Eph.* 3. 12.

4. Reliqui omnes, quos *Pontificii* Intercessores volunt, singulares nostras necessitates ignorant: *Ies.* 63. 16. *Ioh.* 14. 21. 2 *Reg.* 22. 20. Confer sup. cap. 9. th. 23

XLV. Munus Christi *Regium est*, quo ipse omnia cum auctoritate gubernat ac dispensat, ad salutem electorum. Sic ipse *Rex* appellatur, *Psal.* 2. 6. Pastor; *Ioh.* x. 11, 14: Magnus pastor; *Hebr.* 13. 20. Princeps Pastorum; 1 *Petr.* 5. 4. & Caput Ecclesiæ; *Eph.* 1. 22 v. 23. *Col.* 1. 18. Prout autem duplex est ipsius Christi consideratio, ita potestas Regia ei competit, tum Theologice, qua Deo præcise; tum Oeconomice, qua Mediatori. Sed posterior consideratio hujus loci est propria.

Re-

Regnum hoc Christi terrenum non est; sed spirituale: *neque* enim *venit Filius hominis, ut sibi ministretur, sed ut ministret*; *Matth.* 20. 28. quapropter ipse tam emphatice; *Regnum meum non est ex hoc mundo*: *Joh.* 18. 36. Confer *Joh.* 6. 15. *Luc.* 17. 20, 21. Item *Zach.* 9. 9. *Jes.* 53. 2, 3.

Estque universale, tum respectu omnium sæculorum: unde *æternum* dicitur, & *staturum in sæcula*: *Dan.* 2. 44. *cujus non erit finis*: *Luc.* 1. 33. tum etiam respectu subjectorum: *Psal.* 2. 8. *Donabo gentes in possessionem tuam, & fines terræ jus possessionis tuæ.* *Dan.* 7. 14. *Huic datus est dominatus, gloriaque & regnum; ut omnes populi, nationes; & linguæ ei serviant.* Attamen sub aliquo discrimine; *alii* enim Christo subjiciuntur fideliter, & ex animo; de quibus *Psal.* 110. 3. *Populi tui oblationes voluntariæ*, &c. Hos autem Ipse quadam participatione facit *Reges*, qui regnabunt in terra inchoate, quod vocatur *Regnum gratiæ*; & in cœlis perfectè, quod est *Regnum gloriæ*: *Apoc.* 5. 10. iij. 21. *Alii* non nisi inviti, & tanquam rebelles, contrario animo prorsus affecti, Regem istum, ut Judicem severum, extimescunt; qui interim eorum ministerio, ad electos suos varie exercendos, subinde solet uti; sed tandem, ut hostes subjugatos, juste puniet. De quibus vide *Matth.* 7. 21, 22, 23. viij. 12. 2 *Petr.* 2. 1. Atque istud *Regnum Potentiæ* dicitur.

XLVI. *Actus* ejus sunt potissimum, 1. Ecclesiæ collectio: sic Christus *oves* ipse *adducit*: *Joh.* x. 16.

2. Collectæ conservatio: *Virtutis Dei præsidio custodiuntur*; 1 *Pet.* 1. 5.

3. Gubernatio per Verbum & Spiritum: *Docet suos facere placita ipsius, & Spiritu suo bono deducit*; *Psal.* 143. 10.

4. Defensio: *Non peribunt in æternum, neque rapiet eos quisquam è manu ipsius*; *Ioh.* 10. 28.

5. Glorificatio: *Reposita est* ipsis *justitiæ corona*,

quam reddet ipsis Dominus in illo die; 2 Tim. 4. 8.

6. Hostium gloriosa subjectio: *Nam oportet eum regnare, usque quo omnes inimicos subjecerit pedibus ejus*; 1 Cor. 15. 25.

Eorumque 7 justa punitio: *Siquidem justum est apud Deum, vicissim reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem-in revelatione Domini* Jesu *de cœlo*, &c. 2 *Thess.* I. 6. 7.

XLVII. Consequenter soli Christo proprium est hoc Regnum: Nam 1. Ipsi, ut Mediatori, ista ἐξοχὴ passim attribuitur: ut ostensum.

2. Substernitur ei Divina Filiatio: *Psal.* 2. 6, -8. *Hebr.* 1. 1, -9.

3. Actus ejus tales sunt, ut à merâ creatûra proficisci non possint.

4. Ipse dicitur Caput; E*ph*. 1. 22. v. 23 Fundamentum unicum: 1 *Cor*; 3. 11. & Sponsus Ecclesiæ; *Joh.* 3. 29. quæ ut Casta *Virgo uni* tantum sistenda *Viro*, scil. Christo; 2 *Cor*. xi, 2. Sic omnia unitatem spirant.

U*num* igitur in hoc Regno spirituali M*onarcham*, & *unum* D*ominum* piè confitemur, juxta *Eph.* 4. 5. cujus Principatui subordinatum est in Ecclesiis Ministeriũ: *Eph*. 4. 11. 1 *Cor.* 4. 1, 2. Sed Dominus disertè, *Luc.* 22. 25, 26. R*eges gentium dominantur eis*; -. *Vos autem non ita estote*. Confer *Matth*: 23. 8, -12. Sic ruit jam sua sponte, Antichristianum istud P*ontificiorum* commentum, quo Petrum fingunt fuisse Principem Apostolorum, & Vicarium Christi: nam præterquàm quod inepta sit à Petro ad Pontificem consequentia; ad ipsam Petri confessionem, & sincerum de muneris sui functione testimonium, eos ablegamus; qui 1 *Petr.* v, 1, 2, 3. P*resbyteros, qui inter vos sunt, precor ego, una Presbyter*, -- P*ascite* D*ei gregem* -- *non ut dominantes Cleris, sed ut qui sitis exemplaria gregis*. Confer *Gal.* 2. 6. -9; 11, -. 2 *Cor*. xi. 5. &c.

XLVIII. Hactenus de O*fficiis* C*hristi*. Nunc de vario

rio ejus *Statu* dispiciendum: alius enim fuit status ipsius *Incarnandi*; de quo sup. alius *Incarnati* Atque hic iterum vel *Humiliationis* est, vel *Exaltationis*. *Status humiliationis* est, in quo Mediator noster Θεάνθρωπος realiter Legi fuit subjectus, ad peragenda & sustinenda in humanitate sua omnia, quæ per justitiam Dei ad nostri redemtionem & salutem æternā pertinebant. De hoc, *Phil.* 2. 7, 8 *ipsesese inanivit forma servi accepta, & habitu inventus ut homo, ipsese submisit, factus obediens usque ad mortem*, &c. Atque iterum, *Gal.* 4. 4, 5. *Emisit* Deus *Filium suum, factum ex muliere, factum Legi subjectum; ut eos, qui Legi subjecti erant, redimeret.* Interim spectandæ veniunt in hoc statu ejus *Vita* & *Mors*, ac rursus, *Vitæ Initium* & *Progressus* Ad *Initium* pertinent *Conceptio*, & *Conformatio*; de quibus sup. th. 7.-13. & *Nativitas*.

XLIX. *Nativitas Christi* est, Ipsius secundum humanam naturam, ex utero Virginis Mariæ justo tempore in lucem facta editio. *Luc.* 2. 6, 7. Circa modum hujus, non assentimur *Pontificiis*, & *Ubiquitariis*, qui contendunt, Mariam peperisse clauso utero, & sine dolore: Nam 1. & ipsa dies purgationis suæ habuit, quibus impletis infans Hierosolymam adductus est, Domino sistendus juxta Legem, *Exod.* 13. 2. *Luc.* 2. 22, 23. *Omnis masculus primogenitus* (Græce, *aperiens uterum*,) *sanctus Domino erit*, &c. Sic *apertio uteri* planè asseritur, sine qua verus partus existere non potuisset; cum dimensionum penetratio contradictoria sit: nec miraculosum ex utero exitum Scriptura doceat. Istam vero solutionem post lapsum *dolor* comitatur; juxta *Gen.* 3. 16. Nec de Maria secus est statuendum; quæ & ipsa peccatrix fuit, & aliis quoque doloribus obnoxia: *Luc.* 2. 35.

Obj. 1. *Cant.* 4, 12. *Hortus clausus, fons obsignatus*, &c. Ergo. *Resp.* Locus ille non de Virgine Maria, sed allegorice de Ecclesia intelligendus est; quæ optima

fide se castam conservat Christo, & fructus suos ac proventus integros.

Obj. 2. *Ies.* 66. 7, 8. *Cum nondum parturiet pepererit: eum nondum invadet dolor eam, jam posuerit marem.* Ergo. *Resp.* Istud quoque de mirifice gignendis in Vocatione Gentium Ecclesiæ liberis accipiendum est. Ideo sequitur: *An efficeretur, ut pariat terra die uno? an gignetur gens vice una? quod parturit, simulque parit Tzion filios suos.*

Obj. 3. Sic Maria non mansisset virgo in partu: Ergo. *Resp.* Ista uteri apertio non magis, quam expurgatio menstrua, adversatur virginitati: hæc enim proprie consistit in negatione commercii virilis.

I. In *progressu* spectanda primum *Vita privata*; ubi statim apparuit insignis *Paupertas*, & *Humilitas*: unde 2 Cor. 8. 9. *Nostis beneficentiam Domini nostri Iesu Christi, Eum propter vos pauperem esse factum* &c. Ita mox à nativitate fasciis involutus, & in præsepi reclinatus est, *eo quod non esset ipsis locus in diversorio*: Luc. 2. 7. & *ingrediens mundum*, dixit; *Ecce adsum - ut faciam, Deus, voluntatem tuam*: *Hebr.* x. 5, 7. Sic inchoavit statim humilem subjectionem suam ad Legem Dei; eamque tum Moralem, tum Cerimonialem & Politicam Mosaicam; cum non solum esset creatura rationalis, & civis mundi; sed Filius Abrahami, Israelita, & minister circumcisionis factus. Sic ergo speciatim Parentibus & Magistratibus, adeoque & Legibus Politicis humanis, ac nominatim Imperatoriis, in tali tunc Politia, fuit subjectus. Vide *Luc.* 2. 51. *Matth.* 17. 24. - 27. Interim eximendi sunt casus, ubi Ipse operationibus Divinis, aut formaliter Mediatoriis occupabatur: *Joh.* 2. 4, 5. xix, 26. *Luc.* 2. 48, 49. Sed & peculiariter obligavit eum Divina constitutio, & propria Ipsius sponsio, ad ea præstanda ac perferenda, quæ satisfactionis ac meriti nomine pro electis debebantur: *Ies.* 53. 10. 11, 12. *Matth.* 20. 28. *Joh.* x. 18. *Phil.* 2. 6. 7, 8. *Gal.* 4. 4. 5. *Rom.* 5. 18. 19. viij. 3, 4. x, 4.

In

In ipsa infantia respectu Legis cerimonialis valde conspicua est *Circumcisio*; *Luc.* 2. 21. cum *Gen.* 17. 7, 10,-14. *Levit.* 12. 3. Ubi 1. materialiter, Ipsum etiam oportuit subire actum illum obedientiæ. Vide *Matth.* 3. 15. 2. Formaliter, obsignatio promissionis fœderalis optime conveniebat Sponsori & Capiti electorum suorum; ut ipse, qua homo, eam quoque crederet certissime. 3. Quin imo peccatorum remissio (scil. populi sui) per satisfactionem ipsius impetranda, & vita æterna ipsius merito acquirenda, rectissime sic ipsi obsignata fuit: sicut æquum est Sponsorem dum pro debitore numerare incipit, apocham accipere. 4. Idem dicimus de gratia sanctificationis, quatenus ea à capite ad membra redundat. Similiter tenendum, de aliis *Sacramentis*, quibus Ipse insuper usus est.

Vide etiam de *Præsentatione coram Domino*; *Luc.* 2. 22, 23, 24. juxta Legem, *Levit.* 12. 2, 4, 6, 8. *Exod.* 13. 2. *Num.* 8. 16.

LI. *Vita* porro *publica* fuit, qua ipse palam se Messiam esse manifestavit. Hujus *Initiatio* facta est aliquanto post, quam *Johannes Baptista*, Ipsius prodromus. (*Mal.* 3. 1. iv, 5, 6. *Luc.* 1. 5,-80.) ministerium suum publice inchoasset: à quo Christus annos circiter 30 natus, in Jordane baptizatus est. Spiciatim istic notandum ipsius Johannis de Christo testimonium; imo & Cœli, Christo orante, apertio; itemque vox Patris cœlitus missa, ac de Filio testificans; & Spir. Sancti super eum descensus in specie columbæ: *Joh.* 1. 26, 36. *Luc.* 3. 21,-23. *Matth.* 3. 11,-17. *Marc.* 1. 7,-11. atque adeo solennis ejus introductio ad munus suum publice obeundum. Subsecuta est ejus per Spiritum *deductio in desertum*. *jejunium* 40. dierum, & multiplex Diaboli *tentatio*: *Matth.* 4. *Luc.* 4. & *Marc.* 1.

Rejicimus autem commentum *Socinianorum*, qui Christum per hoc tempus in Cœlum raptum, & à Pa-

tre ſuo voluntatem ipſius, & omnia quæ ad muneris ſui functionem pertinebant, edoctum volunt: neque enim Sp. Sanctus nos tale quid docet; & noſtrum non eſt ſapere, ſupra id quod ſcriptum eſt: 1 *Cor*. 4. 6.

Obj. 1. Joh. 3. 13. *Reſp*. Vide ſup. th. 9.

Obj. 2. Atqui Paulus in Cœlum raptus fuit: 2 *Cor*. 12. 2, 3, 4. quanto magis ergo de Chriſto id ſtatuendum? *Reſp*. De Paulo quidem incertum eſt, utrum in corpore, an extra corpus, fuerit raptus. Sed ab ipſo ad Chriſtum non valet conſequentia: hic enim neceſſe non habuit doceri à principio Perſonæ ſuo extrinſeco.

Obj. 3. Moſes per 40. dies ac noctes fuit in monte Horeb cum Deo: *Deut*. 9. 9, 11. Ergo. *Reſp*. Eſto. At non fuit in Cœlum raptus: & alia eſt ratio Moſis, ut famuli; alia Chriſti, ut Filii Dei: *Hebr*. 3. 5, 6. *Joh*. 1. 18.

LII. *Peractio* vitæ publicæ complectitur potiſſimum Euangelii prædicationem, & Miraculorum patrationem; quæ in Hiſtoriis Euangelicis copioſe recenſentur.

Adjuncta quoque fuit *Paupertas*: *Matth*. 8. 20. ſed abſque mendicitate, & voto ſingulari; aut tali ratione exempli, cujus imitatio in nobis eſſet ſatisfactoria, & meritoria: quod tenendum contra mendicantes *Pontificiorum* ordines, eorumque vota ſpontaneæ paupertatis.

Obj. *Luc*. 8. 2, 3. Ergo. *Reſp*. Verum iſta proprie non fuit eleemoſyna: ſed retributio qualiſcunque pro inſtitutione ſpirituali, aliiſque beneficiis ab ipſo acceptis. Vide *Matth*. x. 10. 1 *Cor*. 9. 4, - 14. *Gal*. 6. 6.

Concluſio vitæ Chriſti fuit ejus præparatio ad Mortem; quæ conſiſtebat partim in hujus mediatione: *Joh*. 13. 31, & ſeqq. partim in Diſcipulorum de ea inſtructione & conſolatione; xiv, xv, xvj. partim in ſingulari quadam precatione; xvij. LIII.

LIII. Sequitur *Mors*; Extremus humiliationis actus, quo Christus pro peccatis electorum subiit pœnas quàm maxime horribiles, ad satisfaciendum justitiæ Divinæ, & gloriam ejus declarandam. *Actum* dicimus; non meram *passionem*: propterea quod Ipse, tanquàm Sponsor noster, volens & ex consilio eam subiit. Unde ipse de se, Joh. x. 11. *Bonus pastor animam suam deponit pro ovibus.* & 18. *Nemo tollit eam à me, sed ego depono eam per me ipsum.* Talis autem & tanta fuit ista pœna, ut gravitate sua in isto subjecto patiente, universam illam miseriam æquarit, quam omnia & singula electorum peccata demerebantur: ac proinde eadem genera, membra, & gradus in eâ possunt observari, quæ in pœnis aliorum.

LIV. *Inchoatio* igitur *Mortis spiritualis* in genere *damni*, fuit, Amissio istius gaudii spiritualis in humanâ Christi natura, quod alias ex fruitione Dei & summæ gratiæ perceperat, atque etiamnum percipere potuisset. In genere *sensus*, fuit iræ Divinæ degustatio, & subjectio quædam temporaria ad potestatem tenebrarum: unde orta deprecatio seria; sed tamen cum insigni submissione ad voluntatem Patris: *Luc.* 22. 42, quam excepit Sudor sanguineus: *vers.* 44. adhibita interim *moderatione*, tum *internâ*, per aliqualem remissionem pressuræ in anima; tum *externâ*, per corroborationem alloquii Angelici: *vers.* 43.

Inchoatio mortis corporalis interna, fuit Debilitatio, quæ suppositâ corporis mortalitate per vim externam inferebatur.

Externa, & quidem in genere *damni*, quod ex Discipulis suis à Juda fuerit proditus: *Matth.* 26. 47, 50. à Petro ter abnegatus. 69-74. a reliquis desertus: *vers.* 56. a populo reprobatus & pessimo sicario posthabitus; xxvij. 20, 25. vestibus suis denudatus, 28, 35. ac tandem necessario potû destitutus: *Joh.* 19. 28, 29.

In genere *sensus*, fuit Apprehensio probrosa, tanquam latronis: *Marc.* 14.46,-48. Judicia iniquissima, tum Ecclesiastica; *Joh.* 18. 13, 14, 19,-24. tum Politica; *Matth.* 27. 11,-26. multiplex irrisio, contumelia, percussio; 26, 31. *Luc.* 22. 63, 65. Atque ipsa tandem Crucifixio & quidem nudato corpore, inter duos latrones: ad quam accessit potatio aceti felle & myrrha mixti, blasphemiæ frequentes, & sarcastica tituli inscriptio: *Luc.* 23. 33. *Matth.* 27. 31, 33,-49.

Verum & hic *mitigatio* quædam fuit; utpote Majestatis Divinæ manifestatio in militibus voce sua prostratis: *Joh.* 18. 6. Innocentiæ testificatio ab ipso Pilato aliquoties facta; xix. 4, 6. nec non à Iudâ proditore; *Matth.* 27. 3,-5. denique & auxilium Simonis Cyrenæi in cruce ferendâ, & frequentis turbæ compassio: *Luc.* 23. 26, 27.

LV. *Consummatio mortis spiritualis* in genere *damni*, fuit, Derelictio illa Patris, & omnis consolationis ac lætitiæ spiritualis ad tempus destitutio; unde suprema illa, & pathetica moribundi exclamatio. *Deus mi! Deus mi! Quare dereliquisti me! Matth.* 27. 46.

In genere *sensus* fuit, Maledictio, & extrema judicii Divini perpessio, adversus electorum peccata. Hinc *pro nobis* dicitur *factus execratio*, cujus symbolum fuit suspensio in cruce; *ut nos ab execratione redimeret*; *Gal*, 3. 13. & *pro nobis peccatum* factus, *ut nos efficeremur justitia* Dei *in eo*; 2 Cor. 5. 21. Atque ita *circumdederunt eum dolores mortis, & angores inferni obvenerunt ei*: *Psal.* 18. 16. qui est Descensus ejus ad inferos; prout Catechesis nostra in Symbolo Apostol. rectè explicat μεταφορικῶς. Verum interim est, quod istud Symbolum nec ab ipsis Apostolis ita sit compositum: nec illa verba, *Descendit ad inferos*, ab initio ei fuerint inserta. Sed insuper satis commodè ea accipiuntur de passionibus Christi in anima, ante mor-

mortem; quamvis morti & sepulturæ sint subjecta: videtur enim rerum potius, quàm temporum, ordo servatus; adeò ut externa, & ad oculum magis conspicua, præmittantur; interna vero & spiritualia postmodum subsequantur.

Sic igitur Christus vere pro nobis in anima passus est: neque solum in sensualitate; aut parte, vel facultate illius inferiore; ut *Pontificii* loquuntur; sed etiam in ipsa rationalitate, seu facultate superiore. Addimus nunc specialius *Jes.* 53. 10, 11. *Propter laborem animæ suæ*, &c. & *Matth.* 26. 38. *Undiquaque tristis est anima mea usque ad mortem.* Imo quemadmodum Deo cultum rationalem debemus, in spiritu & veritate præstandum tota anima; *Rom.* 12, 1. *Ioh.* 4. 24. *Matth.* 22. 37. sic ejus omissio, & praxis contraria, pœnas demeretur proportionatas, in spiritu & facultate rationali etiam perferendas. Eas autem Sponsor in se receperat. Idque tenendum inprimis contra *Pontif.* qui animæ Christi quoad rationalitatem attribuunt visionem beatificam ab ipsa statim conformatione: sed perperam: unio quidem hypostatica hoc præstitit, ut humana Christi natura, principium & habitum charismatum semper in se retineret; sed actus tamen secundus, & sensus gaudii spiritualis, pro tempore suspensus est: scil. *Radios subtraxit Divinitas, ut pateretur humanitas.*

LVI. *Consummatio mortis corporalis*, fuit, Ipsa separatio Animæ à Corpore, salvâ interim utriusque unione cum Personâ τȣ̃ Λόγȣ. *Ioh.* 19. 30. *Cum accepisset Iesus acetum, dixit; Consummatum est; & inclinato capite tradidit spiritum.* Vera autem fuit ista Mors; non simulata, vel ficta: & quidem ipsius Christi; non alterius cujuspiam Christo substituti.

Mortem respectu Corporis excepit *Sepultura*, a Iosepho Arimathæo, spectabili ac divite Senatore Hierosolymitano, procurata; adjuvante etiam Nicodemo;

mo: secundum prophetiam *Ies.* 53. 9. *Et dedit cum impiis sepulturam ejus; & cum divite in mortibus ejus.* Sed explorata prius à Pilato Mortis veritate; & adhibita per milites non ossium fractione, (uti in latronibus factum. Vide *Exod.* 12. 46. *Num.* 9. 12.) sed lateris perfossione; secundum *Zach.* 12. 10. Consequenter juxta typum Ionæ, per tria νυχθήμερα, quæ tamen synecdochicè accipienda, extitit in corde terræ: *Matth.* 12. 10. *Ion.* 1. 17. Horæ fuerunt in universum circiter 40. unde nata primum videtur Quadragesima, ejusque Iejunium; tempus scil. quo Sponsus fuit ablatus; *Matth.* 9. 15.

LVII. Interim fingendus non est cum *Pontificiis* localis Christi descensus ad limbum infernalem; ut animas fidelium V. T. in eo tantisper detentas, liberaret; ac secum in cœlum adduceret. Neque etiam statuendus, cum *Lutheranis*, similis ferè ad inferos descensus, ad triumphandum istic de Diabolo, Morte, &c. Sed quemadmodum communiter in morte hominis, *pulvere revertente in terram, spiritus revertitur ad Deum*; *Eccles.* 12.7. sic etiam spiritus Christi, quem ipse per modum depositi in manus Patris sui jam ante commendarat. *Luc.* 23.46. ipso crucifixionis suæ die in cœlum receptus est. Unde ipse morti vicinus ad latronem resipiscentem; *Hodiè mecum eris in Paradiso; Luc.* 23.43. quod conferendum cum 2 *Cor.* 12. 2,4.

Obj. 1. *Matth.* 12. 40. memoratur existentia Christi *in Corde terræ*: quod Infernum damnatorum, aut ejus Limbum, notat. *Resp.* Imo sic denotatur Sepultura; non localis descensus ad Infernum damnatorum, vel Limbum aliquem infernalem. *Cor* metaphoricè interiora notat, & medium quodammodo; non autem præcise centrum, aut id quod centro proximum est. Vide *Exod.* 15. 8. *Deut.* 4. 11. 2 *Sam.* 18. 14. Et Animæ separatæ nulla istic mentio.

Obj. 2. *Act.* 2. 27. ad Christum applicatur illud *Psal.* 16. 10. *Non derelinques animam meam apud inferos. Resp.* נֶפֶשׁ synecdochice Personam notat; & porro interdum Corpus vitæ expers: ut *Levit.* 19. 28. xxj. 1. שְׁאוֹל vero non definite locum damnatorum: sed statum & conditionem mortuorum, quà talium, in loco qualicunque; & frequenter *Sepulchrum*; juxta *Gen.* 37. 35. *Num.* 16. 30. 33. &c.

Obj. 3. *Rom.* x. 7. ex *Deut.* 30. 12, 13. *Quis descendet in abyssum? hoc est, Christum ex mortuis reducere?* Ergo Christus fuit localiter in abysso, sive inferno, *Resp.* Imo, juxta Apostolum, doctrina Euangelica copiose satis inter Christianos erat exhibita; ut necesse non fuerit, ad eam penitius investigandam, vel cœlum quasi conscendere, vel in abyssum descendere, acsi Christus vel ex summis, vel ex imis eum in finem foret revocandus. Sed nihil de inferno damnatorum, aut Christi ad eum descensu locali.

Obj. 4. 1 *Petr.* 3. 18, 19. Christus *per Spiritum profectus*, dicitur *prædicasse spiritibus qui sunt in carcere. Resp.* Ibi non agitur de anima Christi separata; sed de Spiritu ipsius qui in Prophetis fuit; 1 *Petr.* 1. 11. Neque de spiritibus fidelium V. T.; nedum tanquam in limbo existentibus: sed de iis, qui in diebus Noachi fuerunt immorigeri, quantumvis ejus præconio ad resipiscentiam vocati.

LVIII. Sic de *Statu Humiliationis*; cujus *Fines* fuerunt.

1. Ut Christus humiliter consummando omnem justitiam, nos justos constitueret, & vita æterna dignos: *Rom.* 5. 19. *Apoc.* 3. 4.

2. Ut mortem maledictam subeundo, nos à morte & maledictione liberaret: 2 *Cor.* 5. 15. *Gal.* 3. 13.

3. Ut in ipsius tentationibus, desertionibus, &c. adversus istiusmodi mala remedium haberemus validissimum, & victoriam certissimam: *Hebr.* 2. 17. 18. *Joh.* 16. 33.

4. Ut virtute crucifixionis, mortis, & sepulturæ Christi, vetus noster homo magis ac magis crucifigeretur, mortificaretur, & sepeliretur: *Rom.* 6. 2,-8. *Col.* 3. 3, 5. *Gal.* 5. 24.

LIX. Succedit *Status Exaltationis*, in quo Christus secundum humanam naturam, singularem præ cæteris creaturis potestatem & gloriam accepit, ita quidem ut gloria Deitatis in illa simul declaretur, modo illustrissimo.

De hoc *Phil.* 2. 8.-*Deus ipsum in summam extulit sublimitatem; ac donavit ei nomen quod est supra omne nomen*, &c. & *Hebr.* 2. 9. *Iesum illum cernimus honore & gloria coronatum.* Adde 12. 2. *Apoc.* 1. 18. Tres autem sunt *gradus* Exaltationis, extremæ Humiliationi in Morte, Sepultura, & Descensu ad inferos, respondentes; Resurrectio ex mortuis, Ascensio in cœlum, & Sessio ad dextram Patris.

LX. *Resurrectio* est primus gradus Exaltationis, quo Christus e statu & loco mortuorum ad vitam gloriosam evectus est. Vide *Marc.* 16. 9. *Cum autem resurrexisset Iesus mane*, &c. *Rom.* 4. 24, 25. 1 *Cor.* 15. 3,-5.

Atque huc pertinet *primo* actus internus; ipsa scil. gloriosa Christi *revivificatio*, secundum humanam naturam, quæ involvit, 1. Animæ reductionem ad Corpus. 2. Corporis transmutationem ad incorruptibilitatem & gloriam. 3. Utriusque unionem redintegratam & inseparabilem. *Rom.* 6. 4, 9, 10. 1 *Cor.* 15. 20; 42, 43; 53. *Secundo* etiam actus externus; videl. *Exitus è sepulchro*, ad manifestationem vitæ illius restitutæ. *Marc.* 16. 6.

Hæc prædicta fuit, *Psal.* 16. 10. cx. 7. *Jes.* 53. 10. & *Hos.* 6. 2. Accessit typus Ionæ Prophetæ; *Ion.* 17. 11, 10. cum *Matth.* 12. 40.

Facta autem est virtute Divina, quæ Christo cum Patre & Spir. S. pariter competit: quapropter hæc

actio

actio & Patri adscribitur, *Eph.*1.19. 20. & ipse Filio, *Ioh.*2.19, 21. x, 17, 18. & Spir. Sancto, 1 *Petr.* 3.18. *Rom.* 1.4.

Fines ejus erant, 1. Ut se Filium Dei justificatum, 1 *Tim.* 3. 16. & alios justificantem, declararet: *Rom.* 4.25. 1 *Cor.* 15.17.

2. Ut victoriam plenissimam de morte partam obsignaret: 1 *Cor* 15. 57.

3. Ut reliquas officii sui partes in vitâ gloriosâ adimpleret: *Rom.* 8. 34. *Hebr.* 7. 16, 17. *Apoc.* 1, 17. 18.

4. Ut resurrectionis nostræ, tum spiritualis, tum corporalis, hypostasis, exemplar, & initiatio foret: *Rom.* 6. 4, 5. *Eph.* 2. 5, 6. 1 *Cor.* 15. 20, 21, 22, 23; 49. *Phil.* 3. 20. 21.

Hanc factam comprobarunt Angeli; *Matth.* 28. 2, 3. & seqq. Ipse Christus per 40. dies, tum apparitionibus & signis variis; *Act.* 1. 3. tum etiam probationibus Scripturariis; *Luc.* 24. 25, - 27 & Homines; potissimum 500. illi fratres; 1 *Cor.* 15. 6. Mulieres; *Matth.* 28. 8, 10, 11. Petrus; *Luc.* 24. 34. Discipuli Emauntici; 35. Atque ipsi denique Apostoli, qui juxta munus sibi demandatum, per totum terrarum orbem huic veritati testimonium præbuerunt: *Marc.* 16. 20. *Act.* 1. 8; 11; 32.

LXI. *Ascensio in Cælum* est secundus gradus exaltationis, quo Christus secundum humanam naturam, de terra in Cœlum supremum evectus est localiter & visibiliter, ; ubi existit Ecclesiæ bono, donec revertatur ad extremum & universale judicium. *Marc.* 16. 19. *Dominus, postquam locutus esset eis, sursum receptus est in Cælum.*

Subjectum mobile fuit ipse Christus secundum humanam naturam: eadem igitur Anima, & idem Corpus, in resurrectione unita, hîc spectari debent. Nec statuendum cum *Socin.* Christum hoc deposuisse, &

aliud

aliud essentiâ spirituale assumsisse: nam neque Scriptura id docet; neque citra evidentem contradictionem Corpus essentiâ spirituale, fingi potest.

T*erminus a quo* fuit Mons Oliveti, prope Bethaniam: *Luc.* 24. 50, 51. *Terminus ad quem*, Cœlum supremum, sive Cœlum beatorum: *Eph.* 4. 10. *Hebr.* 7, 26.

Quod ad *Modum* attinet, Ascensio illa facta est localiter, terram deserendo, & per media sursum tendendo; ac simul visibiliter, Discipulis motum istum visu suo aliquamdiu observantibus: *Act.* 1. 9,-11.

Quantum ad T*empus*, facta est postquam Christus 40. dies Resurrectionis suæ veritatem sufficienter asseruisset, & Discipulos suos de variis adhuc instruxisset.

Prædicta ea fuit P*sal.* 68. 19. cum *Eph.* 4. 8,-11. & præfigurata, Summo Sacerdote, quotannis Sanctum Sanctorum ingrediente, quod Cœli erat exemplar. *Levit.* 16. 12,-17. cum *Hebr.* 9. 7, 24.

C*ausa efficiens* eadem fuit, quæ Resurrectionis; Virtus scil. Divina: atque hinc respectu Patris Assumtio dicitur; sed respectu filii, Ascensio: *Act.* 1. 11. Accedente suo modo Corporis glorificati conditione; 1 *Cor.* 15. 44, 46, 49.

Fines fuerunt, 1. Ut humanam suam naturam jam vere glorificatam in vero gloriæ domicilio collocaret; se Dominum cœlestem demonstraret: deque hostibus suis triumpharet gloriosissime: E*ph.* 1. 20, 21. 1 *Cor.* 15. 47,-49. E*ph.* 4. 8.

2. Ut ea quæ in coelis ad salutem electorum erant peragenda, Intercessione sua expediret; & Spiritum interim, cum variis donorum distributionibus, ad suos mitteret: *Hebr.* 9. 24. *Joh.* 14. 2, 3. xvj, 7.

3. Ut suorum nomine possessionem Regni cœlestis adiret; atque adeo & nos Ascensionis nostræ in Cœlum, argumentum haberemus certissimum: *Eph.* 2. 6. 1 *Cor.* 15. 49. J*oh.* 17. 24. A*poc.* 3. 21.

4. Ut in Cœlestium meditatione essemus perpetui,

& ad

& ad superna semper attenti: *Col.* 3. 1. *Phil.* 3. 20.

LXII. Ordinis ratione Christus recte dicitur primus in Coelum ascendisse: *Hebr.* 9. 8. *Hoc declarante Sp. Sancto nondum factam fuisse manifestam ad Sacrarium viam, priore Tabernaculo adhuc consistente.* Quamdiu igitur duravit prius Tabernaculum, via ad Sacrarium, quod Cœlum adumbrabat, non fuit manifesta: obstabat enim Velum intermedium. Hoc autem ruptum fuit in morte Christi: Matth. 27. 51. Et sic ipse moriens apertionem Cœli impetravit ipso actu. Animæ quidem fidelium V. T. prius tempore ascenderant: *Col.* 1. 20. cum *Hebr.* 12. 23. imo etiam Enoch & Elias anima & corpore conjunctis: *Gen.* 5. 24. *Hebr.* xi. 5. 2 *Reg.* 2. 11. sed id factum prævia virtute impetrationis Christi.

Testes hujus Ascensionis fuere Apostoli: *Act.* 1. 2, 3, 4, 6, 9, 10. atque item duo Angeli, qui eam confirmarunt: 10. 11.

LXIII. Ex superioribus sequitur, Christum secundum humanam naturam nunc tantum in Cœlo esse; non ubique; ut existimant *Lutherani*: nec in Cœlo, atque insuper in multis distinctis terræ locis simul; ut volunt *Pontificii*. Sed plenius orthodoxam sententiam adstruimus;

1. Ex iis S. Scripturæ locis, quæ ipsum terram prorsus deseruisse confirmant: sic ipse de se, Joh. 16. 28. *Relinquo mundum; & proficiscor ad Patrem.* xvij, 11. *Non sum amplius in mundo*, &c. Matth. 26. 11. *Pauperes semper habebitis vobiscum*; *Me vero non semper habebitis.*

2. Ex iis, quæ Coelum supremum, opposite ad Terram, pro loco continente ipsi attribuunt: ut *Mar.* 16. 19. *Sursum receptus est in Cœlum.* Act. 3. 21. *Quem oportet quidem Cœli capiant, ad tempora restitutionis omnium.* Item Act. 1. 11. *Luc.* 24. 51.

3. Ex iis, quæ reditum ipsius è Cœlo in nubes, ad

extremum judicium, localiter, & visibiliter futurum, docent: sic *Act.* 1. 11. *Ita veniet, quemadmodum spectastis eum proficiscentem in Cœlum. Matth.* 24. 30. *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli.* &c. xxv, 31, 32. *Cum autem venerit Filius Hominis*; - *tunc sedebit in throno gloriæ suæ, & cogentur coram eo omnes gentes*, &c.

4. Ex ipsius Christi & Apostolorum instructionibus adversus hæreses & superstitiones; atque item hortationibus, ad studium sanctimoniæ, & praxin fidei ac spei. Hinc *Matth.* 24. 26. *Si dixerint vobis*, Ecce *in deserto est, ne egredimini*: Ecce *in conclavibus, ne credite. Hebr.* 8. 4. *Si esset in terra, ne Sacerdos quidem esset.* Col. 3. 1. *Se resurrexistis cum Christo, superna quærite, ubi Christus est ad dextram Dei sedens.* 2 *Cor.* 5. 6, 8. *Phil.* 1. 23.

5. Adde veritatem & unitatem humanæ naturæ in Christo; atque adeo Corporis impenetrabilitatem, extensionem, localitatem, & similes ejus affectiones; quas ut non destruxit Unio hypostatica, sic neque Glorificatio. Vide sup. th. 21.

Obj. Stephanus post Ascensionem vidit Christum; *Act.* 7. 55, 56. & Paulus, ix. 3, 4, 5; 17. xvij, 9. xxiij. 11. & Johannes: *Apoc.* 1. 10, 12, 13. Ergo. *Resp.* Visiones illæ ecstaticæ, aut aliter extraordinariæ, ne quidem pro illo tempore localem Christi secundum humanam naturam in terris præsentiam inferunt; nedum perpetuam, sed invisibilem: cum Christus duntaxat in eorum phantasia & intellectu, intentionaliter; aut aliter symbolicè, fuerit repræsentatus.

LXIV. *Sessio ad* Dextram *Dei* est tertius & summus gradus Exaltationis; quo Christus Mediator à Deo evectus est ad supremam in Cœlo potestatem & gloriam, supra omnes Creaturas. *Marc.* 14. 62. *Videbitis Filium hominis sedentem ad dextram potentiæ Dei. Rom.* 8. 35. *Eph.* 1. 20, -23. *Hebr.* 8. 1. xij, 2. juxta prophe-

phetiam *Psal.* 110. 1, 2. Est autem modus loquendi improprius, à Regibus, aliisque personis illustribus, desumtus; qui aliquos interdum honoris causa ad dextram suam collocant, & sic reliquis præferunt. Vide *Psal.* 45. 10. 1 *Reg.* 2. 19. *Matth.* 20. 21. Sic denotatur summum & inaccessum gloriæ fastigium, ad quod Resurrectio, & Ascensio, viæ instar fuerunt: quapropter & nos Resurrectionis quidem atque Ascensionis reddimur participes; sed non propriè Sessionis ad Dextram Patris. *Hebr.* 1. 13. *Cui Angelorum dixit unquam; Sede ad dextram meam,* &c.

LXV. *Causa* hujus *efficiens* eadem est, quæ in gradibus Exaltationis prioribus.

Fines autem; 1. Ut caput nostrum tam gloriose exaltatum, nos etiam ad sui unionem & communionem adduceret; suumque Spiritum membris suis gloriosè communicaret. *Act.* 2. 33. *Itaque dextrâ* Dei *sursum sublatus, & promissum* Sp. *Sanctum adeptus à Patre, effudit quod vos nunc cernitis & auditis.* Confer *Matth.* 28. 18, 19. *Rom.* 12. 5, 6. *Eph.* 2. 22. 23.

2. Ut suos gloriose conservaret, ac defenderet, & cœlestis tandem gloriæ secum participes faceret. *Matth.* 28. 20. Ego *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Apoc. 3. 21. *Qui vicerit, tribuam ei, ut sedeat mecum in throno meo: ut & ego vici, & sedeo cum* Patre *meo, in throno ejus.*

Sic ergo Mediator noster Θεάνθρωπος, tanquam Rex Ecclesiæ, Regiam suam potestatem illustri modo nunc exerit: 1 *Cor.* 15. 25. atque hinc præsens ejus functio Sacerdotalis omnino Regia est; Intercessio videl. gloriosissima & efficacissima ad salutem electorum, & vindictam hostium: *Apoc.* 8. 3, 5. Imo & Prophetia ejus Regia est, per potentem Sp. Sancti cum prædicatione Ministrorum cooperationem: 1 *Thess.* 1. 5. *Marc.* 16. 20.

LXVI. Frustra interim *Lutherani* ex hac Sessione Christi ad Dextram Dei, ubiquitatem ejus secundum humanam ipsius naturam colligunt: nam distinguendum est inter Dextram Dei, & Sessionem ad Dextram Dei. Atque adeo ob specialem hujus phrasios significationem nequaquam sequitur, Christum secundum humanam naturam præsentem adesse, ubicunque illud est, quod improprie nonnunquam Dextra Dei appellatur: non magis quam urbs aliqua ad mare, aut flumen, sita, dicenda est adæquate existere, ubi illud mare, aut flumen, existit.

Tenendum etiam contra *Socinianos*, eorumque sequaces *Remonstrantes*, hanc Sessionem ad Dextram Dei, non esse veram ac propriam causam, cur Christus appelletur *Filius Dei*; quemadmodum neque Nativitatem ex Virgine, Patrationem miraculorum, vel Resurrectionem ex mortuis: sed solam æternam ineffabilem generationem, qua est Filius Dei proprius, unigenitus, &c. quæ per actus jam proxime recensitos multifariam quidem fuit declarata, & sic præsupposita; sed non fundata, vel formaliter posita.

Concedimus interim Christo secundum humanam naturam eminentiori quadam ratione ea competere; vel similia iis, ob quæ fideles appellantur filii Dei: verum in subjecto, ubi significatio propria locum habet, ea omnino agnoscenda est; nec ad rationes metaphoricæ significationis, quales in subjectis metaphorice sic dictis attendi solent, confugiendum.

LXVII. Superest ut contra *Judæos* concludamus, Jesum Christum, in quem Christiani credimus, esse verum Messiam, olim sub V. T. promissum & expectatum: supposito enim Messiam jam pridem venisse, quod probatum dedimus, cap. 11. th. 43. inquirendum omnino, quis ille sit; & pro Messia agnoscendus haud dubie, cui omnia ista κριτήρια conveniunt. Tale igitur formamus *Argumentum*: Cui competunt omnia

de

de Messia olim prædicta & præfigurata, & quidem soli, is pro vero Messia agnosci & recipi debet: Sed Jesu Christo, in quem Christiani credimus, ista omnia competunt, & quidem soli. Ergo. *Major* manifestissimæ veritatis est, postquam antè asseruimus, Messiam dudum venisse. *Minor* etiam in superioribus probata est per partes: tum quoad Personam, ejusque ortum secundum humanam naturam, vitam, ejusque adjuncta, & mortem, atque exaltationem; tum quoad officia & beneficia: nisi quod de Salutis impetratione & applicatione pluribus etiam agendum sit deinceps.

Obj. 1. Nomen Messiæ appellandum fuit עִמָּנוּאֵל; non *Iesus*: Ies. 7. 14. *Resp.* Scil. quemadmodum *Admirabilis*, *Consiliarius*, *Deus fortis*, &c. 9. 5. itemque *Jehovah Iustitia nostra*; *Jerem.* 23. 6. Sic igitur elogia & tituli exprimuntur: non ipsum nomen proprium; quod ei in Circumcisione fuisset imponendum, & inter Homines communiter usurpandum.

Obj. 2. Nec Iesu Christo conveniunt ista. Ies. 7. 15, 16. de Esu butyri & lactis, deque Terra interim liberandâ. Ergo. *Resp.* Prius facit duntaxat ad denotandam humanam Christi naturam, & communem educationis puerilis sortem; tantillo autem temporis spatio, quantulum inter infantis nativitatem, ac primam discretionis notitiam, intercedere solet, liberatio terræ futura Achazo promittitur. Vide similia de filio Prophetæ, *cap.* viij, 3, 4.

Obj. 3. Christus dixit se Filium Dei, Regnum mundanum non erexit, humilis vixit, a primoribus populi rejectus fuit, mortem maledictam sustinuit, &c. Ergo. *Resp.* Ista nequaquam urgenda sunt contra hoc fidei & salutis nostræ mysterium: sed agnoscenda potius, tanquam vera & necessaria Messiæ requisita; ut ex præmissis jam satis manifestum est.

LXVIII.

LXVIII. Pro *Praxi*; 1. Hunc unicum Mediatorem Θεάνθρωπον vera fide agnoscamus: *Joh.* 3. 16. xvij, 3. In sanguine ipsius reconciliationem & pacem quæramus: Rom. 5. 10, 11. *Eph.* 2. 13, 14, &c. In illo Sponsore nostro ἀντιψύχῳ confidamus: Hebr. 7. 22. 2 Cor. 5. 21. In illo Redemtore liberationem credamus: *Job.* 19. 25. Eph. 1. 7. In illo Salvatore perfecto unice acquiescamus: Hebr. 7. 24, 25. Act. 4. 12.

2. Tantum illum Prophetam audiamus: *Deuteron.* 18. 18, 19. cum *Act.* 3. 22. In ipsius Sacerdotali oblatione, nostrî à peccatis purificationem constituamus: Hebr. 9. 13, 14. 1 Joh. 1. 7. & in ejusdem jugi Intercessione, de favore complacentiæ Divinæ plenè persuasi, precibus nostrîs frequenter in ejus nomine ad Deum accedamus: 1 Joh. 2. 1. 2. Hebr. 4. 16. Regi nostro spirituali libentes nos subjiciamus: *Psal.* 2. 6, 10,-12, cx, 3. & viventes in Regno Gratiæ, ad Regnum Gloriæ contendamus: *Apoc.* 3. 21. 2 *Tim.* 4. 6,-8.

3. Vitam ejus sanctissimam sedulo imitemur: 1 Joh. 3. 3. Eph. 4. 20, 21, 24. Quoad Intellectum, Voluntatem, & Affectus, ei quam proxime conformemur: *Col.* 2. 3. *Matth.* 26. 39. *Psal.* 40. 9. In perpessionibus hujus mundi, tolerantiam; *Hebr.* 12. 1, 2. In tentationibus Diaboli, vigilantiam; 1 Petr. 5. 8, 9. & in omnibus adversis, constantiam adhibeamus: 1 Petr. 2. 19,-24. donec ex hac miseriarum valle liberati, in cœlestis Gloriæ domicilium elevemur: Rom. 8. 17,-19.

CA-

Cap. XIII.

De Salutis Impetratione.

S*Alus.* Ejus *impetratio.* 1. *Satisfacere. Obligatio. Solutio. Remissio. Novatio. Delegatio. Acceptilatio. Dispensatio.* 2. In hoc negotio non *acceptilatio.* Nec *solutio rei per expressam Legis formulam debitæ,* &c. Sed *remissio* propter antecedentem *Satisfactionem.* 3. *Causa efficiens prima.* quasi *proëgumena. procatarctica.* 4. Deus hic non proprie spectandus, ut *pars offensa* : neque ut *Dominus absolutus.* Sed ut *Rector.* 5. Est actus *Jurisdictionis.* 6. Non *Legis abrogatio* : nec *derogatio.* Sed *interpretatio* καὶ ἐπιείκειαν. 7. Causa efficiens *altera. Proëgumena. Materia. Forma. Fines.* 8. Sententia *Socin.* & *Remonstr.* qu. Orthodoxa *probatur.* 9. *Objectiones* solv. 10. *Meritum. Causa efficiens prima. Altera formaliter exequens. Materia. Forma. Finis. Probatur.* 11. Sententia *Socin. Obj.* solv. 12. Christus nobis etiam meritus est *fidem & regenerationem* : c. *Remonstr.* 13. *Intercessio* Christi. *Finis cui,* non *Angeli* : nec *omnes & singuli homines,* c. *Pontif. Remonstr.* &c. 14. *Objectiones* solv. 15. Sententia *Adversariorum.* 16. Christus etiam *sibi* gloriam cœlestem *meritus* est. 17. Sententia *Scholast. Obj.* solv. 18. Et *pro se* quoque *precatus.* 19. Rejiciuntur *Satisfactiones* & *merita alia. Thesaurus Ecclesiæ,* &c. c. *Pontif.* 20. *Refutantur.* 21. *Objectiones* solv. 22. *Praxis.* 23.

I. Gendum nunc ex ordine instituto de *Beneficiis* Christi Mediatoris distincte, *Salutis Impetratione*, & ejusdem impetratæ *Applicatione*. *Salus* ista complectitur Immunitatem à malis culpæ ac pœnæ, & Fruitionem bonorum justitiæ ac gloriæ. *Salutis impetratio* est, ejus acquisitio, Iustitiæ & Constitutioni ipsius Dei consentanea. In qua spectanda primum *Satisfactio* & *Meritum*; ac deinde *Intercessio*.

II. *Satisfacere*, cui respondet τὸ ἱκανὸν ποιεῖν, *Marc.* 15. 15. sonat Præstare quod satis est, & desiderium alicujus implere: ut si in compensationem culpæ fiat, quod jus Dei postulat, adhibita interim insigni ἐπιεικείᾳ. Ex *Culpa* nimirum oritur Obligatio ad Pœnam; quemadmodum ex Credito, ad Solutionem convenientem. Talis autem *obligatio* vel antecedente solutione tollitur, vel citra solutionem. *Solutio alia* ipso facto liberat debitorem; ut si solvatur id ipsum, quod erat in obligatione: *alia* non item; ut si solvatur aliud, quam id quod erat in obligatione: quo casu necessum est, ut intercedat aliqua *Remissio*; & talis solutio, si admittatur, speciali nomine *Satisfactio* dicitur. Hujusmodi liberatio aliquando fit substitutione novæ obligationis; atque ea est *Novatio*: vel novi debitoris; quæ est *Delegatio*: aliquando etiam omnimodâ obligationis peremtione; quæ circa debitum solennibus quibusdam verbis peracta, *Acceptilatio*, solutio imaginaria; circa pœnam, communi nomine *Gratia*, *Venia*, *Indulgentia*, *Abolitio* appellatur. Cum solutio recusabilis admittitur in materiâ pœnæ, fit quædam *Legis Relaxatio*. Cum Legislator mentem suam in Lege, vel ejus Sanctione, minus plenè expressam, declarat; & τὸ ἀκριβοδίκαιον, quod alias urgendum videbatur, explicando mitigat; obtinet *Interpretatio* κατ' ἐπιείκειαν. Cum vero Legis manentis obligatio circa quasdam personas aut res tollitur, ea est

Dispensatio, sed respectu Debitoris est *Remissio*.

III. In hoc nostro negotio non est *Acceptilatio*, 1. quia solum acceptilatur ea res, quæ cæteroquin accipi posset: at Pœnam non accipit Rector. 2. Christus non præstitit solutionem imaginariam; sed verum & æquivalens λύτρον persolvit.

Neque etiam *Solutio ipsius rei per expressam Legis formulam debitæ*: nec *Novatio*, aut *Delegatio*: sed est *Remissio* propter antecedentem *Satisfactionem* Christi, tanquam causam liberationis nostræ impetratoriam: Sic enim diserte, *Eph.* 1. 7. *In quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem lapsuum, ex divite ipsius gratia. Rom.* 3.24,25. *Ut qui justificentur gratis, ejus gratiâ, per redemtionem factam in Jesu Christo; quem præstituit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius, ad demonstrationem justitiæ suæ, &c.*

IV. Hujus nostræ liberationis *Causa efficiens prima* est ipse Deus: *Jes.* 53. 10. *Joh.* 3. 16. 2 *Cor.* 5. 18. 19, 21. Ubi occurrit *Causa quasi proëgumena*, Ipsius tum Misericordia, tum Justitia: *Psal.* 85. 11. Misericordiæ, quasi *Procatarctica* obversatur nostra Miseria; unde nos Deus misericors liberatos voluit convenienti quodam modo: *Rom.* 9. 32. Justitiæ, nostra Peccata; quatenus hæc reatum inducunt: propterea illa Satisfactionem postulavit, priusquam nos liberaremur. Atque adeo hic omnino agnoscenda est causa quædam antecedens legitima, sive juridica, præter Dei & Christi voluntatem: unde Christus *traditus* dicitur *propter peccata nostra*. *Rom.* 4. 25. minime autem *mortuus* δωρεὰν; *Gal.* 2. 21.

V. Deus interim hic considerandus est, non simpliciter ut *Pars offensa*; quia parti offensæ per se non competit jus puniendi: cum punire sit actus τῆς ὑπεροχῆς. Neque etiam simpliciter, ut *Dominus absolutus*: hic enim, qua talis, de suo facere potest quod vult; Deus autem peccata prorsus impunita dimittere non potest. Vide sup. Cap. 4. th. 56.

Sed considerandus proprie ut *Rector*; qui Juris custos & vindex est, & quasi τὸ δίκαιον ἔμψυχον: cujus est pœnas infligere; vel etiam â pœnis liberare, quem punire posset pro rigore. Pœna enim in coactione ultimum est; coactio autem non competit, nisi Superiori. Unde vindicta privata tam serio prohibetúr; *Matth.* 5. 39. *Rom.* 12. 19. xiij, 4.

VI. Consequenter actus Dei in hoc negotio est Actus *Jurisdictionis*; ad quam pertinet juris normam præscribendi, sanciendi, atque item causas ad eam cognoscendi, judicandi, & exequendi potestas. Si actus iste consideretur citra specialem respectum ad sanctionem, recte dicitur *Punitio unius ad impunitatem aliis procurandam*: aut si ipsa quoque sanctio spectetur, est *via ad temperamentum aliquod ejusdem Legis*; ita quidem, ut Lege manente, & vigorem suum obtinente, nos tamen a condemnatione immunes evadamus: *Rom.* 8. 1. quod posito peccato, fieri non potuisset in *stricta Legis executione.*

VII. Neque tamen facta est Legis *abrogatio*; cum infideles ejus sanctioni etiamnum maneant obnoxii: *Ioh.* 3. 36. 1 *Thess.* 2. 16. Nec Legi quicquam *derogatum* est: nam *usquedū præterierit cœlum & terra* ἰῶτα *unum, aut unus apex, nequaquam præterierit ex Lege*; *Matth.* 5. 18. Nec facta est *Dispensatio*; cum obligatio nostra ad pœnam non fuerit simpliciter sublata; sed in Sponsorem translata. Verum facta est *Interpretatio* κατ' ἐπιείκειαν, qua Sponsor dignissimus, nobisque conjunctissimus, admissus est loco nostro; ejusque satisfactio æquivalens, pro pœnis nostris.

VIII. *Causa efficiens altera* est Christus Mediator, qua talis; & quidem volens: *Jes.* 53. 7, 10, 12. *Psal.* 40. 7, 8. cum *Hebr.* x. 5,-10. *Proëgumena* ei respondens est, tum summa Christi aptitudo ad peragendam sic nostri liberationem. Vide sup. cap. 12. th. 5. 6. tum summa ipsius φιλανθρωπία: *Joh.* 15. 13. *Gal.* 2. 20.

Quasi

Quasi *materiam* constituunt voluntariæ perpessiones malorum tristium, quæ Christus Θεάνθρωπος per universam suam vitam humilem animâ & corpore pro nobis sustinuit.

Formæ vicem præstat ratiò pœnæ pro nobis vicariæ, ex respectu perpessionum illarum ad nostrum demeritum; & quidem validæ, ad λύτρον pro nobis præstandum, ex dignitate Personæ Θεανθρώπου, & tali ipsius Dei constitutione.

Finis propinquus est, nostra immunitas à miseria; h. e. tum a reatû: Rom. 5. 9. 1 *Thess.* 1. 10. tum etiàm a turpitudine & servitute ipsius peccati: Rom. 6. 4, 6. 11, 18. *Tit.* 2. 14.

Finis summus est demonstratio gloriosæ Misericordiæ: *Eph.* 1. 6,-8. & Justitiæ Divinæ; Rom. 3. 25, 26.

IX. *Sociniani* veram Christi Satisfactionem pro peccatis nostris prorsus negant: Ipse *Socinus* de Christo Servatore part. 1. cap. 1. dicit - „ Iesum Christum „ ideo Servatorem esse, quia salutis æternæ viam nobis „ annunciaverit, confirmaverit; & in suâ ipsius per- „ sona, cum vitæ exemplo, tum ex mortuis resurgen- „ do, manifestè ostenderit; vitamque æternam nobis „ ei fidem habentibus ipse daturus sit. *Divinæ* autem „ *Justitiæ* per quam peccatores damnari mereremur, „ *pro peccatis nostris*, *neque illum satisfecisse*; *neque ut* „ *satisfaceret, opus fuisse*. Similiter idem alibi, ac passim *Sociniani*; sed nec multo aliter *Steph. Curcellæus* in Dissertatione de Vocibus Trinitatis, &c. §. 30. alique sequaces.

Nos orthodoxam veritatem breviter confirmamus; Christum videl. Mediatorem & Sponsorem Θεάνθρωπον, pœnas pro nobis vicarias sustinendo, demeritum peccatorum nostrorum, in ordine ad Iustitiam Dei, sufficienter compensasse: atque ita nobis immunitatem a miseria vere impetrasse. Illud autem probamus quatuor potissimum *Argumentorum classibus*,

de-

desumtis a totidem titulis; videl. *Sponsor*, *Redemtor*, *Sacerdos*, *Mediator*.

1. Ex titulo *Sponsoris* in hunc modum argumentamur: Qui ipse innocens & justus, tanquam Sponsor, obligatus pro nobis in iis, quæ apud Deum agenda erant; pro nobis & loco nostro, pro peccatis nostris & propter ea, sic execrationi ex Lege Divina pro nobis subjectus; mortem violentam, ignominiosam, & maledictam, atque adeo pœnas peccatorum nostrorum, tulit; & quidem æquivalentes, per dignitatem Personæ, iis pœnis, quas ipsi alias ferre debuissemus; Is vere pro nobis satisfecit: Sed Christus, &c. *Major* certissima est; cum nihil amplius ad veram Satisfactionem requiri possit. *Minor* autem patet ex cap. 12. th. 30.

2. Ex titulo *Redemtoris*: Qui ipse insons & sanctus tanquam Redemtor noster, soluto pro nobis Redemtionis pretio, & ad culpam nostram redimendam; sic pretioso sanguine suo pro nobis fuso; nos ab Execratione Legis Divinæ redemit; atque in populum sibi peculiarem nos acquisivit & liberavit; Is vere pro nobis Satisfecit: Sed Christus, &c. *Major* similiter certissima est, per sufficientem enumerationem eorum, quæ ad satisfactionem requiruntur. *Minor* vero probata est dicto cap. 12. th. 31.

3. Ex *Oblatione Sacerdotali*: Qui omnino sanctus, tanquam verus Sacerdos, ipse corpus suum cruenta oblatione, accedente Divina ipsius virtute, pro nobis obtulit in cruce; sic remissionem nobis impetravit; ac purificationem, in ordine ad conscientiam & cœlestia, pro nobis peregit; peccata nostra expiavit; nos in conscientia, quoad impetrationem, consummavit; Deum suo sanguine nobis placavit; & Gratiam Ipsius ista ratione nobis conciliavit; Is vere pro nobis satisfecit: Sed Christus &c. *Major* itidem evidentissimæ veritatis est: Minor autem jam asserta, ibid. th. 37,-.

4. Ex titulo *Mediatoris* denique: Qui cum esset sanctissi-

ctissimus, dignissimus, & nobis conjunctissimus, tanquam Mediator עִמָּנוּאֵל, seipso pro nobis in ἀντίλυτρον dato, ita ut morte sua redemtionem transgressionum nostrarum perageret; sui sanguinis fusione & aspersione pacifica inimicitiam peremit; ac Deo nos reconciliavit; Is vere pro nobis satisfecit: Sed Christus, &c. *Major* item certissima est. *Minor* autem probata ibid th. 24.

X. *Obj*. 1. Satisfactio Christi pro peccatis nostris injustissima foret: sic enim sontibus sponte dimissis, Deus insontem punivisset eorum loco. Ergo. *Resp*. Imo ea neque ex parte materiæ, neque ex parte formæ, injusta censeri debet. Non ex parte materiæ: Christus enim afflictiones malorum tristium omnino pertulit, Deo sic disponente, & Christo consentiente: ubi nulla prosus injuria; fatentibus id ipsum Adversariis. Non ex parte formæ, sive ratione pœnalitatis ex reatu peccatorum nostrorum; quem Sponsor volens in se recepit; & supremus Dominus volenti imputavit; atque adeo idem Rector ab eo exegit: nam puniri aliquem ob peccata aliena, ipsis nocentibus dimissis, non est simpliciter injustum; nec absolute contra naturam pœnæ. Vide *Thren*. 5. 7. 2 *Sam*. 24. 17.

Obj. 2. Deus voluit, & potuit, peccata nobis condonare sine vera pro iis satisfactione; sic enim pœnas, intercedente solum pœnitentia, aliquoties remisit. *Resp*. Neg. antecedens. Ad probationem ejus quod attinet, Deus quidem interveniente aliqua pœnitentia pœnas nonnunquam distulit, aut mitigavit; sed non prorsus abstulit nisi fidelibus & resipiscentibus, propter satisfactionem Christi.

Obj. 3. Verbum ἀφιέναι excludit omnem satisfactionem. Ergo. *Resp*. Neg. sed contrarium est τοῦ κρατεῖν: hinc Rei insontis in judicio facta absolutio, ἄφεσις etiam appellari potest; quanto magis nocentium ob satisfactionem Sponsoris, ab ipso Rectore dati.

Obj.

Obj. 4. Parabola *Matth.* 18. omnem ſatisfactionem excludit. Ergo. *Reſp.* Iſta parabola ultra ſcopum ſuum non eſt extendenda; utpote quæ ſimilitudine, a debito pecuniario ſumta, benignitatem commendat, & omnem in proximum ſævitiem & privatam vindictæ cupiditatem prohibet: non autem excluditur omnis exactio pœnæ, cæteroquin nec ipſi ſontes a Judice forent plectendi. Ac proinde ut diverſa eſt ratio debiti pecuniarii reſpectu Juris privati, a debito pœnali reſpectu juris publici; ſic etiam aliter ſe habet remiſſio. Deus igitur remittit convenienter naturæ ſuæ ſanctiſſimæ & juſtitiæ rectorali; nos vero convenienter conditioni noſtræ privatæ.

Obj. 5. Saltem vox χαρίζεσθαι in hoc negotio uſurpata, *Col.* 2.13. iij. 13. omnem ſatisfactionem excludit. *Reſp.* Ea ſolum notat beneficium indebitum: tale autem eſt remiſſio reſpectu noſtri; *Tit.* 3. 3. quamvis non item ratione Chriſti; cujus ſanguine emti & redemti dicimur. 1 *Petr.* 1, 19. unde Deus nobis dicitur χαρίζεσθαι ἐν Χριςῷ, *Eph.* 4. 32.

Obj. 6. Chriſtus patiendo exemplum nobis reliquit: 1 *Petr.* 2. 24. *Phil.* 2, 5,-8. Ergo pro nobis non ſatisfecit: ſatisfactionem talem enim imitari nec poſſumus, nec debemus. *Reſp.* Reliquit exemplum imitandum materialiter, ſed non formaliter.

XI. Succedit *Meritum*; Actus Chriſti Mediatoris, quo ipſe conſummata univerſa Legis obedientia, & ſic præſtita conditione, quam ea requirebat, jus vitææternæ, atque omnia bona ſalutaria, electis ſuis dignè acquiſivit.

Cauſa ejus *efficiens prima* fuit ipſe Deus.

Altera formaliter exequens fuit Chriſtus.

Materia fuit univerſa Chriſti juſtitia, ſanctitas, & obedientia.

Formæ vicem præſtitit dignitas iſtius obedientiæ, ad acquirendum, ſecundum Legis promiſſionem & pactum;

ctum, jus vitæ æternæ, cum omnibus bonis salutaribus.

Finis vero, ut ne Lex fieret irrita; & nos ea salva jus illud salutare adipisceremur.

Hæc autem sequentibus *Argumentorum classibus* illustrantur & confirmantur; quibus instruendis servient tituli, *Lex*, *Alter Adamus*, & *Justitia*.

Primo igitur argumentamur ex consideratione ipsius *Legis*; quæ promissionem habuit annexam, *Qui fecerit ea, vivet in iis:* Levit. 18. 5. *Rom.* 10: 5. Christus autem ea pro nobis fecit: *Rom.* 3. 30, 31. viij. 2, 3, 4. x, 3, 8. *Matth.* 5. 17. Ergo & vitam nobis per ea acquisivit.

2. Ex consideratione *Adami*: quemadmodum enim primo Adamo, tanquam capiti fœderali, competit demeritum reatus ad condemnationem & mortem suorum; sic etiam secundo Adamo, tanquam iterum capiti fœderali electorum salvandorum, competit meritum justitiæ ad justificationem & vitam suorum. Luculenter utrumque vide, *Rom.* 5. 14, 18, 19. 21. 1 *Cor.* 15. 21, 22; 45.

3: Ex ipsa *Justitia*, & *Justificatione* nostri in Christo; quæ, ut bonum positivum, ipsum jus vitæ æternæ, involvit; ita meritum omnino infert: *Matth.* 3. 15. cum *Gal.* 4. 4. *Phil.* 2. 8. *Hebr.* 10. 9, 10. Hinc ipse appellatur *Jehovah justitia nostra*; *Jerem.* 23. 6. & *cognitione sui multos* dicitur *justificaturus ipse justus*; *Jes.* 53. 11. atque item *factus nobis à Deo justitia*; 1 *Cor.* 1. 30. Adde 2 *Cor* 5. 21. *Phil.* 3. 8, 9.

XII. Contraria est *Socini* sententia, qui lib. 3. c. 5. de Christo Servatore contendit Christum *nobis nihil* „*omnino* vel *meruisse*, vel *mereri potuisse*: nam inquit „ille, si velitis, eum ut Hominem id præstitisse, falsum „ id esse ex eo deprehenditur, quod homo ne sibi qui„dem ipsi quicquam mereri possit, nedum ut aliis me„reatur: si ut Deum, illud plane ridiculum est, cum „ Deus

,,Deus mereri prorsus nequeat; sed donet ac largia-
,,tur, & meritis, si quæ sunt, digna præmia repen-
,,dat, &c.

Obj. 1. Christus, tanquam creatura rationalis, omnem obedientiam pro seipso præstare debuit: nihil ergo per eam pro aliis mereri potuit. *Resp.* Christus Θεάνθρωπος non solum pro se, ut Homine: sed etiam pro suis, obedientiam præstitit: quemadmodum quis negotium aliquod pro se expedire potest; & simul, tanquam procurator, aliorum nomine. Et cum pœna inobedientiæ Adami ad posteros quoque pertingat; quid mirum, si merces ex dignitate operum Θεανδρικῶν ad ipsos etiam electos pari ratione derivetur?

Obj. 2. Opus unius non potest fieri alterius. Ergo nec Christus quicquam nobis potuit mereri. *Resp.* Opus unius formaliter non potest fieri alterius; sed quidem virtualiter: sic enim potest quis sibi, & propinquis suis, etiam post se venturis, præmium mereri.

Obj. 3. Christus, ex vestra sententia, perpessionibus suis satisfecit pro omnibus suorum peccatis, non solum commissionis, sed etiam omissionis: ergo vi istius satisfactionis censentur etiàm fideles nihil boni omisisse, atque adeo omne bonum præstitisse: consequenter isto Merito nihil erat opus. *Resp.* Propter satisfactionem quidem censentur nihil boni omisisse, quatenus ista omissio inferebat reatum; pro quo sic satisfactum est. Sed propterea non statim censentur omne bonum præstitisse positivè. Huc pertinebat absolutissima illa omnis justitiæ consummatio pro nobis etiam præstita.

XIII. *Remonstrantes* in Apol. sua negant, Christum nobis meritum esse fidem & regenerationem. Nos oppositum probamus:

1. Christus se dedit, & sanctificavit, pro suis; ut & ipsi sanctificarentur in veritate: *Joh.* 17. 19. *Eph.* 5. 25, 26.

2. Deus

2. Deus nobis per Spir. S. in Christo, & propter Christum, dat regenerationem & fidem: *Act.* 5. 31. xj. 18. cum *Eph.* 1. 3, 4. *Phil.* 1. 29. 1 *Petr.* 1, 2, 3: 2, 1. 1, 3, 4.

3. Regeneratio & fides nobis conferuntur juxta promissionem Novi Fœderis: *Jerem.* 31, 33, 34, *Ezech.* 36. 25, -27. cum *Hebr.* 8. 8, -12. x, 16, &c. Jàm vero sanguis Christi fusus, est sanguis Novi Fœderis, in quo istud ratum & confirmatum est: *Matth.* 26. 28. *Hebr.* 9. 15. - 18. Qui *nos purgat ab omni peccato*; 1 *Joh.* 1. 7.

4. Gratia ista nobis obsignatur Sacramentis, tanquam sigillis istius Fœderis; Baptismus enim est Sacramentum insitionis nostræ in Christum, ad communionem mortis ac resurrectionis ipsius; atque adeo ablutionis peccatorum, regenerationis, & resipiscentiæ: *Rom.* 6. 3. 6. 1. *Cor.* 12. 13. *Act.* 22. 16. *Marc.* 1. 4. *Tit.* 3. 5. S. Cœna vero est Sacramentum nutritionis spiritualis, incrementi, & corroborationis, in ista communione & gratia ex morte Christi: 1 *Cor.* 10. 4, 16. xj, 20, 23, -25. 12. 13.

Obj. Fidem & Resipiscentiam Deus à nobis postulat; & quidem sub comminatione mortis æternæ: ergò ista non sunt beneficia nobis per meritum Christi acquisita. *Resp.* Officia quidem nobis præscribuntur moraliter; sed per naturæ nostræ corruptionem & indignitatem, necesse est etiam realiter conferri beneficia, gratiam habitualem & actualem, quibus præstemus officia; & quidem ex merito Christi.

XIV. De *Intercessione Christi* pro nobis, jam diximus cap. 12. th. 44. Sed hujus solum loci est, quod Christus æternum Satisfactionis ac Meriti sui valorem, simulque propensam Voluntatem suam, ut salus isto pacto nobis parta, actu applicetur, coram Patre jugiter repræsentet; & sic applicationem promoveat.

Satis de Salutis impetratione secundum *partes*: Videndum nunc de *fine cui*. Impetrationem istam ad *Angelos* non esse extendendam; neque Christum eo-

rum Mediatorem dicendum, probavimus ſup. cap.12. th. 27. Addimus nunc contrà *Pontif. Anabapt. Remonſtrantes*, & alios quoſcunque gratiæ univerſalis patronos, non omnibus & ſingulis Hominibus ſalutem impetratam; ſed certis duntaxat perſonis: idque confirmamus,

Primo à Reſtrictionibus in hoc negotio paſſim uſurpari ſolitis. Iſtæ autem in SS. Literis fiunt, 1. ad *Multos*: *Matth*. 26. 28. *Rom*. 5. 19. *Jeſ*. 53. 11, 12. *Matth*. 20. 28. Hebr. 9. 28.

2. Ad *Vocatos*: *Hebr*. 9. 15. Ad *Fideles*: Joh. 3. 16. *Act*. 10. 43. Rom 3. 22, 25, 26. x. 4. cum 2 *Theſſ*. 3. 2. *Tit*. 1, 1. Ad *Sanctificatos*: *Hebr*. 10. 14. Joh. 17. 19, 20, 21.

3. Ad *Eccleſiam*: *Act*. 20. 28. *Eph*. 5. 25,-27. ad *Filios Dei*: Joh. xj. 51. 52. ad *Oves Chriſti*: Joh. 10. 14,-16, 26,-28. ad *Populum ſuum*: *Matth*. 1. 21.

4. Ad eos, qui *Chriſto à Patre* fuerunt *dati*: Ioh. 17. 2, 4. 6,-9; 11, 15,-17; 24. Et ad eos, quos *Deus* & *Chriſtus dilexit ſummopere*: Ioh. 15. 13. 1 Ioh. 3. 16. *Rom*. 5. 8, 9.

5. *Excluſo etiam mundo* reliquo: Ioh. 17. 9. Ac proindè Salutis impetratio ad omnes in univerſum non extenditur.

Secundo a *Conſequentibus*, quæ individuo nexu ſequuntur Salutis impetrationem. Talis eſt 1. *Non Damnatio*; ſive Immunitas a damnatione: Rom. 8. 34. *Quis eſt qui condemnet? Chriſtus* is eſt *qui mortuus eſt:-- qui etiam interpellat pro nobis*. Ideo nemo electos Dei poteſt condemnare, quia Chriſtus pro iis mortuus eſt, atque etiam pro iis interpellat: quia vero omnes infideles damnantur, omnino ſequitur, Chriſtum pro ipſis nec mortuum eſſe, nec interpellare. Imo ſi condemnarentur aliqui, pro quibus Chriſtus eſſet mortuus, ſequeretur Deum eadem peccata bis punire; quod a juſtitia Dei alieniſſimum eſt. Adde, quod per iſtam ſen-

ſententiam Chriſtus pro iis etiam ſtatuatur mortuus, qui cum ipſe moreretur, jam erant damnati; quod certe abſurdiſſimum eſt.

2. *Salvatio*: *Rom.* 5. 10. *Nam ſi, cum inimici eſſemus, Deo reconciliati fuimus, per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati ſervabimur per vitam ipſius.* Sic omnes, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, & quos ipſe Deo reconciliavit, certiſſime etiam ſervantur, per ipſius vitam: At vero non omnes & ſinguli, non infideles ſervantur per vitam Chriſti: ergo pro omnibus & ſingulis, etiam infidelibus, Chriſtus non eſt mortuus; nec eos Deo reconciliavit. Confer Joh. 3. 36.

3. *Vocatio* ſimiliter non omnibus & ſingulis, nullo excepto, ſemper obtingit; teſte experientia; atque etiam S. Script. tum ſub V. T. *Pſal.* 147. 19, 20. *Act.* 14. 16. tum ſub N. T. xvj. 6, 7. Qui autem non vult ſermonem reconciliationis omnibus & ſingulis annunciari, is etiam in morte ſua omnium & ſingulorum ſalutem non intendit. Ratio conſequentiæ eſt, *Quia fides eſt ex auditu, & auditus per Verbum Dei*; *Rom.* x. 8, 14, 17. tanquam ordinarium medium applicandæ reconciliationis. Qui autem non vult medium, ad finem omnino & manifeſte neceſſarium; is neq; finem vult, ſive intendit.

4. De *Liberatione à ſervitute peccati, de Regeneratione*, & ſimilibus, idem dicendum: nam & iſta certo obtingunt omnibus, quibus impetrata ſunt; minimè vero obtingunt omnibus & ſingulis hominibus, nullo excepto: non igitur omnibus & ſingulis ea Chriſtus impetravit; neque conſequenter remiſſionem peccatorum, & vitam æternam; ob indiſſolubilem nexum beneficiorum ſalutarium inter ſe.

Tertio, Similiter ex *Electione* colligimus, non omnibus & ſingulis ſalutem impetratam eſſe; idque ex iis S. Scripturæ locis, quæ certos quoſdam homines, non verò omnes & ſingulos, ad vitam æternam, & media iſthuc ſpectantia, æterno Dei conſilio deſtinatos do-

cent. Vide sup. cap. 6. th. 15. Unde omnino sequitur, Dei intentionem, cum Christum in mortem traderet, non fuisse, omnes & singulos per eam sibi reconciliare, & sic eos æternum salvare: sed illos solum, quos ad salutem, & media salutis, elegit; ac Christum consequenter eos solos accepisse salvandos; iisque solis, non aliis, salutem impetrasse.

Quarto, Idem denique deducimus ex consideratione *Novi Fœderis*: nam cum ad ejus internam & mysticam communionem non omnes & singuli pertineant; sed soli electi, vocati, fideles: Vide sup. cap. 11. th. 6. Et cum Deus illos solos vere ac salutariter in communionem istius Fœderis adsciscat, & ipse etiam Christus Mediator ac Sponsor hujus Fœderis non alium scopum sibi propositum habeat: evidens est, hanc tantum fuisse Dei & Christi in Salutis impetratione intentionem; nequaquam vero ad omnes & singulos æqualiter eam extendendam.

XV. *Obj.* 1. *Deus* Mundum *ita dilexisse* dicitur, *ut dederit* Filium *suum unigenitum*, &c. Et ipse Christus, *tollere peccata Mundi*, &c. *Ioh.* 3.16. j. 29. 1, 11, 1, 2. *Resp.* In appellatione *Mundi* hoc notandum, quod ea frequenter accipiatur synecdochice: & quidem sic, ut nonnunquam spectetur excellentia dignitatis; atque adeo sola universitas fidelium & electorum denotetur: uti fit in locis allegatis, atque insuper *Rom.* XI, 12. 2. *Cor.* 5.19. nonnunquam vero excellentia multitudinis, seu numeri; ut sola universitas infidelium & reproborum designetur: quemadmodum 2 *Petr.* 2. 5. *Joh.* 17. 9.

Obj. 2. Similiter *omnium* aliquando fit mentio: 1 *Tim.* 2. 6. *Hebr.* 2.9. *Rom.* 5.18. &c. Ergo. *Resp.* Distributive scil. in genera singulorum; non in singula generum. Confer *Mat.* 4.23. xij.32. *Rom.* 14.2. & *Apoc.* 5.9.

Obj. 3. 2 *Petr.* 2. 1. *Futuri* dicuntur *falsi Doctores*, *qui subintroducerent hæreses exitiales*; *etiam* Dominum, *qui*

qui illos mercatus est, abnegantes. Ergo Christus etiam redemit eos, qui damnantur. *Resp.* Intelligenda st illorum acquisitio, & obligatio ad ministerium Christi, per dona quædam ac beneficia in ipsos collata; attamen non salutaria: sed nihil de ipsorum acquisiitone per sanguinem Christi ad salutem.

Obj. 4. Sic etiam de peccantibus in Spiritum S. dicitur, quod *rursum crucifigant sibi Filium Dei, & ignominiæ exponant*: *Hebr.* vj 6. *Resp.* Christus semel pro electis suis crucifixus est, & ignominiæ expositus: tales vero, quantum in ipsis est, Christum denuo sibi crucifigunt, & hostibus veritatis ludibrio exponunt; idque suo ipsorum exitio: nequaquam vero ad salutem suam, quam Christus nunquam intendit.

Obj. 5. Iterum, x. 28. agitur de eo, *qui Filium Dei conculcarit, & sanguinem fœderis, per quem fuerat sanctificatus, profanum duxerit; & Spiritum gratiæ contumelia affecerit.* *Resp.* Ille scil. Filium Dei, quantum in se est, conculcat; & profanum ducit sanguinem illum fœderis, per quem ipse Christus fuerat sanctificatus: *Joh.* 17.19. vel ipsum Fœdus sanctificatum, h. e. sancte confirmatum: vel etiam ille, de quo isthic sermo est, sanctificatus fuit, verum non salutariter; sed externe tantum, quatenus ad externam Ecclesiæ communionem vocatus, suo modo accessit quoque; scil. tanquam sus lota, ad volutabrum cœni deinde revertens. Sic etiam contumelia afficit Spiritum gratiæ, auctorem illum gratiæ salutaris in aliis; sed & donorum quorundam gratiæ, non tamen salutarium, in ipso.

Obj. 6. Etiam asserit *Catechesis*, quæst. 37. Christum iram Dei adversus peccatum universi generis humani sustinuisse. Ergo. *Resp.* Sed non dicit, Christum sustinuisse iram Dei pro universo genere humano; ea intentione, ut omnes & singulos, nullo excepto, redimeret: aliter omnino intentionem & finem Christi exprimit in sequentibus; & ad *Nos*, h. e. ad Fideles, restringit.

XVI. *Adversarii* in varias se vertunt formas: fuerunt enim qui universalem redemtionem urgerent; quasi restitutionem omnium & singulorum in eum statum unde in Adamo fuerant prolapsi; adeoque homines propter impœnitentiam & infidelitatem suam deinceps tantum damnandos, tanquam propter relapsum. *Alii* contendunt, Deum & Christum à suâ parte salutem omnium & singulorum hominum intendisse & procurasse sufficienter; quamvis non efficaciter: cum applicatio solis fidelibus & resipiscentibus obtingat; reliqui vero reddantur inexcusabiles. *Remonstrantes* alicubi urgent, Christum pro omnibus & singulis mortuum esse, & sic remissionem impetrasse, eâ tamen lege, ut nemo, nisi fidelis, ista remissione peccatorum actu fruatur. *Alibi*, Christum id impetrasse, ut Deus posset & vellet nobis bene facere, eâ conditione, qua ipsi consultum videretur; eamque impetrationem quamvis nemini applicatam, vel intercedente omnium incredulitate irritam, firmam tamen, & ex naturâ suâ certam, esse posse. *Vel etiam*, Christum satisfactione suâ Patri acquisivisse jus Novum Fœdus ineundi cum hominibus, sub quacunque conditione, tam operum, quam fidei; Patrem vero prætulisse conditionem fidei, sic tamen ut ejus impletio pendeat a libero hominis arbitrio. Sed quam absurde hæc omnia conficta sint, ex iis quæ jam diximus, plus quam manifestum est.

XVII. *Quæritur*, an ipse Christus sibi etiam salutem impetrarit? *Resp.* Quantum ad oblationem Christi pro se, illam sup. cap. 12. th. 43. contra *Socinum* negavimus. De *Merito* tamen, & *Precibus*, aliter dicendum. Nam,

1. Christus ex speciali pacto Legi se subjecit, & conditiones ad vitam & gloriam æternam requisitas omnino implevit. Hinc *Phil.* 2. 8, 9. *Habitu inventus ut homo, ipse se submisit, factus obediens usque ad-*

mor-

mortem, mortem autem crucis; quapropter (διὸ) *etiam Deus ipsum in summam extulit sublimitatem; ac largitus est ei nomen, quod est supra omne nomen.* Et Hebr. 12. 2, *Intuentes in fidei Ducem & consummatorem Jesum, qui pro* (ἀντὶ) *sibi proposito gaudio toleravit crucem, ignominiâ contemtâ.* Particulæ illæ διὸ & ἀντὶ commutationem præmii gloriosi pro obedientia notant; nec deest ulla conditio ad Meritum requisita.

2. Ipse Christus etiam *justificatus est Spiritu*: 1 *Tim.* 3. 16. cum *implevisset omnem justitiam*: *Matth.* 3. 15. & *jus legis*: *Rom.* 8. 4. ne *ipsa fieret irrita*: iij, 31. Sibi ergo meritus est justificari, & vitam ac gloriam æternam sibi adjudicari.

3. Lex dicebat; *Qui fecerit ista, vivet per ea*: *Levit.* 18. 5. Hanc Christus *non venit solvere, sed implere*: *Matth.* 5. 17. Consequenter etiam vivit per eam. Ubi Meritum secundum Legem conspicuum est.

4. Christus *ex plenitudine* & perfectione justitiæ suæ *nobis* quoque *factus est justitia*: *Joh.* 1. 16. 1 *Cor.* 1. 30. Ipse igitur antecedenter, juxta ordinem naturæ, habuit illam justitiam; & ex Capite communicatur ea membris ipsius.

XVIII. Cum *Scholasticis* tamen non dicimus, Christum etiam incarnandum fuisse, & sibi vitam ac gloriam æternam meriturum, etiamsi Adamus non fuisset lapsus: nam Christus *nobis natus* est; *Ies.* 9. 5. & *nobis Salvator datus*: *Matth.* 1. 21. & *factus sub Legem; ut eos, qui Legi subjecti erant, redimeret*: *Gal.* 4. 4, 5. Eo ipso autem quod factus est homo, & legi subjectus, quæ irrita fieri non debuit, ipse etiam ut homo obedientiam præstare debuit, quam Lex requirebat, & sub cujus conditione ea vitam promittebat.

Obj. 1. Christus pro nobis omnem obedientiam præstare debuit; atque adeo præstitit: Ergo non pro se; neque sic sibi aliquid est meritus. *Resp.* Per infinitam

Personæ dignitatem sufficiebat ipsius justitia sibi, & nobis conjunctim, acquirendæ vitæ æternæ.

Obj. 2. Unio hypostatica necessario ponebat statim beatitudinem & gloriam completam in humana Christi natura. *Resp.* Hoc negamus : sed posuit aptitudinem tantum ejus impetraudæ ; sicut postea sibi & suis vere impetravit.

XIX. De Precibus Christi in vita humili quibus sui corroborationem petiit, & liberationem, secundum humanam naturam, constat ex *Hebr.* 5, 7. *In diebus carnis suæ, deprecationibus & supplicationibus oblatis, cum clamore valido & lachrymis, apud eum, qui poterat ipsum servare à morte, & exauditis precibus* liberatus est *ex metu.* Adde *Ioh.* 17. 1, 2, 4, 5. xij. 27. *Marc.* 14, 35, 36, 39,.

XX. Satisfactioni & Merito Christi quam maxime contrariantur *Satisfactiones* & *Merita*, quæ finguntur, *aliorum hominum*: *Christus* enim ut vere ac plene, sic etiam solus, salutem suis impetravit; quod tenendum contra *Infideles*; imo & contra *Pontificios*, qui *Satisfactiones* pro pœnis temporalibus statuunt, *tum* Proprias, *tum* Alienas. *Proprias* intelligunt pœnas, a Deo immissas, sive post hanc vitam in Purgatorio, sive in hac vita: itemque opera pœnalia, vel per Sacerdotem in confessione imposita, quæ est Satisfactio sacramentalis; vel sponte suscepta, ut sunt Preces, *jejunia*, *eleëmosynæ*, &c. *Alienæ* Satisfactiones iis sunt, cum alii pro aliis satisfaciunt, per opera pœnalia sponte ab iis suscepta, vel ita saltem ut ad alios redundet utilitas, ab iis, qui plus quam satis esset, præstiterunt. Atque huc pertinet *Thesaurus Ecclesiæ*, ex supere rogationibus Christi & Sanctorum; cujus dispensatorem agit Papa in suis *Indulgentiis*: Accedunt *Missæ* pro vivis & mortuis; itemque *Suffragia* pro defunctis. Istæ *satisfactiones*, secundum ipsos, spectant justitiam & judicium ipsius Dei: alia vero est ratio *satisfactionis Canonicæ*, qua satisfit

tisfit Ecclesiæ in foro soli. Iidem similiter statuunt *Merita* hominum, tum *propria*, ad Vitam æternam, per bona opera secundum Legem Dei facta: vel etiam ad *Aureolam*, sive Coronulam in vita æterna, per opera plus quam perfecta, Lege Dei non præscripta, sed facta juxta Consilia Euangelica. Vide sup. cap. 8. th. 32. tum etiam *Aliena*, aliorum videl. hominum pro aliis, nominatim per *opera supererogationis*.

XXI. Sed nos errores istos refutamus.

1. Ex consideratione ipsius *Christi*, cujus Satisfactio & Meritum sunt perfectissima; atque ipse unicus populi sui Salvator. Vide sup. cap. 12. th. 23.

2. Ex consideratione *aliorum hominum*; quorum talis ac tantus est reatus, ut ne quidem pro se ipsis satisfacere possint; nedum vitam & beatitudinem mereri, aut, pro aliis ista præstare: nam *nemo est qui non peccet*; 1 *Reg.* 8. 46. *qui sit justus in terra, & faciat bonum*; *Eccles.* 7. 20. & omnes quotidie necesse habemus *remissionem debitorum nostrorum precari*; *Matth.* 6. 12. Adde *Job.* 14. 4. *Prov.* 20. 9. *Jes.* 54. 6. *Jac.* 3. 2. *Rom.* 3. 19, 20, 28.

3. Ex consideratione *rei*: pœnas enim per Legem debebamus non temporales solum, sed æternas; & ad acquirendum jus vitæ æternæ, justitia omnibus numeris absoluta opus erat. At vero Fœdus Euangelicum non commutat reatum æternum temporali; nec justitiam imperfectam substituit perfectæ: sed totam hanc in Christo monstrat. Vide sup. th. 9. & 11. Breviter, si Legem spectes, occurrit Apostolus, *Hebr.* 10. 30. *Horrendum est incidere in manus Dei vivi.* Atque ipse Christus, *Matth.* 5. 26. *Amen dico tibi, nequaquam exibis illinc, usquedum reddideris ultimum quadrantem.* Adde *Jes.* 33. 14. *Psal* 49. 8, 9 Si Euangelium, acclamat Sospitator; *Qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet* vitam *æternam*, &c. *Johan.* 5. 24. & Baptista; *Iohan.* 1. 16. *Ex plenitudine ipsius omnes*

accepimus, *& gratiam pro gratia.* Confer *Col.* 2. 9, 10. *Rom.* 8. 1, 4. 1 *Joh.* 1. 7,-10.

4. Ex absurdis *consequentibus* : *Nam si per Legem est justitia, igitur Christus frustra mortuus est*; *Gal.* 2, 21. *Et inanes facti* dicuntur, *separati à Christo, quicunque per Legem justificantur*; *& à gratia excidisse*, &c. v. 4, 5. *Rom.* x. 3, 4, xj. 6. iv, 2,-5; 14, 15, 16. & alibi.

XXII. *Obj.* 1. In hac vitâ fideles multa patiuntur; quin & ipsa mors eorum temporalis pœna est. Ergo. *Resp.* Istæ perpessiones, ipsaque mors temporalis, castigationis, probationis, vel etiam aliquando martyrii rationem habent; non autem pœnæ strictè dictæ, vel satisfactionis. Vide sup. cap. 10. th. 12.

Obj. 2. Deus rependit fidelibus secundum bona opera. Ergo. *Resp.* Non autem propter ea, tanquam causas meritorias.

Obj. 3. Beatitudo nonnunquam merces appellatur. *Resp.* Gratuita videlicet, seclusis meritis propriis: *Rom.* 4. 4.

Obj. 4. Sic nostra bona opera inutilia censebuntur: quod absurdum. *Resp.* Neg. cum eorum praxis habeat rationem fructus consequentis, & gratitudinis; simulque sit conditio requisita ad actualem cœlestis beatitudinis fruitionem, cujus jus nobis acquisivit Christus: *Matth.* 7. 17, 18. *Joh.* 15. 2, 5. *Eph.* 2. 10. *Hebr.* 12. 14.

XXIII. Pro *Praxi*; Salutem plenissimam, à Christo nobis impetratam, agnoscamus; & in ipso reconciliationem ac pacem, vitam æternam ac beatam, multamque fiduciam apud Deum apprehendamus: *Hebr.* 2. 3, 10. *Rom.* 5. 1, 2, 10, 18. *Eph.* 3. 12.

2. Admirandæ huic charitati pie respondeamus: 2 *Cor.* 5. 14, 15, 19, 20. 21. & alios quoque ad fidem permoveamus: *ibid.* 11. ut pariter in interiori homine, & praxi vitæ spiritualis, proficiamus: *Rom.* 7. 22. *Phil.* 3. 14.

Cap. XIV.

De Vocatione, & Regeneratione.

SAlutis *applicatio.* 1. In *hâc vitâ. Actus* ejus varii. 2. *Vocatio.* 3. Ad *unionem cum Christo:* 4. Et *S.* S. *Trinitate.* 5. *Actio* gemina. *Efficientia Verbi:* & *Spiritus* S. 6. *Operatio realis hyperphysica* probatur. c. *Pontif. Socin. Remonstr* &c. *Obj.* solv. 7. Ministerium *Legis. Euangelii. Actus noster* Vocationi respondens. 8. *Consectaria.* 9. Vocatio ista non *universalis, Obj.* solv. 10. *Regeneratio. Vita spiritualis.* 11. *Electi* adhuc irregeniti. 12. *Regeniti* quoad *actum primum.* 13. *Conversi* & *sanctificati* quoad *actum secundum* 14. *Casus* 15. *Mortificatio veteris hominis,* & *Vivificatio novi.* 16. Homo in *primo momento* habet se *merè passive. Verbi* usus. 17. Deinceps etiam *activè. Conversio* 18. *Consectaria* c. *Pontif.* & *Remonstr.* 19. *Praxis.* 20.

I. PErgimus ad S*alutis applicationem*; per quam Christus hoc agit, ut electi & redemti sui actu fiant participes omnium partorum beneficiorum salutarium. Beneficia ista nobis a Deo communicantur: *a quo omnis donatio bona, & omne integrum donum, est descendens*; Iac. 1. 17. Sed convenienter ordini Divinarum Personarum Applicatio ista interdum Patri tribuitur, tanquam personæ primæ in ordine operandi; *Eph.* 1. 3. interdum Spir. Sancto, tanquam

cum vite. Quoniam membra ſumus *Corporis Eccleſiæ*; *Eph*.5.30. cujus *Caput* eſt Chriſtus; *Col*. 1. 18. Atque hinc ipſe, *Joh*. 15. 5. *Ego ſum vitis, vos palmites; is qui manet in me, & in quo ego maneo, hic fert fructum multum; nam ſeorſum à me nihil poteſtis facere.* Et Eccleſia; *Dilectus meus, meus eſt; & ego illius*; *Cant*. 2.16. Ex iſta autem unione cum Chriſto, reſultat pariter communio omnium bonorum ſpiritualium in ipſo: *Eph*. 5 23. 1 *Cor*, 1.30. *Col*. 2 9, 10. *Ioh*. 1.16.

V. Mediante vero unione & communione Chriſti Mediatoris, accipimus quoque unionem cum S.S. Trinitate; & conſequenter communionem beneficentiæ Divinæ, ut reddamur conſortes Divinæ naturæ, omniumque benedictionum ſpiritualium & cœleſtium: ſimulque electi & redemti fruuntur quoque unione & communione inter ſe mutua, tanquam membra ejuſdem corporis myſtici. Sic 1 *Joh*. 1. 3. *Ut & vos communionem habeatis nobiſcum, & communio noſtra ſit cum Patre, & Filio ejus Jeſu Chriſto.* Et ipſe Chriſtus, *Joh*. 17.21. *Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint.* Atque iterum verſu 23. Adde *Eph*. 4. 3,-6. 1 *Cor*. 12. 13, &c.

VI. *Actio* interim gemina occurrit *externa*, & *interna*: *illa* Verbo foris perficitur: *hæc* Spiritu intus. *Verbum* tum viva voce proponitur: ſic audiendum: tum ſcripto; ſic legendum eſt. De illo ſic Divinitus ordinato, vide *Rom*. x.8.14, 15, 17. Et mandatum ipſius Chriſti. *Marc*. 16.15, 16. Atque item Dei per Moſen, *Deut*. xi.19. De hoc Θεοπνεύστως exarato, *Joh*. 5.39. *Rom*. 15.4. 2 *Tim*. 3.16.17. & alibi. *Efficientia* autem Verbi ſic propoſiti non niſi moralis eſt: atq; hactenus Vocatio eſt Actio moralis. Cæterum cum actione illa externa in vocatione efficaci conjungitur actio interna Sp. Sancti, quæ eſt realis hyperphyſica; non ſolum hoc agens, ut Verbum foris propoſitum ſenſu communi percipiatur, ejuſq; veritas moraliter duntaxat intellectui repræſen-

tetur in-

tetur ac suadeatur: sed insuper ut homo de se ineptus, & spiritualiter mortuus, vivificetur; atque ità aptus fiat, ut possit Vocationem vitaliter spiritualiter percipere, & vocanti auscultare: quin imo velit percipere & auscultare; adeoque actu percipiat, auscultet, & credat. Sic Deus in hoc negotio ostendit, se eum esse, qui *vivificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt tanquam sint*; R*om.* 4.17. & qui splendet in cordibus nostris, ad præbendum nobis lucem notitiæ, &c. 2 C*or.* 4. 6. Adde 1. *Thess.* 1. 5. *Rom.* 1. 16.

VII. Veritatem istam de interna reali hyperphysica operatione Sp. Sancti in Vocatione efficaci, contra *Pontificios, Socinianos, Remonstrantes*, aliosque *Pelagianizantes*, pressius probamus:

1. Quia ista efficientia in SS. Litteris diserte proponitur ut necessaria, quæ accedat ad illam externam & moralem: 1 Cor. 3. 5. *Quis igitur est* P*aulus? quis autem Apollos? nisi Ministri, per quos credidistis*, &c. *vers.* 7. *Itaque neque is qui plantat est aliquid, neque is qui rigat; sed* Deus *qui dat crescendi vim*. Similiter 2 T*im* 2. 24, - 26. *Joh.* 6. 63; 45. Exemplum illustre est in Gentilibus, *Act.* 10. 44. & in Lydia; xvj. 14. Atque hinc preces Pauli pro aliorum conversione; *Eph.* 1. 17. 18. *Deus det vobis spiritum sapientiæ, --illuminatis oculis mentis vestræ, ad sciendum quæ sit spes illa vocationis ipsius*, &c.

2. Non sufficit objectiva solum Euangelii propositio, & suasio duntaxat moralis; propter humanæ naturæ corruptionem & ineptitudinem ad bona spiritualia salutaria. Vide sup. c. 10. th. 29, 30, 34. Consequenter necessaria est efficacia illa realis hyperphysica, ad auferendam corruptionem, restituendam aptitudinem, & actu in nobis producendam fidem ac resipiscentiam.

3. Quia variæ phrases passim usurpantur, efficaciam istam satis emphatice exprimentes: nominatim, Apprehensio Christi activa; P*hil.* 3. 12. Tractio; *Joh.* 6. 44. Cordis mutatio, & Legis Divinæ inscriptio; *Ezech.*

Ezech. 36. 25, 26, 27. *Jerem.* 31. 33. Conversio; *Thren.* 5.21. Circumcisio cordis ab ipso Deo facta, aut facienda; *Deut.* 30. 6. Nova Creatio; *Eph.* 2, 10. *Ps.* 51. 12. Regeneratio; *Joh.* 3. 3, 5,-8. Resuscitatio ex morte spirituali *Eph.* 2. 5, 6.

4. Ex ratione consequentiæ: Quia non crediderunt & resipuerunt carnales Israelitæ, eo quod iis non obtigerit gratia illa realiter efficax: unde *Deut.* 29. 5. *Sed non dederat vobis Jehovah mentem ad cognoscendum, & oculos ad videndum,* &c.

Obj. 1. Efficientia moralis aliquoties proponitur, ut necessaria ad hominis conversionem. Ergo. *Resp.* A positione unius, ad negationem alterius, non valet consequentia.

Obj. 2. Passim occurrunt doctrinæ, præcepta, promissa, &c. Ergo ipsi homines suis viribus se possunt convertere, & credere. *Resp.* Ex illis recte colliguntur officia hominum, quibus ista proponuntur; non vero propria eorum facultas citra gratiam Dei realiter efficacem: quemadmodum pari ratione, ex reprehensionibus, querelis, &c. innotescunt peccata hominum, officia sua libere negligentium; non eorum aptitudo per se ad bona spiritualia salutaria.

VIII. Attamen *præcedere* solet ministerium Legis, ad agnoscendum reatum, & gratiæ Euangelicæ necessitatem: *Matth.* 9. 12, 13. *Rom.* 3. 20. sequente deinceps Euangelio; & justitiam ac reliqua bona salutaria, in Christo, monstrante: *Matth.* xj. 28. *Rom.* 1. 16, 17.

Vocationem istam deinde *sequitur* actus noster, quo ad vocantem Christum Mediatorem accedimus, & per ipsum ad Deum; sic ab ipso apprehensi, apprehendimus ipsum vicissim: *Joh.* vi, 45. *Phil* 3. 11, 12.

IX. Ex dictis patet, 1. Vocationem istam ad unionem & communionem Christi, distinguendam esse à Vocatione ad munus, vel functionem aliquam insi-

gnem

gnem: cum illa omnium fidelium sit communis; hæc quorundam peculiaris, sive electorum, sive etiam reproborum:

Atque item 2. à Vocatione duntaxat externa; vel etiam illuminante solum & persuadente, aut refrænante & cohibente, ac simul excitante ad quandam pietatis speciem; vel etiam conferente dona quædam extraordinaria, non salutaria. Sic enim *Multi sunt vocati, pauci vero electi*: *Matth*. 20. 16; xxij, 14

Nec non 3. Vocationem efficacem & verè salutarem, non esse ejusdem speciei cum externa solum; vel illuminante, persuadente, refrænante, &c. Quæ enim efficax, & salutaris est, à Christo, quâ Mediatore, in electis suis efficacia spirituali vivificante peragitur: altera non item; sed a Christo tantum procedit, ut Domino, omnium potestatem habente, & pro beneplacito suo, dona quædam, sine vera vita spirituali, quibusdam largiente.

4. Gratiam Dei & Christi in Vocatione electorum non esse resistibilem, nec effectum ejus a libero hominis arbitrio suspensum; sed obstacula omnia removere, difficultates superare, prorsus pertendere, atque effectum salutarem certo sortiri: dum facit homines non solum posse; verum etiam velle, & incipere, imo insuper pergere ac perseverare; contra *Remonstr.*

X. Sed neque *universalis* est ista Vocatio: cum nec ipsa electio, cujus illa primum in executione medium est; nec ipsa fides, quæ formalis hujus Vocationis effectus est; nec ipsa denique Vocatio externa, plane sit universalis. Quod contra eosdem probè observandum, qui gratiam universalem sufficientem ad conversionem & salutem tam strenue propugnant; Deumque a sua parte paratum contendunt, sermonem reconciliationis omnibus & singulis proponere, quamvis re ipsa non proponat, propterea quod multi se eo indignos præstent.

Obj. 1.

Obj. 1. Atqui diserta omnium fit mentio; *Marc.* 16. 15. 1 *Tim.* 2. 4. *Tit.* 2. 11. *Resp.* Istic locutionem synecdochicam, de generibus singulorum, non de singulis generum, agnoscendam, satis obvium est.

Obj. 2. In Gentilibus, aliisque qui pereunt, multa præclara dona atque opera reperiuntur. Ergò. *Resp.* Quæ alicubi de donis naturæ post lapsum, vel etiam de beneficiis quibusdam non salutaribus, occurrunt; hæc cum iis quæ sunt gratiæ supernaturalis & salvificæ, confundi non debent.

XI. *Regeneratio* est Actio realis hyperphysica, quâ homini in Adamo spiritualiter mortuo, attamen electo & per Christum redemto, Vita spiritualis de novo inditur, ad ipsius salutem, & gloriosæ Dei misericordiæ demonstrationem.

Vita dupliciter spectari solet, *tùm* in actû primo, ut est ratio formalis viventis, quâ talis; *tùm* in actû secundo, prout actiones ex isto principio reipsâ procedunt. *Priori modo* vita spiritualis inditur per Regenerationem; & sic est facultas supernaturalis menti indita, per Spiritum Christi, ad producendas actiones spirituales salutares. *Posteriore modo* ipsæ actiones vitales ex isto principio eliciuntur & imperantur.

XII. Interim respectû *diversorum subjectorum* varia quoque de vitâ spirituali, & operationibus Dei circà ista subjecta, possunt observari. Sic autem *occurrunt*; 1. Electi adhùc irregeniti; 2. Regeniti quoad actum primum; 3. Conversi & Sanctificati quoad actum secundum.

Electi adhùc irregeniti sunt potissimùm Electi nati & educati ab infidelibus, extrà communionem Ecclesiæ & Fœderis Euangelici; quorum vita spiritualis per Christum impetrata, virtualiter est in Christo, & suo tempore ac ordine juxtà Decretum Dei in ipsis producenda; quamvis eâ formaliter hactenùs sint destituti. Quapropter Deus hoc agit, ut illi non mo-

riantur citrà regenerationem & converſionem; quin imò frequenter per gratiam reprimentem & coërcentem hoc efficit, ut ne in graviora flagitia contra communem honeſtatem proruant; aut ſi contingat eos Euangelio priùs vocari, curat omninò ut non peccent in Spir. Sanctum: ſed ſuo tempore ac ordine regenerentur & vocentur ſalutariter. Vide *Eph.* 2. 1, 2, 3, 12. iv. 17--20. 1 *Cor.* 6. 9--11. *Gal.* 4. 8, 9. *Joh.* 10. 16.

XIII. *Regeniti quoad actum primum* ſunt Electi & redemti in quibus jàm eſt Spiritus Chriſti, tanquàm principium vitæ ſpiritualis; quamvis ab ipſis nondùm procedant operationes vitales ſpirituales: quales ſunt Infantes electi & redemti, atque ex utroque parente, vel alterutro ſaltem fideli, nati in communione Fœderis Euangelici. Hùc faciunt loca *Gen.* 17. 7, 11, 12. *Pſ.* 22. 10, 11. *Act.* 2. 38, 39. 1 *Cor.* 7. 14. *Marc.* 10. 14. Exempla, in quibus adjuncta quidem fuerunt extraordinaria, ſic tamen ut ipſum ordinarium interim involvatur, vide in *Jeremiâ* I. 5. Johanne Baptiſtâ, *Luc.* I. 15. Simſone, *Jud.* 13. 7. & in Paulo, *Gal.* I. 15, 16. *Fidem habitualem* multi appellant: Alii *Spiritum*, *Semen*, vel *Radicem fidei*. Nonnulli *Gratiam*, vel *Regenerationem baptiſmalem*. Alia eſt ratio eorum infantium, qui reprobati ſunt; quemadmodùm & adultorum: licet tales etiàm Sacramentorum & externæ communionis Eccleſiaſticæ fiant participes; atque judicio charitatis pro electis habeantur, quatenùs non apparent indicia contraria.

In iſtis ſic regenitis interim agnoſcendum eſt Peccatum originale, tùm imputatum, quoad reatum in actû primo; tùm inhærens, quia deſtituuntur integritate imaginis Divinæ, & vitioſitatem naturæ corruptæ habent, quamvis hæc per ſupervenientem gratiam vitæ ſpiritualis certò deinceps deſtruenda ſit.

XIV. Sequuntur tandem *Converſi & Sanctificati*

quoad

quoad actum secundum. Infantes electi, & in fœdere nati, *vel* in ejusdem communione educantur à fidelibus; *vel* extrà ejus communionem ab infidelibus ac profanis, & cum iis vivunt aliquamdiù. In *prioribus* dùm inest intrinsecum vitæ spiritualis principium, accedente pariter exemplo fidei ac pietatis, atque item diligenti instructione de credendis & faciendis, in ipsâ sæpè pueritiâ eliciuntur & excitantur actûs quidam fidei & sanctitatis, licet initio incompleti; paulatim verò illi proficiunt, & vitam spiritualem pleniùs exerunt. Hùc spectant præcepta ista, *Deut.* 6. 6, 7. XI. 29. *Prov.* 22. 6. *Eph.* 6. 4. Exempla sunt in familiâ Abrahami, *Gen.* 18. 19. & in educatione Timothei, 2 *Tim.* I. 5. iij. 14, 15. *Qui autem* ab infidelibus & profanis educantur, & adminiculis istis externis ad tempus destituuntur, tardiùs etiàm & seriùs promoveri solent ad actûs secundos vitæ spiritualis: donec tandem Deus speciali quâdam efficaciâ Sp. Sancti eos moveat & excitet, adhibito forìs Verbi sui ministerio. Exemplum tale obvium est in *Paulo*, qui in Judaïsmo educatus, & dogmata sectæ Pharisaïcæ edoctus, Christum in membris suis aliquamdiù persequebatur; donec ipsius Christi voce cœlitùs demissâ prostratus, ad Ananiam de veritate salutari instruendus mitteretur. *Act.* 7. 58. IX. 1. & seqq. Similiter & in *Augustino*, qui matre fideli, patre autem infideli natus, & in educatione puerili variè agitatus, tandem per Ambrosium de veritate Christianæ religionis instructus, & ad communionem Ecclesiæ adductus est.

XV. Fieri tamen potest, ut Electi in Fœdere nati, & à fidelibus educati, diù in tenuibus quibusdam initiis subsistant, & ad quandam vitæ laxitatem, vel formalem subindè hypocrisin prolapsi, seriùs ad actuale & constans vitę spiritualis exercitium promoveantur: in quibus valdè conspicua solet esse mutatio; quemad-

modùm & in iis, qui ab infantiâ ſuâ regeniti; ſed ab infidelibus aut profanis educati ſunt. Maximè verò in illis adultis, ubi in intrinſecum iſtiuſmodi principium non præexiſtit; ſed qui ſimul & ſemel vocantur, regenerantur, & convertuntur in actû ſecundo. Vide quæ facta ſunt in Iſraëlitis, die Pentecoſtes, *Act.* 2. 37, 41. In Paulo, *Act.* 9. 4,--9. & in Commentarienſe, xvj. 25,--34. Adde 1 *Cor.* 14. 24, 25.

XVI. In Regeneratione fit *Mortificatio veteris hominis, & Vivificatio novi*: prout ſcil. deſtruitur peccatum inhærens ex Adamo; eâdemque operâ producitur vita veræ ſapientiæ, juſtitiæ, & ſanctitatis, ex Chriſto. De utrâque vide *Col.* 3. 3, 9, 10. & *Eph.* 4. 21,--24. utrobique interim diſtingui debet inter actum primum & ſecundum. *Actû primo Mortificationis* vetus homo lethaliter vulneratur: *Actibus ſecundis* vires ejus magis magiſque franguntur. Sicut *actû primo Vivificationis* inditur principium vitale: *actibus ſecundis* ipſæ operationes vitales ulteriùs exeruntur, & indies promoventur; donec tandem vita ſpiritualis complementum ſuum accipiat; quod in hoc ſæculo non obtinetur perfectè.

XVII. Sic igitur *in primo momento* habet ſe homo merè paſſivè; quod ex ejus conditione, & phraſibus in hâc materiâ uſurpari ſolitis, ac th. 7. §. 3. allegatis, manifeſtum eſt. Atque adeò ante Regenerationem ſuam non poteſt ſalutariter audire Verbum Dei; totali enim impotentiâ laborat ad bona ſpiritualia ſalutaria. *Rom.* 8. 7. 1 *Cor.* 2. 14. Conſequenter nullæ diſpoſitiones præparatoriæ ad primam regenerationem in ipſo fingendæ; non magis quàm in quolibet mortuo ad vitam. Sic ante primam fidei ingenerationem in ipſo ſupponi non debet, nec à parte ipſius prærequiritur pia quædam docilitas; aut animi probitas: *Pollutis enim & incredulis nihil eſt mundum*, &c. *Tit.* 1. 15. Et ſicubi fortè de quibuſdam tale quid prædicari

videatur,

videatur, ut de Eunucho, *Act.* 8.27. &c. & Cornelio, x. 22, 24, &c. dicendum, quòd illi non fuerint irregeniti: sed jàm ante per Regenerationem & Sanctificationem eò usque producti, cùm essent Judæi Proselyti, licet posteâ demùm explicatam & applicatam de Jesû Christo instructionem acceperint.

Regeneratio *per Verbum* fieri dicitur, *Jac.* I. 18. 1 *Petr.* I. 23. sed potissimùm tunc intelligendum est Verbum internum, cum externum habeat tantùm rationem causæ instrumentalis moralis in adultis, qui ejus capaces sunt.

XVIII. Mortificatio igitur veteris hominis, & Vivificatio novi, in momento & actû primo sunt operationes solius Dei: sed deinceps in actibus secundis etiàm nostræ partes effectivæ sunt; quamvis dependenter à gratiâ Dei salutiferâ in Christo. Sic sedulò agimus, ut vetus homo magis ac magis mortificetur; novus autem jugiter incrementum capiat: quò pertinent adhortationes, *Gal.* 5.24,25. *Rom.* 6. 11,--14. 2 *Cor.* 4. 16. Cùm interim alii minùs, alii magis in hâc praxi proficiant, pro diversitate graduum; de quibus alibi ex professo erit agendum.

Similiter de *Conversione* dicendum; quòd scil. primus ejus actus efficienter Deo, passivè nobis attribui debeat: sic *Deo nos convertente, nos convertimur*: *Jerem.* 31. 18. Cæterùm ex principio jàm indito, sed dependenter à gratiâ Dei, nos ipsos quoque convertimus ad Deum, & in viis ipsius piè ac sincèrè ambulamus.

XIX. Ex superioribus tandem colligimus contrà *Pontif. & Remonstr.*

1. Vocationem salutarem à non salutari differre ipsâ intrinsecâ operatione vocantis, & effectu formali proximo; non verò tantùm adjuncto usû arbitrii humani, aut consequente fructû salutari.

2. Illuminationem salutarem distinguendam esse

ab illuminatione qualicunque generali non ſalutari.

3. Veram Pœnitentiam & Contritionem ſalutarem ſimiliter differre ab attritione qualicunque, & triſtitiâ ſecundùm mundum, ex apprehenſione iræ Divinæ, vel metù infamiæ.

XX. Pro *Praxi*: 1. Vocationem noſtram, ut & Electionem, firmam efficere ſtudeamus: 2 *Petr*. I. 20.

2. Quanta gratia nobis ſit facta, quòd Chriſtus nos prior dilexerit, & efficaciam ſalutarem in nobis exerere cœperit, ſedulò attendamus: *Joh.* 15. 16. 1 *Joh*. 4. 10.

3. Vitam ſpiritualem magis ac magis exeramus: *Phil*. 3. 12, 16, &c.

CAP. XV.

De Juſtificatione, Reconciliatione, & Adoptione.

JUſtificatio. *Actus judicialis*. 1. *Probatur*. 2. Sententia *Pontif*. *Obj*. ſolv. 3. Judicium *Dei*. Juſtitia *univerſalis*, *perſonæ*: non *cauſæ* tantùm. *Articuli* iſtius ſententiæ. 4. *Cauſa efficiens prima*. *Procatarctica impetratoria*. Cauſa *efficiens altera*. *Finis*. 5. *Juſtitia Chriſti*. *Imputatio*. 6. *Objectiones* ſolv. 7. *Juſtitia propria* rejicitur. *Fidei* uſus organicus: c. *Pontif*. *Socin*. &c. 8. *Sententia vera* probatur. 9. *Exceptiones* ſolv. 10. Sententia *Pontif*. de *Satisfactionibus humanis*. 11. *Objectiones* ſolv. 12. Sententia *eorum* de *Meritis humanis*; quantum ad *vocem*. *Obj*. ſolv. 13. De *re*, *obj*. ſol. 14. ac porrò, *th*. 15, 16, 17. De *uſu* meritorum, ſecundùm

eoſd.

eosd. 18. Sententia *Socin.* 19. *Remonstr.* 20. ac porrò, *th.* 21, 22. Aliæ *objectiones* solv. 23. Error *Osiandri. Obj.* solv. 24. *Distinctiones* quædam. 25. Justificatio *sub V. T.* 27. *Infantium electorum regenitorum.* 28. *Peccata* quodammodò *remissa*, priusquàm *commissa.* 29. Justificamur *unico actû*, eoque *immutabili*: c. *Pontif.* & *Remonstr.* 30. Quomodò *post hanc vitam* aliqua peccatorum remissio. 31. *Reconciliatio. Actus gratiosus. Termini.* Quibus *modis* facta. 32. *Pax.* Cum *Deo.* Ejus *fructûs.* 33. *Amicitia.* Cum *Deo.* 34. *Adoptio. Filiatio.* 35. Formaliter fit *in tempore. Causa efficiens prima. Media.* Quomodò *virtualiter facta.* Ejus *testificatio. Consummata applicatio. Privilegia.* 36. *Libertas Christiana. primaria*, etiàm *sub V. T.* 37. *Secundaria. pro* N. T. *Obj.* solv. Libertas conscientiæ *à statutis humanis.* Non tamen à *Legibus civilibus.* De *Adiaphoris. Scandalum. datum. acceptum. sumtum.* Non *data carni occasio.* Non permittenda quibusvis *libertas prophetandi*: c. *Socin. Remonstr.* &c. *Filialis animi fiducia apud Patrem cœlestem.* 38. Specialis *conformatio cum Christo. Concio primogenitorum. Prophetæ. Sacerdotes. Reges.* 39. *Hæreditas.* 40. *Excellentia* præ humanâ adoptione. 41. *Praxis.* 42.

I. SUccedit *Justificatio*: *Rom.* 8. 30. *Quos Vocavit, eos etiam Justificavit.* Est autem Judicialis & gratiosus Dei actus, quo homo peccator, sed redemtus & credens, à reatû absolvitur, simulque

que vita æterna ei adjudicatur, juxta Euangelium; propter Justitiam Christi ipsi imputatam, & fide ab eo receptam.

Actum judicialem dicimus; quia judicando statûs nostri mutationem relativam infert: non *physicum*, aut *hyperphysicum*; quasi realem qualitatum mutationem in nobis formaliter produceret. Sic enim Hebraïcum הִצְדִּיק, & Græcum Δικαιοῦν, vel Δικαιοῦσθαι, quæ per Latinum verbum *Justificare* reddi solent, passim in SS. Literis usurpantur. Atque ista significatio forensis in hâc materiâ omninò retinenda est.

II. Hùc pertinet 1. Inductio locorum V. T. utpotè *Deut.* 25. 1. *Si fuerit controversia inter aliquos, ideoque accesserint ad Judicium, ut Judices sententiam de eis ferant, tùm Justum pronunciaturi sunt;* sive *Justificaturi*, וְהִצְדִּיקוּ) *eum qui justus est: & Improbaturi sunt* (sive *Condemnaturi*, וְהִרְשִׁיעוּ) *eum qui Improbus est.* *Prov.* 17. 15. *Qui absolvit* (sive *Justificat*, מַצְדִּיק) *Improbum, & qui Condemnat* (sive *Improbat*, מַרְשִׁיעַ) *Justum, abominationi Jehovæ sunt æquè ambo.* Adde *Jes.* 5. 22. 23. 2 *Sam.* 15. 4. Et confer *Ezech.* 16. 51, 52. *Psal.* 143. 2.

2. Similis inductio locorum N. T. *Rom.* 8. 33, 34. *Quis intentabit crimina adversùs electos Dei? Deus* is est *qui Justificat.* (ὁ δικαιῶν.) *Quis est qui Condemnet? Christus* is est *qui mortuus est*, &c. v. 16. *Reatus quidem est ex unâ offensâ* (Adami) *ad Condemnationem:* (εἰς κατάκριμα.) *Quod autem gratificatur Deus, est ex multis offensis ad Justificationem*, (εἰς δικαίωμα.) Vide etiàm *vers.* 18. & *cap.* XI. 12. 13. *Matth.* 12. 37. *Luc.* 7. 29. 35. XVI. 15. In omnibus istis locis, ex subjectâ materiâ, atque evidenti oppositione Justificationis

& Condemnationis manifesta est forensis significatio æstimandi ac judicandi; non verò actionis realis physicæ, aut hyperphysicæ.

3. Diligenter observanda est accuratissima hujus negotii tractatio, *Rom.* 3. 19,--28. IV. 2,--8. & *Gal.* 2. 16. ubi clarissimè agitur de reatû, per quem omnes sunt obnoxii condemnationi; atque interim Justificatio fit ex fide, & ex gratiâ, per redemtionem Christi, &c. ut peccata non imputentur, sed remittantur; & Justitia imputetur sine operibus, &c. ubi eadem forensis significatio necessariò intelligeuda est; non autem realis mutatio, & justitiæ inhærentis infusio.

4. Ipsi Adversarii in Justificatione agnoscunt contineri Remissionem peccatorum; quæ certè actio forensis & judicialis est.

III. *Pontificii* aliter vocem accipiunt; & consequenter etiàm in re significatâ errant gravissimè; quod patebit in progressû. *Becanus* in Manuali, lib. 1. cap. 15. §. 1. ,, *Justificatio* nihil aliud est quàm mu-,, tatio, quâ quis ex *impio*, seu *peccatore*, *fit justus*; ,, sicut *sanatio* est mutatio, quâ quis ex ægroto fit sa-,, nus. &c. Sed perperàm.

Obj. 1. *Jes.* 53. 11. *Cognitione sui Justificabit justus servus meus multos*, &c. istic forensis illa significatio non habet locum: sed realis mutatio, ad quam cognitio hominem disponit, intelligenda est. *Resp.* Imò Christus, ut Deus, & ut Judex, justos pronunciat fideles; pro quibus ipse, ut Sponsor, satisfecit, & salutem æternam meritus est. Sic rectè istic retinetur significatio forensis, seu judicialis.

Obj. 2. *Dan.* 12. 3. *Erudientes splendebunt*,--: *& justificantes multos, ut stellæ*, &c. Istic forensis significatio non obtinet; sed realis, &c. *Resp.* Qui Euangelium prædicant, suoque ministerio alios ad fidem adducunt, quâ Christum ejusque justitiam amplectantur; deinceps etiàm, quos credere deprehen-

 dunt,

dunt, ministerialiter declarant justos coram Deo. Vide 2 *Cor.* 5. 19, 20. *Joh.* 20. 23.

Obj. 3. *Apoc.* 22. 11. *Qui justus est, justificetur adhùc*, &c. *Resp.* Qui coram Deo justus est, dùm praxin fidei continuat, subindè renovat, & pietati operam dat; in conscientiâ suâ magis percipit, ac dijudicat, se ab ipso Deo justificatum esse, & ab aliis hominibus talis agnoscitur.

Obj. 4. *Jac.* 2. 21. *Abrahamus pater ille noster, nonne ex operibus justificatus est*, &c. *Resp.* Sic ex operibus bonis, tanquàm fructibus veræ fidei quâ coram Deo justi sumus, justi agnoscimur, & judicamur, in propriâ nostrâ conscientiâ; ac porrò etiàm ab aliis, judicio discretionis.

Obj. 5. Similia composita realem mutationem significant; ut *Magnificare*, *Sanctificare*, *Glorificare*, &c. Ergò. *Resp.* 1. Verba valent usû: sed alium usum verbi *Justificare*, nos jàm probavimus. 2. Verba *Magnificare* & *Sanctificare* etiàm in significatione æstimandi, declarandi, & celebrandi occurrunt: utpotè *Luc.* I. 46. *Magnificat anima mea Dominum. Matth.* 6. 9. *Sanctificetur nomen tuum.* &c. Quemadmodùm 3. & simplex verbum *Facio* eâdem significatione quandoque usurpatur; ut cùm dicimus, *Magni facio*, *Flocci facio*, &c.

IV. Facilè apparet, nunc *Judicium ipsius Dei* propriè spectari; non humanum qualecunque, nisi consequenter: atque item *universalem justitiam personæ*, ut ea absolutè justa censeatur coram tribunali Divino; non verò *justitiam causæ* tantùm, prout quis in particulari solùm casû vel facto insons aut justus est. Vide *Psal.* 7. 4, 5, 9. de Davide respectû Saulis, & CVI. 31. de facto Pinchasi.

Ista autem sententia gratiosa duos quasi *articulos* complectitur: *prior* est Absolutio ab omni nostro reatû, ob plenissimam Christi pro nobis Satisfactionem;

Rom.

Rom. 8. 33, 34. *Quis intentabit crimina adversùs electos Dei?* &c. Sive Remissio peccatorum, h. e. reatûs quoad actum secundum plena extinctio: *Rom.* 4. 6, 7, 8. „Sicut etiàm David declarat beatum eum ho-„minem, cui Deus imputat Justitiam absque operi-„bus: dicens Beati, quorum *Remissæ* sunt *iniquitates*, „& quorum *Obtecta* sunt *peccata*: Beatus vir, cui „*non imputârit Dominus peccatum.* Confer *cap.* 3. 24, „25, 26. *Eph.* I. 7.

Alter est Adjudicatio vitæ æternæ, ob Christi Meritum pro nobis etiàm consummatum: *Rom.* v. 17, 18, 19. „Multô magis ii, qui exundantiam illam „gratiæ & doni Justitiæ recipiunt, *in vitâ regnabunt* „*per unum Jesum Christum.* -- Per unam *Justificationem* „(beneficium redundavit) in omnes homines ad *Ju-„stificationem vitæ.* -- Ità *per unius Obedientiam Justi* „*constituentur multi.* 21. „Ut, quemadmodùm „regnaverat peccatum ad Mortem; ità etiàm gratia „regnaret *per Justitiam ad Vitam æternam, per Iesum* „*Christum Dominum nostrum.*

V. *Causa efficiens prima* est Deus absolutè: *Rom:* 8. 33. *Deus* is est, *qui Iustificat.* III. 30. 2 *Cor.* 5. 19. *Ies.* 43. 25. *Mich.* 7. 18, 19. Confer *Psal.* 51. 6. *Jac.* 4. 12. Ei respondet *proëgumena*, ipsius Gratia: *Rom.* 3. 24. *Ut qui Iustificentur gratis, ejus Gratiâ. Eph.* I. 7.

Procatarctica impetratoria est Christus Sponsor ac Redemtor noster: *Rom.* 3. 24, 25. *Per Redemtionem factam in Iesû Christo; Quem præstituit Deus Placamentum per fidem in Sanguine ipsius*, &c. *Eph.* I. 7.

Causa efficiens altera est idem Christus, ut cui œconomicè traditum est omne Judicium: *Ioh.* 5. 22, 27. Istam potestatem Christus etiàm in terrâ sibi competiisse, probavit miraculosâ paralytici sanatione; *Matth.* 9. 2, -- 7.

Finis verò est demonstratio Gratiæ, & simul Justi-

tiæ

tiæ Divinæ: *Eph.* I. 6, 7. *Ad laudem gloriosæ suæ Gratiæ*, &c. *Rom.* 3. 26. *Ad demonstrationem Iustitiæ suæ præsenti tempore; ut sit ipse Iustus, & Iustificans eum qui est ex fide Iesû.*

VI. In *causâ procatarcticâ* propiùs hìc spectari debet *Iustitia Christi*, quæ est formaliter impetratoria Justificationis nostræ; atque ità nobis imputatur: undè multi eam *Iustificationis nostræ materiam* appellant. Hanc veró eâ amplitudine sumimus, ut *passivam* & *activam* pariter complectatur: sive omnem illam, quam Christus *tùm* patiendo pœnas nobis debitas, *tùm* agendo omnia ipsi mandata, pro nobis consummavit; h. e. Satisfactionem & Meritum ipsius, pro nobis præstita. *Phil.* 3. 8, 9. *Ut Christum lucrifaciam: & comperiar in eo, non habens meam Iustitiam quæ est ex Lege; sed eam quæ est per fidem Christi, Iustitiam ex Deo per fidem.* Confer 2 *Cor.* 5. 19, 21. *Rom.* 3. 30, 31. VIII. 3, 4, 5, 19. & sup. cap. 13. th. 9. & 11.

Justitiam illam Christi dicimus nobis *imputari*, λογίζεσθαι, vel ἐλλογεῖσθαι; h. e. cùm præstita sit à Sponsore nobis conjunctissimo, censeri pro nostrâ, & in rationes nostras referri. Confer *Philem.* 18, 19. Vide sup. cap. 12. th. 30. Ac proindè Imputatio non debet exponi per Acceptilationem; quod velint *Remonstrantes*. Vide sup. cap. 13. th. 3. Disertè autem Apostolus, *Rom.* 4. 3. ex *Gen.* 15. 6. *Credidit Abrahamus Deo, & Imputatum est ei ad Iustitiam.* Scil. prout fides organicè justitiam Christi recipit & amplectitur. Vide porrò vers. 5, 6, 9, 10, 11. Atque iterùm 22,--25.
„ Quapropter etiàm hoc *Imputatum est ei ad Iustitiam.* Non *scriptum* est autem propter eum solum, „ quòd hoc Imputatum fuerat ei: sed *etiàm propter* „ *nos, quibus futurum est ut Imputetur*; Iis (nimirùm) „ qui *credunt* in eum, qui suscitavit *Iesum Dominum* „ *nostrum à mortuis, Traditum* (morti) *propter offen-* „ *sas nostras, & suscitatum ad nostri Iustificationem.*

Ubi

Ubi objectum fidei, ejusque valor & habitudo ad nostrî Justificationem clarè proponitur.

Æquipollentia etiàm alibi occurrunt: ut *Rom.* 5.19. ,, Sicut per contumaciam unius hominis, peccatores ,, constituti sunt multi; ità *per unius Obedientiam Insti* ,, *constituentur multi.* 2 *Cor.* 5. 21. ,, Fecit enim ut ,, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum esset; ,, ut *nos efficeremur Iustitia Dei in eo.* Utrobique satis ,, manifesta est Imputatio. Atque hinc Christus dicitur, *Ierem.* 23. 6. *Iehovah Iustitia nostra.* Et 1 *Cor.* 1. 30. nobis *factus à Deo Iustitia.* Scil. per Imputationem.

VII. *Obj.* 1. Deus secundùm veritatem judicat; ac proindè non judicat justum, nisi qui justitiam propriam & inhærentem habet, &c. *Resp.* Etiàm secundùm veritatem Deus judicat, hominem; credentem justum esse non quidem in se, sed in Christo; & justitiâ non inhærente, sed imputatâ.

Obj. 2. Nemo eruditus censeri potest; propter eruditionem alienam; aut probus, ob probitatem alienam. Ergò. *Resp.* Attamen propter personam benè meritam potest præmium etiàm conferri in personas illi propinquas; secundùm efficientiam virtualiter transitivam.

Obj. 3. Regeniti & sanctificati habent vitam spiritualem, & justitiam, & sanctimoniam sibi inhærentem. Ergò. *Resp.* Indè tamen non sequitur, istam vitam, justitiam, &c. esse formalem effectum justificationis: neque etiàm, esse ejus causam impetratoriam.

VIII. Imò *Iustitia propria*, ex operibus Legis, disertè rejicitur, tanquàm ἀσύστατος cum vero modo Justificationis Euangelicæ. *Rom.* 3. 9. 10. ,, Antè ,, criminati sumus, & Judæos, & Græcos, *omnes* ,, *esse sub peccato.* Sicut scriptum est; (*Psal.* 14. 3.liii. 3.) *Non est justus; ne unus quidem*, &c. At

porrò;

porrò, 19. --. „Scimus autem, quæcunque Lex „dicit, iis qui *in Lege* sunt dicere; ut *omne os obstruatur*, & *obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei*. „Propterea *ex operibus Legis nulla caro justificabitur in* „*conspectû ejus*: per Legem enim est cognitio peccati. „Nunc verò *absque Lege Iustitia Dei manifesta facta* „*est*. &c.

Sed *Fides* passim requiritur ad hanc Iustificationem. *Rom*. I. 16, 17. de Euangelio; *Potentia est Dei ad salutem cuivis credenti*, --. *Iustitia enim Dei per illud revelatur ex fide ad fidem*. &c. III. 22. *Iustitia Dei per fidem Iesû Christi, in omnes & super omnes qui credunt*; --. Vide etiàm 25, 30. &c. Intelligenda verò est *Fides Euangelica*, *specialis*, *salvifica*, & *justificans*. Vide sup. cap. 2. th. 10, 11, 12. Eaque non *absolutè* spectanda, ut est actus noster, ad quem (positis ponendis) etiàm Lege obligamur; quasi specialis ista obedientia gratiosè æstimaretur pro universâ: neque ut est principium novæ obedientiæ, ac radix bonorum operum: contra *Pontificios*, *Socinianos*, & *Remonstrantes*, atque *Anabaptistas* quosdam. Verùm considerari debet *organicè*, ut est medium instrumentale ad unionem nostrî cum Christo, & communionem beneficiorum; ac nominatim justitiæ ipsius. *Ioh*. I. 12. *Quotquot Eum exceperunt*, -- *qui credunt in nomen Ejus*. *Hebr*. XI. 13. *Secundùm fidem mortui sunt isti omnes*, --*postquàm* (promissa) ipsis *fuissent persuasa*, & ea *amplexi fuissent*. Confer *ibid. vers*. 1. *Ioh*. 6. 35, 56, 57. *Eph*. 3. 17. *Gal*. 2. 20.

IX. Pleniùs autem *probamus* sententiam orthodoxam; 1. ex disertis SS. Literarum testimoniis. Negatur enim apertissimè Justificatio ex operibus propriis: *Rom*. 3. 20. *Ex operibus Legis nulla caro justificabitur in conspectû Ejus*. *Gal*. 2. 16. *Non justificabitur ex operibus ulla caro*. III. 11. *Nullum autem per Legem justificari apud Deum, manifestum* est.

Asseri-

Asseritur contrà justificatio ex justitiâ Christi pro nobis præstitâ, & nobis imputatâ; adeòque respectû nostrî gratuita, & per fidem: *Ierem.* 23. 6. *Nomen Ejus, Iehovah justitia nostra.* Adde *Rom.* 5. 18, 19. 1 *Cor.* I. 30. II. 5, 21. Iterùm *Rom.* 4. 22,--25. de Abrahamo; *Quapropter etiàm hoc imputatum est ei ad justitiam. Non scriptum est autem propter eum solum, quòd hoc imputatum fuerat ei: Sed etiàm propter nos, quibus futurum est ut imputetur, iis* nimirùm *qui credunt*, &c. III. 22. *Iustitia Dei per fidem Iesû Christi, in omnes qui credunt.* Adde, 24, 25, 26. v. 1. *Ies.* 53. 11. Item *Luc.* 5. 20. VII. 48, 50. *Ioh.* 3. 14, 15, 16, 18, 36. v. 24. *Marc.* 16. 15, 16. *Act.* 10. 43.

Et conjunctim; *Rom.* 3. 28. *Colligimus igitur fide justificari hominem, absque operibus Legis.* IV. 5. *Ei, qui non operatur, sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam.* Adde *Gal.* 2. 16. *Eph.* 2. 8, 9. *Phil.* 3. 8, 9. *Tit.* 3. 5. *Act.* 13. 38, 39.

2. Ex consideratione Fœderis Euangelici, ejusque discrimine à Legali: *Rom.* 4. 3,--6. *Quid enim Scriptura dicit? Credidit autem Abrahamus Deo, & imputatum est ei ad justitiam* (juxta promissionem Fœderis Euangelici.) *Atque ei, qui operatur, merces non imputatur ex gratiâ; sed ex debito;* (juxta Fœdus Legale:) *Ei verò qui non operatur, sed credit in eum qui justificat impium, imputatur* Fides *sua ad justitiam. Sicut etiàm* David *declarat beatum eum hominem, cui Deus imputat justitiam absque operibus:* &c. (secundùm Fœdus Euangelicum.) Porrò autem de Abrahamo *vers.* 11. *Et signum accepit Circumcisionis, sigillum justitiæ fidei receptæ in præputio; ut esset pater omnium credentium in præputio, imputatâ etiàm ipsis justitiâ.* & *vers.* 16. *Propterea ex Fide* est hæreditas, *ut sit per gratiam; ut firma sit promissio toti semini:* id est, *non solùm ei quod est ex Lege; verùm etiàm ei, quod est ex Fide Abrahami, qui est pater omnium nostrûm.* Ideò necessum est, ex

fide,

fide, & per gratiam obtineri justitiam atque hæreditatem; ut promissio Fœderis Euangelici sit firma, & ad totum semen pertineat: hoc enim complectitur etiàm electos Gentiles: qui tamen Legem non ità acceperunt, ut Israëlitæ post Abrahamum; sicut nec Ipse Abrahamus eam ità habuit; nedùm tunc cùm justificaretur. Vide etiàm *Gal.* 3. 5, 6, 7; 11,--. II. 21. v. 4, 5. Et confer *Rom.* 10. 3--.

3. Ex consideratione eorum qui justificandi sunt; & operum ipsorum in ordine ad Legem: *Rom.* 3. 9; 10. *Nam antè criminati sumus*, &c. 19, 20. *Scimus autem quæcunque Lex dicit*, &c. 23, 24. *Omnes enim peccaverunt, ac deficiuntur gloriâ Dei. Ut qui justificentur gratis*, &c. IV. 5,--8. *Ei, qui non operatur, sed credit in Eum qui justificat impium; imputatur fides suâ ad justitiam. Sicut etiàm David declarat beatum*, &c. Adde *Gal.* 3. 19; 22. Itèmque confessiones & supplicationes fidelium, *Psal.* 19. 13. cxxx. 3, 4. cxliii. 2. *Prov.* 20. 9. *Eccl.* 7. 20. 1 *Reg.* 8. 46. *Matth.* 6. 12. *Iac.* 3. 2. 1 *Ioh.* I. 8, 9, 10. Et confer *Iac.* 2. 10.

4. Omnis propria dignitas, atque in nobis ipsis gloriatio, à justificatione Euangelicâ prorsùs removeri debet. *Rom.* 3. 27, 28. *Ubi igitur Gloriatio? Exclusa est. Per quam legem? operum? Non: sed per legem fidei. Colligimus igitur*, &c. IV. 2, 3. 4. *Nam si Abrahamus ex operibus justificatus fuit, habet quod glorietur: at non apud Deum. Quid enim Scriptura dicit? Credidit autem Abrahamus Deo*, &c. *Eph.* 2. 9, 10. *Non ex operibus, ut ne quis glorietur. Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu*,--. 1 *Cor.* I. 29, 30, 31. *Ut ne glorietur ulla caro in Ejus conspectû. Nam ex Ipsô vos estis in Christo Iesû*,--. Addi possunt testimonia antiquorum Ecclesiæ Doctorum. Imò etiàm sub densioribus tenebris Papatûs, hominibus ad mortem præparandis adhibitæ fuerunt Quæstiones nonnullæ, quæ *Anselmo* tribuuntur: earum postrema erat; „ Credis

„ te

,, *te non posse, nisi per mortem Christi salvari?* Re-
,, spondet infirmus: Etiam. Tùm illi dicitur: Age,
,, ergò dùm superest in te anima, *in hâc solâ morte*
,, *fiduciam tuam constitue; in nullâ aliâ re fiduciam ha-*
,, *be!* &c. Quin & ipse *Bellarminus*, post multa aliter disputata, de Justificat. lib. 5. cap. 7. proposit. 3. *Propter incertitudinem propriæ justitiæ, & periculum inanis gloriæ, tutissimum est, fiduciam totam in solâ Dei misericordiâ, & benignitate reponere.*

X. *Exc.* 1. Cùm Paulus negat, hominem ex Lege justificari, de Lege Cerimoniali loquitur. *Resp.* Imò Moralem respicit potissimùm, quæ Gentilibus etiàm naturaliter fuit cognita; *Rom.* 2. 12, 14, 15. per quam Judęi & Gręci pariter sub peccato sunt; III. 9. & totus mundus condemnationi obnoxius; 19. per quam est cognitio peccati; 20. quæ gloriationem inferret, siquidem homo per eam justificaretur; 27. quæ iram efficit; IV. 15. & dicit; *Qui præstiterit ea, vivet per illa*; X. 5. *Gal.* 3: 12. nec non; *Execrabilis est, quisquis non manserit in omnibus*, &c. *Gal.* 3. 10. Ista sanè Legi Morali omninò conveniunt; cui interim adjecta fuerunt Præcepta Cerimonialia, pro populo V. Test. usque ad tempora correctionis.

Exc. 2. Apostolus illa solùm opera à Justificatione exclusit, quæ fidem antecedunt. *Resp.* 1. Exclusit omnia opera in universum, sine tali limitatione: fidei verò Justificationem adscripsit, quatenùs ea promissionem Euangelicam respicit & amplectitur; atque ità ab operibus contradistinguitur; *Rom.* 3. 20, 28. IV. 16. *Gal.* 3. 17, 18, 21. Adeò quidem, ut per veram fidem statim obtineatur justificatio: sed bona opera postmodùm ex fide, tanquàm principio, sequantur; *Rom.* 4. 10, 11. *Eph.* 2. 8, 9, 10. R. 2. Generales etiàm sunt rationes ab Apostolo productæ, quòd ex Lege sit cognitio peccati; quòd totus mun-

dus per eam ſit condemnationi & execrationi obnoxius; quòd ſic excludi debeat gloriatio; quòd alioquin Chriſtus redderetur inanis, & homines gratiâ exciderent, &c. *Rom.* 3. 19, 20, 27. IV. 2. *Eph.* 2. 9. *Gal.* 3. 10, 11, 12. V. 4. R. 3. Si Apoſtolus omninò probare ſolùm voluiſſet, hominem non juſtificari ex operibus fidem antecedentibus, nihil opus fuiſſet tàm operosâ demonſtratione, ſed breviter indicare potuiſſet, ante fidem nulla opera eſſe verè bona: quemadmodùm *Rom.* 14. 23. *Hebr.* XI. 6. Tit. I. 15.

Exc. 3. Fides, de quâ Paulus loquitur, charitatem & bona opera includit. *Reſp.* Fatemur, illam eſſe principium charitatis & bonorum operum; ſed negamus, eam ſic à Paulo conſiderari: hic enim nimis disertè Fidem à Bonis operibus contradiſtinguit; & quod de Fide affirmat, id de operibus in univerſum negat.

XI *Pontificii* ſtatuunt, Remiſſionem pœnæ temporalis apud Deum impetrari per Satisfactiones humanas. Confer ſup. cap. 13. th. 20. *Satisfactio* autem, juxta *Bellarminum* lib. 4. de Pœnitentiâ, cap. 1. eſt actio, quâ is, qui alterum læſit, tantum facit, quantum ſatis eſt ad injuriam compenſandam. Eaque præſtatur ad æqualitatem imperfectam, intercedente aliquâ acceptatione aut donatione: non pro culpâ, & in ordine ad amicitiam; ſed ut luatur pœna, eaque temporalis, in ordine ad juſtitiam. *Reſp.* 1. Chriſtus pro ſuis abſolutam ſatisfactionem præſtitit; eamque Deus admiſit, & fidelibus imputat: ergó neque ſatisfactionem ad æqualitatem imperfectam ab iis exigit Juſtitia Divina. 2. Abſurda eſt diſtinctio inter reatum culpę & pœnæ: conſequenter à quo non exigitur ſatisfactio pro culpâ, ab illo neque èxigi poteſt reſpectû pœnæ. 3. Chriſtus totalem remiſſionem fidelibus ſuis impetravit,

ut

ut nulla nunc sit iis condemnatio; *Rom.* 8. 1. ut habeant vitam æternam, nec veniant in condemnationem &c. *Joh.* 5. 24. Ergò illis non retinetur pœna luenda, ne quidem temporalis, in ordine ad Justitiam vindicativam.

Idem ille *contendit* cap. 3. Pœnas temporales hujus vitæ interdùm non posse redimi; sed necessariò perpetiendas esse; & talem inprimis esse pœnam mortis: alias aliquandò redimi posse, ac pro iis satisfieri, pœnas & flagella à Deo immissa patienter ferendo, opera laboriosa sponte assumendo, mulctam Sacerdotum arbitrio injunctam subeundo &c. *Resp.* 1. Quia Christus nobis impetravit plenam remissionem peccatorum, ista remissio nobis applicari debet certo quodam modo & ordine; ubi praxis fidei ac resipiscentiæ locum suum habet: sed jam nulla opera nostra formaliter pœnalia & satisfactoria ad consequendam remissionem exigi possunt, aut statui debent. Impetrare enim quod omninò impetratum est, nihil aliud est quàm actum agere, & à Justitia alienum. 2. Mortem quidem in hoc rerum statû nemo potest avertere: fideles tamen eam minimè subeunt ut pœnam strictè dictam. Vide sup. cap. 7. th. 45. §. 5. *R.* 3. Humilem ac piam afflictionum Divinitùs immissarum tolerantiam, veram de peccatis pœnitentiam, vitæ emendationem, preces pro accipiendâ remissione, opera misericordiæ ac beneficentiæ erga alias: &c. commemorat & commendat S. Scriptura; sed minimè docet, ea esse satisfactoria.

XII. *Obj.* 1. *Claves* Sacerdotibus datæ sunt non tantùm ad *solvendum*, ut pœnitentes à culpâ absolvant, & peccata *remittant*, quoad culpam & pœnam æternam; sed etiàm ad *ligandum*, ut possint ac debeant eosdem ad cætera pœnitentiæ opera alligare, & sic peccata *retineant* quoad pœnam tem-

poralem. Ità Deus Ministris suis mandavit, ut peccantes post Baptismum non sine mulctâ injunctâ ad indulgentiam Divinam per januam reconciliationis admitterentur. *Resp.* Diversæ sunt actiones *solvendi* & *ligandi* pro diversâ conditione subjectorum: *Matth.* 16. 19. XVIII. 18. cum *Joh.* 20. 23. *Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; si quorum retinueritis, retenta sunt.* Consequenter Ministri Euangelici (non Sacerdotes propriè dicti) ex præscripto Christi *solvunt* fideles & resipiscentes, h. e. ministerialiter iis peccata *remittunt*; infideles verò & impœnitentes *ligant*, h. e. eorum peccata *retinent*; ità ut maneat ipsorum reatus, quamdiù illi tales sunt. Sed nihil istic, vel alibi in S. S. Literis, de pœnitentibus alligandis ad opera quædam pœnalia & satisfactoria; nihil de mulctâ injungendâ hominibus post Baptismum peccantibus, sine quâ illi ad indulgentiam Divinam non admitterentur: verùm satis multa & diserta de gratuitâ justificatione, ejusque per Ministros annunciatione, citra imputationem offensarum; *Rom.* 3: 24. 2 *Cor.* 5. 19, 20.

Obj. 2. *Misericordia* & *Justitia* Divina passim conjunctæ prædicantur; siquidem rationi maximè consentaneum est, ut Deus ex *misericordiâ* sic peccata condonet, ut etiàm *justitiæ*, quoad ejus fieri potest, satisfieri velit. Par erat ut nos ipsi, qui Deum offenderamus, eidem nostro labore satisfaceremus, postquàm per Christi gratiam idonei effecti sumus ad expiandam pœnam temporalem. *Resp.* 1. Conjunctæ prædicantur *Misericordia & Justitia* Dei: ità videl. ut *Misericordia* in nobis demonstretur; *Justitiæ* verò per Christum satisfactum sit; non per nos ei satisfiat: *Rom.* 3. 24, 25, 26. *Eph.* 1. 7. *Col.* 1. 14. 2 *Cor.* 5. 18, 19, 21. R. 2. Gratia Christi non facit nos idoneos ad satisfaciendum Justitiæ Divinæ, & sic expiandam pœnam temporalem; sed quoniàm

Ipse

Ipſe pro nobis plenè ſatisfecit, nos à ſatisfaciendi onere liberavit: 2 *Cor.* 5. 15. *Ut qui hoc ſtatuerimus, ſi unus pro omnibus mortuus fuit, nempè iſtos omnes fuiſſe mortuos.* &c.

Obj. 3. Pœnitentia, quia medicamentum eſt animæ vulneratæ ac ægrotantis, id planè exigit, ut qui curatur, medicinales uſtiones, inciſiones, pharmaca amara, aliaque id genus multa ſuſtineat. Ergò. *Reſp.* Imò medicamentum ordinatur ad ſanitatem ęgro reſtituendam, non ad compendium Juſtitiæ. Sic pœnitentia ad animæ ſanitatem, per vitæ emendationem & ſanctificationem referenda eſt. &c.

Obj. 4. 1 *Cor.* 9. 27. *Contundo corpus meum*, &c. *Reſp.* Ad ſubigendam carnem corruptam, & promovendam ſanctificationem; non verò ad ſatisfactionem. Confer ſup. cap. 9. th. 81. obj. 3.

XIII. Pro *Meritis humanis*, & ſic acquirendo jure beatitudinis æternę, acriter etiàm digladiantur *Pontificii*. *Bellarminus* lib. 5. de Juſtificat. cap. 1. probaturus, opera juſtorum rectè vocari merita, producit 1. loca expreſſa (ut ipſe quidem exiſtimat.) *Eccleſ. Sir.* 16. 13. & *Hebr.* 13. 16. *Reſp.* 1. *Meritum propriè ac ſtrictè dictum* eſt opus indebitum ad acquirendam mercedem propter iſtius valorem debitam. Iſtud autem in nullâ creaturâ locum habet reſpectû Dei; propter omnimodam dependentiam ab Ipſo, & obligationem ad Ipſum. Sed *Meritum modificatum, laxè & impropriè dictum*, eſt opus debitum, cui tamen gratioſâ promiſſione merces conſtituta eſt, aut præmium: vel opus indebitum, cui merces conſtituta eſt ſupra ejus valorem; at verò ſuppoſito tali pacto, & præſtito tali opere, propter pactum omninò debetur merces præſtituta. Sic Deus in Fœdere Legali adjectâ promiſſione obligaverat ſe quidem Creaturis: (Vide ſup. cap. 9. th. 119.) ſed nunc

in homine lapso opera verè bona non præcedunt justificandum; verùm sequuntur justificatum; atque adeò jus vitæ æternæ, quod ex Christi merito credenti adjudicatur in justificatione, antecedit bona opera; non autem per ea, ut causam procatarcticam meritoriam, impetratur. Imò nec ea tàm perfecta sunt, ut juxta promissionem Fœderis Legalis vitam æternam mereri possint. Ad promissionem verò Euangelicam quod attinet, hæc jus vitæ æternæ nequaquam suspendit à nostris meritis, sed in Christi merito constituit, & per fidem solummodò accipi docet. Aliàs etiàm *latissimè & impropriissimè mereri* apud Patres idem valet, quod *consequi*, *accipere*, vel *obtinere*. Juxta illud, de peccato Adami; *O felix culpa*; *quæ talem meruit habere Redemtorem!* Qui usus in illis excusari quidem potest, ut evitetur λογομαχία: tutiùs tamen ab eo abstinetur, ne verbum istud ab hominibus incautis accipiatur significatione primâ propriâ, aut saltem secundâ minùs impropriâ; quod in Papatû factum. 2. Locus *Eccl. Sir.* 16. 15. apocryphus est. Ac porrò Vulg. Versio quidem habet; *secundùm meritum operum suorum*: sed Græcus textus; κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ; *secundùm opera sua*; citra ullam meriti mentionem. 3. *Hebr.* 13. 16. Vulg. Versio admodùm vitiosè habet; *Talibus enim hostiis promeretur Deus*: cùm in Græco sit, εὐαρεστεῖται ὁ Θεός; *delectatur Deus*; aut *benè placet sibi*.

Obj. 2. *Dignitas* indicatur, 2 *Thess.* 1. 5. *Apoc.* 3. 4. XVI. 16. quæ Meritum infert. *Resp.* 1. 2 *Thess.* 1. 5. dicit Apostolus; *Ut Digni habeamini Regno Dei.* Et Christus, *Apoc.* 3. 4. *Ambulabunt mecùm albati; Digni enim sunt.* Ubi *Dignitas* simpliciter notat convenientiam qualitatis; non æqualitatem quantitatis, aut valoris; neque antecedentem causam juris in eam rem, de quâ agitur. Quemadmodùm *Eph.*

4. 1.

4. 1. *Ut ambuletis ἀξίως τῆς κλήσεως; sicut convenit vocationi, quâ vocati estis.* Jàm tùm vocati erant & convenienter isti suæ vocationi vivere debebant; non autem istâ suâ ambulatione merituri erant vocationem. Vide etiàm *Phil.* 1. 27. *Col.* 1. 10. 1 *Thess.* 2. 12. *Matth.* 3. 8. Deindè fideles *digni habentur Regno Dei*, &c. non propriâ dignitate operum suorum; sed gratiosâ Dei dignatione in Christo. Confer 1 *Thess.* 2. 11, 12. Et *digni sunt ambulare* cum Christo *albati*; postquàm *laverunt stolas suas, ac dealbârunt in sanguine Agni illius*; *Apoc.* 7. 14. R. 2. *Apoc.* 16. 6. dicitur; *Quoniàm sanguinem sanctorum & prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti ad bibendum; Digni enim sunt.* Ubi pro subjectâ materiâ istud nomen aliter accipiendum est: de peccato enim agitur, ejusque justâ pœnâ, secundùm justitiam punitivam; undè non procedit consequentia ad bona opera, & quidem sub Fœdere Euangelico.

Object. 3. *Merces* etiàm appellatur, *Genes.* 15. 1. 2 *Chron.* 15. 7. *Prov.* XI. 18. *Sap.* 5. 16. *Eccles. Sir.* 18. 22. *Jes.* 40. 10. *Matth.* 5. 12. 1 *Cor.* 3. 14. *Apoc.* 22. 12. Ergò. *Resp.* 1. *Merces* in SS. Literis etiàm appellatur bonum utile aut jucundum, quod retribuitur pro aliquo opere, citra ejus dignitatem, aut rationem meriti: ut *Ezech.* 29. 18, 19, 20. *Nebucaretzar Rex Babyloniæ exegit à copiis suis servitutem magnam contra Tyrum: merces autem non est ipsi, neque copiis ejus de Tyro, --. Idcirco sic ait Dominus Jehovi; Eccè ego trado Nebucadretzari Regi Babyloniæ terram Ægypti; -- undè sit merces copiis ipsius. -- Quia operati sunt mihi, dictum Domini Jehovi.* Certè infideles illi nihil mereri potuerunt apud Deum. R. 2. *Gen.* 15. 1. dixit Deus Abrahamo; *Ego clypeus* sum *tibi, merces tua ampla valdè.* Sic vera ac perfecta beatitudo illi promittititur: sed jus istius mercedis non fundatur in operibus Abrahami, eorumve dignitate: imò

imputata ei fuit *ex gratiâ, non ex debito*; ut Paulus diſtinctè docet. *Rom.* 4. 3, 4, 5. R. 3. Similiter accipienda ſunt loca 2 *Chron.* 15. 7. *Prov.* XI. 18. *Matth.* 5. 12. 1 *Cor.* 3. 14. & Apocryphus locus *Sap.* 5. 16. R. 4. Sed *Apoc.* 22. 12. *Merces* tùm ad pœnas tùm ad beatitudinem referri debet; ſed diverſo modo ac fundamento. Et *Jeſ.* 40. 10. retributio pœnalis indicatur; cujus alia eſt ratio. 5. In Apocrypho autem *Eccleſ. Sir.* 18. 22, 23. Vulg. Interpres quidem habet; *Merces Dei manet in æternum.* Sed in Græco textû iſta verba non exſtant: atque etiàm de pœnis iſtìc agitur.

XIV. Deindè *Bellarm.* cap. 3. contendit, *opera juſtorum verè eſſe meritoria vitæ æternæ*: & allegat *Matth.* 5: 12: 10. XX: 8. atque urget; Mercedem dari operibus, non ſoli promiſſioni. Et in Scripturis vitam æternam non minus ſæpè, fortaſsè etiàm ſæpiùs, dici *mercedem*, quàm *hæreditatem*, &c. Deum autem voluiſſe, ut Filii ſui, qui uſum rationis habent, propriis laboribus & meritis illam acquirant; ut duplici titulo iis vita æterna deberetur, titulo ſcil. hæreditatis, & jure mercedis: quoniàm magis honorificum eſt, habere aliquid ex merito quàm ex ſolâ donatione, &c. Quemadmodùm in ipſo Chriſto etiàm factum. Prætereà meritis operum reddi gradum aliquem gloriæ ſempiternæ, ad quem non pertingant qui ſolo titulo hæreditatis gaudent. *Reſp.* 1. de loco *Matth.* 5. 12. modò diximus. Ibid. verſ. 10. aït Servator, *Beati, quos perſequuntur* homines *juſtitiæ causâ: quoniàm ipſorum eſt Regnum cœlorum.* Iſta erit eorum merces; ſed ex gratiâ. *Cap.* 20. 8. in parabolâ dicitur; *Voca operarios, & redde eis mercèdem, exorſus ab ultimis uſque ad primos.* Perſonis ſcil. datur retributio, ad opera, ſecundùm promiſſionem: non tamen propter opera, eorumve dignitatem; ſed propter juſtitiam Chriſti. Opus quo-

dam-

dammodò nostrum intercessit; sed ex gratiâ Dei: sic præstita est conditio, non ad acquirendum jus beatitudinis; sed ad obtinendam fruitionem beatitudinis, cujùs jus nobis acquisitum est merito Christi. 2. Non est igitur *Merces* propriè dicta respectû operum nostrorum. *Hæreditas* verò frequenter appellatur: eaque in Adoptione fundatur: *Rom.* 8.17. & in Testamento; *Heb.* 9.15, 16, 17. R. 3. Filii Dei, usum rationis habentes, propriis laboribus non acquirunt jus vitæ æternæ; sed ad fruitionem ejus sic progrediuntur: *Eph.* 2.8, 9, 10. R. 4. Non spectandum est hîc, quid hominibus esset magis honorificum; undè ipsis nasceretur gloriatio: sed quid gloriæ Divinæ, & SS. Literis sit maximè consentaneum: *Rom.* 3.27. IV.2. Mirandum verò, Monachos Romanenses hominum donationibus usque adeò inhiare, vel etiàm ex mendicato vivere, ubi mercedem promereri possent; merita verò jactare, ubi meram gratiam agnoscere & sperare deberent. 5. Christus, ut persona Divina, ab æterno fuit Filius Dei, per æternam generationem: sic autem nihil sibi acquisivit. Sed humanæ naturæ alia est ratio, & sic specialis de Ipso constitutio; ut eatenùs gloriam & beatitudinem etiàm sibi mereretur, juxta pactum Legale. Sed à Christo ad nos non valet consequentia. 6. Gradûs distinctos gloriæ cœlestis admittimus; & quidem convenienter gradibus gratiæ in hoc sæculo: sed jus istud in merito Christi tantùm fundatur.

XV. *Secundo* ille argumentatur ex locis, ubi habetur; præmium cœleste dari hominibus secundùm mensuram & proportionem operum ac laboris; ut non solius promissionis habeatur ratio, vel liberalitatis; aut indulgentiæ Dei; sed etiàm dignitatis, & efficaciæ ipsorum operum: *Psal.* 61.13. *Matth.* 16.27. *Luc.* 6.38. *Rom.* 2.5.6.7. 1 *Cor.* 3.8. *Gal.*

6. 7, 8. *Apoc.* 22. 12. Atque urget, omnes consentire, malis hominibus secundùm mala ipsorum opera reddendam esse mortem æternam: &c. *Resp.* 1. In locis illis indicatur convenientia retributionis cum operibus; præmii cum bonis, & pœnarum cum malis. In pœnis quidem subesse rationem demeriti propriè dicti, aliundè constat. Vide sup. c. 4. th. 56. §. 3. Sed aliter se rem habere in præmio, patet item ex superioribus. Neque istud discrimen omninò latuit *Bellarminum*, lib. cit. cap. 17. Quin & præpositionem *secundùm*, aliquandò usurpari de re *nullo modo* meritoriâ, sed quæ solùm est *conditio quædam requisita*, agnoscit idem lib. 1. cap. 21. R. 2. Sic ergò vita æterna redditur fidelibus & piis adultis, secundùm opera, quæ sunt fructûs & signa fidei, per quam illi organicè ex Christo acceperunt jus vitæ æternæ; sed eadem quoque sunt conditiones requisitæ ad percipiendam ejus fruitionem, ut via regni, non causa regnandi; & quidem sic, ut interim quoque servetur proportio inter gratiam & gloriam.

Tertium argumentum sumit ex locis, quæ ità vitam æternam reddi testantur operibus bonis, ut ipsam rationem, cur detur vita æterna, in operibus ponant: *Matth.* 25. 34, 35. *Apoc.* 7. 14, 15. Ubi particulę *Enim*, *Quia*, *Ideò*, sunt omnes causales. *Stipendium peccati mors*, &c. *Rom.* 6. 23. Et bona opera dicuntur salutem ipsam efficere, 2 *Cor.* 4. 17. *Gal.* 6. 8. *Phil.* 2. 12. &c. *Resp.* 1. In locis *Matth.* 26. 34, 35. *Apoc.* 7. 14, 15. agnoscimus ordinem & rationem consequentię à bonis operibus ad fruitionem glorię cœlestis, juxta Dei decretum, & promissionem gratiosam; sed rationem meriti non agnoscimus. 2. Apostolus quidem disertè, *Rom.* 6. 23. *Stipendium peccati mors*: sed aliter omninò de vitâ æternâ; *Donum autem Dei est vita æterna in Christo Jesu*

Domino

Domino nostro. 3. 2 *Cor.* 4. 17. *Gal.* 6. 8. *Phil.* 2. 12. per afflictiones piè toleratas, praxin sanctimoniæ, & reverentiam Domini, dicitur salus nostra confici; quatenùs ista sunt media Divinitùs ordinata, & adhiberi solita, ad promovendam salutem nostram, & vitæ æternę fruitionem; sed absque ratione meriti.

XVI. *Quartò*, argumentatur ex testimoniis, ubi prępmium bonis operibus ex justitiâ dicitur esse reddendum: 2 *Thess.* I. 4.--7. 2 *Tim.* 4. 7. 8. *Hebr.* 6. 10. *Jac.* 1. 22. *Apoc.* 2. 10. *Prov.* 19. 17. 1 *Cor.* 9. 24. 2 *Tim.* 1. 12. *Resp.* 1. Imò bonis operibus fidelium redditur præmium ex justitiâ; quatenùs istam præmii redditionem antecedit jus, quod Christus iis acquisivit, ipsi autem fide acceperunt: hinc præstitâ conditione, quę ad obtinendum reipsâ pręmium, sive ad actualem ejus fruitionem, fuit proposita, Deus per justitiam & veracitatem suam, non potest non iis tribuere istud præmium.

Quintò, ex illis, quæ docent vitam æternam promissam esse operibus bonis: *Matth.* 19. 17, 29. 1 *Tim.* 4. 8. *Jac.* I. 12. At promissio facta cum conditione operis, non solùm debitam facit rem promissam; sed etiàm facit, ut qui opus impleverit, meruisse rem promissam, eamque ut mercedem jure suo exigere posse, dicatur. *Resp.* 1. *Matth.* 19. 17. Christus dixit juveni Pharisæo; *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; Fœdus Legale illi repetens; undè is suam impotentiam agnoscere debuit, ac porrò ad Christum & gratiam Euangelicam confugere. Sed nequaquàm dixit fore, ut homines illo pacto consequerentur vitam æternam. 2. Quantum attinet ad reliqua; qui benè promisit, promissis stare debet ratione fidelitatis, quæ in justitiâ universali continetur; non tamen semper ratione justitiæ particularis: neque promissio hoc efficit necessariò, ut qui adjectam conditionem præstiterit,

terit, rem promissam, tanquàm mercedem ex debito, jure suo exigere posse dicatur. Quid si enim pauperi promiserim, me ei daturum eleëmosynam, ubi me domi meæ compellaverit; certè propter istam promissionem non desinet esse eleëmosyna, neque fiet actus justitiæ particularis, aut retributio mercedis ex debito.

XVII. *Sextò* ex illis, ubi fit mentio Dignitatis: nam Dignum esse præmio idem valet, quod Mereri præmium. Sic *Luc.* 10. 7. *Dignus est operarius mercede suâ.* Hùc ergò pertinent loca, *Sap.* 3. 5. 2 *Thess.* I. 5. *Luc.* 20. 35. *Apoc.* 3. 5. Neque obstat illud *Rom.* 8. 18. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Loquitur enim Apostolus de substantiâ ipsorum operum; non de proportione absolutâ: hæc autem datur, propter caritatis dignitatem, undè opera procedunt. *Resp.* 1. Dignum esse præmio interdùm idem valet, quod Mereri mercedem: scil. cùm merces rectè proportionata refertur ad opus aliàs indebitum. Hùc pertinet illud *Luc.* 10. 7. *Dignus est operarius mercede suâ*: homo videl. respectû alterius hominis: at non respectû Dei. 2. Vide quæ de Dignitate dicta sunt sup. th. 13. obj. 2. Neque subsistit *Bellarmini* exceptio ad locum *Rom.* 8. 18. dùm proportionem operum ad vitam æternam arcessit à dignitate charitatis: nam ipsa Charitas in hâc vitâ imperfecta est; quemadmodùm *ex parte cognoscimus*; 1 *Cor.* 13. 9. & *in multis impingimus omnes*; *Jac.* 3. 2.

Septimò denique ex illis, ubi dicitur Deus judex justus, & non acceptor personarum: *Rom.* 2. 11. *Gal.* 2. 6. 1 *Petr.* I. 17. *Act.* 10. 34. At acceptio personarum est vitium contrarium justitiæ distributivæ; cùm videl. judex dat præmium sine meritis, aut majus præmium minoribus meritis, vel contrà. *Resp.* Deus reverâ fidelibus tribuit præmium cœlestis gloriæ propter sufficientissimum Christi meritum, illis impu-

imputatum; quod justitiæ distributivæ satis convenit. Alioquin respectû nostrî ipsorum, liberalitas, gratia, & misericordia celebrari solent.

XVIII. Deinceps cap. 5. *Ille* contendit; merita hominum non requiri propter insufficientiam meritorum Christi; sed propter maximam eorum efficaciam: meruisse enim Christi opera apud Deum, non solùm ut salutem consequeremur; sed etiàm ut ea per merita propria consequeremur: sive non solùm salutem æternam nobis meruisse, sed etiàm virtutem merendi. *Resp.* 1. Si meritorum Christi non est insufficientia, sed maxima eorum efficacia, propter quam consequimur salutem æternam; certè Christi merita sunt causa totalis meritoria salutis nostræ æternæ, non partialis tantùm; & consequenter nostra bona opera non sunt formaliter ejus meritoria. 2. Si Christus nobis præter salutem æternam, etiàm meritus esset virtutem merendi salutem æternam, sane meritus esset nobis virtutem actum agendi, &c.

XIX. *Sociniani* Satisfactionem ac Meritum Christi pro nobis præstita omninò negantes, verùm Justificationis nostræ fundamentum prorsùs subvertunt. Fidem quidem appellant, per quam servemur; sed eam describunt, quòd sit in bonis operibus, quæ nobis Deus per Christum præscripsit, ambulare, &c. *Resp.* Fides ab operibus clarissimè & frequentissimè contradistinguitur: per illam justificari dicimur, quatenùs sic justitiam Euangelio propositam agnoscimus & recipimus; per hæc nos justificari posse, disertè negatur.

Ostorodus alibi: Dico, non esse verum, quòd cùm omnia fecerimus, quæ nobis mandata sunt, nihil tamen omninò *mereamur*: quoniàm Christus, ejusque Apostoli, omnibus illis, qui præcepta ejus observant, vitam æternam isto nomine promiserunt. *Resp.* At minimè sic promiserunt, ut jus vitæ æternæ in no-

stris

ſtris illis actibus, tanquàm in juſtitiâ propriâ, fundetur; ac proindè de noſtro apud Deum *merito* nihil eſt præſumendum.

Idem iterùm: *Luc.* 17. 10. non dicitur, quid Deus de obedientiâ noſtrâ judicet: ſed tantùm quid nos de eâ judicare debeamus; ſcil. ut ſemper nos ipſos humiliemus, &c. Si enim Deus nos ſervos inutiles judicaret, in æternum eſſemus perituri: quoniàm Dominus ſuo die inutilem ſervum vincturus, atque in extimas tenebras abjecturus eſt, ubi fletus erit & ſtridor dentium; *Matth.* 25. 30. *Reſp.* 1. Judicium Dei de nobis & operibus noſtris procul dubio verum eſt: & noſtrum judicium, ut verum ſit, judicio Divino debet eſſe conforme. Quoniàm verò nos de nobis ipſis judicare debemus, quòd ſimus ſervi inutiles in nobis ipſis, qui Deo nihil conferre poſſimus, & quibus Deus prorſùs non egeat; ſimiliter etiàm ipſe Deus de nobis judicat, qui non niſi ſecundùm rerum veritatem judicat. 2. Alio autem ſenſû ſervus inutilis dicitur *Matth.* 25, 30. qui prorſùs non dedit operam, ut ſuâ obedientiâ & ſanctimoniâ gloriæ Divinæ illuſtrandæ, aut proximorum ædificationi, ſuæque ſaluti promovendæ, inſerviret; ac proindè foras ejiciendus eſt in tenebras extremas: non verò qui ſuæ in ſeſe impotentiæ & indignitatis ſibi conſcius, Euangelio tamen credit; & fide juſtificatus, utilem gloriæ Divinæ illuſtrandæ, ac proximorum ædificationi, ſuæque ſaluti (quantum ad fruitionem) promovendæ, utilem operam navat ſeriò.

XX. *Remonſtrantes* etiàm ſtatuunt in Apol. cap. 10. Quòd per Fidem in negotio Juſtificationis intelligendus ſit actus fidei, quatenùs includit in ſe totam obedientiam hominis Chriſtiani, lege fidei, i. e. Euangelio præſcriptam. Atque hanc controverſiam, ſi rectè perpendatur, nil niſi Logicam aut Grammaticam litem eſſe. Quotquot enim ſunt Eccleſiarum

Refor-

Reformatarum Confessiones, eas omnes consentientibus calculis agnoscere. Fidem vivam, non mortuam; fidem quæ conjuncta sibi habet bona opera; imò quæ sine operibus nec est, nec esse potest, esse fidem illam veram justificantem, &c. Meram verò Logicam pugnam esse, si disputetur, Utrùm fides quæ est viva, an fides quâ est viva, requiratur ad justificationem? --. De respectû statuere, non esse nostrum; sed Judicis. --. Si dicatur, Fidem requiri ad justificationem, quatenùs vel quâ est viva fides, necessitatem bonorum operum & pietatis Christianæ fortiùs adstringi. Neque particulam illam Quatenùs efficientiam aliquam meritoriam tribuere fidei, ad consequendum remissionem peccatorum. Neque åliquam efficientiam (dummodò excludatur meritoria propriè dicta) fidei tributam in ordine ad justificationem, quicquam reale aut magni momenti addere ad voces necessariæ præsentiæ. *Resp.* 1. Fidem hîc non esse spectandam, quatenùs includit in se totam obedientiam hominis Christiani, &c. satis patet ex superioribus. 2. *Remonstrantes* contrarium statuentes, Euangelium, & doctrinam fidei, in novam Legem operum pervertunt; atque ex eâ hominem coram Deo justificari volunt. Sic non quæritur de termino aliquo Logico, vel Grammatico: sed de re gravissimâ controvertitur. 3. Fides, quâ Christum amplectimur cum omnibus suis beneficiis, ac speciatim prout nobis à Deo factus est justitia, necessariò viva est, non mortua; est principium & radix bonorum operum, sic virtualiter ea in se continens; nec fieri potest, ut consequenter ea non producat. Justificat autem organicè, quatenùs Christum apprehendit, ut nobis factum à Deo justitiam; non verò formaliter quatenùs viva est, & bona opera producit. 4. De usû & respectû fidei ex SS. Literis statuere, omninò eorum est, qui veritatem rectè æstimare volunt,

lunt, & quid Salvatori suo debeant. 5. Si dicatur, Fidem requiri ad justificationem, quatenùs viva est, necessitas bonorum operum non adstruitur fortiùs, quàm si dicatur, ad justificationem necessariò requiri fidem quæ viva est; & Christum factum nobis à Deo justitiam; sic tamen ut ipsa bona opera in adultis etiàm sint requisita necessaria, ad accipiendam fruitionem vitę æternæ: sed per illam Adversariorum assertionem erigitur justitia propria, homo inflatur temerè & à Christo abducitur. *6*. Cùm dicitur, Fidem justificare quatenùs viva est, seu totam obedientiam hominis Christiani in se includit, apertè opera prerequiruntur, ut antecedens causa ad justificationem hominis coram Deo; & quidem impetratoria istius juris, ac meritoria saltem laxè dicta: quod quàm alienum sit à Fœdere Euangelico, & SS. Literarum doctrinâ de Justificatione hominis coram Deo, patet ex superioribus.

XXI. *Instant* iidem; Verissimum esse, quòd *homo non ex fide tantùm, sed ex operibus etiàm justificetur*: cùm totidem verbis id pronunciet *Jacobus*, 2.24. Nec istum locum intelligendum esse de *declaratione justificationis*: cùm nemo adeò vęcors fuerit istò sæculo, qui cum Apostolò contendere voluerit, an homo justificetur, i. e. declaretur justus, ex fide tantùm; quia fides, quatenùs fiducia est, distincta ab operibus pietatis, non est nisi in corde hominis. *Addunt*; Ne de operibus quidem ipsis constare posse, an bona sint; quia bona esse non possunt, nisi ex fide fiant: ex fide autem fieri, non modò non posse declarari alteri, sed ne illi ipsi quidem id constare posse qui ea facit; quia ipsi credamus, fieri posse ut reprobus opera eadem omnia faciat quæ electus, & sibi persuadeat se electum esse tali persuasione, quam à persuasione electorum nullo certo signo, nullo characteristico indicio possimus distiuguere. Vide *Calvinum* Institut.

lib.

lib. 3. c. 2. §. 2. *Resp.* 1. Cùm *Jacobus* ait, II. 24. *Videtis igitur, quod ex operibus justificetur homo, & non ex fide tantùm*, non loquitur à priori & formaliter de justificatione hominis coram Deo; sed à posteriori eam considerat, quod ad declarationem & perceptionem, tùm in ipso justificato, tùm etiàm in aliis pro re natâ. Docet nimirùm, ad hoc, ut quis judicetur, vel agnoscatur justus esse coram Deo, non sufficere fidem qualemcunque, aut professionem oralem; sed requiri fidem vivam, quæ suis actibus vitalibus, etiàm imperatis, se manifestam faciat. Vide *vers.* 1: 14,--17, 18, 19, 20. & confer *Gen.* 15.6. XXII. 1,2,3,9,10,12,16,17,18. *R.* 2. Multi Apostolorum sæculo, ac deinceps, adeò væcordes fuerunt, ut ex fide solùm historicâ fiduciam salutis conciperent; atque ex communione externâ in Ecclesia institutâ, ac professione Euangelii, voluerint justi reputari. Ipsa quidem fides in corde est: verùm illi per eam, cùm salvifica non esset, deceperunt se ipsos, & externâ professione orali alios in similem de ipsis opinionem adducere voluerunt. Hanc temeritatem ac deceptionem refutat Apostolus. 3. Opera non sunt verè ac spiritualiter bona, nisi ex fide salvificâ procedant: *Rom.* 14.23. *Tit.* I.15. *Hebr.* 2. 6. Atqui istius principii actuosi fidelis sibi conscius est: & ubi opera respondent professioni, aliis etiàm argumentum præbet pro judicio charitatis sufficiens. 4. *Calvinus* loco cit. nihil istiusmodi dicit, quale ab Apologistâ objicitur; sed §. 10. & 11. de fide historicâ ac temporariâ disserit: ubi inter alia; „Quamvis „*magna* sit *similitudo & affinitas* inter Dei electos, & „qui fide caducâ ad tempus donantur: vigere tamen „*in solis electis* fiduciam illam quam celebrat Paulus, ut „pleno ore clament, Abba, Pater. Ergò, ut *solos* „*electos* semine incorruptibili Deus in perpetuum re-„generat, ut nunquàm dispereat semen vitæ eorum

,, cordibus insitum: ità solidè in illis obsignat adoptio-,, nis suæ gratiam, ut stabilis ac rata sit. Sed hoc ,, minimè obstat, quin illa inferior Spiritûs operatio ,, cursum suum habeat etiàm in reprobis. Intereà ,, docentur fideles solicitè & humiliter seipsos excu-,, tere, ne pro fidei certitudine obrepat carnis secu-,, ritas. Adde, quòd *reprobi* nunquàm sensum gra-,, tiæ, nisi confusum, percipiunt; ut umbram po-,, tiùs apprehendant, quàm solidum corpus.

XXII. *Subjiciunt*; Si quis ea, quæ à *Socino* dicuntur, in hâc materiâ, sine gratiâ, sine odio, expendat, eum velit nolit, cogi tandem confiteri, illum in substantiâ rei cum Reformatis consentire, manente solùm hoc discrimine (causam semper προκαταρκτικὴν excipe, ut quæ ad hanc materiam non pertineat.) quòd obedientiam fidei formam vocet, cùm Reformatæ Ecclesiæ eam vocent effectum, fructum, fœtum, sine quo fides esse non possit. Quantulum (ait Apologista) hoc est? Quis vel *cicum interduit*? &c. *Resp*. 1. Cùm *Socinus*, abnegatâ Christi justitiâ, quæ ipsius pro nobis Satisfactionem ac Meritum complectitur, fidem quatenùs viva est, & obedientiam tanquàm istius formam, illi substituit, atque hominem coram Deo justificare contendit, toto cœlo distat ab Ecclesiis Reformatis. Quid autem sit de *Remonstrantibus*, vide ampliùs apud *Curcellæum*, in Dissertatione 4. R. 2. Causa προκαταρκτικὴ, Christi Satisfactio & Meritum, nobis imputata, & fide apprehensa, non minùs pertinent ad hanc de Justificatione materiam, quam fundamentum ad ædificium. Apostolus emphaticè, 1. *Cor*. 15. 17. *Quod si Christus non est suscitatus, inanis est fides vestra; adhùc estis in peccatis vestris.* Similiter inanis est fides, & nulla justificatio Euangelica, si Christus pro peccatis nostris non satisfecit, nec suâ justitiâ vitam æternam nobis acqui-

acquisivit. R. 3. Si obedientia statuatur forma fidei, & sic qualiscunque justitia propria substituatur unicæ verissimæ ac perfectissimę justitiæ Christi, id maximum & gravissimum est à veritate Euangelicâ divortium. Quòd *Remonstrantibus* hoc tantulum non sit, ut vel *ciccum interdûint*, ea est calamitas fundi ipsorum. *Rom.* 10. 3. R. 4. Qui Euangelio rectè auscultant, facilè intelligunt, Christum perfectissimum Servatorem fide apprehendi, atque ità unionem & communionem cum ipso obtineri: apprehendi autem prout nobis à Deo factus est justitia, ad nostrî justificationem; ac porrò ut auctorem sanctificationis, ad præstandam sanctè gratitudinem ac novam obedientiam, quæ justificationem sequitur.

XXIII. Sunt & aliæ quædam *Objectiones*: utpotè, 1. *Rom.* 2. 13. *Qui Legem præstant, justificabuntur*, &c. *Resp.* Sic aliquoties repetitur Fœdus Legale, & conditio per ipsum ad Justificationem requisita: non quòd sic homines in hoc rerum statû justificari possint; sed ut impotentiam atque reatum suum indè agnoscant, & Euangelicæ doctrinæ de Christo ejusque justitiâ, auscultent.

Obj. 2. *Matth.* 12. 37. *Ex sermonibus tuis justificaberis.* &c. *Resp.* Intelligenda ibi est justificationis declaratio; sive judicium consequens, quòd quis coram Deo justus sit. Per sermones enim aliis innotescere solet, quid intùs sit in animo. Confer *vers.* 35.

Obj. 3. Passim exigitur praxis resipiscentiæ, ac novæ obedientiæ, ad remissionem peccatorum: Ergò, &c. *Resp.* Tunc respicitur sensus istius gratiæ in conscientiâ nostrâ; vel etiàm actualis liberatio à malis pœnalibus, aut ipsa fruitio vitæ ęternæ: atque indicatur conditio quædam ad sensum & fruitionem istam prærequisita; in quâ tamen ipsum jus impunitatis ac beatitudinis non fundatur.

XXIV. Rejiciendus nunc etiàm eſt error *Oſiandri*; Juſtitiam Dei eſſentialem in Juſtificatione nobis imputari. Hùc autem pertinent *rationes*; 1. Juſtitia Chriſti, ut Mediatoris ac Sponſoris noſtri, quæ Satisfactionem ac Meritum ipſius complectitur, nobis imputatur; ut ſup. probatum: ea verò non eſt juſtitia Dei eſſentialis, & ſic tribus Perſonis communis.

2. Juſtitia Dei eſſentialis increata eſt & infinita; atque adeò homini abſolutè impoſſibilis: conſequenter eam Deus ab homine poſtulare non poteſt; nec homini imputare.

3. Juſtitia quæ nobis imputatur, æſtimatur tanquàm ſatisfactoria & meritoria apud juſtitiam remunerativam Deo eſſentialem; ac proindè ab eâ diverſa eſt.

4. Lex ab hominibus requirebat obedientiam formaliter humanam, & pro peccatis hominum pœnas formaliter humanas: illam Chriſtus præſtitit, has pertulit, quâ homo; licet Deitate conferente dignitatem ac valorem infinitum. Iſta ergò juſtitia Chriſti nobis imputatur, non Dei eſſentialis.

Obj. 1. *Rom*. 10. 3. vocatur *Juſtitia Dei*: & 2 *Cor*. 5. 21. nos dicimur effici *Juſtitia Dei* in Chriſto. Ergò. *Reſp*. Non quòd ſubjectivè & formaliter Juſtitia ipſius Dei ſit; ſed efficienter; quatenùs illa Juſtitia nobis à Deo procurata eſt, per iſtum Mediatorem ac Sponſorem; & ſic opus ac donum Dei eſt. Hinc dicitur *Juſtitia ex Deo per fidem*, *Phil*. 3. 9. & Chriſtus *nobis à Deo factus juſtitia*; 1. *Cor*. I. 30.

Obj. 2. 2 *Petr*. I. 4. dicuntur nobis *maxima ac pretioſa promiſſa donata*, *ut per hæc efficeremur Divinæ conſortes naturæ*. Ergò. *Reſp*. Non quòd eſſentialis Dei juſtitia nobis formaliter imputetur, aut ſubjectivè nobis communicetur; ſed ſecundùm ſimilitudinem analogicam, per imaginem Dei in nobis reſtitutam, juxta gratiam Euangelicam.

Obj. 3.

Obj. 3. Deus ad Justificationem creaturæ rationalis non acceptat justitiam aliam, nisi suam essentialem. Ergò. *Resp.* Imò hìc tantùm acceptat, sive admittit, Justitiam creatam, tùm habitualem, tùm actualem; quæ valeat apud Justitiam suam essentialem; & sic ab eâ diversa sit.

XXV. Quô certiùs aliæ etiàm difficultates expediantur, distinguenda est *actualis justificatio à decreto justificationis*; similiter ut actualis creatio à decreto creationis, & actualis providentia à decreto providentię, &c. Vide *Eph.* I. 7,--11. Ac porrò justificatio actualis vel *activè* spectatur, seu *efficienter*; vel *passivè*, seu *terminativè*. *Justificatio activa* nihil aliud est, quàm Deus justificans: *Rom.* 8. 33. sive ipse Deus in relatione ad electos vocatos credentes, ut qui ab Ipso judicialiter transferantur in statum justitiæ. Sed *justificatio passiva* nihil aliud est, quàm status justitiæ in homine electo vocato credente, cum respectu ad Deum sic judicantem.

Porrò etiàm *Justificatio* distinguenda est ab ejus *promissione*, vel *indicio qualicunque: Gal.* I. 8. *Prævidens Scriptura, Deum ex fide justificaturum Gentes, ante euangelizavit Abrahæ, Benedicentur* (inquiens) *in te omnes Gentes.*

Ac tandem spectatur *justificatio* vel *formaliter*, vel *virtualiter*, vel *consequenter*. *Formaliter* peragitur justificatio, cùm homo electus, efficaciter vocatus, & sic apprehensus à Christo, vicissim fide apprehendit Christum; atque ità mutuam illam unionem & communionem Christi ac beneficiorum ipsius accipit. *Rom.* 8.30. *Quos vocavit, eos etiàm justificavit.* III.28. *Colligimus igitur fide justificari hominem,* &c. *Virtualiter* peracta est nostrî justificatio *potissimùm*, cùm Christus, consummatâ salutis nostræ impetratione, ipse fuit justificatus, & nos in Ipso tanquam Capite nostro; 1 *Tim.* 3. 16. 2 *Cor.* 5. 19. *Col.* I. 19, 20.

Imò & *quodammodò*, sed remotiùs, cùm Filius Dei statim post lapsum factus est Mediator ac Sponsor electorum, & actualis ista relatio initium sumsit: *Gen.* 3. 15. XXII. 18. *Jes.* 53. 10, 11. *Proximè* autem in primo momento regenerationis & conversionis: nam in actû secundo, ubi producitur fides actualis, & sic homo credere incipit, justificatur formaliter.

Consequenter denique justificari dicimur, cùm coram Deo justi esse deprehendimur ac declaramur, tùm in propriâ conscientiâ per actum fidei reflexum; tùm etiàm apud alios, judicio charitatis ex fructibus fidei justificantis formato.

XXVII. *Quæritur* ergò, I. An Justificatio obtinuerit sub V. T.? *Resp.* Electi vocati credentes etiàm formaliter fuerunt justificati, per fidem suam, promissioni Euangelicæ habitam, juxta illam œconomiam. Sic enim justitiam Christi, verbo promissionis in antecessum sibi propositam, atque in plenitudine temporis certissimè præstandam, receperunt. Atque ità fideles istius temporis etiàm verè habuerunt plenam ἄφεσιν, remissionem omnium peccatorum suorum; ac jus vitæ æternę: licet respectû Sponsoris, qui solutionem præstiturus erat stato tempore, fuerit πάρεσις, transmissio & dilatio. *Psal.* 32. 1, 2. LI. 3, 4, 9, 11. CIII. 3, 10, 12. CXXX. 3, 4.

Obj. Hebr. 10. 18. *Ubi est horum* (peccatorum) *remissio*, *non* est *ampliùs oblatio pro peccato*: Atqui sub V. T. adhùc requirebatur oblatio pro peccato: Ergò tunc non erat remissio peccatorum. *Resp.* Ex collatione versuum 10, 12, 14, 19, 20. manifestissimum est, Apostolum illìc speciatim loqui de remissione prorsùs absolutâ, ubi Sponsor satisfactionem plenissimam ipso actû pręstitit, & Sacerdos oblationem spiritualiter atque in æternum expiatoriam consummavit. Nos autem, juxta alia loca S. Scripturæ,

diximus

diximus de remissione ipsorum fidelium V. T. ex virtute oblationis Christi tunc adhùc consummandæ: quæ non excludebat, sed requirebat, oblationem Christi futuram; & oblationes insuper Legales, tanquàm ejus typos.

XXVIII. *Quær.* 2. An infantibus electis regenitis etiàm competat Justificatio? *Resp.* Illi etiàm habent Spiritum fidei, principium ac semen fidei actualis; & passivè apprehensi sunt à Christo, ad inchoatam unionem & communionem ipsius, ac beneficiorum ejus, atque hæc gratia illis obsignatur Baptismo; sicut olim factum est Circumcisione, sigillo justitiæ fidei; *Rom.* 4. 11. *Act.* 2. 38, 39. xx. 16.

Obj. Non sunt capaces fidei actualis: Ergò. *Resp.* Attamen habent principium: undè etiàm activè apprehensuri & recepturi sunt Christum, ejusque justitiam, si tantisper maneant superstites. Sin minùs, quòd jàm virtualiter habent in Christo, ad quod passivè apprehensi sunt, de facto illis applicabitur; & ipsi activè recipient in alterâ vitâ: *Talium enim est Regnum Dei*; *Marc.* 10. 14.

XXIX. *Quær.* 3. An peccata dici possint nobis remissa priùs, quàm sint commissa; & priùs, quàm actû resipiscamus, atque in Christum credamus? *Resp.* Imò virtualiter in Christo: sed non formaliter.

Obj. 1. Non entium non sunt affectiones. Nulla igitur remissio peccatorum nondùm commissorum. *Resp.* Neg. conseq. Erant enim omninò committenda, juxta decretum Dei permissivum; & præscita per scientiam visionis; & Christo imputata, &c.

Obj. 2. Non est quòd peccata tantoperè fugiamus, si ea jàm antè sint remissa, &c. *Resp.* Neg. conseq. Quia nihilô minor est eorum turpitudo, & repugnantia adversus Sanctitatem Dei, & Imaginem Dei in nobis, &c.

XXX. *Quær.* 4. An unico actû, eoque immuta-

bili, justificemur? *Resp.* Imo formaliter: Si enim 1. Christum spectemus; Ipse omninò consummavit, quæcunque ad Justitiam pertinent. Si 2. Vocationem salutarem; hâc totus Christus nobis proponitur, cum omnibus suis beneficiis salutaribus, qui nos ad totalem secùm unionem & communionem apprehendit. Si 3 Fidem; hâc Ipsum sic totaliter apprehendimus vicissim; & speciatim, quatenùs nobis factus est justitia perfecta; undè nobis pleno jure competit impunitas ac vita æterna. Si 4. ipsam Justificationem formaliter; hâc nobis adjudicatur tota isthæc salus. Undè patet, *unico actû individuo* formaliter peragi Justificationem cujusque credentis; non autem successivè.

Eundem actum dicimus quoque *immutabilem*: quia 1. Decretum Electionis, 2. Fœdus gratiæ, 3. Vocatio efficax, & 4. reliqua beneficia Christi salutaria, immutabilia sunt καὶ ἀμεταμέλητα, *Rom.* XI. 29. Adde speciatim insignem locum *Rom.* 8. 33, 34. *Quis intentabit crimina adversùs electos Dei? Deus* est *qui justificat. Quis est qui condemnat?* &c. Atque ista observanda contra *Pontificios*, *Remonstrantes*, aliosque.

Pontificii non solùm negant, Justificationem unico actû perfici; sed eam quoque *distinguunt* in primam & secundam. *Primam* vocant, quâ quis ex injusto fit justus, per merita de congruo. *Secundam*, quâ quis ex justo fit justior, per merita de condigno. Quæ omnia in superioribus satis refutata sunt.

Quomodò autem quotidiè adhùc petamus remissionem peccatorum, vide cap. 9. th. 45. §. 3.

XXXI. *Quær.* 5. An post hanc vitam obtineatur aliqua remissio peccatorum? *Resp.* Non formaliter, neque peccatorum hic non remissorum, quòd patet ex modò probatis. Interim sicut sententia justificatoria per renovatam praxin fidei ac resipiscentiæ denuò

nuò applicatur & percipitur cum consolatione in hâc vitâ; ità in die extremi judicii ejusdem sententiæ fiet solennis promulgatio, & simul plenissima executio. Hinc 2 *Tim.* I. 18. de Onesiphoro; *Det ei Dominus, ut inveniat misericordiam apud Dominum in die illo!* & *Matth.* 25. 34, —. *Tunc dicet Rex his, qui à dextrâ suâ* erunt; *Venite, benedicti Patris mei; possidete Regnum, paratum vobis à jactis fundamentis mundi: Esurivi enim, & dedistis mihi* quo *vescerer.* &c.

XXXII. Justificationi cohæret *Reconciliatio;* quæ nunc spectatur in applicatione. Estque Actus gratiosus relativus, quo peccator redemtus & credens, dùm justificatur, simul etiàm traducitur ex statû inimicitiæ & iræ, ad statum pacis & amicitiæ cum Deo. *Jes.* 32. 17. *Opus justitiæ erit pax, & opus justitiæ tranquillitas & securitas usque in sæculum. Rom.* 5. 1, 2. *Justificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Jesum Christum: Per quem etiam fide habuimus aditum in gratiam hanc,* &c. 9. *Justificati igitur Ejus sanguine, servabimur nunc multò magis per Eum ab irâ.* 11. -- *per quem nunc Reconciliationem assecuti sumus. Jac.* 2. 23. *Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad justitiam, & amicus Dei vocatus est.*

Actum gratiosum dicimus; quia ex speciali gratiâ ac misericordiâ Dei erga electos procedit. *Relativum* verò; quia status nostri mutationem relativam infert formaliter.

Terminus à quo, est status inimicitiæ & iræ: *Eph.* 2. 3. *Rom.* 8. 7. *Jes.* 59. 2. lxiii. 10. *Ad quem*, est status pacis & amicitiæ cum Deo in Christo: *Col.* I. 21.

Christus, verè Mediator reconciliationis: עִמָּנוּאֵל; *Jes.* 7. 14. Vir socius Dei; *Zach.* 13. 7. eam nobis impetravit. Vide sup. cap. 12. th. 24.

Quatenùs autem Ipse oblatione sui peccata nostra expiavit, in Ipso reconciliati sumus *virtualiter*. Sed in hunc statum *formaliter* traducimur, cùm credentes istius etiàm beneficii reddimur actû participes. *Consequenter* autem declaratur ista nostrì in hunc statum traductio, atque exercetur amicitia, sanctâ voluntatis nostræ conformatione ad sanctissimam voluntatem Dei nostri. *Joh.* 15. 14, 15. *Vos Amici mei eritis, si feceritis quæcunque Ego præcipio vobis:* &c. *Psal.* 85. 9.

XXXIII. *Pax* describi solet, Ordinata animorum concordia. Ejus vel nomen amabile est. Undè & Hebræi in salutationibus eam aliis precari solent. Hìc autem agitur de Pace cum ipso Deo, potentissimo, beatissimo, beneficentissimo, fidelissimo: quæ certè *Pax optima rerum, Quas homini novisse datum est. Phil.* 4. 7. *Pax Dei, quæ superat omnem intellectum, præsidio erit cordibus vestris*, &c. Confer *Joh.* 14. 27.

Ab eâ dependet 1. *Pax conscientiæ*: quia conscientia in homine locum Dei quodammodò tenet; *Rom.* 2. 14. Confer *Rom.* 5. 2. XIV. 17. *Eph.* 3. 12. 1 *Joh.* 5. 14.

2. Ex hâc promanat *Pax cum rationalibus creaturis Deo morigeris*; ac speciatim cum *Angelis*: *Hebr.* 12. 22. I. 14.

3. *Mala*, quæ aliundè inferri possent, vel avertuntur, vel mirabiliter in bonum convertuntur: *Prov.* 16. 7. *Cùm placuerint Jehovæ viæ viri, etiàm inimicos ejus pacatos reddet. Psal* 118. 6. 1 *Cor.* 10. 13. *Rom.* 8. 28. *Novimus, quòd eos qui diligunt Deum omnia simul adjuvant in bonum.*

4. Accedit omnium *bonorum* affluentia: *Psal.* 72. 7. *Florebit in diebus Ejus justus; & multitudo pacis, donec non sit luna.* IV. 7, 8, 9. XVI. 5. 6. XXXVI. 3,–6, 11. &c.

XXXIV. *Amicitia* verò communiter est Mutua

quo-

quorundam, efficax, & aperta benevolentia. Hæc autem Amicitia inter Deum optimum, maximum, beatissimum, ac beneficentissimum; & inter fideles, quos Ipse pro singulari sua φιλανθρωπίᾳ ad istum statum beatissimum evehit. Quô autem magis inæqualis est hæc amicitia, quò miserior antecedens nostra conditio, quô beatior status ad quem evehimur; eô magis admiranda est hæc Dei nostri misericordia.

Abraham, pater fidelium, *amicus Dei vocatus est*; *Jac.* 2. 23. Deus autem illi promiserat, *Gen.* 17. 7. *Ut sim tibi in Deum, & semini tuo post te.* Quòd videl. exerturus esset suam Deitatem, adeoque infinitam potentiam, sapientiam, beatitudinem, & gloriam, circa ipsum, & semen ipsius, in bonum eorum; ad cujus seminis societatem, ac felicitatis communionem, nos etiàm adsciti sumus. Hùc quadrat illud, *Psal.* 33. 12. *Beata gens, cujus Jehovah est Deus*, &c. Confer *Gen.* 15. 1. *Psal.* 23. 1,--. & similia. Nostrum igitur est, vicissim Deo nostro sanctissimâ dilectione adhærere, voluntati ipsius conformari, ac gloriæ ipsius promovendæ per omnia operam dare: *Psal.* 73. 23. *Gen.* 17. 1. *Rom.* 12. 1, 2. 1 *Cor.* 10. 31.

XXXV. Succedit *Adoptio*; Actus gratiosus relativus & œconomicus, quo fideles justificati ac reconciliati assumuntur & evehuutur in dignitatem filiorum Dei. *Gal.* 4. 5. *Ut eos, qui Legi erant obnoxii, redimeret; ut Adoptionem filiorum reciperemus.* III. 26. *Omnes enim Filii Dei estis, per fidem, in Christo Jesu. Joh.* I. 12. *Quotquot Eum acceperunt, dedit eis hanc dignitatem, ut Filii Dei fierent*, nempè *iis qui credunt in nomen Ejus.*.

Actum gratiosum dicimus, juxta 1 *Joh.* 3. 1. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater*, nempè *ut Filii Dei vocemur.* Sed *relativum*; quia formaliter infert

relati-

relativam ſtatûs noſtri mutationem. *OEconomicum* verò; quia ad familiam Dei ſpectat, ſtatumque filialem pro formali termino habet. *Eph.* 2. 19. *Concives ſanctorum, ac domeſtici Dei.* III. 15. *Ex quo tota familia in cœlis & in terrâ nominatur.*

Hæc autem *Filiatio* non eſt *propria & naturalis*, ex generatione; qualis competit unigenito & proprio Filio Dei Patris: *Joh.* I. 14. III. 16. *Rom.* 8. 32. *Pſal.* 2. 7. *Hebr.* I. 3, 5. Nec *impropria generalis*, ex gratiâ creationis ad imaginem Dei; ſicut Adam Filius Dei appellatur, *Luc.* 3. 38. ad quam in electis Angelis accedit ſpecialis gratia conſervationis & confirmationis: ſic iſti Filii Dei vocantur. *Job.* I. 6, II. 1. Neque *communis* hominum reproborum cum electis, ex gratiâ eminentię Politicæ: undè Magiſtratùs Filii Dei nuncupantur, *Pſal.* 82. 6. *vel* externæ communionis in Fœdere Euangelico: quales etiàm Filii Dei, & Filii Regni appellantur, *Gen.* 6. 2. *Matth.* 8. 12. Sed *gratiæ ſpecialis ac ſalutaris*, qualem deſcripſimus.

XXXVI. Adoptio peragitur formaliter *in tempore*; ſed juxta decretum, quòd de eâ fuit ab æterno. *Eph.* I. 5. *Prædeſtinavit nos, quos adoptaret in filios*, --. Undè etiàm electi nondùm vocati, Filii Dei denominantur κτ̀ πρόληψιν, *Joh.* XI. 52.

Cauſa ejus *efficiens prima*, eſt Deus; & ſecundùm ſpecialem appropriationem, Pater; ex ineffabili gratiâ & miſericordiâ: *Eph.* I. 5. 1. *Joh.* 3. 1.

Cauſa media eſt Chriſtus, quâ Mediator; qui interim eſt Filius ille proprius & primogenitus: *Rom.* 8. 32. *Hebr.* I. 6. atque ut Filius domui ſuæ præeſt: *Hebr.* 3. 6. Et juxta II. 10, --13. *Princeps ſalutis, multos Filios in gloriam adducens, --non erubeſcit Fratres ipſos vocare*, &c.

In Chriſto autem, cùm Ipſe Mediator conſtitutus eſt, ac porrò cùm reconciliationem noſtrî actû impetravit,

travit, *virtualiter* facta est Adoptio: sed nos eam *formaliter* demùm consequimur per fidem nostram, unà cum Justificatione & Reconciliatione applicatâ: *Gal.* 4. 4, 5, 6. III. 26. *Joh.* I. 12.

Eam sequitur specialis *testificatio Spiritûs*: *Rom.* 8. 15, 16. *Accepistis Spiritum adoptionis; per quem clamamus, Abba, Pater: Qui ipse Spiritus testatur unà cum spiritû nostro, quod simus filii Dei.* *Gal.* 4. 5, 6. Nec tamen propterea cum *Socinianis*; eorumque sequacibus, putandum est, quòd fides præcedat omnem Spiritûs Sancti in nobis operationem: ipsa enim prima regeneratio & conversio ab Eo etiàm procedit.

Consummata verò *applicatio* bonorum ex hâc gratiâ resultantium, seu plena filiorum adoptivorum in possessionem missio, fiet novissimo die, in beatâ resurrectione: undè etiàm hæc metonymicè Adoptionis nomine venit: *Rom.* 8. 23, 24. *Adoptionem expectantes*, id est, *redemtionem corporis nostri. Nam spe servati sumus.*

Interim *privilegia* statim adsunt insignia: Libertas Christiana, Filialis animi fiducia apud Patrem nostrum cœlestem, Conformatio specialis cum Christo, ac tandem Hæreditas.

XXXVII. Primò occurrit *Libertas Christiana*: 2 *Cor.* 3. 17. *Ubi Spiritus ille Domini, illic Libertas.* *Gal.* 4. 26. *Illa quæ sursùm est Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrûm.* Estque *tùm* primaria, *tum* secundaria.

Primaria est immunitas à servitute spirituali, ac miserâ subjectione ad peccatum, mortem, & potestatem Diaboli. Respectû peccati, patet ex *Joh.* 8. 34, 35, 36. *Omnis, qui committit peccatum, servus est peccati. --Si ergò vos Filius in libertatem vindicârit, verè liberi eritis.* *Rom.* 6. 14, 17, 18. Respectû mortis; *Joh.* 5. 24. *Qui sermonem meum audit, & credit Ei qui misit me, habet vitam æternam; & in*

condemnationem non veniet; sed transivit à morte in vitam. Rom. 5. 17. VIII. 1. 1 Cor. 15. 22, 23, 53,--57. Respectû Diaboli; *Hebr.* 2. 14, 15. *Ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est Diabolum: Et liberos redderet quotquot metû mortis, per omnem vitam obnoxii erant servituti.* Rom. 16. 20. *Deus pacis conteret Satanam sub pedes vestros citò.*

Atque ista, quod ad rem ipsam, sub V. T. quoque obtinuit: quoniàm regeneratio, justificatio, sanctificatio, & glorificatio inchoata, tunc etiàm locum habuerunt. Graduum tamen differentia admittenda est; cùm hæredes tunc quasi infantes essent: *Gal.* 4. 1.

XXXVIII. *Secundaria* est immunitas à pædagogiâ Legis: ubi insigne est discrimen Vet. ac N. T. *Gal.* 3. 23, 24, 25. *Antequàm venisset fides* (Euangelii impleti), *sub Legis præsidio tenebamur conclusi*,--. *Itaque Lex pædagogus noster fuit in Christum* respiciens,--. *At postquàm venit fides, non ampliùs sub pædagogo sumus.* IV. 1,--4. Interim à *Lege morali*, quantum ad *usum normalem*, non sumus immunes: sic enim ipsa est *Lex libertatis*; *Jac.* I. 25. II. 12. & perpetua regula obedientiæ Patri nostro cœlesti præstandæ; *Matth.* 5: 16,--20. undè Paulus disertè, 1 *Cor.* 9. 21. *Cùm non sim exlex Deo; sed in Lege in Christo.* Verùm in *consideratione Fœderali* occurrit Condemnatio, per ejus Sanctionem: undè fideles per Christum liberati sunt; quod ad Libertatem primariam pertinet. Occurrit etiàm *rigida istius Fœderis inculcatio*, & frequens ejus repetitio, pro pædagogiâ V. T. Accessit *Lex Cerimonialis*; quæ materialiter istud jugum fecit gravius: atque item *Forensis Mosaïca*. At verò *sub* N. T. instructiones & consolationes Euangelicæ admodùm clarè & copiosè subministrantur: Lex Cerimonialis abrogata est; itemque Forensis Mosaïca, quatenùs ad istam Politiam spectabat in specie. Vide sup. cap. XI. th. 41. & 46.

Hæc

Hæc autem Libertas nunc omninò agnoſci atque obſervari debet; poſtquàm Lex illa non ſolùm in morte Chriſti mortua, ſed etiàm deinceps ſepulta, ac mortifera facta eſt. *Col.* 2. 14. *Deletum, quod adverſùm nos erat, rituum chirographum, quod erat nobis ſubcontrarium, Ipſe cruci affixum è medio ſuſtulit.* *Gal.* 5. 1, 2, 3. *In Libertate igitur, quâ Chriſtus nos liberavit, perſtate; & ne regredientes, implicamini Servitutis jugo. Eccè, ego Paulus dico vobis, ſi circumcidami, Chriſtum nihil vobis profuturum. Teſtor enim rurſùm omni homini qui circumciditur, eum eſſe debitorem totius Legis ſervandæ.* Adde *Gal.* 4. 9, 10, 11. *Col.* 2. 16, 17.

Obj. 1. At Paulus ipſe Timotheum circumcidit; *Act.* 16. 3. *Reſp.* Id fecit, priuſquàm Libertas iſta ſatis eſſet promulgata & confirmata inter Judæos; & Lex cerimonialis honeſtè ſepulta: non ex religione ac neceſſitate iſtius cultûs; ſed ad evitandum ſcandalum, quod Judæi infirmi cæteroquin erant ſumturi ex ſocietate illius incircumciſi in miniſterio Euangelii. Sic Apoſtolus ſe Judæis factum dicit, ut Judæum; ut eos Chriſto lucrifaceret; 1 *Cor.* 9. 20, 22. Vide etiàm *Act.* 21. 20. Sed cùm ſatis promulgata & confirmata eſſet illa Libertas; Titum minimè circumcidit; *Gal.* 2. 3, 4, 5.

XXXVIII. Cùm Deus libertatem nobis fecerit ab iſtis ſtatutis ſuis propriis; multô minùs voluit conſcientias noſtras premi jugo *ſtatutorum humanorum*, aut qualiumcunque *ſuperſtitionum*. *Col.* 2. 8. *Videte, ne quis ſit, qui vos deprædetur per Philoſophiam & inanem ſeductionem, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum.* 20,--23. „ Itaque *ſi mortui cum Chriſto, liberi eſtis* „ *ab elementis mundi*, quid ut viventes in mundo, „ *ritibus* oneramini; *Ne ederis, neque guſtâris, neque* „ *attigeris*? Quæ omnia *ipſo uſû corrumpuntur, præ-*

„ *ſcripta*

„*scripta ex præceptis & doctrinis hominum*: Quæ ra-
„tionem quidem habent sapientiæ in *cultû volunta-*
„*rio & submissione animi*, & in eo quòd *corpori non*
„*parcant*; nec tamen *ullius sunt pretii*, cùm ad ea
„spectent quibus *farcitur caro*. 1 *Cor*. 7. 23. *Pretio*
„*emti estis*; *ne estote servi hominum*.

Alia tamen est ratio *Legum ac Statutorum Politicorum*, quę à Principe, vel Magistratû, deducuntur ex Lege Divinâ Morali, & æquitate naturali, ad commune bonum societatis civilis; contra *Anabaptistas*. Vide sup. cap. 9. th. 3. & 73.

Similiter in *rebus adiaphoris & licitis* tenendæ sunt Regulæ, ab ipso Deo circa eas præscriptæ. Vide sup. cap. 8. th. 27. Vitandum ergò est *Scandalum*, hoc est, ejusmodi factum, quo alius in viâ veritatis, quæ est secundùm pietatem, offenditur atque impeditur. *Rom*. 14. 13. *Hîc potiùs adhibete judicium, ut ne fratri proponatis quippiam ad quod impingat, vel offendat*. Adde *Matth*. 18. 6,--9. Hîc verò *interdùm* utrimque peccatur; ubi scandalum datum & acceptum concurrunt. *Scandalum datum*, est peccatum dantis; quo ipse alteri præbet causam offensionis, sive actû aliquo absolutè & semper malo; sive aliàs licitò quidem, sed istis circumstantiis non conveniente, propter libertatis abusum. *Acceptum*, est peccatum accipientis; quo is offenditur ex facto alterius. *Fieri tamen potest*, ut quis alteri causam offensionis objiciat, nec tamen is offendatur: ubi solius dantis peccatum est. Aliquandò etiàm per accidens propriæ malitiæ contingit, ut quis offendatur bono opere, & benè facto; vel etiàm passione alterius: quod, discriminis causâ, *scandalum sumtum* aliqui vocant. Sic Christus 1 *Petr*. 2. 7. dicitur, *Lapis ad quem impingitur, & petra offendiculi*. & *Luc*. 2. 34. *positus casui & resurrectioni multorum in Israël, & in signum cui contradicatur*. Confer *Matth*. 13. 57. XV. 12. XXXVI. 31.

Hîc

Hic peccatum solummodò est in sumente. Ei affine est *scandalum proprium*; ubi quis peccato habituali proprio, vel etiàm cupiditate, aut pravâ ratiocinatione actuali, sibi ipsi existit causa ampliùs peccandi. *Matth.* 18: 8, 9. *Si verò manus tua, aut pes tuus, facit ut tu offendas*, &c. cum *Jac.* I, 14, 15.

XXXVII. Sedulò autem cavendum, ne perperàm arripiatur *Libertas*, ut *data carni occasio*, aut *malitiæ velamen*: *Gal.* 5. 13. 1 *Petr.* 2. 16. ne profanitas, iniquitas, luxus, impuritas, stultiloquium, &c. accenseantur adiaphoris & licitis; aut culicum nomine, missis scil. camelis, deglutiantur. Vide *Matth.* 5. 19. XII, 36. XXIII. 23, 24. *Eph.* 5. 2, 3, 4, 15, 16, 17. 1 *Thess.* 5. 22. *Judæ*, 23.

Similiter, circa *confessionem fidei*, attendendum est contra *Libertinos*, *Socinianos*, *Remonstrantes*, &c. ne prætextù libertatis prophetandi, hæreses & errores noxii spargantur; atque ità puritas fidei vitietur, unitas Ecclesiæ scindatur, & tranquillitas publica turbetur: *Tit.* I, 7,-11. III, 8, 9, 10. *Gal.* 1. 7, 8, 9. 2 *Joh.* 10. 11. *Apoc.* 2. 2, 6.

XXXVIII. Accedit *Filialis animi fiducia apud Patrem nostrum cœlestem*: postquàm enim per Spiritum adoptionis cognovimus, nos verè in istam dignitatem assumtos & evectos esse à Patre cœlesti, animo humili quidem & reverenti coram Ipso comparemus jugiter; sic tamen ut solidam fiduciam interim habeamus in tantà Ipsius gratiâ & salute per Christum, tùm in orationibus ad Ipsum, tùm etiàm in universâ vitâ nostra. *Eph.* 3. 12: *In Quo habemus loquendi libertatem, & aditum cum fiduciâ, per fidem Ipsius.* *Hebr.* 4. 16. 1 *Joh.* 5. 14. *Matth.* 7. 11. *Rom.* 8. 38, 39. *Psal.* 2. 11. *Phil.* 2. 12. Quin & ipsæ castigationes, paternum Dei erga nos affectum declarant luculenter: *Hebr.* 12. 6, 7, 8. *Rom.* 5. 3. &c.

XXXIX. *Specialis conformatio cum Christo* ea est, ut

transformemur ad proximam quandam similitudinem cum isto Fratre nostro primogenito, quemadmodùm arctissimè cum Ipso uniti sumus. *Rom.* 8. 29. *Nam quos præscivit, etiàm prædestinavit conformandos imagini Filii sui; ut Is sit primogenitus inter multos fratres. Gal.* 4. 19. *Filioli mei, quos iterùm parturio, usquequò formetur Christus in vobis.* Unde Ecclesia mysticè etiàm *Christus* appellatur, propter intimam & arctissimam unionem cum isto Capite suo; 1 *Cor.* 12. 12. *Act.* 9. 4, 5. *Matt.* xxv. 35, 36, 40. & *Concio Primogenitorum qui conscripti sunt in cælis; Hebr.* 12. 23. Quin imò propter *unctionis* participationem de quâ sup. cap. 12. th. 1. & 34. Christiani suo modo etiàm facti sunt Prophetæ, Sacerdotes, & Reges.

Prophetæ quidem, respectû cognitionis mysteriorum Dei, quæ aliis quoque charitativâ instructione ad mutuam ædificationem proponere & explicare possunt ac debent. *Act.* 2. 17, 18. ex *Joel.* 2. 28, 29. *Erit ultimis diebus; (dicit Deus:) effundam ex Spiritû meo in quamvis carnem: & Prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ,* &c.

Sacerdotes, quatenùs Deo sanctificati, ad Ipsum familiariter accedunt; & spiritualia sacrificia gratitudinis erga Deum, ac beneficentiæ erga proximum suum, offerunt. *Apoc.* I. 6. *Fecit nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri suo.* 1 *Petr.* 2. 5. *Sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias, acceptas Deo per Jesum Christum.* 9. *Regale sacerdotium, –. ut virtutes prædicetis Illius, –. Rom.* 12. 1. *Ut sistatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, rationalem illum cultum vestrum. Hebr.* 13. 16. *Beneficentiæ verò & communicationis ne obliviscimini: talibus enim victimis delectatur Deus.*

Reges denique, quatenùs Christi participes, & spiritualer nobilitati, Ipsius virtute hostes spirituales facile subjiciunt, ac de iis triumphant; adhæc dominium

um spirituale in res alias obtinent, & cum Christo in thronum ipsius evehendi sunt. *Apoc.* I. 6. 1 *Petr.* II. 9. Item *Act.* 17. 11. *Fuerunt isti generosiores*, &c. *Rom.* 16. 20, *Joh.* 16. 33. *Rom.* 8. 37. *In his omnibus ampliùs quàm victores sumus, per Eum qui dilexit nos.* 1 *Cor.* III. 21, 22. 23. *Omnia namque vestra sunt*, -. *Apoc.* III. 21, 22. *Qui vicerit, tribuam ei ut sedeat mecum in throno meo; ut & Ego vici, & sedeo cum Patre meo in throno Ejus.*

XL. *Hæreditas* tandem gloriosissima est ac beatissima. *Rom.* 8. 17. *Quòd si Filii, etiàm Hæredes: Hæredes quidem Dei, Cohæredes autem Christi. Gal.* 4. 1. *Hæres Dominus omnium.* 1 *Cor.* 3. 21, 22, 23. Sic modò restitutum habemus dominium spirituale quarumvis rerum: undè etiàm fluit, omnium ad hanc vitam sustentandam & piè condecorandam spectantium, usus purus coram Domino: *Tit.* I. 15. *Omnia munda mundis. Rom.* 14: 14. 1 *Cor.* 10. 25, 26. Quin & Angeli ministerio pro iis funguntur: *Hebr.* I. 14.

In altero autem sæculo, cœlesti beatitudine & gloriâ æternâ fruemur, etiàm hæreditatis titulo; qui quidem adjicitur titulo juris, ex justificatione: *Rom.* 8. 17. 1 *Joh.* 3. 2. *Dilecti, nunc filii Dei sumus*: - *scimus autem fore, ut cùm Ipse factus fuerit manifestus, similes ei simus: quoniam videbimus Eum sicuti est.*

XLI. Ista igitur Adoptio est longè *eminentissima* ac saluberrima; captum mundi prorsùs exsuperans: 1 *Joh.* 3. 1. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater*: nempè *ut Filii Dei vocemur: propterea mundus non novit nos; quia non novit Eum.*

Plurimùm verò *differt* ab Adoptione, quæ apud homines aliquandò peragitur. Humana enim Adoptio 1. fieri ferè solet ob defectum, vel indigentiam, filii naturalis. Hic autem Filius naturalis ab æterno præexistebat: attamen Pater cœlestis ex abundan-

undantiâ bonitatis suæ fideles adoptat; Filiique naturalis similitudinem quandam, & conjunctionem cum eo mysticam, adoptivis communicat.

2. Illa in denominatione, & rerum externarum communicatione, consistit. Hæc non fit sine actione intrinsecâ, & novæ vitæ productione.

3. Illa solet esse personæ extraneæ, non nisi ex adoptione jus habentis ad hæreditatem. Hi verò adoptivi jàm antè per justificationem ex merito Christi jus sibi adjudicatum habent; ad quod sublimior iste titulus accedit.

4. Juxta illam filius patri in hæreditate succedit. Hic adoptivi participes fiunt hæreditatis assignatæ, ipso Patre & Filio primogenito in æternum manentibus.

XLII. Pro *Praxi*; 1. Fidei nostræ veritatem per fructûs suos sedulò exploremus, ut de Justificatione etiàm certi simus: 2 *Cor.* 13. 5. *Jac.* II. 18. Ac pro isto beneficio animum gratum præstemus jugiter: quô magis refellatur Adversariorum calumnia, doctrinam nostram esse pietati inimicam: *Psal.* 103. 1, 4, 10, 11, 12. CXVI. 12. CXXX. 4. *Luc.* 7. 47. 1 *Petr.* 3. 1, 2.

2. Pacem cum Deo nostro sic colamus, ut ne iterùm ad stultitiam convertamur: *Psal.* lxxxv. 9. ac propterea deseramus amicitiam hujus mundi: 1 *Joh.* II. 15. 16. cum 1 *Reg.* 15. 19.

3. Patrem nostrum cœlestem filiali reverentiâ sanctè colamus ac diligamus: *Mal.* I. 6. 1 *Joh.* 3. 2, 3. IV. 19. *Deut.* 32. 6. Et fiduciam in Ipso habeamus constanter; etiàm in mediis afflictionibus: *Eph.* 3. 12. *Hebr.* 3. 14. IV. 16. *Matth.* 7. 11. *Heb.* 12. 6, 7, 8.

4. Liberati per Redemtorem Jesum, ne revertamur ad turpissimam servitutem peccati, sub gravissimam tyrannidem Diaboli: in libertate istâ stemus; neque ulli creaturæ conscientias nostras subjiciamus:

ciamus: *Gal.* 5. 1, 2. *Joh.* 8. 34, 35, 36. *Rom.* 2. 14, 17, 18. XVI. 20. 1 *Petr.* 5. 8, 9. *Hebr.* 12. 16. Imagini Christi magis conformemur indies: *Rom.* 8. 29. 1 *Cor.* XI. 1. *Gal.* 5. 19. *Matth.* 16. 24. XI. 29. Instructioni mutuæ operam demus: 1 *Thess.* 5. 11. *Col.* 3. 16. *Hebr.* 3, 13. 1 *Petr.* II. 9. Nos ipsos, & nostra, hostiam gratam Deo offeramus: *Rom.* 12. 1. 1 *Petr.* 2. 5. *Hebr.* 13. 16. Fortiter adversùs hostes spirituales depugnemus, ad thronum Regni cœlestis adspirantes: *Eph.* 6. 10, - 18. 1 *Petr.* 5. 8, 9. *Apoc.* 3. 21, 22.

5. Hæreditatem illam beatissimam certò speremus; atque ità omnes hujus vitæ labores & calamitates solemur: *Rom.* 8. 17, - 25, 28. 1 *Joh.* III. 1, 2.

CAP. XVI.

De Sanctificatione.

SAnctificatio. *Sanctitas* varia. 1. *Actio realis. Efficientia* Dei: *Christi*: *Spiritûs S. Verbi*; *& Sacramentorum.* 2. *Subjecta.* 3. *Termini. Idea.* 4. Non consistit *in solâ actuum emendatione*: c. *Socin.* &c. 5. Ex habitibus *actûs secundi. Praxis* fidei & resipiscentiæ. 6. Errores *Pontif.* de *Pœnitentiâ*, tanquàm speciali actû *justitiæ*: & *Sacramento.* 7. De ejus *materiâ* & *formâ.* 8. *Confessio.* 9. *Auricularis, Pontif.* refut. 10. *Objectiones* solv. 11. *Bona opera. Ex fide.* 12. *In gloriam Dei.* 13. *Secundùm* Legem *ipsius.* 14. Non sufficit *opinio cultûs Divini.* Nec ἐθελοθρησκεία, &c. 15. Illorum *utilitas. Necessitas.* 16. *Perfectio* varia. 17. *Perfectio graduum* non in

hâc vitâ: c. *Pontif. Socin.* &c. 18. *Objectiones* solv. 19. *Praxis.* 20.

I. SEquitur ex ordine *Sanctificatio*; Actio realis, quâ redemti vocati & justificati deinceps à turpitudine peccati transformantur ad puritatem imaginis Dei, & ad gloriam ipsius.

Nomen *Sanctus* à verbo *sancio* deducitur; & in creaturis rationalibus vitiorum expertem notat. Affines sunt *Justitia* & *Sanctitas*: undè *Luc.* I. 74, 75. *Serviamus Ipsi cum sanctitate & justitiâ. Justitia* tamen propriè dici videtur respectû juris; aut legis, quæ juris est norma: *Sanctitas* verò respectû ipsius Dei, & similitudinis cum ipso. *Levit.* XI. 44, 45. *Estote sancti, quia sanctus sum.* Confer 19. 2. XX. 7, 8, 26. 1 *Petr.* I. 16.

Sanctitas in universum vel est *essentialis & independens*; Dei. 1 *Sam.* II. 2. *Jes.* 40. 25. *Apoc.* 15. 3, 4. vel *accidentalis & dependens*; creaturarum. Hæc rursùs; vel *in rebus inanimatis*; relativa ad Deum, ejusque cultum, *Exod.* III. 5. XII. 16. XV. 13. XXVIII. 2, 4. XXIX. 6, 29, 31, 33. XXX. 25, 31, 32. XXXI. 10, 14, 15. &c. vel illustrior, *in creaturis rationalibus*, quæ tùm *personæ*, tùm *actionis*, notans conformitatem cum voluntate Dei.

Personæ sanctitas, respectû ortûs, vel est *originalis*; vel *adventitia*.

Originalis ex creatione in Angelis & Hominibus fuit; utpotè ad imaginem Dei conditis: *Matth.* 25. 31. *Dan.* 4. 13. *Ex conceptione*, in Christo: *Luc.* I, 35.

Adventitia homini lapso accidit tùm in hac tùm in futurâ vitâ. *In hâc vitâ irregenitis* obtingit relativa quædam sanctitas externa, vel etiam interna non salutaris. Sed *regenitorum* sanctitas est tùm externa per imputa-

putationem; *tùm* interna salutaris, ex mysticâ unione & communione cum Christo per Sp. S. 1 *Cor.* 6. 11. *Sanctificati estis in nomine Domini Jesû, & per Spiritum Dei nostri. Eph.* 5, 25, 26. Sed *post hanc vitam* erit perfectissima sanctitas glorificatorum: *Eph.* 5, 27. 1 *Cor.* 13, 10.

II. Sanctificationis *genus* constituimus *actionem realem*: quia terminus ad quem reali efficientiâ produci debet. Sic Deo tribuitur hæc actio: 1 *Thess.* 5, 23. *Deus pacis sanctificet vos totos. Joh.* 17, 17. *Ezech.* 36, 25, 26, 27.

Christo Mediatori hîc sunt suę partes, tùm impetratoriæ, tùm applicatorię: 1 *Cor.* I. 30. 2, v, 17. *Eph.* 5. 25, 26.

Sed Sp. Sancto, juxta ordinem Divinarum Personarum, proximè hæc actio tribuitur: 2 *Thess.* II, 13. *Per sanctificationem Spiritûs. Tit.* 3. 5. *Renovationem Spiritûs Sancti.*

Verbi autem & Sacramentorum efficacia hîc moralis est: *Joh.* 17, 17. *Sanctifica eos Tuâ veritate: sermo ille Tuus veritas est. Rom.* 6, 4. *Consepulti Christo per baptismum.* 1 *Cor.* 12, 13.

III. *Subjecta* sunt redemti, vocati, & justificati. Præcedit enim Redemtio; quâ Christus eos acquisivit: Vocatio; quâ ipsi ad unionem cum Christo traducuntur: atque adeò Regeneratio; quâ vita spiritualis iis inditur: imò & Justificatio; quæ positâ vitâ spirituali, & fide salvificâ, non potest non poni. Tales actionem hanc recipiunt. Ipsi interim, ut spiritualiter viventes, hîc etiàm efficientiam quandam exserunt, qualis causis secundis convenit. *Rom.* 12, 1, 2. *Adhortor igitur vos, fratres, per miserationes Dei, ut sistatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, placentem Deo. - Transformate vos per renovationem mentis, ut probetis quæ sit voluntas Dei,* &c. *Eph.* 4, 22, 23, 24. *Phil.* II, 12, 13.

Totus autem homo beatam hanc transmutationem subit, mente, voluntate, affectibus: quin imò corpus, & singula ejus membra, usurpantur ad sanctimoniam: *Rom.* 6,12,13. XIV,7,8. 1 *Thess.* 4,3,4,5. 1 *Cor.* 6,20. 1 *Thess.* 5,23.

IV. *Terminus à quo* est turpitudo peccati: *Terminus ad quem* est puritas imaginis Dei, & conformatio ad gloriam ipsius: *Ezech.* 36,25,26,27. *Eph.* 4,22, 23,24. *Rom.* 12,1,2. *Col.* III,9,10. *Cùm exuti illo vetere homine-,sitis induti novo &c. Hebr.* 9,14. 1 *Cor.* 10,31. *Rom.* 6,22.

Idea igitur in hoc negotio nobis imitanda est Sanctitas Jehovæ; *Lev.* XI, 44. XIX,2. XX,7,8,26. *Matt.* 5,48. *Eph.* 5,1. Et Christi exemplum in vitâ suâ humili; 1 *Petr.* 2,21,22. *Matth.* XI,29. *Phil.* 2, 5,6,7,8. Et suo modo exempla aliorum per ejus gratiam sanctificatorum: 1 *Cor.* XI,1. *Hebr.* 12,1. 13,7.

V. Sanctificatio non consistit in solâ actuum emendatione; quod volunt *Sociniani*, aliique *Pelagianizantes*: sed, quemadmodùm per Regenerationem inditæ fuerunt novæ facultates, ità per Sanctificationem conferuntur novi habitûs spirituales, virtutes Theologicę, quæ indies perficiuntur, & ad actûs secundos excitantur.

Probatur ista veritas, 1. ex promissionibus novi Fœderis: *Jerem.* 31,33,34. *Dabo Legem meam in medio eorum: & in corde eorum describam eam,* &c. *Ezech.* 36,27. *Et Spiritum meum dabo in medio vestrî; efficiamque; ut in præceptis meis ambuletis*, &c.

2. Illustria sunt exempla; 2 *Tim.* I,5,6,7. „Memoria repetens eam, quæ in te est, minimè simulatam „*fidem*; quæ *habitavit* priùs *in aviâ tuâ Loïde,* & *in* „*matre tuâ Eunicâ:* persuasus sum autem, quòd *in te* „*quoque.* Quam ob causam in memoriam revoco ti„bi, ut *exsuscites donum Dei, quod in te est,* per imposi-

„tionem

„tionem manuum mearum. Non enim *dedit nobis* „*Deus ſpiritum* formidinis; ſed *roboris, & charita-* „*tis, & ſanitatis animi.* Similiter cùm jàm Petrus eſſet à Satanâ ventilandus, inſtar tritici, dixit Chriſtus; *Lucæ* 22, 32. *Ego deprecatus ſum pro te, ne deficiat fides tua*, Manſit igitur in ipſo, nec defecit iſte habitus, etiàm in graviſſimâ tentatione & lapsû; ubi actuum ſecundorum ſatis notabilis fuit defectus.

3. Habituales virtutes diſertè recenſentur, 2 *Petr.* I, 4.-8. *Gal.* 5, 22. 1 *Cor.* 13, 8. 13.

4. *Hebr.* 5, 14. appellantur expreſsè *Adulti, qui propter habitum ſensûs habent exercitatos, ad diſcretionem boni & mali.* Confer *Phil.* I, 6, 9.

VI. Ex iſtis habitibus educuntur actûs ſecundi; omnis generis exercitia pietatis, & bona opera. *Matth.* 5, 16. *Itâ ſplendeat lux veſtra coram hominibus, ut videant veſtra bona opera.* 1 *Tim.* 4, 7. *Tit.* II, 14. *Phil.* 4, 8.

In hoc genere valdé illuſtris eſt quotidiana praxis Fidei & Reſipiſcentiæ. 2 *Theſſ.* 1, 3. *Fides veſtra vehementer augeſcit: & abundat mutua Charitas.* 2 *Cor.* 4, 16. *Col.* I, 9, 10, II. Quantum ad Fidem attinet, eâ ſpeciatim promiſſiones Euangelicas ad præſentem noſtram conditionem applicamus, ut continuetur in nobis ſubjectiva certitudo noſtræ Juſtificationis; & ſimul corroboremur in vitâ ſpirituali ac praxi pietatis: *Gal.* 2, 20. Confer ſup. cap. 2. th. 21. Quod vero ad praxin Reſipiſcentiæ, ad ſingulas actiones ſedulò attendimus, ut per gratiam Dei perficiatur in nobis tùm mortificatio veteris, tùm vivificatio novi hominis: *Rom.* 6, 4. *Phil.* 4, 8, 9.

VII. *Pontificii Pœnitentiam externam* in foro Eccleſię, cum *internâ* in foro conſcientiæ confundentes, ex ea faciunt *ſpecialem virtutem*; ex præconcepto Satisfactionis errore, in ordine ad Juſtitiam Dei: ſed ab

internâ istâ plurimùm differt externa demonstratio pœnitentiæ coram Ecclesiâ; ut resipiscentibus ministerialiter denuncietur remissio peccatorum suorum, & abstenti ad communionem denuò admittantur.

Nec specialis virtus esse potest; cùm ejus natura generalior sit, quàm ut certam virtutis speciem constituat: de singulis enim virtutibus omissis, & vitiis commissis, pœnitentia agi potest ac debet.

Sed & *Sacramentum* reputant non minùs absurdè: 1. quia ei non insunt Sacramenti requisita.

2. Quia Virtus & Sacramentum toto genere differunt.

3. Ipse Baptismus est Sacramentum resipiscentiæ, sive pœnitentiæ: *Act.* 19, 4. *Marc.* 1, 4. *Matth.* 3, 11. *Rom.* 6, 4.

VIII. Neque minùs errant in definiendâ *materiâ* & *formâ* hujus imaginarii Sacramenti. *Illam* communiter constituunt in contritione cordis, confessione oris, & satisfactione operis.

Sed cùm materia Sacramenti debeat esse res externa sensibilis, ad eam saltem, ut pars, trahi non debet *contritio cordis*; utpotè soli Deo nota. Et ipse *Becanus*: *Omnes fatentur, contritionem non esse necessariam in Sacramento pœnitentiæ; quia ibi sufficit attritio.* Confer etiam quod exstat de pœnitentiâ Judæ, *Matth.* 27, 3, 4, 5.

Satisfactio præstatur post Absolutionem; consequenter non potest esse pars materiæ: forma enim præsupponit materiam.

IX. *Confessio alia* quidem est Divinæ laudis & veritatis; de quâ, *Rom.* 10, 10. *Ore fit confessio ad salutem. Alia* nostræ fraudis & iniquitatis; undè 1 *Joh.* 1, 9: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra.* *Psal.* 32, 5. *Prov.* 28, 13.

Hæc

Hęc necessariò fieri debet ipsi *Deo*; cui tanquàm Legislatori & Judici absolutè summo, soli in statum nostrum internum & æternum potestatem habenti, peccavimus: atque adeò sincerè, & particulatim, ex intimo turpitudinis & reatûs nostri sensû ea facienda est. *Psal.* 51, 5, 6. *Prævaricationes meas ego agnosco; & peccatum meum coram me est semper. Tibi, Tibi soli peccavi.* 32, 5. *Dan.* 9, 3.-7. *Luc.* 15, 21. 18, 13.

Sed & coram *Ecclesiâ*, vel ejus Antecessoribus, fieri debet confessio peccatorum (non tamen particularis) ab adultis, qui in Ecclesiæ communionem recipi cupiunt. Sic *Matth.* 3, 6. qui ad Johannem exibant, *baptizabantur ab eo, confitentes peccata sua.* Adde *Act.* 19, 17, 18.

Similiter etiàm publici & scandalosi peccatores, à sacrâ communione abstenti, ad publicam peccatorum suorum confessionem rectè adiguntur, priusquam à censuris Ecclesiasticis absolvantur; ut istâ ratione tollatur scandalum Ecclesiæ datum: 1 *Tim.* 5, 20. *Eos, qui peccant, in conspectû omnium argue; ut & reliqui metuant.* Necessarium quoque est, ut qui injuriam aliis fecerunt privatim, hoc ipsum iis privatim confiteantur: *Jac.* 5, 16. *Confitemini alii aliis offensas. Matt.* 5, 23, 24. cùm 6, 14. XVIII: 21, 22. *Luc.* 17, 3, 4. Imò etiàm ad spiritualem instructionem & consolationem perutile est, ut, qui scrupulosam, vel dubitantem, vel aliter infirmam habet conscientiam, adeat aliquem spectatæ fidei ac pietatis, atque inprimis Ecclesiæ Pastorem, & ab eo solidam instructionem ex Verbo Dei petat: *Mal.* 2, 7. *Labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam; & Legem requirent ex ore ejus.* &c. *Gal.* 6, 1. *Rom.* 14, 1.

X. Sed ab hâc Confessione SS. Literis consentaneâ plurimùm recessit *Pontificiorum* Confessio auricularis, quæ fit in aurem Sacerdotis ab omnibus & singulis adultis

dultis baptizatis, ſaltem ſemel in anno, de omnibus peccatis mortalibus, cum omnibus eorum circumſtantiis, ut ab ipſo remiſſionem accipiant; additâ gravi conditione, ut quæ quis peccata mortalia illum celaverit ſciens, eorum remiſſionem conſequi non poſſit.

Sed 1. Chriſtus miniſterium remiſſionis quidem mandavit Miniſtris Euangelii: ſed ab auriculari illâ Confeſſione eam minimè ſuſpendit; de quâ ne γρῦ quidem in SS. Literis. *Requiritur autem in Diſpenſatoribus, ut quiſque fidus reperiatur:* 1 *Cor.* 4, 2.

2. Talis illa ſperata remiſſionis conſecutio impoſſibilis eſt: cùm nemo omnium, & ſingulorum peccatorum ſuorum, cùm ſuis circumſtantiis, poſſit recordari, & ſic ea confiteri, ut eorum remiſſionem accipiat. *Pſal.* 19. 13. *Delicta ſua quis intelligit?*

3. Plurima & graviſſima ſunt ejus incommoda: neceſſariò enim tenentur homines ſoliciti, an ſatis exactè conſcientiam ſuam examinaverint, & apud Sacerdotem exoneraverint; an peccata mortalia à venialibus rectè diſtinxerint, &c. Sæpè etiàm homines per examina Confeſſariorum docentur peccata priùs ignota, & ad ea incitantur: tyrannis & avaritia Sacerdotum fovetur, &c.

4. Abſurdè ea ſtatuitur pars Pænitentiæ; cùm hæc ad animum pertineat; & illa hujus effectus ſit, & ſignum conſequens.

XI. *Obj.* 1. Chriſtus Miniſtris Euangelii dedit poteſtatem ligandi & ſolvendi: *Matt.* 16, 19, XVIII: 18. *Joh.* 20, 23. *Reſp.* Non tamen ſolvendi, aut remittendi, pro ipſorum arbitrio; aut poſtulatâ priùs tali Confeſſione.

Obj. 2. Occurrunt exempla, *Matth.* III, 6. *Act.* 19, 17, 18. Ergò. *Reſp.* Non commemoratur iſtic 1. confeſſio particularis omnium & ſingulorum peccatorum cum ſuis circumſtantiis. 2. Non auricularis. 3.

Neque

Neque à baptizatis; (quibus Pænitentia dicitur altera tabula post naufragium) sed à catechumenis baptizandis facta.

Obj. 3. Christus hominem à leprâ sanatum misit ad Sacerdotem, ut se ei ostenderet: *Matth.* 8, 4. Ergò spiritualis lepra est Sacerdotibus ostendenda; sive peccata per Confessionem exponenda. *Resp.* Misit hominem sanatum, ut pro eo fieret secundùm Legem Cerimonialem; *Levit.* 14. quæ tunc nondùm erat abrogata: non autem misit ut à Sacerdote sanaretur; neque ùt post auricularem confessionem absolveretur.

Obj. 4. Mandatum exstat *Jac.* 5, 16. *Confitemini alii aliis offensas*, &c. *Resp.* Rectè Cardinalis *Cajetanus* ad locum; *Nec est sermo de Confessione Sacramentali:* ut patet ex eo, quod dicit; *Confitemini invicem.* Sacramentalis enim Confessio non fit invicem; sed Sacerdotibus tantùm: Sed de Confessione, quâ mutuò fatemur nos peccatores, ut oretur pro nobis; & de Confessione hinc & indè erratorum, pro mutuâ placatione & reconciliatione.

XII. Pergimus ad considerationem *bonorum operum* ab hominibus sanctificatis in hâc vitâ præstandorum. *Describuntur* autem; Actûs humani, ex fide procedentes, atque in Dei gloriam, juxta prȩscriptum Legis ipsius prȩstiti. *Actus humani* opponuntur naturalibus illis, qui rationi non subjacent; ut si quis suâ gravitate cadat deorsùm; quòd cibi in ventriculo coquantur, &c. nam *cultus* noster debet esse *rationalis*: *Rom.* 12, 1.

Tres verò *conditiones* potissimùm requiruntur, ut opera nostra sint verè bona: una ex parte principii; altera ex parte finis; tertia ex parte normæ. *Prima*, ex parte principii, est, ut ex verâ fide salvificâ procedant: *Rom.* 14, 23. *Quicquid ex fide non est, peccatum est.* *Hebr.* xi, 6. *Fieri non potest, ut absque fide quisquam*

quam Deo gratus sit. 1 *Tim.* 1, 5. *Tit.* 1, 15. Omnis enim aptitudo ad spiritualiter benè operandum, ex gratiâ Dei in Christo per fidem accipi debet: *Eph.* 3, 17. *Hebr.* 9, 14. *Act.* 15, 9. *Gal.* II, 20. *Joh.* 15, 3, 5. 1 *Cor.* I, 30. II, 16. *Rom.* 12, 2. *Eph.* 5, 15, 16. I, 6. *Rom.* 14, 17, 18, 22, 23.

Propter defectum hujus conditionis opera infidelium, quamvis fortè materialiter Legi Divinę conformia, non sunt tamen opera verè & spiritualiter bona.

XIII. *Altera conditio*, quæ finem respicit, hæc est; ut opera fiant in gloriam Dei, ut in finem primarium atque ultimum: 1 *Cor.* 10, 31. *Quicquid facitis, omnia in Dei gloriam facite. Phil.* 1, 10, 11. *Col.* 3, 17. 1 *Tim* 4, 3, 4, 5. Item *Matth.* 5, 16. 1 *Petr.* 2, 12; 9. 1 *Cor.* 6, 19, 20. *Rom.* 14, 7, 8, 9.

Huic interim fini primario & ultimo subordinatur, tùm salus nostra: *Jes.* 45, 19. *Non dixi semini Jacobi; In vanum quærite me. Psal.* 19, 12. 1 *Sam.* 2, 30. 1 *Tim.* 4, 8. *Rom.* 2, 7. *Hebr.* XI, 26. XII, 2. Tùm aliorum ædificatio: *Col.* 3, 16. *Docendo & commonefaciendo vos mutuò psalmis, hymnis, & cantionibus spiritualibus.* 1 *Thess.* 5, 11. *Jac.* 5, 19, 20. 1 *Petr.* 3, 1, 2. *Matth.* 5, 16.

XIV. *Tertia* denique *conditio* ad normam spectat; nimirùm ut opera nostra fiant secundùm Legem Dei. Sic enim 1. disertè præcipitur, *Deut.* 4, 1, 2. *Nunc ergò ô, Israël, audi statuta & judicia, quæ Ego doceo vos, ut faciatis, ut vivatis: - Non addetis ad verbum, quod Ego præcipio vobis: neque diminuetis quicquam ex eo.* V, 32, 33. XI, 32. XII, 32, *Levit.* 18, 5. *Ezech.* 18, 9. XX, 18, 19. *Matth.* 5, 19. *Jac.* II, 10.

2. Suprema & independens Dei Opt. Max. ἐξοχὴ & gloria, ac nostra moralis dependentia ab ipso, & subjectio ad ejus cultum atque obsequium, omnia postulant, ut norma obedientiæ & cultûs ab ipso nobis præscribatur.

3. For-

3. Formalis ratio peccati, seu mali moralis, consistit in difformitate à Lege Divinâ: 1 *Joh.* 3. 4. undè etiàm per Legem cognoscitur; *Rom.* 3, 20. VII, 7. Ergò bonitas moralis consistit in conformitate cum normâ Divinitùs præscriptâ in Lege.

4. Secundùm istam normam de operibus hominum, seu bonis, seu malis, judicat, & judicabit ipse Deus: *Iac.* 4. 12. II. 12. *Rom.* 2, 14, 15, 16.

Secundùm istam igitur normam agenda sunt, quæ istîc præcepta; & fugienda, quæ prohibita: circa ea verò quæ Deus reliquit adiaphora in thesi, in hypothesi nihilominùs observandæ sunt regulæ pro illâ praxi præscriptæ. Vide sup. cap. 8. th. 27.

XV. Consequenter bonis operibus accenseri non debent, quæ istâ normâ posthabitâ, fiunt ex qualicunque opinione cultûs Divini, aut intentione gloriæ Divinæ: *Joh.* 16. 2. *Veniet tempus, cùm quisquis trucidabit vos, putabit* se *cultum præstare Deo. Col.* II. 23. vel ab aliis hominibus excogitata & mandata sunt: *Matth.* 15. 9. ex *Ies.* 29. 13. *Dixit Deus, frustrà Me colunt, docentes doctrinas*, quæ sunt *mandata hominum. Col.* II. 20, 21, 22,

Plurimùm verò distat cultus ille voluntarius, ἐθελοθρησκεία, à cultù spontaneo, qui libenti animo præstatur juxta præscriptum Dei: *Psal.* 110. 3. *Populus tuus spontaneus*, &c.

Ubi verò mandata hominum Divinis adversantur; prorsûs *Deo obediendum est potiùs, quam hominibus*: *Act.* 4, 19. V, 29.

Neque in Adiaphoris à moribus & consuetudinibus arcessenda est bonitas moralis; sed à regulis Divinis: *Rom.* XII. 2. *Ne vos configurate sæculo isti*: - ut *probetis quæ sit voluntas Dei, bona illa, placens, ac perfecta.*

XVI. In *Adjunctis* bonorum operum, videndum *primo* de eorum utilitate ac necessitate; & porrò de perfectione, vel imperfectione.

Utili-

Utilitas amplissima est: 1 *Tim.* 4. 8. *Pietas ad omnia utilis est, ut quæ promissionem habeat vitæ præsentis, ac futuræ. Phil.* II, 12. 1 *Tim.* II, 14.

Imò etiàm *necessitas* (in adultis) agnoscenda est, tùm *præcepti*; undè infertur nostrum officium & obsequium debitum: tùm quoque *medii*; ut sine hoc ad possessionem ac fruitionem cœlestis beatitudinis perveniri non possit. *Hebr.* 12: 14. *Pacem sectamini cum omnibus, & sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Dominum. Matth.* III. 10. *Jàm verò etiam securis ad radicem arborum posita est: omnis igitur arbor, non ferens fructum bonum, exciditur; & in ignem abjicitur.* 1 *Cor.* 6: 9, 10. *Eph.* 5: 5. *Apoc.* 21: 27.

Magis hoc patet, 1. ex consideratione Christi: qui non minùs Sanctificationem nobis impetravit, quàm Justificationem, &c. 1 *Cor.* I. 30. VI. 11. *Luc.* I. 74, 75. *Rom.* 6: 2, -. *Ephes.* 5: 25, 26, 27. *Tit.* 2: 13, 14. *Hebr.* 9: 13, 14. Imò & Justificatio necessariò secùm trahit Sanctificationem. Vide sup. cap. 2. th. 23. §. 4.

2. Respectû Dei; Patri nostro sanctissimo ac beneficentissimo, tanquàm filii genuini, obsequium & animum gratum probare debemus in omnibus; Eique conformari in Ipsius gloriam. *Deut.* 8: 10, 11. XXXII: 5, 6, 7. *Jes.* I: 2, 16, 17. *Mal.* I: 6. 1 *Cor.* 6: 19, 20.

3. Respectû nostrî ipsorum; Quòd fidem verè salvificam habeamus, & sic in statum gratię translati simus, ex istis fructibus colligimus: *Matth.* 12. 33: *Iac.* II: 17. Eâdem operâ de nostrâ vocatione, ipsâque adeò electione, certi reddimur: 2 *Petr.* I: 10. Atque in futurum sic damnationem effugimus: *Matth.* 3: 7, 8, 10. & æternam beatitudinem ac gloriam consequimur: *Phil.* II: 12. III: 14. 1 *Cor.* 9: 24. *Hebr.* 12. 1, 2. 2 *Tim.* 1: 7, 8.

4. Respectû proximi nostri; istâ ratione anniten-

dum est, ut eum Christo lucrifaciamus; & nostro exemplo ad pietatem, ac sanctimoniam, studiumque Salutis æternæ, adducamus: *Matth.* 5. 16. 1 *Petr.* 3. 1, 2. 1 *Thess.* 5, 11.

XVII. *Perfectio* triplex hoc loco spectari potest: 1. *Perfectio sinceritatis*; quâ idem pietatis studium, quod foris ostenditur verbis & gestibus, intùs existit in animo; absque partitione cordis: prout simulatores dicuntur loqui *labio blanditiarum in corde & corde*, *Psal.* 12. 3. Hæc perfectio requiritur *Deut.* 6, 5. *Diliges Jehovam Deum tuum toto corde tuo, & totâ animâ tuâ.* Confer *Job.* I, 1. *Psal.* 139, 23, 24. 1 *Reg.* 15, 8. Contraria est hypocrisis: *Jes.* 29, 13. *Ezech.* 33, 31.

2. *Perfectio partium*; quâ omnia & singula officia, Divinitùs nobis præscripta, sine exceptione observantur; sicut Præcepta Legis certum nexum inter se habent: *Jac.* II, 10. De hâc pro more gentis suæ falsò gloriabatur juvenis Pharisæus. *Matth.* 19, 20. *Omnia hæc observavi à juventute meâ.* Veriùs de Zachariâ & Elizabethâ, *Luc.* 1, 6. *Incedentes in omnibus præceptis & constitutionibus Domini inculpatè.* Vide similiter de Josiâ, expressâ etiàm perfectione sinceritatis, 2 *Reg.* XXIII. 25. De Asâ verò indicatur quidem perfectio sinceritatis, sed cum quâdam exceptione circa perfectionem partium, 2 *Chr.* 15, 17.

3. *Perfectio graduum*; ut obedientia Deo præstetur non tantùm sincerè; & secundùm omnes partes; verùm insuper ad extremum virium, prout omnes nostræ vires à morali providentiâ Dei omninò dependent moraliter, quemadmodùm à creatione & providentiâ reali realiter. *Marc.* XII, 30. *Luc.* X. 27. ex *Deut.* 6, 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex totâ animâ tuâ, & totis viribus tuis, & ex totâ cogitatione tuâ.* Nihil igitur in corde & animâ esse debet isti obedientiæ ac dilectioni adversum.

aquarum, quæ fructum suum dat in tempore: & folium ejus non decidit. Similis est locus *Jerem.* 17, 8. Ergò prosperitas spiritualis non interrupta, piis ubique & semper obtingit. *Resp.* Illud intelligendum est secundùm quid: ut spiritualis vigor, & fertilitas, ac prosperitas detur; & maneat vita spiritualis, nec deficiat totaliter, nedùm finaliter; sed perficiatur in diem Jesû Christi, *Phil.* 1, 6. dum verè fideles principium illud, quo sustentantur, non obstantibus eorum lapsibus, & decremento aliquo, tamen per hanc Dei & Christi gratiam, firmum retinent ad finem usque; *Hebr.* III, 14.

IV. *Causa efficiens ac perficiens* est *tùm* Deus, *tùm* Christus Mediator. *Deus* non solùm potest, sed etiàm vult, vere fideles in isto statû ad æternam salutem conservare. Ipsum *posse*, manifestissimum est ex absolutâ omnipotentiâ. Sed & *velle*, constat; *tùm* ex electione; *tùm* ex specialibus promissionibus. De *Electione* illustria sunt testimonia. *Joh.* 6, 39, 40. „Hæc est *voluntas* ejus, qui misit Me, *Pa*„*tris*: ut *ex eo omni, quod Mihi dederit, non perdam* „*quicquam;* sed *suscitem illud in ultimo isto die,* &c. *Eph.* I, 4, 5. „*Elegit* nos in Ipso ante jactum mundi „fundamentum, *ut simus sancti & inculpati,* &c. *Matth.* 24, 24. „Excitabuntur pseudo-Christi ac pseudo-prophetæ: adeò ut *seducant (si fieri possit) etiàm electos*: Ista παρένθεσις, εἰ δυνατὸν, *si fieri possit*, indicat immunitatem electorum à seductione. Confer. *Apoc.* 13, 8. Adde *Rom.* 8, 28,-31. 2 *Thess.* 2. 13, 14.

V. Certitudinem eandem Deus *promissionibus* variis revelavit, *tùm* in V. *tùm* in N. T.

In V. T. illustres promissiones extant in *Psalmis*: 37, 24. *Cum ceciderit* (justus) *non prosternetur; quia Jehovah sustentat manum ejus.* CXII, 6, 9. CXXV. 1, 2, 3. *Qui confidunt in Jehovâ*, sunt *ut mons Tzijon*, qui

tis adversis, & variis casibus hujus vitæ, dixerat priùs Apostolus: istis autem verbis docet, quo robore interim substiterit, deque victoriâ obtinendâ certus fuerit: non verò, quòd perfectionem graduum modò consecutus esset.

XX. Pro *Praxi*; 1. Exploremus seriò nos ipsos, an realem animi mutationem, virtutes illas spirituales, in nobis experiamur: 2 *Cor.* 13, 5. 1, XI, 28. *Zeph.* II, 1. *Psal.* 139, 23, 24.

2. Ex istis habitibus exercitia virtutum producamus; contraria verò vitia aversemur & fugiamus: 1 *Tim.* 4, 7. *Phil.* 4, 8.

3. Ex fide salvificâ rectè operari assuescamus: *Act.* 15, 9. *Gal.* II, 20. 1 *Tim.* I, 5. *Tit.* I, 15. *Rom.* 14, 23. *Hebr.* XI, 6. Gloriam DEI semper intendamus: 1 *Cor.* 10, 31. *Col.* 3, 17. *Phil.* I, 10, 11. *Matth.* 5, 16. Et normam Legis Divinæ sedulò ac libenter in omnibus sequamur: *Deut.* 4, 1, 2. V. 32, 33. XI, 32. XII, 32. *Rom.* 7, 22.

4. Insignem utilitatem ac necessitatem bonorum operum ritè expendamus: 1 *Tim.* 4, 8. *Phil.* 2, 12. *Hebr.* XII, 14.

5. In universâ sanctitatis & obedientiæ praxi sinceritatem præstemus coram Deo sanctissimo atque omniscio: *Gen.* 17, 1. *Psal.* 26, 11. CXXXIX, 23, 24. 1 *Cor.* 5, 8, *Phil.* 1, 10. 2 *Petr.* 3, 1.

6. Imperfectionis ac tenuitatis nostræ nobis conscii, eò magis defectus supplere, & quotidiè proficere, annitamur sedulò: 2 *Cor.* 4, 16. *Phil.* 3, 12. - 15.

CAP.

CAP. XVII.

De Conservatione, & Corroboratione.

C*Onservatio*. 1. Qualis *actio*. Ejus *effectus*. 2, *Perseverantia* quæ. 3. *Causa efficiens*, & *perficiens*. *Decretum*. 4. *Promissiones* de eâ. 5. *Impetratio*. 6. *Applicatio realis*. 7. Institutio per *Verbum*, & *Sacramenta*. 8. *Castigatio*. 9. *Studium* ipsorum sanctificatorum, 10. *Fines*. 11. *Vera sententia* asseritur, c. Pontif. *Socin. Remonstr.* &c. 12. *Objectiones* solv. 13. Ac porrò aliæ. 14. *Corroboratio*. Qualis *actio*. *Termini*. 15. *Infirmitates* variæ. *Robur*, & *incrementa*. 16. *Causa efficiens principalis*. *Media*. 17. *Fines*. 18. *Praxis*. 19.

I. SEquitur *Conservatio*, ad Fœdus gratiæ, & salutis per Christum impetratæ applicationem, speciatim pertinens. Hæc *describitur*; Actus Dei & Christi gratiosus atque efficax, quo omnes & singuli verè fideles, justificati, ac sanctificati, quantumvis in se debiles, in isto suo statû potenter continuantur; adeò quidem ut jàm ex eo totaliter & finaliter deficere non possint, sed per certam perseverantiam ad æternam gloriam sint traducendi. *Rom.* 5, 10. „Nam si, cùm inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filii „ejus; multo magis reconciliati *Servabimur per vitam Ipsius*. 1 *Petr*. I, 5. Qui *potentiæ Dei præsidio* „*Custodimini per fidem*, *ad salutem* paratam revelari „tempore ultimo. 1 *Thess*. 5, 23, 24. 2: III, 3.

XVIII. Istam *perfectionem graduum* in hâc vitâ non obtineri, probamus contra *Pontificios*, *Socinianos*, aliosque *Perfectistas*; 1. ex disertis quibusdam testimoniis: 1 *Cor.* 13, 9, 10, 11. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Postquam autem advenerit quod perfectum est*, &c. *Cùm essem infans*, &c. Cognitioni multum adhùc deest; atque adeò etiàm praxi, quæ cognitionem sequitur pro ratâ. *Rom.* 8, 23. *Primitias Spiritûs habemus*: plenam messem expectamus, posteà percipiendam. *Phil.* 3, 12, 13. *Non quòd jàm metam apprehenderim, aut jàm sim consummatus: sed persequor*, experiens *an* ipse *quoque apprehendam, cujus etiam rei causâ apprehensus fui à Christo Jesû. Fratres, egomeipsum non reor* metam *apprehendisse*. Nondùm ergò consecutus erat perfectionem sanctitatis pariter ac gloriæ. Adde *Prov.* 20, 9. *Eccl.* 7, 20. 1 *Reg.* 8, 46. *Jes.* 64. 6. *Jac.* 3, 2. 1 *Joh.* 1. 8, 9, 10.

2. Ex causâ istius imperfectionis; Carne corruptâ, in regenitis & sanctificatis adhùc reliquâ, & Spiritui repugnante: *Gal.* V, 17. *Nam Caro concupiscit adversùs Spiritum; Spiritus autem adversùs Carnem: hæc autem inter se opposita sunt, ut non quæcunque volueritis, eadem faciatis.* In iisdem subjectis sunt duo ista principia contraria. Hinc etiàm Paulus de se ipso graviter conqueritur, *Rom.* 7, 14-. Vide sup. cap. 10. th. 37.

3. Ex perpetuo studio proficiendi; quod in perfectis frustraneum foret; 2 *Cor.* 4, 16. *Propterea non segnescimus: sed etiamsi externus homo noster corrumpitur, internus tamen renovatur indies. Phil.* 3, 14. *Unum autem* ago; *ea quidem, quæ à tergo sunt obliviscens, ad ea verò quæ à fronte sunt contendens, scopum versùs feror, ad palmam supernæ vocationis Dei, in Christo Jesû. Psal.* 84, 8.

4. Ex quotidiano studio remissionis peccatorum, ut eam in cordibus nostris sentiamus, etiàm super peccatis & lapsibus nostris quotidianis: *Matth.* 6, 12.

Et

Et remitte nobis debita nostra! *Psal.* 19, 13. *Errores quis intelligat? ab occultis munda me!* cxxx, 3. 4, cxliii, 2. Et usus Cœnæ Dominicæ identidem repeti debet, ad percipiendam in conscientiis nostris remissionis istius certitudinem: *Matth.* 26, 28. *Hoc est sanguis meus novi Pacti, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum,* cum 1 *Cor.* xi, 26. *Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis, usquequò venerit.*

XIX. *Obj.* 1. Alicubi in SS. Literis *perfecti* & *adulti* celebrantur: Ergò. *Resp.* Tales comparatè dicuntur, qui sincerè omnes officiorum suorum partes complent, & gradibus insigniter profecerunt; licet non illam graduum perfectionem obtinuerint, quam Lex Dei postulat, & quam posteà in cœlis habebimus. Imò eorum, qui sic laudantur, vitia & defectûs etiàm annotantur passim; aut aliundè colliguntur.

Obj. 2. Christus *Matth.* xi. 30. *jugum* suum dicit esse *facile*, & *onus leve.* Similiter 1 *Joh.* 5, 3. *Mandata Ejus non sunt gravia. Resp.* 1. Christus de doctrinâ suâ istìc loquitur, qualis ea nunc potissimùm obtinet sub N. T. & distinguitur à rigido & condemnante Ministerio Legis, durisque ejus repetitionibus sub V. T. Nunc solùm credendum est in Christum Servatorem unicum & perfectissimum, clarissimè propositum, ad beatam Ipsius communionem: & præstanda est vicissim dilectio, gratitudo, ac nova obedientia, dùm per Divinam gratiam tutò ac suaviter ducimur ad cœlestem gloriam. 2. Propter majorem hanc amplitudinem & claritatem gratiæ, præcepta Dei magis etiàm diligimus, iisque delectamur ex animo; ut nobis non sint gravia, sed suavia.

Obj. 3. *Phil.* 4, 13. *Omnia valeo per Eum, qui me corroborat,* nempè *Christum.* Ergo. *Resp.* De mul-

præclarum ἐπινίκιον, de victis hostibus, & superatis omnibus periculis, per gratiam Dei in Christo. Adde *Eph.* 4, 30. 1 *Joh.* 3, 9. 1 *Petr.* I, 23.

VI. Quod sic Decreto constitutum est, & promissionibus revelatum, hoc ipsum Deus constanter ac potenter *exequitur*. Christus nimirùm hoc fine datus est nobis Salvator & Conservator. Undè, *quisquis in Ipsum credit*, dicitur *non periturus, sed habiturus vitam æternam*; *Joh.* 3, 16. *Rom.* 8, 31, 32. Christus autem sanctissimâ oblatione suâ, æternam salutem certò impetravit, quibus ea destinata ac promissa erat: *Rom.* 5, 9, 10, 11. *Justificati Ejus sanguine, servabimur multò magis per Eum ab irâ*, &c. Eccè fidam illam Conservationem, post Justificationem in Christi sanguine. Nam non solùm remissionem peccatorum nobis impetravit, verùm etiàm purificationem à maculâ, & liberationem à servitute spirituali. Vide *Rom.* 6, 6, - 11. *Hebr.* 9, 13, 14.

Accedit insuper jugis Christi pro nobis *intercessio*: *Rom.* 8, 35. *Quis est qui condemnet? Christus* is est *qui mortuus est*: *- qui etiàm intercedit pro nobis. Quis nos separabit à charitate Christi?* *Hebr.* 7, 24, 25. *Luc.* 22, 31, 32. *Joh.* 17, 9, 11, 15, 17, 20. Hoc est validissimum remedium adversùs totalem ac finalem apostasiam: *Joh.* XI. 41, 42. *Pater, gratias ago Tibi, quòd Me audieris. Ego verò sciebam Me semper à Te audiri.*

VII. Impetrationem illam excipit efficax *applicatio*, per Ipsius virtutem omnipotentem; quâ omnia obstacula facilè superat, & obtinet quod intendit. Sic inchoatam in fidelibus sanctitatem conservat ab interitû, per Sp. Sancti efficaciam. Hæc efficacia admodùm emphaticè describitur *Eph.* I, 17, - 20. Ubi eadem Divina virtus, & efficax Potentia, per quam Christus ex mortuis est suscitatus, in electis regenerandis, sanctificandis,

& conscientiam quodammodò honestè bonam, illuminatam & refrænatam; eam posteà repellere potuerunt, & naufragium facere circa fidem; atque adeò amittere quod habuerunt: cùm fidem verè salvificam, & conscientiam spiritualiter bonam, nunquàm habuerint. 4. *Hebr.* 6, 6. conditio illa, *si prolabantur*, nihil ponit in esse. Et quæ Apostolus istìc expressit, accipi possunt de fide solùm temporaria, & gratiâ Spiritûs Sancti illuminante non salutari; qualis est eorum, qui peccant in Spiritum Sanctum. 5. Juxta locum *Petri*, nonnulli institutionis Christianæ, & illuminationis cujusdam non salutaris participes facti, veritatem illam amplexi sunt, & secundùm eam facere quædam cœperunt; posteà verò ad priores suas corruptiones relapsi sunt. Verum ab istis Canibus & Suibus non valet consequentia ad veras Oves Christi; de quibus instituta erat quæstio. 6. Arbores istæ apud *Judam* nunquàm fuerunt verè radicatæ in Christo; nec vixerunt in ejus communione mysticâ: solùm speciem aliquam præbuerant, & spem aliis fecerant, in externam communionem Ecclesiæ institutæ adsciti: deindè relapsi, speciem illam amiserunt; & bis, sive omninò mortui, δὶς διὰ πασῶν, deprehensi sunt.

XV. *Corroboratio* est actus efficacis gratiæ, quo sanctificati adhùc debiles, spirituali robore confirmantur; ità quidem ut crescat interior homo, fortis evadat, & ad perfectionem proficiat; in ipsorum salutem, ac Dei & Christi gloriam. 2 *Cor.* I, 21. *Qui nos confirmat (βεβαιῶν) in Christum, Deus est. Col.* I. 10. *Crescentes in agnitione Dei. Omnipotentiâ potentes facti, secundùm gloriosum robur ipsius*, &c. 2 *Thess.* III, 3. *Fidelis est Dominus, qui stabiliet vos.*

Etiàm hæc actio *realis* est; ut patet ex termino reali, incremento novi hominis. Et quidem *efficax hyperphysica*: Divina enim hæc efficientia superat omnia obstacula.

Termi-

mus, est Gloria DEI; quæ in Ejus φιλανθρωπίᾳ, multiformi sapientia, constanti fidelitate, supereminenti potentia, mirabiliter elucescit. Hæc sanctificatos agnoscere & celebrare oportet: *Rom.* V, 8, 9. 10. *Eph.* 3, 10, 11, I, 19. 1 *Thess.* 5, 24. 1 *Petr.* II, 19.

Isti summo fini *subordinatur* alter, ipsorum conservatorum Beatitudo æterna. Hinc disertè Apostolus, 2 *Thess.* I, 9, 10. *Oramus semper pro vobis, ut Deus - compleat - opus fidei potenter. Hebr.* 10, 35, - 39.

XII. Ex superioribus abundè patet, verè fideles perseverare in isto statu; nec fieri posse, ut totaliter ac finaliter deficiant. Quod tenendum contra *Pontificios*, *Socinianos*, *Anabaptistas*, & *Remonstrantes*. *Lutherani* verò statuunt, eos quidem totaliter, non tamen finaliter, posse deficere. Nec difficile est *Classes argumentorum* ex præmissis construere: utpote 1. Ex decreto Electionis; ex cujus immutabili certitudine sequitur, quòd electi totaliter deficere non possint, nedum finaliter. Vide sup. th. 4. & cap. 6. th. 7.

2. Ex certissimis Promissionibus, de perseverantia in nobis efficienda. Vide th. 5.

3. Ex validissima salutis æternæ, & mediorum istùc necessariorum, pro nobis impetratione per Christum; ejusdemque intercessione, quæ semper exauditur. Vide th. 6.

4. Ex efficaci applicatione salutis impetratæ, ac mediorum necessariorum, in ipsis redemtis. Vide th. 7. & seqq.

XIII. *Obj.* 1. Aliqui homines fidei professionem, & communionem Ecclesię, deserunt totaliter. Ergò. *Resp.* Isti à posteriori deprehenduntur nunquàm habuisse vivam ac salvificam fidem, aut communionem internam Ecclesiæ mysticæ; sed tantùm fidem historicam, ac temporalem, vel simulatam;

latam; & gratiam non regenerantem ad salutem, sed quadantenùs illuminantem & refrenantem; 1 *Joh.* 2, 19.

Obj. 2. Occurrunt exempla varia; ut Adami, Angelorum lapsorum, Davidis, Salomonis, Petri, Judæ Iscariotæ, Hymenæi, Demæ. &c. Ergò. *Resp.* 1. Adamus, cùm laberetur primùm, non fuit sub Fœdere Euangelico; sed Legali. 2. Angeli lapsi similiter sub aliquo Fœdere operum fuerunt; quod non habuit easdem promissiones cum Euangelico. 3. David nec totaliter defecit; quod patet ex precatione, *Psal.* LI. 13. nec finaliter; quia resipuit. 4. Salomonis Apostasiam totalem & finalem Adversarii probare non possunt. 5. Cùm in Petri ore confessio deficeret, non defecit tamen fides in corde; juxta promissionem. *Luc.* 22, 32. 6. Judas Apostolatum quidem deseruit; non autem veram fidem salvificam, quam nunquàm habuit. 7. Hymenæus, aliique similes, duntaxat temporarii fuerunt; non verè fideles. 8. Demas quidem dicitur præsens sæculum dilexisse, ut vitam suam periculo exponere noluerit, & Paulum deseruerit: sed hinc nihil conficitur pro totali ac finali defectione à fide salvificâ. Si verò prorsùs defecisset, iterùm à posteriori liqueret, ipsum nunquàm fuisse verè fidelem.

Obj. 3. Peccata, qualia David, aliique, commiserunt, digna sunt, ob quæ tales Dei gratiâ penitùs destituantur: nec possunt simul consistere cum verâ fide & sanctimoniâ. *Resp.* 1. Alia est ratio Fœderis gratiæ, per quod verè fœderatis omnia & singula sua peccata non solùm remittuntur; sed & vitæ spiritualis principium in iis potenter conservatur, undè ex lapsû denuò resurgunt. 2. Tam contraria, ut sunt hinc vera fides, ac vita spiritualis & sanctimonia; indè peccata, inprimis gravia; simul in eodem subjecto singulari esse nequeunt secundùm idem,

&

& conservandis, etiàm exeri ac demonstrari dicitur. Sic Pater etiàm in hoc negotio operatur per Spiritum Sanctum. Vide insuper *Eph.* II, 1, - 5, 20, 21, 22. 1 *Cor.* I, 8, 9. 10, 13. *Phil.* I, 6. 2 *Thess.* 2, 15, 16, 17. *Rom.* 8, 17. 1 *Petr.* I, 3, 4, 5. Eandem gratiam petebat David *Psal.* 51, 13, 4. cxlIII, 10.

VIII. Potenti illi ac reali operationi Divinæ, subservit *moralis*, per institutionem, & castigationem.

Institutio fit per Verbum Dei: quod ipsum, sub potenti illâ reali hyperphysicâ operatione Spiritûs, est semen incorruptibile regenerationis nostræ, vitam illam producens, quæ manet in æternum. Undè 1 *Petr.* I, 23. *Regeniti ex semine incorruptibili*; id est, *per sermonem Dei vivum, & manentem in æternum.* *Eph.* 4, 12, - 16.

Institutio sæpè dogmatica adhibetur, quæ officium perseverantiæ præscribit: additis etiàm promissionibus: *Matth.* 24, 13. *Qui substiterit ad finem usque, is servabitur.* *Apoc.* II, 10, 11. *Esto fidelis, usquè ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. - Qui vicerit, nequaquam lædetur à morte secundâ.* *Hebr.* 3, 14. Atque item comminationibus; *Rom.* 8, 13. *Si secundum carnem vixeritis, futurum est ut moriamini.* *Ezech.* 33, 13, 14, 15. *Gal.* 5, 19, 20, 21. Hujusmodi comminationes ostendunt, quid inspectâ fidelium infirmitate, fieri posset; ut majori studio ad gratiam Dei confugiant. Insignis adhortatio commemoratur *Act.* 14, 22. ubi de Paulo & Barnabâ; *Confirmantes animos discipulorum: hortantes, ut permanerent in fide.* Similis dehortatio à contrariâ defectione est, *Hebr.* 10, 25, 35. Accedit reprehensio; quâ aberrare incipientibus, peccati sui fœditas exponitur, ut ad veram resipiscentiam adducantur: *Tit.* I, 13. *Gal.* 3, 1, 3. 2 *Cor.* 7, 9, 10, 11.

Verbo Deus *Sacramenta* voluit esse annexa; sigillorum instar; quibus gratia Dei, & communio Fœderis

Fœderis æterni, obsignatur fidelibus; atque ipsorum gratitudo erga Deum, ac sanctimonia, vicissim confirmatur. Ut patet de Circumcisione; *Gen.* 17, 7. De Baptismo; *Rom.* 6, 4, 22. *Gal.* 3, 27, 29. *Tit.* 3, 5. De S. Cœnâ; 1 *Cor.* XI, 24, 25, 28, 29. 10, 21. Quæ autem beneficia sic ex instituto ipsius Dei & Christi fidelibus obsignantur, eadem deinceps certissimè ab iis percipiuntur.

IX. Institutioni illi adjungitur *castigatio*: Variæ enim afflictiones Divinitùs immitti solent, ad carnem supprimendam. Ità sc. qui Verbo non reguntur, verberibus corriguntur. Hinc David de se ipso: *Psalm.* 119, 71. *Bonum mihi est, quòd afflictus fuerim; ut discam statuta Tua.* 67. *Jes.* 26, 16. *Hos.* 2, 6. VI, 1. 1 *Cor.* XI, 32. *Hebr.* 12, 10, 11. Speciatim hùc pertinet *disciplina Ecclesiastica*; quâ membra Ecclesiæ institutæ, de scandalis reprehenduntur; & si fortè contumaciùs in illis pergant, à communione tandem segregantur; ut ipsi resipiscant; & alii, illorum exemplo moniti, in officiis perseverent: 1 *Cor.* V, 5, 6, 7.

X. Sub Divinâ istâ gratiâ, ipsi fideles sanctificati perseverantiæ sedulò dant operam: 1 *Joh.* 3, 3, *Quisquis habet hanc spem in Eo* sitam, *purum se conservat, sicut Ipse purus est.* V, 18. *Psal.* 119. 112. 1 *Tim.* 4, 7, 8. Specialiùs verò constanter sese exercent in Verbo Dei; quod efficax medium est ad perseverantiam: *Psal.* I, 2, 3. 2 *Tim.* 3, 14, - 17. Consequenter abnegant se ipsos: hoc enim initio requirit Christus: *Matth.* 16, 24. 1 *Cor.* 9, 27. & sanctimoniæ incumbunt: *Psal.* 119, 43, 44. Imò etiàm assumunt universam armaturam spiritualem, ut subsistant adversùs hostes spirituales: *Eph.* 6, 13, - 18. *Rom.* 10, 13. 14. *Matth.* 26, 41. VI, 13. cum *Joh.* 16, 23. Item 1 *Thess.* V, 23, 24. 2 *Thess.* 2, 11, 12.

XI. *Finis* hujus conservationis *summus & ultimus*,

tem infirmi sumus in nobis ipsis: *Matth.* 26, 41. *Rom.* 8, 26. 2 *Cor.* XII, 6.

Similiter in *precibus* maximam apud se infirmitatem deprehendere solent sanctificati; in quà tamen Sp. Sanctus iis mirum in modum succurrit. *Rom* VIII, 26, 27. *Quid oremus ut oportet, non novimus: sed ipse Spiritus intercedit pro nobis suspiriis ineffabilibus.* - .

Sed *vita spiritualis* robur acquirit, & virtutes Theologicæ incrementa capiunt: ità illi corroborati adversùs hostes subsistunt, & victoriam obtinent; atque in precibus potentes evadunt, Deo dante. *Psal.* 92, 13, 14, 15. *Iustus ut palma florebit: sicut cedrus in Libano multiplicabitur*, &c. *Phil.* 4, 13. *Omnia valeo per eum, qui me corroborat*, nempè *Christum.* Vide etiàm *Ies.* 40, 29, 30, 31. *Zach.* 12, 8. *Mal.* 4, 3. 1 *Thess.* I, 3. 2, I, 3, 4. *Eph.* 4, 16. *Rom.* 8, 37. *Hebr.* XI, 37. *Iac.* 5, 16, 17.

XVII. *Causa efficiens principalis* est Deus omnipotens: *Ies.* 40, 29. 2 *Thess.* 3, 2. Sed juxta specialem œconomiam, Christus Θεάνθρωπος Mediator; idem Deus fortis, nos corroborans: *Ies.* 9, 5. *Phil.* 4, 13. Proximè autem quantum ad ordinem operandi attinet, Spiritus Sanctus: *Rom.* 8, 26.

Media sunt: 1. Adhortationes: *Ios.* I, 6, 7, 9.

2. Lectio, auditio, & meditatio Verbi Divini: 1 *Petr.* 2, 2. *Hebr.* 5, 14. cum 2 *Tim.* 3, 16, 17.

3. Usus Sacramentorum, quæ obsignando Fœdus gratiæ, moraliter hanc corroborationem promovent: *Rom.* 4, 11. 1 *Cor.* 10, 16. cum *Ioh.* 6, 55.

4. Preces ac vota: 1 *Petr.* V, 10.

5. Exercitationes facultatum spiritualium, aliorumque donorum gratiæ: quò pertinet admonitio, 2 *Tim.* 1, 6. & querela. *Ies.* 44, 7.

XVIII. *Finis summus* est ipsius Dei & Christi gloria; Hinc Ipsi, 1 *Petr.* 5, 10, 11. gloria & robur in sæcula tribuitur. *Subordinatus*, redemtorum & sancti-

ſanctificatorum ſalus. *Pſal.* 84. 8. *Ibunt de virtute ad virtutem, donec conſpiciatur* quiſque eorum *ante Deum in Tzÿone. Phil.* 4, 14.

XIX. Pro *praxi*; 1. Ne adversùs præclarum illud Dei & Chriſti nos conſervantis beneficium profana ingratitudine peccemus: 2 *Cor.* 7, 1. Sed seriò expendamus, quæ pœnæ maneant ſanctimoniæ expertes: *Hebr.* XII, 14, 16. *Matth.* VII, 23. XXV, 41. & quomodò ipſi ſanctificati, ubi officia ſua negligunt, & in graviora peccata labuntur, ſæpiùs affligantur graviter; tùm animo, variis terroribus: *Pſal.* 6, 4. tùm corpore, morbis & cruciatibus: *Levit.* 26. 16. *Pſal.* 6, 2, 3. XXXVIII, 2, 3, 4. 1 *Cor.* XI, 31, 32. tùm denique bonis externis, per eorum jacturam: *Levit.* XXVI, 16, 17. *Hoſ.* 2, 8. Iſta nos à defectione abſterreant, & in veram ſanctitatis viam redigant: *Hoſ.* 2, 13. VI, 1. 1 *Cor.* XI, 32. *Hebr.* 12, 10, - 14.

2. Sincerum eſto, ac perpetuum, ſub hâc Dei & Servatoris noſtri gratiâ, ſtudium Ipſi parendi ac placendi: *Rom.* 12, 1. 2 *Theſſ.* 2, 13. Sic methodum ſalutis obtinendæ, Decreto Dei conſtitutam, Euangelio nobis revelatam, variiſque Promiſſionibus confirmatam, obſervemus ſedulò & conſtanter: *Rom.* VIII, 28, -. 1 *Tim.* IV, 7. - 10. *Hebr.* X, 35, 36. *Matth.* XXIV, 13.

3. Agnoſcamus ordinariam illam methodum ſalutis applicandæ: & neceſſitatem atque inſignem utilitatem incrementi ſpiritualis: *Eph.* 4, 16. *Pſal.* 84, 8. *Phil.* 3, 14.

4. Exploremus nos ipſos quouſque modò pervenerimus; & quæ ſint noſtræ vires ſpirituales: *Zeph.* 2, 1. 1 *Cor.* XI, 28. Profectui & corroborationi ſtudeamus ſedulò: *Ioſ.* I, 6, 7, 9. adhibitis potiſſimùm mediis, quæ indicata ſunt ſup. th. 17.

CAP. XVIII.

De Obſignatione.

OBſignatio. Qualis *actus*. *Effectus* proprius. 1. *Cauſa efficiens principalis*. *Media*. *Signa*. 2. *Sacramentum*. Μυστήριον. 3. Illius *definitio*. 4. *Auctor*. *Inſtitutio*. *Promiſſio*. 5. *Subjectum*. *Objectum*. 6. *Forma*. 7. *Prædicationes* Sacramentales. 8. *Fines*. 9. *Efficientia realis* Sacramentis non tribuenda: c. *Pontif*. 10. Sed *obſignatio* promiſſorum Euang. c. *Anabapt*. 11. *Sacramenta*. *V*. T. Ea non erant *figuræ Sacramentorum* N. T. c. *Pontif*. *Obj*. ſolv. Duo *Sacramenta* N. T. 12. *Baptiſmus*. Βαπτίζειν. *Pluribus modis* dicitur. 13. Adminiſtrandus *aquâ verâ & naturali*. Non *conſecratâ per adjurationem*, &c. c. *Pontif*. *Occaſio*. 14. *Modus* ablutionis. 15. *Trina* ablutio. *Formula*. 16. Aquæ *res ſignificata*. 17. *Ritus* triplex. *Res ſignificata*. 18. *Effectus*. 19. Non *ex opere operato*: c. *Pontif*. 20. *Cauſa efficiens princeps*. *Miniſtræ*. *Mandatum*: c. *Socin*. 21. *Baptiſmus Johannis* re ipsâ idem cum *Baptiſmo Diſcipulorum Chriſti*, &c. c. *Pontif*. *Obj*. ſolv. 22. *Quinam baptizare* debeant. 23. Aliqui *nimis coarctant* iſtud jus. 24. Alii *nimis extendunt*: ſpeciatim *Pontificii*. *Obj*. ſolv. 25. *Objectum*. Non baptizandæ *campanæ*: c. *Pontif*. Non *mortui*, &c. 26. Quales *adulti*. 27. Etiàm *infantes fidelium*: c. *Anabapt*. 28. *Objectiones* ſolv. 29. *Casùs* aliqui. 30. *Neceſſitas* præ-

præcepti: c. *Socin. Ob.* ſolv. 31. Non *abſoluta neceſſitas medii.* c. *Pontif. Obj.* ſolv. 32. *Locus. Tempus.* 33. Baptiſmus non *iterandus*: c. *Anabapt.* 34. Sententia *Pontif. Obj.* ſolv. 35. *Cœna Dominica.* Ejus *inſtitutio. Cauſa efficiens primaria. Miniſtra.* 36. *Subjectum.* Panis. Non rectè *Pontificii* adhibent, *minutias farinaceas.* An utendum *azymis. Poculum vini.* 37. Uſus *poculi* neceſſarius: c. *Pontif. Obj.* ſolv. 38. *Conſecratio.* Non fit per verba, *Hoc eſt corpus meum*, &c. c. *Pontif.* 39. *Fractio. Diſtributio* panis. 40. *Miſſæ privatæ.* Panis in *manus* porrigendus. Non *aſſervandus* ad cultum: c. *Pontif.* 41. Ritûs circa *vinum.* Actiones *communicantium.* De *Genuflexione.* 42. *Res ſignificata.* 43. *Forma. Prædicationes ſacramentales.* 44. *Fines.* 45. Comparatio *Miſſæ*; in *nomine*, *Auctore*, *Miniſtris.* 46. In *materiâ. Formâ.* 47. *Traſſubſtantiatio* refutatur, c. *Pontif.* 48. *Objectiones* ſolv. 49. *Conſubſtantiatio* reſut. c. *Luther. Obj.* ſolv. 50. *Sacrificium* Miſſæ refut. c. *Pontif.* 51. *Objectiones* ſolv. 52. Comparatio in *fine*, & *adjunctis.* 53. *Falſa Sacramenta Pontif. Confirmatio.* 54. *Pœnitentia.* 55. *Extrema unctio.* 56. *Ordo.* 57. *Matrimonium.* 58. Sententia *quę Anabapt.* & *Remonſtr.* de Lotione pedum. 59. *Praxis.* 60.

I. SEquitur *Obſignatio*, de quâ 2 *Cor.* I, 22. *Qui* (Deus) *etiam obſignavit nos. Eph.* I, 13, IV, 30. Eſt autem actus gratioſus moralis, quo certis quibuſdam pignoribus & ſigillis, in nobis confirmatur ſublectiva certitudo myſticę communionis

nis Christi & Ecclesiæ ipsius, atque adeò gratiæ salutaris.

Actum moralem dicimus: quia per eam subjectiva certitudo in nobis confirmatur, per quædam pignora & sigilla; quorùm propria efficacia moralis est. *Gratiosum* addimus: quia singularis gratia sic nobis persuadetur, & quidem ex gratiâ ad salutem nostram ordinatâ.

Effectus proprius est subjectiva certitudo mysticæ communionis Christi & Ecclesiæ ipsius; atque adeò gratiæ salutaris.

II. *Causa efficiens* proponitur *tùm* Deus Pater; *tùm* Christus Salvator; *tum* proximè respectû ordinis, Sp. S. 2 *Cor.* I. 21, 22. Deus *obsignavit nos, indiditque arrhabonem Spiritûs cordibus nostris. Gal.* IV. 6. *Eph.* I, 13. IV, 30. Aque ista est *obsignatio interna.*

Media quædam *externa* accedunt à quibus etiam denominatur *obsignatio externa*: *signa* speciatim à Deo ad istum usum destinata.

Signum est ejusmodi res, quæ sensibus primùm percepta, & ad intellectùm delata, huic rem aliam cognoscendam offert. Hæc autem sunt *alia* naturalis; *alia* arbitraria. *Arbitraria vel* ex institutione Divinâ, *vel* humanâ, significant.

Ad nostram considerationem pertinent *signa ex institutione Divina significantia*: quæ, ratione rerum signatarum, sunt *vel* rememorativa rerum præteritarum; *vel* demonstrativa præsentium; *vel* prænunciativa futurarum; *vel* ex his tribus composita. Similiter ratione usûs, *vel* inserviunt intellectui; & sunt signa notificantia: *vel* memoriæ; & sunt commonefacientia: *vel* fidei; & sunt obsignantia: *vel* illis omnibus inserviunt simul. Atque hujusmodi sunt signa & sigilla sacra, quæ vulgò *Sacramenta* appellantur. *Rom.* IV, 11. *Accepit signum Circumcisionis, sigillum justitiæ fidei receptæ in præputio.* Confer *Genes.* 17. 7, 10, 11. *Exod.* 11, 11,-14.

 III. *Sa-*

III. *Sacramenti* vox origine Latina eſt; à verbo *Sacro* deducta. Notabat autem antiquitùs oppignorationem pecuniæ, quæ à litigantibus fiebat in loco ſacro, ea conditione, ut victor deindè pecuniam ſuam auferret, victus verò ſuam apud Pontificem relinqueret. Ita ſacram quandam obligationem ſignificabat. Specialis etiàm iſtius vocabuli uſus erat in militiâ, de juramento, quo ſe milites, ad fidem & obedientiam Imperatori præſtandam, obligabant. Hinc Antiqui Eccleſiæ Doctores videntur vocem illam ad militiam Chriſtianam tranſtuliſſe.

Græcè Μυςήϱιον appellatur; à verbo μύω, *claudo, comprimo*: undè μύςης, *ſacris initiatus*, vel eorum *peritus*. In N. T. itemque in Græcâ Verſione V. T. nec non in Libris apocryphis vox illa aliquoties occurrit: & quidem *generalius* de re arcanâ; *Tob.* 12. 7. *Sir.* 27. 16. 2 *Theſſ.* II, 7. vel *minus generaliter*, de re arcana aliquid ſignificante, *Dan.* 2, 18, 19, 27, 28, 29, 30, 47. *Apoc.* 17, 7. *aut* de re arcana ſacra; *Matth.* 13, 11. *Rom.* 16, 25. 1 *Cor.* XV, 51. 1 *Tim.* 3: 16. *Col.* I, 26, 27. *Eph.* 1, 9. V, 32. vel *ſpecialius*; de re ſacra aliquid ſignificante; *Apoc.* I, 20.

IV. Rem ipſam hìc obviam, & vocabulo *Sacramenti* ſignificari ſolitam, *deſcribimus*, quòd ſit, Sacrum & viſibile ſignum ac ſigillum à Deo & Chriſto in uſum Eccleſiæ militantis inſtitutum, & prædicationi Euangelicæ annexum, ad promiſſa Fœderis gratię ampliùs declaranda atque obſignanda, & fidem ac obedientiam Eccleſiæ confirmandam.

Sacrum & viſibile ſignum ac ſigillum dicimus: quia ipſum ſic in ſensûs externos incurrit, & ſpeciatim oculis conſpicitur, ut rem Deo inſigniter glorioſam ac nobis ſalutarem intellectui offerat; eandem ſc. quæ Verbo Euangelii prædicatur.

V. Hujus *Auctor* neceſſariò Deus eſt; *tum* quia eſt pars Religionis, & ſignaculum Fœderis à Deo inter

ſe

se & electos vocatos erecti. *Genes.* 17, 7, 9. -14. *Exod.* 12, 2, 11, 13, 25, 26, 27. *Matth.* 3, 15. XXVIII, 18, 19. 1 *Cor.* XI, 20, 23, 24, 25, X, 16. Solus enim Deus partes Religionis jure suo constituere potest: *Ezech.* XX, 18, 19. *Ies.* XXIX, 13. *Matth.* XV, 9. *Iac.* IV, 12. Confer *Deut.* IV, 2. XII, 32. *Prov.* 30, 6. Et Omnis ἐθελοθρησκεία damnatur; *Col.* 2, 13. *Levit.* 10, 1, 2. *Tùm* quia ipse solus beneficia promissa efficaciter præstare potest & vult: atque adeò solus eorum præstandorum certa signa & sigilla potest instituere.

Institutio complectitur *mandatum* erga homines, & *promissionem* beneficii Divini.

Hominibus mandata est *administratio* certo quodam modo peragenda, juxta auctoris placitum. Talem administrandi modum & finem intendere debet Minister: 1 *Cor.* 4, 2. *Ierem.* 48, 10. Perperàm tamen *Pontificii* statuunt, efficaciam & essentiam Sacramentorum pendere ex Ministri intentione. Quicquid enim fuerit de intentione Ministri, cùm solus Deus καρδιογνώστης, 1 *Reg.* 8, 39. si externa nobis conspicua administratio, sit institutioni Divinæ consentanea, fideles Sacramentum recipientes bonorum promissorum procul dubio redduntur participes. Hùc applicari potest illud Apostoli, *Rom.* 3, 3, 4. *Quid tùm, si infidi fuerunt quidam? Nùm ipsorum infidelitas fidem Dei cassam reddet? Absit: imò esto Deus verax; omnis autem homo mendax.* Similiter 2 *Tim.* 2, 13. Confer de Ministris per invidiam & contentionem, ac non purè, Euangelium prædicantibus; *Phil.* I, 15, -18.

Administrationi illi respondet aliorum *perceptio*; quæ secundùm institutionem quoque fieri debet: ità quidem ut ipsa signa, eaque integrè, percipiantur; imò & eo modo ac fine, ut requirit Divina institutio.

Accedit *promissio* bonorum spiritualium ac saluta-

rium, Fœdere gratiæ comprehenſorum, cujus ſunt iſta ſignacula: Ità ſc. Verbo, tùm inſtitutionis, tùm promiſſionis, accedente ad Elementum, fit Sacramentum. Verbum inſtitutionis Divinæ efficit ſignum Divinum: Verbum promiſſionis efficit ſigillum.

Ità ſtatim hîc obvia eſt quædam *mutatio*, non ſubſtantiæ, aut eſſentiæ ſigni, in rem ſignatam: ſed relativa mutatio, quâ talis res præter naturam ſuam, ex Divinâ inſtitutione, fit ſignum ac ſigillum rerum iſtiuſmodi ſpiritualium.

VI. *Subjectum* & *quaſi materiam* conſtituit, *tùm* ſubſtantia, metonymicè *elementum* appellata, & res *terrena*, vel etiàm *ſpecies*; *tùm* ritûs, & actiones quædam ſolennes, circa ſubſtantiam illam obſervandæ, juxta inſtitutionem Dei.

Objectum, ſive *res ſignificata*, eſt communio Fœderis Divini, & quidem Euangelici. *Communio* illa *vel* externa conſiderari poteſt, *vel* interna. Quantùm ad *externam*; hactenùs aliqui ſaltem externâ fidei & pietatis profeſſione ſeſe à mundi impuritate ſegrègant, & cultui Divino in Eccleſiâ inſtitutâ obſtringunt: *Deut.* 26, 17, 18, 19. *Exod.* 20, 2. *Pſal.* 81, 9, 11, 12, 14. *Matth.* 13, 41. VIII, 21.

Ad *internam communionem* quod attinet; Deus verè regenitis & fidelibus promittit, ſe ex gratiâ in Chriſto communicaturum iis omnia beneficia ſalutaria, quæ ad vitam & pietatem pertinent. Ità Circumciſio *ſigillum juſtitiæ fidei* appellatur, *Rom.* 4, 11. Vide inſuper *Joh.* 1, 16, 17. 2 *Petr.* 1, 4. Verùm etiàm Deus viciſſim fidem & obedientiam ſinceram ſtipulatur: *Gen.* 17, 1, 2. *Ego Deus omniſufficiens; Ambula coram me, & eſto perfectus. Ponamque pactum meum,* &c. *Marc.* 16, 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, -. 1 *Petr.* 3, 21.

VII. *Quaſi forma* Sacramenti conſiſtit in ſpeciali quâdam relatione talis ſigni ad talem rem ſignatam; ad

ad visibilem significationem & obsignationem Fœderis gratiæ, & communionis etiàm internæ mysticæ ac verè salutaris in isto Fœdere, pro verè fidelibus. Hæc *unio sacramentalis* quibusdam dicitur; quia inter duos terminos intercedit, eosque mutuo respectû quasi unit. Verùm res signata nobiscum potiùs unitur: *Joh.* 6, 56, 57. *Qui edit Meam carnem, & bibit Meum sanguinem, in Me manet, & Ego in eo.* &c. 1 *Cor.* 12, 13. *Gal.* 2, 20. *Eph.* 3, 17. Atque ista rei signatæ nobiscùm unio, signis illis indicatur & confirmatur.

Unio illa Sacramentalis est *relativa*, partim posita in quâdam similitudine signi & rei signatæ: partim in certitudine rei obsignatæ, percipiendæ in legitimo signi usû, secundùm promissionem institutioni annexam. Sic autem signum & res signata simul percipiuntur in usû legitimo; ut patet de Circumcisione, *Gen.* 17, 7, 11. De Paschate, *Exod.* 12, 13. De Baptismo, *Marc.* 16, 16. *Gal.* III, 27. *Rom.* 6, 4. Et de S. Cœnâ, 1 *Cor.* X, 16.

Neque tamen similiter, eodemque instrumento, percipiuntur signum & res signata: sed signum foris visibiliter per Ministrum offertur, & à fidelibus corporaliter accipitur; res verò signata ab ipso Domino intùs confertur; & à nobis spiritualiter per fidem recipitur: *Matth.* 3, 11. *Col.* 2, 11, 12. 1 *Petr.* 3, 21.

VIII. In istâ, quam diximus, relatione, & unione Sacramentali, fundantur *Prædicationes Sacramentales*; quibus nomina & attributa signi & rei signatæ inter se permutantur. Hæc metonymia in aliis signis quoque usurpatur: sic *Gen.* 41, 26, 27. septem vaccæ dicuntur septem anni, cum annorum essent signa. Adde *Dan.* 4, 20, 21. VII, 17, 23, 24. *Matth.* 13, 37, 38, 39. *Apoc.* 17, 9, 12.

Nihil mirum igitur, si in Sacramentis quoque isti-

usmodi locutiones metonymicæ usurpentur. Ità Circumcisio vocatur pactum, cùm esset signum pacti, *Gen.* 17, 13, 11. *Rom.* 4, 11. Similiter de Paschate, *Exod.* 12, 11, 12, 13, 27. Atque item in cæteris Sacramentis, quod est rerum signatarum tribuitur signis; contrà: 1 *Cor.* 10, 4. *Act.* XXII, 16, *Tit.* 3, 5. *Luc.* XXII, 19, 1 *Cor.* XI, 24, 25, 26. X, 16.

IX. *Finis cujus proximus* est significatio & obsignatio mysterii Fœderis gratiæ. Hùc pertinent, *tùm* bona nobis à Deo promissa; *tùm* fidei & obedientiæ nostræ confirmatio. Ex quibus significatio, oblivionem gratiæ; obsignatio verò, diffidentiam atque inobedientiam in nobis corrigit.

Remotus, est Fœderatorum salus, dùm per ea media moraliter fides & obedientia nostra excitantur & foventur. Hactenùs Sacramenta rectè dicuntur *efficacia instrumenta gratiæ.* Quià tamen salutem non præstant immediatè & per se, dicimus, *eorum privationem non damnare, sed contemtum.*

Summus, est gratiæ Dei in Christo gloria; dùm illa his symbolis significatur & obsignatur: quo respectu etiàm metaphoricè *Sacrificia eucharistica* appellantur. Confer *Hebr.* 13, 15, 16. *Rom.* 12, 1.

Finis cui sunt omnes Deo Fœderati in Ecclesiâ visibili ac militante: sed cum hoc discrimine, quòd verè fideles Sacramenta recipiant, ut sigilla justitiæ fidei ipsis imputatæ: *Gen.* 17, 1, 7. *Rom.* 4, 11. *Marc.* 16, 16. *Act.* 2, 38. VIII, 37. 1 *Cor.* XI, 28. Cæteri non item; quoniàm fide justificante carent; sed hypotheticè tantùm, si resipiscerent, & verè in Christum crederent. Vide *Matth.* 3, 7, 8. *Act.* 8, 13, 21, 22. Confer *Jes.* 66, 3. *Hag.* 2, 12,-15. *Rom.* 2, 25, 28. 1 *Cor.* XI, 20, 27, 29, 30.

X. Ex superioribus patet, in excessû peccare *Pontificios*; dùm Sacramentis realem efficientiam tribuunt: & eorum magis proprium dicunt sanctifica-

re,

re, quàm significare: nam 1. Signa disertè appellantur; *Gen.* 17, 11. *Exod.* 12, 13. *Rom.* 4, 11. Hactenùs autem eadem est ratio Sacramentorum V. & N. Test.

2. Realis efficientia iis derogatur; quatenùs externè per Ministros conferuntur. *Matth.* 3, 11. 1 *Petr.* 3, 21. 1 *Cor.* 3, 6, 7.

3. Sacramenta, cum sint corporea, non possunt reali efficientiâ, directè, & per se, agere in animam, substantiam immaterialem; ibique sic effectûs spirituales producere.

4. Realis ista efficientia ad aliam causam refertur satis apertè; ad Christum scil. & Sp. S. qui realiter nobis applicat bona salutaria. *Matth.* 3, 11. *Is qui ponè me venit, validior me est; -- Ipse vos baptizabit Spiritû Sancto & igne.* 1 *Cor.* 6, 11. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini Jesu, & per Spiritum Dei nostri.* *Joh.* 6, 63. *Spiritus est id quod vivificat.*

XI. In defectû verò peccant *Anabaptistæ*; qualemcunque significationem gratiæ Divinæ, & mutuam fidelium contesserationem quidem agnoscentes; non autem obsignationem promissorum Fœderis Euangelici: cum tamen, 1. Deus Circumcisionem instituens, disertè appellaverit Pactum inter se & Abrahamum ac posteritatem ejus; & Fœdus perpetuum, ut futurus esset Deus ipsorum; atque item Signum talis Pacti, *Gen.* 17, 7, 9, 10, 11. sicut & Paulus disertè Sigillum justitiæ fidei appellavit, *Rom.* 4, 11.

2. Similiter Agnus Paschalis obsignavit liberationem, ac potissimùm spiritualem: *Exod.* 12, 11, 12, 13. cum 1 *Cor.* 5, 7. *Joh.* I, 29. XIX, 33, 36. Adde *Joh.* 19, 33, 36. cum *Exod.* 12, 46. *Num.* 9, 12.

3. In Sacramento extraordinario, patres eandem escam spiritualem comederunt, & eundem potum spiritualem biberunt: 1 *Cor.* 10, 4. scil. obsignativè.

4. Ubi

4. Ubi de Sacramentis Novi Testamenti agitur, effectus spiritualis & salutaris iis metonymicè tribuitur, aut cum iis conjungitur; *Marc.* 16, 16. *Act.* 2, 38, 39. XXII, 16. *Rom.* 6, 4. 1 *Cor.* 12, 13. *Gal.* 3, 27. *Eph.* 5, 26. *Tit.* 3. 5. Undè ista obsignatio, & certitudinis subjectivæ in fidelibus confirmatio, iterùm patescit.

XII. De *Sacramentis Fœderi Legali* ante lapsum adjectis diximus sup. cap. 9, th. 120-. *Fœderi gratiæ sub Euangelio promissionis & V.* T. annexa etiam fuerunt Sacramenta, *tùm* ordinaria, *tùm* extraordinaria. *Ordinaria* autem erant vel initiationis, ut *Circumcisio*; vel corroborationis, ut *Agnus* P*aschalis*. Vide sup. cap. 2, th. 21, 22, 23.

Perperàm dicunt *Pontificii*, Sacramenta V. T. differre à Sacramentis *N. T.* ut Typos à suis Prototypis, & Sacramenta V. T. fuisse figuras Sacramentorum *N. T.* Nam 1. fuit eadem gratia salutaris sub V. T. quæ est sub Novo; & consequenter, eadem bona salutaria Sacramentis illis obsignata fuerunt fidelibus istius temporis. Vide sup. cap. 2. th. 15,-18.

2. Etiàm in Sacramentis fuit eadem promissio Fœderis perpetui, & communionis cum Deo: *Gen.* 17, 7, 9. cum *Act.* 2, 38, 39.

3. Idem fuit effectus illorum Sacramentorum pro illis fidelibus, qui est nostrorum pro nobis. Sic Abrahamus disertè dicitur accepisse signum Circumcisionis; sigillum justitię fidei, in præputio ipsi imputatæ; *Rom.* 6, 11. Quod non debet putari solius Abrahami privilegium; cum ad semen ipsius idem quoque Fœdus perpetuum, eademque promissio, evidenter extendatur ibidem *vers.* 11, 12. Quin & ipsi *Pontificii* quandoque Circumcisionem appellant remedium adversûs peccatum originale, &c.

4. Propterea etiàm nostra Sacramenta transferuntur ad fideles V. T.; quòd illi eandem rem significatam

tam habuerint sub aliis symbolis, 1 *Cor.* 10, 1,-4. Et vicissim Sacramenta V. T. transferuntur ad fideles N. T. quatenùs sub aliis symbolis eandem rem spiritualem percipiunt; *Col.* II, 11, 12, 13. 1 *Cor.* 5, 7, 8.

Obj. 1. Circumcisio nihil esse dicitur, 1 *Cor.* 7, 19. & in Christo nihil valere, *Gal.* 6, 15. Ergò. *Resp.* Istîc manifestè agitur de ejus observantiâ citra fidem, & sub N. T. postquàm Lex cerimonialis, unâcum Sacramentis V. T. abrogata fuit,

Obj. 2. Lex cerimonialis solùm complectebatur umbras & typos rerum futurarum: *Ioh.* I, 17. *Col.* II, 17. *Hebr.* 10, 1. 1 *Petr.* 3, 21. Ergò. *Resp.* Corpus sic adumbratum fuit Christus, in carnem venturus, & fundamentalem conditionem salutis reipsâ præstiturus. Verùm ista non fuerunt signa nostrorum signorum, sive Sacramentorum: quanquàm hæc sunt signa analogicè respondentia Sacramentis V. T.

XII. Duo autem sunt *Sacramenta* N. T. Baptismus, & Cœna Dominica: quę duo conjunctim proponuntur, 1 *Cor.* 12, 13, ,, Etenim per unum Spiritum nos omnes in unum corpus *baptizati* sumus, ,, & Judæi, & Græci, & servi & liberi: & omnes ,, *poti* sumus in unum Spiritum. x, 1,-4. Atque alibi ,, ista duo clarè & distinctè commemorantur; non ,, autem plura.

XIII. *Baptismus* est prius N. T. Sacramentum, quo, juxta Verbum institutionis & promissionis Divinæ, per externam corporis ablutionem aquâ factam, insitio in communionem Christi atque Ecclesiæ ipsius, & spiritualis ablutio peccatorum per Christi sanguinem ac Spiritum, fidelibus significatur atque obsignatur.

Βάπτειν, & βαπτίζειν, undè βαπτισμὸς deducitur, notant *mergere* & *tingere*: quæ quia ad lotionem, vel ablutionem adhiberi solent, βαπτίζειν metonymicè etiàm significat *lavare*, vel *abluere*. Ità *Luc.* XI, 38.

xi, 38. Pharisæus admirabatur Christum non *ablutum* fuisse (ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη) ante prandium. Confer *Marc.* 7, 2, 4. atque in Apocryphis, de *Judithâ*, 12, 7.

Hinc 1. magis propriè appellatur Baptismus aquæ, aut fluminis; juxta institutionem, *Matth.* 28, 19. III, 11.

Ac porrò 2. impropriè, Baptismus Flaminis, aut Sp. Sancti; de quo Johannes. *Matth.* III, 11. *Baptizabit vos Sp. Sancto & igne.* *Act.* I, 5. Nam Spiritus Sanctus, ut animam ab inhærente peccato abluat, donisque spiritualibus imbuat, aquæ instar in eam effunditur: juxta *Jes.* xliv, 3. *Joël.* II, 28. *Act.* II, 17. *Zach.* xII, 10,

Atque item 3. Baptismus sanguinis, sive martyrii, & afflictionum in negotio Christi: *Luc.* xII, 50. *Baptismo oportet me baptizari*: &c. *Matth.* 20, 22, 23. Confer *Psal.* 69, 1, 15, 16. xvIII, 17, xxxII, 6.

Nonnulli addunt 4. Baptismum lachrymarum, sive pœnitentiæ. Vide *Luc.* 7, 38.

XIV. *Ablutio* ista aquâ verâ ac naturali peragi debet: sic administravit Johannes Christi precursor, juxta mandatum ipsi factum: *Joh.* 1, 33. *Qui misit me, ut baptizarem aquâ.* Adde *Matth.* 3, 5, 6; 11; 13, 16. *Joh.* 3, 23. Atque ità Baptismum administrandum docuerunt Apostoli ac Discipuli: *Act.* 8, 36. Ubi cùm Philippus & Eunuchus pariter in aquam descendissent, Eunuchus in eâ à Philippo baptizatus est. Adde *Act.* 10, 47. *Eph.* v, 26. Nequaquam igitur aqua rejicienda est, cum antiquis quibusdam hereticis; sive ex vilitatis opinione; sive prætextû verborum *Matth.* 3, 11. *Ipse vos baptizabit Spiritû Sancto & igne.* Obstat institutio istius signi.

Sed & *aquam* illam *vulgarem* fuisse, constat ex allegatis; non consecratam adjuratione, signatione crucis, aut ejus immissione, & olei infusione: hæc enim

utut

utut antiquitatem aliquam habent, non tamen Divinitùs sunt instituta, neque ab Apostolis ac Discipulis Christi usurpata. Quod contra *Pontificios* observandum.

Occasio, cur hoc elementum fuerit mandatum, statim est obvia: aptitudo ad externam corporis ablutionem, quæ aquâ peragitur, & quidem mundâ; insignem ἀναλογίαν habens cum internâ ablutione animæ, quæ sanguine & Spiritû Christi peragitur. *Hebr.* 10, 22, 23. *Adspersione purgatis cordibus à conscientiâ malâ: & abluto corpore aquâ purâ.* Non ergò hîc utendum aquâ lutosâ, arenâ, lacte, &c.

XV. *Ablutio per aquam, vel* immersione ejus qui baptizandus venit peragi potest; *vel* infusione, aut aspersione, aquę in ipsum. *De immersione* satis clara sunt quædam loca; utpotè *Matth.* 3, 6. *Baptizabantur ab eo in Jordane.* 16. *Baptizatus Jesus, ascendit ex aquâ. Joh.* 3, 23. Similiter *Act.* 8, 38. *Descenderunt ambo in aquam, Philippus & Eunuchus,* Confer *Rom.* 6, 3, 4, 5.

Non tamen putandum est, immersionem ad Baptismi essentiam omninò requiri; cùm neque *adspersio*, aut *perfusio*, suis rationibus destituatur: hoc sc. modo vera lotio, sive ablutio, peragitur quoque; atque ità verus etiam est Baptismus. Confer sup. th. 13. Et Scriptura rem significatam *adspersionis* voce etiàm exprimit, *Hebr.* 10, 22. *Adspersione purgatis cordibus à conscientia mala.* XII, 24. Accessistis *ad sanguinem adspersionis*, -. 1 *Petr.* I, 2. *Ad sanctificationem Spiritûs, per obedientiam & adspersionem sanguinis Jesû Christi.* Confer. *Ies.* 52, 15. *Sic asperget gentes multas. Ezech.* 36, 25. *Spargam super vos aquam mundam; & mundabimini. Zach.* 13, 1. In quibus locis, licet ad cerimoniales adspersiones V. T. videatur spectari; ipsa tamen res significata emphaticè sic exprimitur: atque in hoc modo ablutionis conservatur ἀναλογία

necessa-

necessaria, ac proindè etiàm hactenùs Baptismi essentia.

XVI. Primis jam ab excessû Apostolorum sæculis, in usû fuisse deprehenditur *trina mersio*, pro numero trium Personarum Essentiæ Divinæ; *Matth.* 28, 19. Alibi tamen, utpotè in Hispaniâ jàm circa annum Iↄc. *semel* duntaxat mergebant, ad significandam unam Deitatem, atque unam Christi mortem.

Sed neque certa *verborum formula*, quâ inter baptizandum necessario uti debeamus, præscripta est: Christus contentus fuit præcipere, ut Apostoli profecti docerent omnes gentes, baptizantes eos in nomine, vel in nomen Patris, & Filii, & Sp. Sancti; hoc est, eos isto Sacramento per ablutionem initiantes, aut consecrantes, in religionem Dei Patris, & Filii, & Sp. Sancti; ut illius arbitrio viverent, & salutem ab eo expectarent. Non autem præcepit hanc verborum formulam sic necessariò pronunciandam; *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. Confer *Act.* II, 38. VIII, 16. XIX, 4. de Baptismo in nomine Domini Jesû Christi. Id verò cavendum necessariò, ne quo pacto S. Trinitatis confessio aboleatur.

XVII. *Elementum aquæ* in isto usû aquam mysticam significat; sanguinem ac Spiritum Christi: ut enim naturalis aqua, corporis à sordibus mundandi facultatem & usum habet; ità sanguis ac Spiritus Christi, abluendæ animæ à spirituali impuritate peccatorum: 1 *Joh.* I, 7. *Hebr.* 9, 14. *Apoc.* 1, 5. 1 *Cor.* 6, 11. *Ezech.* 36, 25, 27. Confer *Psal.* 51, 4, 9. Peccata sc. sunt maculæ, sordes, & immunditia spiritualis. Ista autem macula annexum habet reatum. Mundatio verò, sive ablutio, ratione reatûs, fit per Justificationem; ratione ipsius maculæ, per Regenerationem & Sanctificationem: quæ beneficia Christus nobis impetravit, sanguine suo pro nobis fuso in oblationem verè expiatoriam. Atque istam virtutem perpetuam redem-

redemtis efficaciter applicat per Spiritum suum.

XVIII. Ad Elementum accedit triplex *Ritus*; Immersio in aquam, aut aspersio vel perfusio aquæ, per quam fit ablutio; 2. Mora aliqua sub aquâ; & 3. emersio, aut aquæ diffluxus, vel abstersio.

In his conjunctim spectatis inest *primò*, quantum attinet ad præterita, commemoratio passionis, mortis, & sepulturæ Christi, atque item resurrectionis ipsius: *Rom.* 4. 25.

Secundò, quod ad bona præsentia attinet, immersio in aquam demonstrat & obsignat, quemadmodùm & adspersio vel perfusio aquæ, conjunctionem & unionem mysticam cùm Christo, ut capite; & cum Ecclesiâ, ut corpore ipsius: 1 *Cor.* 12, 13. *Per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus. Gal.* 3, 27, 28.

Si verò magis distinctè consideremus, quomodò aquam subeamus, ac deindè iterùm ex eâ prodeamus, demonstratur & obsignatur peccati ac veteris nostri hominis mors ac sepultura cum Christo; quòdque vivificati, novi, justi, ac mundi, ipsius virtute reddamur: *Rom.* 6, 3,-6. *Coll.* II, 11, 12, 13.

Ablutio quæ interim peragitur, clariùs designat gratiam justificantem, & simul renovantem ac sanctificantem: *Act.* 2, 38, 39. *Baptizetur unusquisque vestrûm in nomen Jesû Christi, in remissionem peccatorum: & accipietis donum Spiritus Sancti. Vobis enim facta est promissio,* &c. XXII, 16. *Surgens baptizator, & abluitor à peccatis tuis. Eph.* 5, 25, 26. *Tit.* III, 5. *Hebr.* 9, 14. X, 22, 23. XII, 24. 1 *Petr.* 1, 2. 1 *Joh.* 1, 7. *Apoc.* I, 7.

Porrò, quia mundi ex aquâ prodimus, Justitiâ Christi & luce Sp. Sancti, ut veste splendidâ, circumfusi; hinc in Baptismo *Christum induere*, dicimur, *Gal.* 3, 26, 27. Confer *Jes.* 61, 10. *Zach.* 3, 4, 5. Itemque *Eph.* II, 22, 23, 24. 1 *Joh.* I, 7.

Tertiò, quod ad beneficia futura; ſicut ex aquâ ſalvi prodimus, ſimul ſymbolicè nobis ſignificatur & obſignatur liberatio & tranſlatio noſtrî ex hujus mundi calamitatibus in cœleſtem gloriam: *Marc.* 16, 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſervabitur.* 1 *Petr.* 3, 20, 21. & ſpecialiùs reſurrectio ad vitam æternam: *Rom.* 6, 5. *Nam ſi cum eo* (Chriſto) *plantati coaluimus aſſimilatione mortis ejus, nimirùm etiàm reſurrectionis* aſſimilatione *coaleſcemus* 8, 11. 1 *Cor.* 15, 22.

Quartò nobis ob oculos ponitur geminum officium; 1. Veteris hominis mortificatio, & ſtudium ſanctimoniæ: *Rom.* 6, 3, 4, 6. *Col.* 3, 3, -5. .2. Quia in unum corpus, & in communionem ejuſdem Spiritûs, ſumus baptizati, neceſſum eſt nos ſub uno capite Chriſto, & per unum eundemque Spiritum, concordes vivere in charitate: 1 *Cor.* 12, 13, 14, 15. *Per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati ſumus*, &c. *Eph.* 4, 3, 4, 5.

XIX. *Effectus* Baptiſmi potiſſimùm eſt receptio in Fœdus gratiæ, & quidem in Eccleſiâ inſtitutâ, ſecundùm œconomiam N. T.; ſic tamen ut ipſa communio myſtica in legitimâ Sacramenti receptione ſimul ſignificetur & obſignetur. 1 *Cor.* 12, 13. Quemadmodùm Circumciſio pactum Dei, & ſignum ejus appellatur, *Gen.* 17, 10, 11.ità nunc de Baptiſmo tenendum, qui in illius locum ſucceſſit: indè nos ſpirituali Circumciſione dicimur circumciſi per Baptiſmum; *Col.* II, 10, 11. Confer 1 *Joh.* 5, 8. Ità Baptiſmus teſtificatur communionem Fœderis gratię.

Iſta Fœderis communio 1. ponit gratiam Regenerationis: undè Lavacrum regenerationis appellatur, *Tit.* III, 5.

2. Præſtat gratiam Juſtificationis peccatorum Remiſſionem, & jus vitæ æternæ: *Marc.* 16, 16. *Act.* II, 38.

3. Hinc fluit actualis noſtrî Renovatio; ac ſanctificatio.

ficatio. Sic *Tit.* 3, 5. conjunguntur Lavacrum regenerationis, & Renovatio Sp. Sancti. Adde *Act.* 2, 38.

4. Comprehenditur etiàm Adoptio in filios, atque adeò jus hæreditatis cœlestis: *Gal.* 3, 26, 27. *Rom.* 8, 17,

XX. Non tamen realis, aut formalis, istorum beneficiorum efficientia ipsi externo huic Sacramento convenit; sed Sp. Sancto, quí quod sanguine Christi nobis partum est, applicat efficaciter, atque eadem ista bona hoc Sacramento significantur & obsignantur.

In excessû igitur hîc peccant *Pontificii*, qui Baptismo tribuunt realem efficientiam ex opere operato: atque itá âquam supra naturam ad talem effectum elevari existimant. His opponimus:

1. Sacramenta communiter sunt signa & sigilla; undè similiter de efficientiâ Baptismi judicandum est.

2. Aqua Baptismi non potest gratiam spiritualem per se producere realiter; cùm sit materialis, & finitæ virtutis. Vide sup. th. 10.

3. Gratia spiritualis ad rectè ordinátum hujus Sacramenti usum præsupponitur: atque itá statuendum saltem judicio charitatis. Sic de Baptismo disertè, *Marc.* 16, 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit,* &c. Fides ergò naturâ prior est. *Act.* 2, 39. ad liberos fidelium, etiàm ante ipsorum Baptismum, extenditur promissio. Vide porrò *vers.* 41, VIII, 37, 38. X, 36, 45, 47. Confer *Rom.* 4, 10, 11. cum *Col.* 2, 11, 12. itemque 1 *Cor.* 7, 14. Quin & latro pœnitens, *Luc.* 23, 42, 43. sine Baptismo salvatus est.

4. Contrà verò, ad Baptismum externum non semper sequitur remissio peccatorum, & gratia salutaris: ut patet exemplo Simonis Magi; *Act.* 8, 13, 21.

XXI. Sacramenti hujus *Causa efficiens princeps* absolutè est ipse Deus; κατ' οἰκονομίαν verò Christus

Mediator. *Miniſtra* primùm fuit Johannes Chriſti πρόδρομος; hinc *Baptiſta* dictus: deindè Apoſtoli, aliique ad docendum & baptizandum miſſi. Sic de Johanne illo extat, *Joh.* 1, 33. quòd ipſe dixerit: *Qui miſit me ut baptizarem aquâ*, &c. Confer *Luc.* 3, 2, 3. VII, 30. *Matth.* 21, 25. Itemque III, 5, 6, 13, - 17. *Luc.* 3, 21 22. Chriſtus autem jàm aſcenſurus in Cœlum, *Matth.* 28, 18, 19, 20. *accedens* ad Apoſtolos *locutus eſt eis, dicens: Data eſt mihi omnis auctoritas in cœlo & in terrâ. Profecti ergò diſcipulos facite omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.*

Rejiciendus igitur eſt error *Socinianorum*, quòd ex ſcriptis Apoſtolorum & Euangeliſtarum demonſtrari non poſſit, vel Johannem, vel Apoſtolos, à Deo, aut Chriſto, in mandatis accepiſſe ut baptizarent: quibus ex parte ſaltem præiverunt *Pontificii*, contendentes, Baptiſmum Johannis ſic appellari, non quòd Johannes Miniſter tantùm ejus fuerit, ſed etiàm Auctor: imò inſuper, ſi ritum & effectum ſpectemus, Baptiſmum illum nihil habuiſſe, niſi humanum.

XXII. Nos contrà *aſſerimus*, 1. Baptiſmum Diſcipulorum Chriſti & Johannis convenire causâ efficiente principali, Deo. Idem planè de Johannis Baptiſmo probatum eſt modò; nec dubitari poteſt de Baptiſmo Diſcipulorum Chriſti: Deus autem Pater locutus eſt per Filium; *Hebr.* 1, 1. eique non ex menſurâ dedit Spiritum; *Joh.* 3, 34.

Obj. Atqui vocatur aliquoties *Baptiſmus Johannis*: Ergò. *Reſp.* Ità tunc denominatur à Miniſtro: ſimiliter ut Paulus dicit, *Rom.* II, 16. *Ex meo Euangelio.*

Aſſerimus 2. utrumque Baptiſmum convenire materiali; elemento aquæ. Vide ſup. th. 14.

Atque etiam 3. formali relatione ſcil. ad rem ſignificatam & obſignatam: uterque enim reſpexit reſipiſcentiam & fidem, tanquàm conditionem; & remiſſionem

missionem peccatorum, tanquàm fructum. Sic de Baptismo Johannis, *Marc.* 1, 4. & *Luc.* 3, 3. *Venit prædicans baptismum resipiscentiæ, ad remissionem peccatorum.* Similiter *Actor.* 19, 4, Confer *Luc.* 1, 76, 77. Atque Item de Baptismo Christi, *Act.* II, 38. XXII, 16.

Obj. 1. Baptismus Johannis vocatur *Baptismus pœnitentiæ*, aut *resipiscentiæ:* Ergò solùm genuit pœnitentiam; atque ità disposuit ad Baptismum Christi. *Resp.* Imò prærequirebatur resipiscentia, & sic administrabatur *in remissionem peccatorum;* præmissâ etiàm doctrinâ fidei in Christum: *Marc.* I, 4. *Matth.* III, 1, 2, 3, 6, 7. *Luc.* III, 3, 7, 8. *Act.* 19, 4.

Obj. 2. Johannes se aquâ baptizare dixit; Christum verò baptizaturum Spiritû & igne, *Matth.* 3, 11. *Resp.* Vox Baptismi istic sumitur diversimodè: in priori enim membro agitur de ipso Baptismo aquæ; in posteriori de Baptismo Spiritûs Sancti. Prius membrum ad externum morale ministerium pertinet; posterius ad internam rem signatam

Interim differt Baptismus Johannis à Baptismo Apostolorum, 1. ratione temporis: nam Johannes fuit Christi πρόδρομος, præiens ante faciem Domini, ut pararet ejus viam: *Luc.* 1, 76. *Marc.* 1, 2, 3, 4. *Matt.* 3, 11. cum *Joh.* 1, 29. Sic in Johanne fuit finis veteris dispensationis, & aliquod initium novæ. 2. Ratione auctoris; Baptismus Johannis à Deo quidem fuit institutus: non tamen à Christo Mediatore, ut in carne manifestato. Sed hoc modo à Christo mandatus est Baptismus Discipulorum. 3. Ratione adjunctorum; cum Baptismo Apostolorum uberior mensura Spiritûs conjuncta fuit: sæpè etiàm communicatio charismatum extraordinariorum: *Act.* 19. 3, 4.

XXIII. Quantum ad *Baptismum Discipulorum Christi;* Christus Mediator in carne manifestatus, ac munus suum jàm palàm obiens, discipulis suis Baptismum

administrandum præcepit ante extremam passionem suam, cùm eos solùm misit ad perditas oves domûs Israëlis: *Matth.* 10, 5, 6, 7. cum *Joh.* 3, 26. IV, 1, 2. Deindè verò post resurrectionem, jàm in cœlum ascensurus, doctrinam Euangelii, ut & Baptismum, ad omnes gentes extendit: *Matth.* 28, 19, 20.

Christus autem Baptismi administrationem non solùm Apostolis mandavit; sed & omnibus ordinariis Verbi Divini Ministris, per quos Apostolorum Ministerium quantum ad rem ipsam, continuatur: sic enim in Sacramenti hujus institutione, ejus administratio disertè conjungitur cum Verbi prædicatione *Quod* autem *Deus conjunxit, homo ne separet*: *Matth.* 19, 6.

Hinc 2. de iisdem Ministris, 1 *Cor.* 4, 1. *Sic de nobis reputet homo, ut de Ministris Christi, & Dispensatoribus Mysteriorum Dei.* Istis autem Mysteriis Sacramenta quoque sunt accensenda. Confer *Rom.* 10, 15.

3. Sigillo Principis nemo uti debet, ad aliquid ipsius auctoritate obsignandum, & confirmandum, nisi hoc ei mandatum fuerit. At hìc nullis aliis istiusmodi mandatum datum est.

4. Accedunt exempla in SS. Literis commemorata. De Johanne Baptistà dictum est satis. Similiter de Apostolis & Discipulis Christi; *Joh.* 3, 26. IV, 1, 2. *Actor.* II, 38, 41. VIII, 26, 29, 38. IX, 10, 11, 17, 18. XXII, 16, XVI, 14, 15, 32, 33. 1 *Cor.* I, 14, 16.

XXIV. Jus istud nimis *coarctant*, qui in baptizaturo requirunt, 1. vocationem legitimam; 2. doctrinam rectam; & 3. vitam puram.

Quod enim ad *primam conditionem* attinet; Ministrum quidem legitimè vocatum esse oportet, respectû conscientiæ ipsius: si tamen quid secùs initio fuerit factum, atque interim ille Ecclesiâ acquiescente Ministerio fungatur, & aliquos baptizet, hi pro legitimè baptizatis haberi etiàm debent.

Quod

Quod ad *secundam*; ubi essentialia fidei Christianæ, atque ipsius Baptismi, servantur, non est Baptismus pro nullo habendus.

Quantum denique ad *tertiam*; Minister procul dubio pietati ac sanctimoniæ debet operam dare: 1 *Tim.* III. 2. *Tit.* I, 7. At si peccata ipsius clandestina sint, aut Minister disciplinâ Ecclesiasticâ necdùm coërcitus & prohibitus, tenendum est istud vulgatum;

Vim Sacramenti non mutat vita Ministri.

Sic rebaptizari non oportuit eos, qui à Judâ proditore, unà cum aliis Discipulis Christi functionem sacram obeunte, fuissent baptizati. *Quid tùm enim, si infidi fuerunt quidam; nùm ipsorum infidelitas fidem Dei cassam reddet?* *Rom.* 3, 3. Confer *Matth.* 23, 2, 3. *Phil.* I, 16, 18.

XXV. Alii nimis *extendunt* jus baptizandi, dùm illud Laïcis, etiàm fæminis, vel pueris ludentibus, aut infidelibus, & non baptizatis, quoque tribuunt,

Contra istos *asserimus primò*, nullum laïcis, nedùm mulieribus, jus esse baptizandi: cùm ejus rei nullum mandatum, nullum exemplum, extet in Sacris Literis. Hùc accedit, quòd etiàm fæminis interdictum sit palàm in Ecclesiâ loqui; 1 *Cor.* 14, 34, 35. 1 *Tim.* II, 11, 12. Et quòd *Pontificii*, hìc à nobis dissentientes, Sacramentum Eucharistæ nequaquàm concedant Laïcis administrandum: atqui idem est utriusque Sacramenti Auctor, & iidem utriusque Ministri instituti.

Obj. 1. Zippora, Mosis uxor, filium suum circumcidisse legitur, *Exod.* 4, 25. *Resp.* 1. Factum istud aliis etiàm adjunctis, utpotè convitiis & obmurmuratione, vitiatum, non probat jus. Quid, quòd præsente marito, primario Dei Prophetâ, id agere fuerit ausa? Certè, per Adversarios nulla mulier præsumeret baptizare sub Episcopi oculis. 2. Circumcisio instituta fuit tempore Abrahami, antequàm ordinaria rerum sacrarum administratio ità esset circumscripta & limitata, ut fa-

ctum posteà sub V. T. atque etiam sub N.

Obj. 2. Petrus *Actor.* 10, 48. jussit eos, qui in domo Cornelii Spiritum Sanctum acceperant, baptizari. Ergò. *Resp.* Non dicitur, id factum per fideles Laïcos. Nos potiùs factum intelligimus, si non per ipsum Petrum, saltem per Euangelistam, aut alium aliquem Verbi Ministrum.

Asserimus secundò, sacra ludum nequaquàm fieri oportere; & Baptismum sic datum differre à vero, quantum histrio à rege quem repræsentat.

Atque item *tertiò*, neutiquàm pro vero Baptismo habendum esse, qui à Muhammedano aliquo, similive infideli, esset collatus: cùm talis homo hactenùs non sit idoneus Baptismum accipere, nedùm aliis eum conferre.

XXVI. Nunc de *objecto* videamus! Requiritur, ut saltem sit homo, & quidem vivens, cui conferetur Baptismus. Hoc exigit,

1. Institutio Christi; *Matth.* 18, 19.

2. Praxis Johannis Baptistæ, & Discipulorum Christi.

3. Finis Baptismi; obsignatio gratiæ regenerantis & justificantis.

4. Analogia aliorum Sacramentorum, tùm V. tùm N. Test.

Rejicimus igitur *primò* Baptismum campanarum; quem *Pontificii* solent adhibere, nomina hominum iis indentes, adscitis etiàm testibus.

Rejicimus deindè Baptismum mortuorum; ad quem referimus Baptismum viventium loco ac vice mortuorum: cùm Sacramentum istud mortuis prodesse non possit. *Eccl.* XI, 3.

Id tamen fecisse leguntur antiqui nonnulli hæretici. Nec desunt qui existiment, Apostolum spectâsse istum morem. 1 *Cor.* 15, 29. *Quid facient* βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, &c. Loci istius variæ quidem

dem adferuntur explicationes. Mihi verò præ cæteris placent istæ, quarum una Baptismum sanguinis & persecutionum, super statû mortuorum, eorumque resurrectione, intelligit. Vide seqq. *verss.* 30, 31, 32. cum *Act.* 23, 6. XXIV, 21. XXVIII, 20. Altera accipit ipsum Baptismum fluminis, sive aquæ: quatenùs, tanquàm mortui cum Christo, aquam subimus. *Rom.* 6, 3. *Consepulti igitur Ei sumus per Baptismum in mortem.*

XXVII. *Baptizandi* autem *tùm* adulti, *tùm* infantes fœderati. Sed *adultos* priùs in Religione Christianâ institui, & fidem ac resipiscentiam profiteri oportet. Hoc patet, 1. ex solenni illâ institutione Baptismi, *Matth.* 28, 19. *Marc.* 16, 15.

2. Ex adjunctâ promissione, & oppositâ commi-natione, *Marc.* 16, 16.

3. Ex praxi Johannis Baptistæ, & Apostolorum; *Matth.* III. 1, 2. &c. *Act.* II. 38, 41. &c.

Propterea 4. *Hebr.* 6, 2. fundamento Resipiscentiæ ab operibus mortuis, & Fidei in Deum, adjicitur Baptismatum doctrina.

Nullum interim discrimen faciendum est gentis, nationis, sexûs, aut qualiscunque conditionis externæ: *Gal.* III. 27, 28.

XXVIII. Ad *infantes* quod attinet; eos qui parentibus fidelibus, aut saltem alterutro fideli, nati sunt, etiàm baptizandos esse, asserimus contra *Anabaptistas.*

Argumentamur autem 1. à Fœdere gratiæ, ejusque promissis. Sic enim *Actor.* II. 38, 39. Petrus ad Judæos corde compunctos, & salutare consilium rogantes: *Resipiscite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomen Jesu Christi, in remissionem peccatorum: & accipietis donum Spiritus Sancti. Vobis enim facta est promissio, & liberis vestris, & omnibus longè post futuris, quoscunque videlicet advocaverit Dominus Deus noster.*

Quibus facta est promissio Fœderis gratiæ, illi sub N. T. debent baptizari in remissionem peccatorum. Hæc enim est illatio Apostoli. Porrò autem subsumit; Istis Judæis corde compunctis, unâ cum liberis ipsorum, factam esse promissionem, &c. Undè pro conclusione sequitur; illos baptizandos fuisse, unâ cum liberis ipsorum. Quòd autem *infantes* debeant intelligi eodem Fœdere comprehensi, patet ex verbis Fœderis, *Gen.* XVII, 7, 11, 12. ubi institutum, ut infantes masculi octavo die propterea circumciderentur.

2. Ex solenni institutione Baptismi pro Sacramento initiationis, in locum Circumcisionis. Sic enim extat *Matth.* XXVIII, 19, 20. *Profecti ergò discipulos facite* (μαθητεύσατε) *omnes gentes; baptizantes eos in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Docentes eos observare omnia quæ præcepi vobis.* Christus tria mandavit; ex universis gentibus sibi discipulos quasi in scholam colligi; hos baptismo initiari; & doceri observationem omnium quæ ipse præcepit. Ab istâ initiatione per Baptismum infantes Fœderati minimè excluduntur; imò verò in eâ includuntur; ut patet ex constitutione illâ *Genes.* XVII. 7, 11, 12. ubi de Circumcisione, Sacramento initiationis. Quod verò Baptismus Circumcisioni successerit; & res eadem, quæ olim Circumcisione significata fuit, nunc nobis Baptismo significetur, clariùs etiàm patet, ex *Col.* II. 2, 12, 13. ubi Apostolus Legis cerimonialis, & speciatim Circumcisionis pro N. T. abrogationem eò probat; quòd fideles N. T. rem Circumcisione olim significatam, haberent sibi modò significatam Baptismo. Gratia enim sub N. T. non est coarctata; sed latiùs extensa, quàm fuit sub V. T. *Gal.* III. 28.

3. A gratiâ Spiritûs Sancti. Qui enim Spiritûs Sancti sunt participes, hos quoque baptizari oportet;

tet; docente Petro, *Act.* 10, 47. *Num quis aquam prohibere potest, quô minùs baptizentur isti, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sic ut & nos?* At verò Infantes Fidelium sunt quoque participes Spiritus Sancti: sic enim *Sancti* dicuntur, 1 *Cor.* VII. 14. Quòd autem hæc sanctimonia etiàm salutaris sit, liquet ex sententiâ ipsius Christi, *Matth.* XIX. 14. *Marc.* X. 14. *Luc.* XVIII. 16. *Sinite puerulos venire ad me; & ne prohibete eos: talium enim est regnum Dei.* Qui jus cœlestis beatitudinis habent, iidem ex naturali miseriâ liberati sunt; Spiritum Christi habent, & per eum regeniti sunt: *Rom.* VIII. 8, 9. *Joh.* III. 3, 5.

4. A communione cum Christo, & Ecclesiâ ipsius; in quâ etiàm includitur spiritualis ablutio, res Baptismo significata: cùm autem illa infantibus fidelium quoque conveniat, jam signum ipsum, & per istud insitio in communionem Christi atque Ecclesiæ, non debet iis negari. Antecedens de infantibus fidelium patet, *Joël.* II. 16. *Congregate populum, sanctificate congregationem, coadunate senes, congregate parvulos & sugentes ubera. Ezech.* XVI. 20. *Tulisti insuper filios tuos, & filias tuas, quos generâsti Mihi,* &c. Adde *Deut.* XXIX. 10, 11. *Gal.* II. 15. 1 *Cor.* VII. 14. Ità palàm infantes Ecclesiæ, & communioni gratiæ in eâ, accensentur. Hanc verò communionem, & in eâ purificationem, obsignat nunc Baptismus: undè *Actor.* II. 41. *Qui libenter receperunt sermonem ejus, baptizati sunt; & additæ sunt Ecclesiæ die illo animæ quasi ter mille.* Confer *Rom.* VI. 3, 4. 1 *Cor.* XII. 13. *Gal.* III. 27. *Eph.* V. 25, 26. Ad Ecclesiam igitur, omnesque communionis istius verè participes, pertinet etiàm Baptismus, lavacrum aquæ, quo Verbum promissionis obsignando singulis applicatur. Confer etiàm exemplum extraordinarii illius Baptismi sub V. T. 1 *Cor.* 10. 1, 2.

XXIX. *Obj.* 1. Nusquàm extat in SS. Literis, quòd

quòd Apoſtoli Infantes baptizârint. Ergò *Reſp.* Κατὰ λέξιν id quidem non extat; ut neque extat, eos fæminas ad Sacram Cœnam admiſiſſe. Quemadmodùm tamen de poſteriori non dubitant Adverſarii, ſic neque de priori nos dubitare oportet. Vide interim exempla familiarum baptizatarum, ſine reſtrictione ad adultos; *Act.* 16, 15, 33. 1 *Cor.* 1, 16.

Obj. 2. In hominibus ad Eccleſiam inſtitutam adſciſcendis, eique per Baptiſmum initiandis, præcedit inſtitutio, & ipſorum fides: *Matth.* 28. 19. *Marc.* 16, 16. *Reſp.* Iſtud de adultis intelligendum eſt: ſed eâdem operâ quoque μαθητεύονται, diſcipuli fiunt, atque in familiam & ſcholam Chriſti introducuntur, & adſciſcuntur, eorum infantes.

Obj. 3. Eâdem ratione forent infantes etiàm admittendi ad Cœnam Dominicam: quod abſurdum. Ergò. *Reſp.* Cum res Baptiſmo ſignificata ad infantes quoque pertineat, atque hi Baptiſmi capaces ſint, ab eo prohiberi non debent: aliter res habet in ſacrâ Cœnâ, Sacramento nutritionis; ad cujus participationem prærequiritur etiàm debita ſui exploratio; 1 *Cor.* XI, 28. cujus infantes non ſunt capaces.

Obj. 4. Si Baptiſmus ſucceſſiſſet in locum Circumciſionis, nihil opus fuiſſet circumciſos adhùc baptizari. Abſurdum verò eſt conſequens. Ergò. *Reſp.* Quamvis Baptiſmus Circumciſioni ſucceſſerit in N. Teſt.; tamen qui fuerant in infantiâ circumciſi, deindè etiàm ineunte N. Teſtamento baptizati ſunt, ut ipſorum tranſitus in iſtam œconomiam, iſto Sacramento obſignaretur.

Obj. 5. Infantes nondùm intelligunt uſum & efficaciam Baptiſmi; ſic Pædobaptiſmus ferè ſimilis eſt Baptiſmo campanarum, apud *Pontificios*. *Reſp.* Longè diſpar eſt ratio: nam res ſignificata ad infantes fœderatos etiàm verè pertinet; minimè verò ad

campa-

campanas. Et Infantes, ubi adoleverint, gratiam Baptiſmò ſibi ſignificatam & obſignatam ipſi intelligent. Confer *Joh.* 13,7. cum *Pſal.* 22, 10, 11. Neque omittendum, quòd parentes eô magis admoneantur atque incitentur ad liberos iſtos piè educandos: *Deut.* 6,7, 20. *Eph.* 6,4. 2 *Tim.* 3, 15. Quid, quòd iſtud argumentum æquè olim contra Circumſionem infantium urgeri potuiſſet, ut nunc contra eorum Baptiſmum?

XXX. Quæ ſic aſſerta atque defenſa ſunt; non ſtatim referri debent ad *fœtûs nondùm natos*, aut *ex parte tantùm natos*: cum tales ſeparatim per ſe ad Eccleſiam inſtitutam referri nondùm poſſint.

Partûs autem *monſtroſi*, ſuperioribus ſaltem partibus, ac potiſſimùm capite, rationis domicilio, humanam naturam retinentes, non debent à Baptiſmo prohiberi.

Quemadmodum neque *ſpurii*, parentibus, fide ac reſipiſcentiâ non omninò deſtitutis, nati. Locus *Deut.* XXIII. 2. reſtringendus eſt ad Politiam Iſraëliticam: neque ſic accipiendus, quaſi ſpurii, aliique iſtìc commemorati, ab omni gratiâ ſalutari, ejuſque obſignatione per Sacramenta, fuiſſent excluſi.

Ad *Infidelium libros* quod attinet; cùm Baptiſmus ſit ſignum Fœderis inter Deum, & inter nos ac ſemen noſtrum, undè infideles alieni ſunt; ſequitur, tales liberos non eſſe ad Baptiſmum admittendos, niſi parentum alteruter ſaltem ad fidem convertatur; 1 *Cor.* 7. 14.

Similiter neque baptizandi ſunt *liberi hæreticorum apertorum*, à fundamento fidei Chriſtianę verè aberrantium: aliter tamen ſtatuendum de illis, qui fundamentum ſervant, licet erroribus aliis implicentur.

Quantum verò ad *excommunicatos*, ſi ſaltem alteruter parentum reſipiſcat, & Eccleſiæ reconciliari ſeriò ſtudeat, liberi à Baptiſmo excludendi non ſunt.

Si

Si quis *infantes expositos* sustulerit, & non subsit probabilis metus, ne sint parentibus Judæis, vel Muhammedanis, aut aliter prorsùs infidelibus nati, parentum ἀστοργία videbitur compensanda pietate & στοργῇ communis matris Ecclesiæ, atque eorum qui infantes expositos ex commiseratione tollunt.

Qui verò parentibus quidem non Christianis nati sunt, sed jure belli, emtionis, donationis, simili ve aliquâ ratione, in potestatem Christianorum venerunt: tutius videtur, si priùs doceantur Religionem Christianam, deindè autem editâ ejus confessione baptizentur.

XXXI. Nunc de *Baptismi necessitate* videamus! Nos non solùm *necessitatem expedientiæ* asserimus; respectû insignium ejus utilitatum atque effectuum: sed & *necessitatem præcepti Divini*; ut sine gravi culpâ negligi non possit. Rejicimus igitur contrarium errorem *Socinianorum*, contendentium, aquæ Baptismum non habere præceptum Christi, aut saltem non perpetuum & universale.

Argumentamur autem 1. Ex ipsâ Baptismi institutione; *Joh.*I,33. *Matth.*28,18,19,20. *Marc.*16,15,16.

2. Ex praxi Johannis Baptistæ, & Discipulorum Christi secundùm istud mandatum: *Matth.*III,11,13,15,16. *Joh*,III,26. IV,1,2. *Act.*II,38,39,41. VIII,38. X.47,48. XVI,15,33. 1 *Cor.*I,14,16. *Eph.* 4,5,6. *Hebr.* 6,1,2.

3. Ex utilitate, non solùm pro Ecclesiâ Christianâ sub initiis N. T. primùm instituendâ; sed etiàm deinceps: *Rom.* VI,3,4. 1 *Cor.* XII,13. *Gal.* III,27. *Col.* II,11,12. *Eph.* 5,25,26. Item *Marc.*I,4. *Act.* II,38. XXII,16. *Tit.* III,5.

4. Propterea qui Baptismum Johannis olim rejecerunt in primis istis initiis dicuntur consilium Dei adversùs seipsos rejecisse, *Luc.* VII,30. Quantô magis istud dicendum, post solennem præcepti istius iterationem,

tionem, & ampliorem extensionem, additis etiàm promissionibus præstantissimis?

Exc. Matt. 28, 19. *Marc.* 16, 16. agitur de doctrinâ & initiatione, sine ablutione, per aquam. *Resp.* 1. Imò propria vocabulorum significatio non est temerè deserenda. 2. Praxis Apostolorum eam confirmat. 3. Vox *Baptismi* doctrinam & institutionem sine ablutione in SS. Literis non significat. 4. Etiàm istic doctrina satis disertè adjungitur Baptismo, tanquam res aliqua distincta.

Obj. 1. Verus Christianismus, ac vita spiritualis, in homine interiori propriè consistit. Ergò nihil opus est Baptismo aquæ. *Resp.* Neg. consequ. cùm vita spiritualis actibus externis se quoque exerat ac demonstret; & adminiculis externis etiàm producatur, foveatur, promoveatur, Verbo sc. & Sacramentis: undè ipsi *Sociniani* usum Cœnæ Dominicæ aliquo modo agnoscunt & retinent.

Obj. 2. Johannes dixit *Matth.* III, 11. Christum baptizaturum Spiritû & igne. Ergò *Resp.* Hoc dixit de Baptismo interno, quem Christus confert: sed non dixit, quòd Christus esset abrogaturus Baptismum aquæ

Obj. 3. Paulus negat, se missum fuisse ad baptizandum: 1 *Cor.* I, 17. Ergò. *Resp.* Apostolus non loquitur absolutè, sed comparatè: quòd esset potiùs & principaliùs missus ad euangelizandum, quàm ad baptizandum. Confer *Hos.* 6, 6. *Joh.* 6, 27. Nam etiàm ipse aliquos baptizavit; *vers.* 16.

XXXII. Non tamen agnoscimus *absolutam necessitatem medii* in Baptismo, acsi qualiscunque ejus privatio hominem necessariò damnaret. Nam 1. Gratia salutaris per Baptismum non confertur; sed ad eum præsupponitur, & per eum obsignatur. In quibus vera fides est cum resipiscentiâ, si adulti fuerint; aut Spiritus fidei ac resipiscentiæ, si sunt infantes; atque

adeò

adeò Baptiſmus interior, & ſpiritualis ablutio peccatorum, per Chriſti ſanguinem ac Spiritum; illi, ſecundùm Euangelium, non poſſunt ab æternâ ſalute excludi. Sed in quibuſdam, citra Baptiſmum morientibus, iſta bona inſunt. Ergò, &c.

2. Deus etiàm eſt Deus ſeminis noſtri: *Gen.* 17, 7. ad liberos quoque pertinet iſta promiſſio: *Act.* 2, 39. Confer 1 *Cor.* 7, 14. *Matth.* 19, 14. Ergò gratia ſalutaris confertur etiàm citra Baptiſmum.

3. Mares ante octavum diem, & ſic citra Circumciſionem, morientes ſub V. T. aliique in quibus gravi de cauſâ aliquandiu omiſſum fuit iſtud Sacramentum; *Joſ.* 5, 5. atque item feminę; non tamen idcircò excludebantur à ſalute æternâ. Ac porrò latro pœnitens ſine Baptiſmo ſalvatus eſt. Alii contrà nonnulli, quamvis baptizati, gratiæ tamen ſalutaris fuerunt expertes. Ergò, &c.

4. Pro confirmatione Baptiſmi dixit Chriſtus, *Marc.* 16, 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvabitur*: ſubjungit etiàm; *Qui verò non crediderit, condemnabitur*: minimè verò; *Qui non fuerit baptizatus, quamvis crediderit, aut* Fœdere *gratiæ fuerit comprehenſus, tamen condemnabitur.*

Pontificii potiſſimùm *objiciunt* locum *Joh.* III. 5. *Amen amen dico tibi, niſi quis fuerit regenitus ex aquâ & ſpiritû, non poteſt introïre in regnum Dei.* Ubi Aquam de Baptiſmo externo intelligunt, regenerationem per hunc produci contendunt, & ſic ſalutem æternam ab eo ſuſpendunt. *Reſp.* Regeneratio per Baptiſmum externum non producitur; ſed obſignatur. Spiritui Sancto iſta efficacia competit: qui vivificat; *Joh.* 6, 63. 2 *Cor.* 3, 6. Atque idem Spiritus per Aquam etiàm rectè intelligi poteſt. Vide *Jeſ.* 44, 3. *Ezech.* 36, 25, 26, 27. *Joël.* II, 28, 29. *Joh.* 4, 14. VII, 38, 39. & confer *Matth.* 3, 11. Verùm ampliùs, quemadmodùm Spiritus Sanctus & aqua exterioris Baptiſmi, ubi

con-

conjunguntur, non sunt tamen causę partiales, neque ejusdem ordinis & efficaciæ; sic neque sunt ejusdem necessitatis.

Obj. 2. In posteris Abrahami, qui non erant circumcisi, exterminari debuerunt ex populo suo. Ergò. *Resp.* Istud ad contemtum propriè pertinet: ideò; nec ante octavum diem masculi circumcidebantur, & prorsùs eximebantur feminæ: & propter morbos, aliave incommoda, differri potuit Circumcisio.

Nunc *casus* occurrit, utrùm potiùs carendum sit Baptismo; an ille petendus & accipiendus à Ministro hæretico? *Resp.* Si accipi possit à Ministro orthodoxo, iste Baptismus procul dubio præferendus est: si verò non sit spes ejus obtinendi; & Minister præcipua essentialia fidei Christianæ, ac Baptismi, adhùc servet integra, neque sit periculum scandali, aut necessitas participationis in illâ hæresi; accipiendus videtur.

XXXIII. *Locus* Baptismi administrandi ordinariè debet esse, ubi pro cœtû fidelium Euangelium prædicatur: quoniàm

1. Sacramenta sunt Verbi prædicati sigilla.

2. Ibi magis reverenter, & minùs perfunctoriè, fiet administratio.

3. Sic plures erunt testes Baptismi, quibus etiàm memoria sui Baptismi refricabitur; & quorum interest; quinàm adsciscantur in eandem secùm communionem.

4. Et plurium preces pro quolibet baptizando sociabuntur. Aliter tamen fieri potest propter persecutiones, aliave incommoda.

Quod ad *tempus* attinet; tùm adulti, tùm etiàm infantes fœderati, baptizandi sunt quam primùm id fieri commodè potest; *Act.* II, 41, VIII, 38. XVI, 14. 15; 33, XXII, 16. Certum tempus, quod necessariò expectandum esset, non determinavit Deus, aut Christus.

XXXIV. Ad temporis considerationem referri etiàm potest quæstio, *quoties aliquis sit baptizandus?* Nos, unumquemque fœderatum semel baptizandum, asserimus; non verò iterandum esse Baptismum, contra *Anabaptistas*; qui indè nomen acceperunt. Sic enim 1. Apostolus disertè, *Eph.* 4, 4, 5, 6. *Unum est corpus, & unus Spiritus: sicut & vocati estis in unam spem vocationis vestræ: unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & in omnibus vobis.* Unicum est corpus Ecclesiæ Catholicæ, unicus Dominus & Salvator Christus, unicus Deus & Pater omnium fidelium, unica in singulis fides salvifica, unica spes salutis; ac similiter unicus Baptismus singulorum. Aliter de Cœnâ Dominicâ: licet enim unus Panis appelletur, 1 *Cor.* 10, 17. minimè tamen unica cujusque fidelis communicatio indicatur: sed clarissimè, 1 *Cor.* XI, 25, 26. *Hoc facite, quotiescunque biberitis, ad mei commemorationem. Quotiescunque enim ederitis panem hunc,* &c.

2. Unica est principalis res significata, nostrî regeneratio, insitio in Christum atque Ecclesiam mysticam, justificatio: beneficia illa semel accepta, eadem perpetuò durant. 1 *Ioh.* 3, 19. *Quisquis natus est ex Deo, peccato non dat operam; quoniàm semen ipsius in eo manet.* Adde II, 19. 1 *Petr.* I, 3, 4, 5. *Rom.* 8, 1, 33, 34. Aliter iterùm res habet in Cœnâ Dominicâ: successivè enim, & sæpiùs iteratis vicibus, peragitur nutritio & corroboratio spiritualis; cujus ista est Sacramentum.

3. Baptismus nobis dicta beneficia non solùm obsignat pro præsenti & præterito tempore, sed etiàm pro futuro: undè idem Baptismus quidem sæpiùs in memoriam revocandus est; non verò iterandus: *Act.* 2, 38, 39. *Resipiscite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum: & accipietis donum Spiritûs Sancti. Vobis enim*

facta

facta est promissio, & liberis vestris, Ad remissionem peccatorum in universum, & expectationem donorum Sp. Sancti, pertinuit unicus Baptismus. *Gal. III,* 27. *Nam quicunque in Christum baptizati fuistis, Christo fuistis induti.* Ad unicum præteritum Baptismum provocat Apostolus, ejusque memoriam illis renovat ad vitam deinceps rectè instituendam. Similiter *Rom.* 6, 3, 4, 10, 11. Confer *Ioh.* 13, 10.

4. Circumcisio cuique sub V. T. non nisi semel administrabatur, & sic participatio Fœderis obsignabatur; *Gen.* 17, 7, 10, 11. In eundem usum pro N. T. successit Baptismus; *Col. II,* 11, 12. Ac proindè nec iste iterari debet.

XXXV. *Pontificii* comminiscuntur *Characterem indelebilem;* signum quoddam spirituale perpetuum; imprimi animæ per Baptismum; itemque per Confirmationem, & per Ordinem; cujus ergò ista iterari non debeant. Sed talem Characterem S. Scriptura nescit.

Neque etiàm solidè probatur superior assertio ex *Hebr.* 6, 4. quasi *Illuminatio* istic esset Baptismus.

Obj. 1. Evidens Anabaptismi exemplum occurrit, *Act.* 19, 1. &c. Ergò. *Resp.* Istic *vers.* 1, 2, 3. agitur de duodecim Discipulis Ephesiis, qui se Johannis Baptismo baptizatos esse confitebantur; sed Spiritum Sanctum non accepisse, nec de Spiritû Sancto quicquam audivisse. Sequitur de illis, *vers.* 4, 5. *Dixit autem Paulus; Johannes quidem baptizavit Baptismo resipiscentiæ, dicens populo, ut in eum qui venturus erat post ipsum crederent, hoc est, in Christum Jesum. Qui verò illum,* nempè Johannem, *audiverunt, baptizati sunt in nomen Domini Jesû.* Negamus Anabaptismum ex illo loco rectè colligi: ista enim verba, *Qui verò illum audiverunt,* &c. sunt Pauli verba de Johanne: non verò Lucæ historiographi de Paulo. Posteà Lucas distinctè; *Et cum imposuisset eis manûs Paulus, venit*

Spiritus Sanctus in eos: & loquebantur linguis, & prophetabant.

Obj. 2. Fieri poteſt, ut baptizati prolabantur in hæreſes, aut alia peccata graviſſima; & poſteà denuò convertantur: illi igitur rebaptizandi ſunt. *Reſp.* Seriò quidem monendi, reprehendendi, & ad renovatam praxin reſipiſcentiæ excitandi; non tamen iterùm baptizandi: ſicut hominem graviſſimo morbo correptum, non opus eſt denuò naſci; ſed curari per medicamenta idonea, ut ſanitati, reſtituatur.

XXXVI. Alterum Novi Teſtamenti Sacramentum eſt *Cœna Dominica*: 1 *Cor.* XI, 20, 23, - 26. Ea *diſcribitur*: Sacramentum ſpiritualis nutritionis & corroborationis, à Chriſto inſtitutum; fidelibus adultis usû Panis & Poculi identidem ſignificans & obſignans communionem Corporis & Sanguinis Chriſti, tanquàm cibi & potûs pro interiori homine, ad vitam æternam.

Inſtitutio extat *Matth.* XXVI, 26, - 29. *Marc.* 14, 22, - 25. *Luc.* 22, 19, 20. undè ea repetitur, 1 *Cor.* XI, 23, - 26. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, &c.

Cauſa igitur *efficiens primaria* iſtius Sacramenti eſt Chriſtus Θεάνθρωπος, Novi Fœderis Mediator, Dominus ac Salvator noſter. Hinc *Cœna Dominica* nuncupatur, 1 *Cor.* 10, 21 cum 16, 17. XI, 20, 23.

Secundaria, ſive *miniſtra*, eſt Miniſter Euangelii, Eccleſiæ Anteceſſor; cui iſta adminiſtratio pro conditione Sacramentornm, & ordine Eccleſiaſtico N. T., Divinitùs mandata eſt: 1 *Cor.* 4, 1.

XXXVII. *Subjectam & quaſi materiam* conſtituit Subſtantia gemina cum adjunctis Ritibus. *Subſtantia* illa eſt tùm Panis, tùm Vinum.

Prius ergò ſymbolum eſt *Panis*; & quidem vulgaris cibarius; quali Chriſtus procul dubio uſus eſt: quique ἀναλογίαν habet cum re ſignificatâ, corpore

pore Christi, animæ nostræ cibo ad vitam æternam.

Non rectè igitur à *Pontificiis* adhibentur *Minutiæ farinaceæ*, quæ plurimùm differunt à Pane usuali.

Christum Pane azymo usum esse, fatemur; ob Legem cerimonialem de Paschate; quæ abrogata est.

Obj. 1 *Cor.* 5, 7, 8. prohibetur fermentum, & præcipiuntur panes infermentati. *Resp.* Fermentum malitiæ & nequitiæ prohibetur; præcipiuntur autem panes infermentati sinceritatis & veritatis: ut est in textû. Sed nihil de Pane azymo in S. Cœnâ.

Alterum Symbolum est *Poculum vini*: Christus enim disertè γέννημα τȣ̃ ἀμπέλȣ appellavit, *Matth.* 26, 29. *Luc.* 22, 18. Neque Vinum aquâ dilui debet; quod censent *Pontificii* necessarium esse, saltem necessitate præcepti Ecclesiastici. Verùm non certò constat, Christum istud vinum aquâ temperasse; nedùm præceperit talem mixtionem, ut partem hujus Sacramenti, vel aliter necessariam.

XXXVIII. Usum *Poculi* in S. Cœnâ necessarium statuimus, tanquàm partem integralem & principalem: nam 1. quos, Christus manducare jusserat, eosdem *omnes* jussit bibere; dicens, *Bibite ex eo omnes*; *Matth.* 26, 27. *Marc.* 14, 23. De Apostolis ibi sermonem esse, fatemur: sic tamen, ut Christus Sacramentum administraverit; illi Ecclesiam communicantem repræsentaverint.

2. Paulus integram Ecclesiam Corinthiacam, cujus partem longè maximam constituebant Laïci, quos vocant, ab Idololatriâ dehortatur; ratione desumtâ ab usû istius Poculi; 1 *Cor.* 10. 14, 15, 16, 21. & Sacramenti istius institutionem & usum legitimum accuratè iisdem describens, Poculum non minùs commemorat, nec minùs latè extendit, quàm Panem; XI, 23, -29.

3. Accedit ratio à communione Sanctorum desumta; quæ postulat, ut omnes fideles, eorundem

beneficiorum ſalutarium, atque adeò etiàm Sacramentorum, ſint participes. De hac communione, *Eph.* 4, 4, 5, 6. *Galat.* 3, 26, 27, 28. Quin reſpectû Cœnæ Dominicæ. 1 *Cor.* 10, 17. & ſpecialiùs reſpectû Poculi, XII, 13. *Per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati ſumus : - & omnes poti ſumus in unum Spiritum.*

4. Accedit & hoc, quòd cùm Domino alituram noſtram ſpiritualem ſpecie Convivii ſignificare placuerit, ejus quoque plenitudinem cibo & potû diſtinctè exhibitis figurare viſum fuerit: Pane ſcil. & Vino. Vide *Pſal.* CIV, 14, 15.

Atque iſtam plenitudinem agnovit & obſervavit dudùm ipſa etiàm Eccleſia Romana. P. *Gelaſius* apud Gratianum de Conſecrat. Diſt. 2. „Comperimus, „quòd quidam, *ſumta tantummodò corporis ſacri por-„tione, à calice ſacrati cruoris abſtineant*: quod pro-„cul dubio, quoniàm *neſcio quâ ſuperſtitione* docen-„tur adſtringi, *aut integra Sacramenta percipiant*, „*aut ab integris arceantur*. Quia *diviſio unius ejuſ-„demque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt proveni-„re.* Tandem verò A. D. CIↃ CCCC XV. in Concilio Conſtantienſi Seſſ. 13. contrarium audaciſſimâ temeritate decretum eſt.

Obj. 1. Aliquoties Panis, ejuſque fractio, ſolùm commemoratur; ut *Luc.* 24, 30. & alibi. Ergò. *Reſp.* Ubi hoc Sacramentum locutione illâ intelligi debet, ſynecdochicè Poculum comprehenditur, ſecundùm ejus inſtitutionem, & praxin Apoſtolorum ac primitivæ Eccleſiæ, alibi ſatis clarè ac plenè expreſſam. Aliàs, ut potiſſimùm *Luc.* 24, 30. convivium humanæ familiaritatis intelligendum eſt. Interim confer *Geneſ.* 43, 16, 25, 31, 32, 34.

Obj. 2. Accedunt varia incommoda: periculum enim eſt, ne calix ſanguinis Dominici interim effundatur, &c. nonnulli ſunt abſtemii, &c. *Reſp.* Præterquàm

quàm quòd prius illud falsâ transsubstantiationis hypothesi nitatur; non solùm perperàm vetus Ecclesia, quæ hoc Sacramentum sub utrâque specie dispensavit, imprudentiæ accusatur; sed etiàm ipsi Christo, qui ità instituit, ignorantia objicitur, per blasphemiam. Et facilè aliter istis difficultatibus obviàm iri potest.

Obj. 3. Nihil opus est usû Calicis: unâ enim cum Corpore Christi accipitur ipsius Sanguis, per concomitantiam. *Resp.* 1. Sic falsò supponitur μετȣσία. 2. Christus Calicem distinctè instituit. 3. Eoque Sanguinem suum, non ut in vasis conclusum, sed ut effusum pro nobis, significavit. 4. Idem urgeri posset de Sacerdotibus conficientibus, ut vocant.

Distinctè verò in hoc Sacramento adhibendum est Poculum, ut & Panis. Ità requirit institutio, & exemplum Christi; doctrina, & praxis Apostolorum; atque usus Ecclesiæ primitivæ. Idem suadet analogia alituræ naturalis, quæ cibo & potû distinctis peragitur. Non rectè igitur darentur *buccea intinctæ*, aut *panis vino intritus*.

XXXIX. Inter *Ritûs* adjunctos Pani & Poculo, communis est eorum acceptorum *Sanctificatio*; quæ ἐυλογία, benedictio, appellatur, *Matth.* 26, 26. *Marc.* 14, 22. 1 *Cor.* 10, 16. & ἐυχαριστία, gratiarum actio, *Luc.* 22, 19. 1 *Cor.* XI, 24. Sicut in aliis alimentis etiàm commemoratur ἐυλογία; *Matth.* 14, 19. & ἐυχαριστία; 1 *Tim.* 4, 3, 4. Hoc autem loco specialis Sanctificatio intelligenda est, ad usum Sacramentalem.

Pontificii Consecrationem appellare solent: intelliguntque arcanorum verborum super Pane & Vino recitationem, à Sacerdote faciendam, quâ natura eorum realiter & substantialiter transmutetur in verum ac propriè dictum Corpus & Sanguinem Christi.

Sed 1. malè Consecrationem illam peragi existimant, non aliis quàm istis verbis, *Hoc est Corpus meum*; & *Hic est Sanguis meus*: cum potius antecedentem Dei invocationem, ipsamque Christi institutionem, quam repetunt & sequuntur fideles ipsius Ministri, ista Sanctificatio fiat. Sic *Matth.* 26, 26, 27, 28. præcessit εὐλογία & εὐχαριστία, pro quâ illi Consecrationem appellare gestiunt: posteà dixit Christus; *Hoc est Corpus meum*, & *Hic est Sanguis meus*, &c.

2. Malè consequenter ista verba admurmurant Pani & Vino: cùm Christus palàm Discipulos compellaverit; iisque explicuerit, quid daret, & quo fine.

3. Gravissimo item errore sic statuunt fieri veram transsubstantiationem: quæ post quædam ex professo refutabitur.

Communis etiam est altera *subsequens Benedictio*; Hymnus sc. quo celebratur Dei benignitas, & gratiæ pro tali illâ communione aguntur: *Matth.* 26, 30. *Marc.* 16, 26.

XL. Ad P*anem* speciatim pertinent duæ Administrantis actiones; *Fractio*, & *Distributio ad manducandum*. Sic enim præivit Christus Convivator, & primus S. Cœnæ Minister; *Matth.* XXVI, 26. *Marc.* XIV, 22. *Luc.* XXII, 19. 1 *Cor.* XI, 24. Hinc à priori, Cœna synecdochicè *Fractio panis* appellatur, *Actor.* 2, 42. Sic autem figuratur laceratio corporis Christi, ac dolores passionis ipsius, ipsaque adeò separatio animæ à corpore; & mutua fidelium in Christo communio: 1 *Cor.* X, 16. Interim iste ritus non est censendus primarius aut essentiæ Sacramenti constitutivus: sed secundarius, ad modum administrationis, justamque ejus integritatem, pertinens.

XLI. Quod ad *Distributionem*: Euangelistæ, & Paulus, satis disertè commemorant, Christum Discipulis suis dedisse fractum panem, iisque dixisse: *Accipite, comedite*: &c. *Matth.* 26, 26. *Marc.* 14, 22. *Luc.*

Luc. XXII, 19. 1 *Cor.* XI, 23, 24, 26. Isti institutioni consentanea fuit praxis Ecclesiæ Apostolicæ, 1 *Cor.* 10, 17.

Graviter verò peccant *Pontificii*; qui in *privatis* suis *Missis*, ut vocant, non distribuunt Panem; sed Sacerdos eum manducat solus.

Ad *Modum distributionis* quod attinet; in historiâ Euangelicâ, & commemoratione Paulinâ, nulla est ratio dubitandi, quin Christus Discipulis Panem *in manus* præbuerit, non autem *ori* ingesserit: nihil enim extat, unde oriri possit suspicio, Christum hîc à communi & usitatâ cibum adultis porrigendi ratione discessisse: nec aliter commode fieri potuit, per veterum discumbendi morem. Atque ita diutissime obtinuit in Ecclesiâ, ut panis manibus acciperetur. Gliscente tamen superstitione aliter factum apud *Pontificios*: Eucharistia enim Laïcis à Sacerdote *in os* ingeritur.

Distributioni isti ad manducandum, plane etiam adversatur honorifica *hostiæ adservatio in pyxide*; ut deinde circumgestetur, & ostentetur ad ἀρτολατρείαν.

XLII. Ad *Vinum* pertinet ritus Administrantis, ut is ipsum Poculo infusum singulis Communicantibus *bibendum præbeat.* Sic enim Christus *Matth.* 26. 27, 28. *Accepto poculo, ac gratiis actis, dedit iis, dicens; Bibite ex eo omnes*, &c. Atque inde hoc Sacramentum synecdochice *Potatio* appellatur, 1 *Cor.* 12, 13. *Omnes poti sumus in unum Spiritum.*

Sequuntur *Actiones Communicantium*; ut nimirùm Discipulorum exemplo, *acceptum illum Panem edant, & de Poculo omnes bibant*; *Matth.* 26, 26, - 29. *Marc.* 14, 22, - 25. 1 *Cor.* XI, 24, - 26.

De *Genuflexione*, similive aliquo gestû adorantium, quo sacra symbola excipienda forent, nihil habet in-

ſtitutio Dominica; nec Apoſtolorum, aut Eccleſiæ primitivæ, praxis.

XLIII. *Res ſignificata* hujus Sacramenti, eſt communionis Chriſti, & gratiæ N. T. continuatio, atque incrementum, ad perficiendam vitam ſpiritualem. *Panis* & *Vinum* ſignificant & obſignant Chriſti carnem ac ſanguinem, verum ſpiritualem animarum noſtrarum alimentum; cibum & potum, ad vitam æternam in nobis perficiendam. Hinc de iſto Pane, *Matth.* 26, 26. *Hoc eſt corpus meum.* & de Vino, *verſ.* 28. *Hoc eſt ſanguis meus*, &c. Confer de re ſignificatâ, *Joh.* 6, 48. 55, -58.

Porrò autem Panis accepti & ſanctificati *fractio* ſignificat corporis Chriſti pro nobis contritionem, clavis ac lanceâ factam: *Jeſ.* 53, 5. *Joh.* 19, 34. xx, 25, 27. ipſamque adeò mortem: 1 *Cor.* xi, 26. Ejuſdem *diſtributio* deſignat illius communicationem neceſſariam ad vitam æternam, quæ per Sp. Sanctum peragitur efficaciter: *Luc.* xxii, 19, 1 *Cor.* xi, 24. cum xii, 13.

In Communicantibus verò *corporalis eſus panis* ſignificat eſum myſticum unius ejuſdemque veri corporis Chriſti, ad æternam vitam juſtitiæ ac gloriæ, atque adeò veram ſanctorum cum Chriſto & inter ſe communionem: 1 *Cor.* x, 16, 17. *Panis, quem frangimus nonne communio corporis Chriſti eſt? quoniam unus eſt panis, unum corpus nos illi multi ſumus: nam omnes ex uno illo pane participamus.* Confer de re ſignificatâ, *Joh.* 6, 35, 47, 48.

Similiter *Vini* in Poculum *effuſi communicatio* ſignificat ſpiritualem communicationem ſanguinis Chriſti, ad remiſſionem peccatorum impetrandam, ac Novum Teſtamentum ſanciendum, pro nobis effuſi; *Matth.* xxvi, 28. *Luc.* xxii, 20.

Potus verò & communio vini, ore corporis aſſumti, propriùs denotat & obſignat internam ſpiri-

tualem

tualem sanguinis Christi perceptionem & communionem, quæ à Spiritû Sancto perficitur; & fide verâ, tanquàm ore animæ, accipitur: ac porrò veram & mutuam istiusmodi sanctorum communionem: 1 *Cor.* 10, 16, XII, 13.

XLIV. *Forma* igitur Cœnæ Dominicæ, pro naturâ Sacramentorum, consistit in Divinâ, per Verbum Christi, ordinatione Panis & Vini, usûsque eorum, ad visibilem significationem & obsignationem communionis invisibilis mysticæ cum Christo, in gratiâ Fœderis Euangelici, continuandæ ac perficiendæ.

Atque indè emergunt *Prædicationes Sacramentales*: utpote 1. 1 *Cor.* XI, 24. *Hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur.* Id est, Hæc res, Panis iste acceptus, sanctificatus, & fractus, est signum ac monumentum Corporis Christi similiter frangendi; vel nunc fracti.

2. Ibidem *verʃ.* 25. *Hoc Poculum est Novum illud pactum, per meum Sanguinem.* Id est, hoc Vinum, Poculo isto contentum, est signum ac monumentum Novi Fœderis gratiæ, per Sanguinem Christi obsignati. Confer porrò *verʃ.* 25, & 26.

3. *Matth.* 26, 28. *Hoc est Sanguis meus, Novi pacti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Id est, Hujus Poculi contentum, fructus vitis, est signum commemorativum Sanguinis mei, quo novum illud Fœdus sancitur, &c. Confer 1 *Cor.* XI. 25, 26.

4. 1 *Cor.* 10, 16. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio Sanguinis Christi est?* &c. Hoc est, signum ac sigillum mysticæ istius communionis. Similis prædicatio est ibid. *verʃ.* 3, 4.

In istis autem prædicationibus Sacramentalibus, tropus non propriè existit in copulâ verbali *est*; sed potiùs in attributo: per copulam enim termini connectuntur, & temporis circumstantia simul exprimitur,

tur. Verùm *in attributo* ipſa res ſignificata ponitur pro ſigno iſtius rei.

XLV. *Finis cujus* eſt, 1. ut inter cœnandum Chriſti ſolenniter recordemur; & fides in Ipſum, pro nobis mortuum, & ad juſtitiam ac ſalutem nobis communicatum, ſuſcitetur & confirmetur, *Luc.* 22, 19. 1 *Cor.* XI, 24, 25.

2. Ut beneficia N. Teſt. continuentur, & promoveantur: talis enim promiſſio appoſita eſt uſui Panis; *Luc.* 22, 19. 1 *Cor.* XI, 24. X, 16. & Vini; *Matth.* 26, 28. 1 *Cor.* X, 16. XII, 13.

3. Ut excitemur ad Servatorem noſtrum debitâ gratitudine colendum & celebrandum: 1 *Cor.* XI. 26.

4. Ut extimulemur ad mutuæ dilectionis & communionis ſtudium: 1 *Cor.* 10, 17. Seriò autem fugiamus diſſidia, & contemtum fratrum: XI, 18, 20, 22,

Finis verò *cui* eſt Cœtus baptizatorum adultorum, fidem ac reſipiſcentiam ore & opere profitentium.

1. *Cœtus* requiritur; exemplo primæ S. Cœnæ: 1 *Cor.* XI, 20. X, 16, 17.

2. Et quidem baptizatorum; prius enim eſt naſci, quàm paſci; adeòque & Sacramentum regenerationis, quàm ſpiritualis nutritionis: *Matth.* 28, 19. *Tit.* 3, 5. *Hebr.* 6, 2, cum *Exod.* 12, 48.

3. Eorumque adultorum: iſti enim ſoli ſunt habiles ad officia in hoc Sacramento neceſſaria: 1 *Cor.* XI, 24,-29.

4. Denique talium, qui fidem ac reſipiſcentiam ore & opere profiteantur. Hoc Paſtores videre debent ſedulò: 1 *Cor.* 10, 21, XI, 20, 27, 28. Sed & ſincera debet eſſe illa profeſſio: *Joh.* 6, 27, 29. *Rom.* 10, 10, *Gal.* 5, 6, Aliàs incurritur crimen Corporis ac Sanguinis Chriſti violati: 1 *Cor.* XI, 29. Fideles caſtigationibus fiunt obnoxii; 30, 31, 32. Hypocritæ autem æternæ damnationi; *Matth.* 24. 51. *Marc.* 16, 16. *Rom.* 8, 13.

XLVI. Cœ-

XLVI. Cœnæ Dominicæ omninò adversatur *Missa Papistica. Illius* appellatio & significatio sacra est. Vide sup. th. 36. *Hanc Bellarminus*, à *Missione*, seu Dimissione populi, dictam existimat. Alii originem Hebraïcam quærunt in voce מַסָּה, quos ipse *Bellarminus* rationibus non contemnendis refutat.

Ad rem ipsam quod; *Auctor Cœnæ Dominicæ* est Dominus Christus. *Missæ* verò *Pontificiæ* non est unus auctor; sed plurimi, ac diversorum temporum, servi infidi, collatis superstitionum symbolis, centonem illum tandem confecerunt. Dudùm enim agitatum fuit mysterium iniquitatis.

Administri autem *Cœnæ Dominicæ*, sunt Ministri Euangelii. Sed *Missæ* Mystę jactantur Sacerdotes propriè ad sacrificandum oleo specialiter consecrato inuncti. At *nemo sibi ipsi sumit honorem* Sacerdotii: *sed qui vocatur à Deo, sicut & Aharon.* Ubi verò agitur de Sacerdotio N. T. disertè docetur, abrogatum esse Sacerdotium Aharonicum, tanquàm imperfectum, umbraticum, typicum; cùm Christus sit Sacerdos secundum ordinem Melchizedeki: ac proindè, 1. sine Patre, sine Matre, sine genere, nec initium dierum habens, nec vitæ finem; atque in æternum manens, ex vi indissolubilis vitæ, ut Sacerdotium ipsius ad alios non transeat; *Hebr.* 7, 3, 15, 16, 24.

2. Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus: *vers.* 26.

3. Sponsor melioris Fœderis: *vers.* 22. sive Mediator N. T. cujus mors intercederet ad redemtionem transgressionum: IX, 15. Et Testator suâ morte ratum faciens istud Testamentum: 16, 17.

4. Major iis, quibus Ipse benedicit; & quos, vel quæ, sanctificat; atque adeò victimâ humanitatis suæ: VII, 7. II, 11. X, 10. *Joh.* 17, 19

5. Ipse Sacerdos & Sacrificium: qui seipsum obtu-

lit per Spiritum S. ſemel ſufficientiſſimè: *Hebr.* 7, 27, 28. IX, 14. X, 10, 12, 14. Quæ omnia ſoli Chriſto omninò propria ſunt. Alios Sacerdotes N. T. prorsùs ignorat S. Scriptura. Cùm enim quilibet fideles dicuntur Sacerdotes; ut 1 *Petr.* II, 9. *Apoc.* 1, 6. v, 10. id metaphoricè accipiendum; & quidem ſic, reſpectû Sacrificiorum euchariſticorum; *Rom.* 12, 1. *Hebr.* 13, 16.

XLVII. *Materiam S. Cœnæ* conſtituunt verus Panis & Vinum, cum Ritibus à Domino inſtitutis. In *Miſſâ* verò ſunt Nebulæ nummulariæ, mera veri & ordinarii Panis ſimulachra; & Vinum aquâ ſuperſtitiosè dilutum. Sed hoc nequidem in *Miſſâ publicâ* diſtribuitur Communicantibus: in *privatâ* nulla prorsùs Communicantibus fit diſtributio: in *siccâ* ipſe etiàm Sacerdos ſiccus eſt. Sic manifeſtum ineſt ſacrilegium. In veſtibus porrò, geſtibus, actionibus aliis, multiplex relucet ſuperſtitio: *Matth.* 15, 9, 13.

Forma S. Cœnæ conſiſtit in communionis ſacrificii corporis & ſanguinis Chriſti Divinâ ſignificatione & obſignatione; per Panem ſanctificatum, fractum, diſtributum, & à Communicantibus comeſum; Vinumque effuſum, ſanctificatum, diſtributum, & à Communicantibus bibitum. Sic Panis & Vini vera ſubſtantia conſervatur; ſed in ſpiritualem uſum convertitur: verum ac propriè dictum corpus & ſanguis Chriſti ex illis non conficitur; ſed pro communi Sacramentorum naturâ & conditione ſignificatur atque obſignatur. In *Miſſâ* verò ſtatuitur *primò* tranſſubſtantiatio Panis ac Vini in verum ac propriè dictum corpus ac ſanguinem Chriſti; ità ut ſubſtantia Panis ac vini omninò intereat, & accidentia eorum ſola ſine ullo ſubjecto ſuperſint: Chriſti autem verum & propriè dictum corpus ac ſanguis ex Pane & Vino fiant; ex Pane ſc. corpus, & ſanguis per concomitantiam, &c. at-

&c. atque ista corporis & sanguinis Christi substantia istic sola extet, sine suis accidentibus & proprietatibus; quamvis eas nihilominùs retineat. *Deindè* etiàm statuitur vera Corporis Christi oblatio per Sacerdotem Missificum, super altari, ad impetrandam remissionem peccatorum pro vivis & pro mortuis; sive verum ac propriè dictum Sacrificium expiatorium.

XLVIII. *Transsubstantiatio* ista refutatur *primò*, ex institutione Cœnæ Dominicæ: nam 1. Christus istic verum Panem accepit, sanctificavit, fregit, distribuit, & edi jussit; Vinum similiter fusum sanctificavit, distribuit, & bibi jussit. Verum *Panem* ac *Vinum* non solùm in initio, sed etiàm in progressû & in consummatione istius administrationis, appellat S. Textus: & disertè *Fructum vitis* dixit Christus, cùm biberetur; & Paulus, *Panem & Vinum*, etiàm cùm à Communicantibus ille editur, hoc bibitur; *Matth.* 26,26,27, 29. *Marc.* 14,22,23,25. 1 *Cor.* XI,23,-28. Talis ergò substantia Panis ac Vini debet agnosci; non prorsùs alia sub istis accidentibus

2. Christus integer, corpore hactenùs illæso, sanguine suis vasis contento, unà cum Discipulis suis accubuit, Sacramentum hoc instituit, atque ipse administravit. Substantia igitur Corporis & Sanguinis Christi vera ac proprie dicta, realiter distingui debet ab externis visibilibus symbolis, quæ ipse Discipulis suis administravit.

3. Sic Panem sanctificatum & fractum præbens, dixit; *Hoc Meum est Corpus, quod pro vobis frangitur*: 1 *Cor.* XI. 24. Metonymicè. Illæsus enim accumbebat. Neque nunc Corpus gloriosum vere frangitur. Similiter de Poculo: *Hoc est Sanguis meus Novi pacti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*; *Matth.* 26,28. Sed Paulus hoc modo refert, 1 *Cor.* XI,25. *Hoc Poculum est Novum istud pactum per Meum Sanguinem.*

nem. & 1*Cor.*10,16. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio Sanguinis Christi est? Panis, quem frangimus, nonne communio Corporis Christi est?* Neque Christus istis verbis indicavit, quid per ea fieret de Pane & Poculo; sed quid jàm tùm esset: cùm veritas rei prior sit veritate enunciationis.

4. Paulus de usû Panis; *Hoc facite ad Mei commemorationem.* Atque iterûm de Poculo; *Hoc facite, quotiescunque biberitis, ad Mei commemorationem. Quotiescunque enim ederitis Panem hunc, & Poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, usque quò venerit*: 1*Cor.* XI, 24, 25, 26. Quibus verbis aperte indicatur, in hoc Sacramento esse commemorationem Christi, & annunciationem mortis ipsius, usquedùm ipse veniat ad extremum & universale judicium; sed Christum istìc non adesse præsentem corporaliter.

Secundò, ex natnrâ Sacramentorum; in quibus 1. Signa oportet esse distincta à rebus significatis.

2. Debet servari analogia cum altero N. T. Sacramento; in quo utique non fit transsubstantiatio. Interim vide *Tit.* 3, 5. *Act.* II, 38. XXII, 16. cum 1 *Joh.* I, 7. I *Cor.* 6, 11.

Quin 3. etiam cnm Sacramentis V. T. *Gen.* 17, 10. 11. *Exod.* 12, 11, 12, 13. *Rom.* 4, 11.

Imò 4. cum ejusdem Sacramentis extraordinariis, quorum respectû Israëlitæ dicuntur eandem nobiscùm escam spiritualem edisse, & eundem potum spiritualem bibisse; 1 *Cor.* 10, 3, 4. Cùm tamen Christus tunc necdùm fuerit incarnatus.

Tertiò, ex aliis Articulis fidei; & quidem 1. ex veritate & unitate humanæ Christi naturæ: unde sequitur ejus extensio, visibilitas, palpabilitas, & præsentia in uno tantùm loco simul. Vide *Marc.* 16, 6. *Luc.* 24. 5, 6; 38. 39, 40.

2. Ex ortû humanæ istius naturæ; quæ non est ex Pane & Vino, vi verborum à Sacerdote pronunciatorum;

rum; sed ex patribus, & Israëlitis, ex Judâ, ex lumbis & semine Davidis, atque ex B. Virgine Mariâ, per supernaturalem Spiritûs Sancti operationem in eâ: *Rom.* 9, 5. *Hebr.* 7, 14. *Act.* 2, 30. *Rom.* 1, 3. *Luc.* I, 42; 45. *Matth.* I, 18. 20. Confer *Matth.* III, 9. *Joh.* II, 9. *Exod.* 7, 10.

3. Ex exaltatione, ascensione, & sessione Christi ad dextram Patris in cœlo; unde demùm novissimo die, corporaliter, localiter, & visibiliter, reversurus est ad universale judicium: *Joh.* 16. 28. XIV, 2, 3. *Matth.* 26, 11. XXIV, 23, 26, 27. *Act.* I, 11. III, 21. *Col.* 3, 1, 2, *Hebr.* 8, 4. Quod ergò nunc in terrâ existit, id non est verum ac propriè dictum corpus Christi.

4. Ex communione nostrâ cum Christo, quæ mystica est & spiritualis; non propriè corporolis *Eph.* III, 17. *Inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris*, IV, 15, 16. 1 *Cor.* 12, 12, 13. *Gal.* II, 20. *Col.* III, 3. Unde etiàm vocatur *esca spiritualis*, & *potus spiritualis*; 1 *Cor.* 10, 3, 4. Adde *Apoc.* 2, 17, *Joh.* 6, 35.

Quartò, ex absurdis quibusdam consequentibus, omni rationi adversis: nam 1. Accidentia Panis & Vini post transsubstantiationem sic existerent sine subjecto.

2. Corpus humanum verum ac propriè dictum existeret sine proprietatibus suis.

3. Fieret mutatio in præexistens; atque sic idem simul esset & non esset: nam corpus Christi statuitur per transsubstantiationem confici; & tamen idem numero existere ante transsubstantiationem.

4. Corpus gloriosum. quamvis sub alienis accidentibus, posse non solùm ab hominibus peccatoribus comedi: sed etiàm à muribus; atque in secessum ejici.

Addi possent multa ex antiquitate Ecclesiasticâ.

XLIX. *Obj.* 1 Agnoscenda est Transsubstantia-

tio, propter absolutam Dei omnipotentiam. *Resp.* 1. Frustrà provocatur ad Dei omnipotentiam, ubi non constat de ejus voluntate. 2. Deus mentiri, aut seipsum abnegare, non potest; neque consequenter facere contradictoria simul vera.

*Obj.*2. Christus Panem dixit corpus, & calicem sanguinem suum. Ergò. *Resp.* Dixit per usitatissimam metonymiam sacramentalem.

*Obj.*3. Christus dixit, *Hoc est corpus meum*: atque ità asseruit, id quod digitis tenetur, jàm esse verum ac propriè dictum corpus suum; atque adeò factam transsubstantiationem. *Resp.* Christus istud dicens, manifeste de pane locutus est: hinc Paulus; *Panis, quem frangimus*, &c. 1 *Cor.* 10, 16. Et *Quisquis ederit panem hunc*, &c. XI. 27. neque obstat particula neutrius generis: sic enim sæpiùs absolutè indicatur res illa, cujus proxime facta est mentio. Vide *Zach.* I, 9. IV, 4, 5.

Obj. 4. In verbis Christi, *Luc.* 22, 20. de Poculo, τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, participium illud ἐκχυνόμενον casû non convenit cum nomine αἵματι; sed cum remotiore ποτήριον. Effusio ergò pertinet ad calicem; quia in eo per transsubstantiationem est verus ac propriè dictus sanguis Christi: quasi Servator dixisset; Hic sanguis meus, pro vobis effusus, est novum fœdus, &c. *Resp.* Absurdissime istud dicitur: 1. Christus enim diserte affirmavit, contentum calicis esse fructùm vitis. 2. Nec ipsi *Pontificii* audent asserere, Sanguinem Christi in Eucharistiâ effundi. Et 3. quomodò Christi sanguis propriè dici potest Novum Testamentum in sanguine ipsius? 4. Participium τὸ ἐκχυνόμενον referri potest ad nomen αἵματι, per enallagen casûs satis obviam. Vide inter alia *Apoc.* I, 4, 5.

Obj.. 5. Qui Sacramentum istud accipiunt indigne, rei

rei sunt corporis & sanguinis Domini: ergò ipsum proprie dictum Corpus & Sanguinem Domini accipiunt, & contumeliâ afficiunt. *Resp.* Imò ipsum Corpus & Sanguinem Domini contemnunt, & contumeliâ afficiunt, in symbolis ab Ipso institutis, & sancte usurpari jussis.

Obj. 6. Christus *Joh.* 6, 50, -56. Se & Carnem suam dixit esse vere cibum ac panem; Sanguinem verò potum, ad vitam æternam. Ergò Panis eucharisticus transsubstantiatur in verum ac propriè dictum Corpus Christi, &c. *Resp.* 1. Majori specie dicerent, Corpus Christi transsubstantiari in verum ac proprie dictum Panem, &c. 2, Isto tempore Cœna Dominica nondùm erat instituta: ac proinde Christus non potuit tunc loqui de transsubstantiatione, quæ jàm tunc fieret. 3. Manifeste loquitur de spirituali alimento, per fidem sumendo, & vitam spiritualem in æternum producturo; *vers.* 33, 35. quod semper idem fuit; 1 *Cor.* 10, 3, 4. *Hebr.* 13, 8. & significatur atque obsignatur Cœnâ Dominicâ postmodùm institutâ.

Obj. 7. Paulus vidit Christum, *Act.* 9, 5. XVIII, 11. 1 *Cor.* 15, 5. Ergo potest etiàm simul existere in Cœlo, & in hoc Sacramento. &c. *Resp.* 1. In istis locis nequaquàm dicitur, Christum tunc corporaliter extitisse in Cœlo, & simul in terrâ apud Paulum. 2. Intelligenda est visio per ecstasin, aut aliam aliquam mentis elevationem supernaturalem; aut in symbolo aliquo extraordinario, Christum secundùm humanam naturam repræsentante. Confer 2 *Cor.* 12, 2, 3, 4. *Act.* 7, 55, 56.

I. *Ubiquitistæ* pro Transsubstantiatione (*μετουσίας*) statuunt *Consubstantiationem* (*συνουσίαν*;) ut Christi Corpus sit in, cum, & sub Pane Cœnæ Dominicæ, &c.

Hanc confutamus iisdem ferè argumentis, quibus Transsubstantiationem: *primo*, ex institutione Cœ-

næ Dominicæ: Quoniam 1. Christus suo Corpore mensæ accubuit, non illud propriè Discipulis in manum dedit, in, cum, & sub Pane.

2. Dixit Corpus suum frangi, & Sanguinem effundi; sed utrumque demum futurum erat: ergò Corpus fractúm, & Sanguis effusus proprie Discipulis tunc non dabatur, &c.

Secundo, ex naturâ & analogiâ aliorum Sacramentorum, tùm V. tùm N. Test. in quibus non est istiusmodi Consubstantiatio; sed rei spiritualis obsignatio in recto usû: ut patet in Circumcisione, & Agno Paschali. Atque item in extraordinario illo Sacramento, de quo Paulus, 1 *Cor.* 10, 4. *Petra illa erat Christus*: non certe per συνουσίαν Corporis aut Sanguinis Christi, in, cum & sub illa Petra, vel Aquâ: Corpus enim Christi ἐνυπόστατον, verum ac propriè dictum, & Sanguis ipsius, tunc nondum existebant. Similiter in Baptismo non est talis συνουσία, &c.

Tertiò, ex Articulis fidei: 1. ex veritate & finitudine Corporis Christi.

2. Ex locali ascensione ejus in Cœlum, & remansione illìc ad extremum usque judicium.

3. Ex communione nostra mystica cum Christo.

Quarto, ex absurdis quibusdam consequentibus. Quod sic aliquod humanum Corpus esset penetrabile aliis; non haberet essentiam finitam ac circumscriptam; esset invisibile, impalpabile, &c. quibus proprietatibus Spiritus à Corpore distinguitur.

Obj. 1. Christus dixit; *Hoc est corpus meum*, &c. loquens de Corpore suo vero ac proprie dicto; quod consequenter dedit, in, cum, & sub pane. *Resp.* Christus procul dubio habuit humanam naturam veram ac proprie dictam; & Corpus tale in prædicato dicitur de Pane: sed per metonymiam sacramentalem: unde non sequitur συνουσία.

Obj.

Obj. 2. Fideles vere percipiunt ipsum Christum, &c. *Resp.* Accipiunt per fidem: eaque est res significata hujus Sacramenti.

LI. In *Missa* insuper fingitur verum Sacrificium propitiatorium, ità ut propriè dictum Corpus & Sanguis Christi sub speciebus Panis ac Vini offeratur Deo, ad impetrandam remissionem peccatorum pro viventibus & mortuis. Pleniùs autem *refutabitur* istud commentum, si consideremus Altare, Sacrificium, Sacrificationem, & eos pro quibus Sacrificatio dicitur peragi.

1. Ad *Altare* quod attinet; nullum externum existit, quod Christum sanctificare potuit, vel potest: Sed ipse idem Sacerdos, & Sacrificium, se per Spiritum suum Deo obtulit inculpatum: *Hebr.* 9, 14. *Joh.* 17, 19. Confer *Exod.* 27, 1,-. XXIX, 37. XXXVIII. 1,-. xl, 10, 29. *Levit.* 8, 11. cum *Matth.* 23, 19. Quarè Apostolus *Hebr.* 13, 10. *Habemus altare, ex quo edendi non habent jus qui tabernaculo cultum præstant.* Quibus verbis apertè indicat, nunc sub N. T. non quærendum Altare aliquod terrestre; sed ipsum Christum solum. Quoniàm igitur nunc non datur externum aliquod Altare, secundum tabulas Novi Fœderis; absurdè fingitur adhuc verum Sacrificium propitiatorium, quotidiè Deo offerendum.

2. Quod ad *Sacrificium*; hoc unicum est pro N. T. Corporis sc. Christi ad mortem transfixi, & Sanguinis effusi. *Hebr.* 9, 25, 26. *Neque ut sæpe offerat Semet ipsum: -- (Alioquin oportuisset Eum sæpè passum fuisse à jacto mundi fundamento:) sed nunc semel in consummatione sæculorum, & ad peccatum per immolationem Sui ipsius è medio tollendum, factus est conspicuus.* x. 14. *Unica oblatione consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur.* Atqui verum Corpus Christi nunc non ampliùs obnoxium est morti, &c.

3. Quod ad *Sacrificationem*; hæc vere unica est, in

externa visibili Corporis Christi super ligno crucis transfixione, & Sanguinis effusione, ac morte ipsius, semel peracta. *Hebr.* 7, 27. *Hoc fecit semel, cum semetipsum obtulit.* IX, 12, 14. *Per proprium sanguinem ingressus est semel Sacrarium, æternam redemtionem nactus*, &c. X, 10. *Sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel* factam: Adde, 12, 14. *Rom.* 6, 9, 10. 1 *Petr.* 3, 18. Item *Hebr.* X, 1, - 5, 18.

4. Quantum verò ad *eos*, *Pro quibus peracta est*, vel *peageretur, Sacrificatio*; Christus unica oblatione omnia singulorum electorum peccata expiavit; *Hebr.* 10, 14. 1 *Tim.* 2, 6. Atque hoc singulis fidelibus in recto usu Cœnæ Dominicæ obsignative applicatur: *Luc.* 22, 19, 20. 1 *Cor.* XI, 23, - 29, X, 16, 17.

Contra vero Missa per quam absurde dicitur offerri in remissionem peccatorum pro vivis & mortuis. Mortuos autem illi intelligunt in Purgatorio laborantes. Atqui remissio jam pridem perfectissime fuit impetrata; adeo ut nova adhuc impetratio, nihil aliud sit, quàm impia perfectissimi Sacrificii Christi abnegatio. Simili absurditate statuunt, Missam spectatoribus & absentibus quoque prodesse; alienis ab Ecclesia, convertendis servire; imo etiam rebus aliis ad homines pertinentibus.

LII. *Obj.* 1. *Gen.* 14, 18, 19. Melchizedekus, Sacerdos Dei altissimi, obtulit Panem & Vinum. Ita præfiguratum fuit Sacrificium Missæ. *Resp.* Imò protulit, הוֹצִיא; atque istis ferculis Abrahamum cum suis copiis refecit.

Obj. 2. Quædam in S. Scripturâ occurrunt de Altari, Suffitû, & Sacrificiis sub N. T. futuris, præter unicum Sacrificium Christi. Ergò, &c. *Resp.* Ista metaphoricè & spiritualiter sunt intelligenda de cultû Divino, precibus, gratiarum actionibus, eleëmosynis, omnibusque bonis operibus: *Jes.* 19, 19, 20, 21.

20; 21. *Mal.* 1, 11. Confer *Rom.* 12, 1. *Phil.* 4, 18. *Hebr.* 13, 16.

Obj. 3. Christus dixit; *Facite hoc ad Mei commemorationem*; 1 *Cor.* XI, 24, 25. *Facere* autem ad Sacrificia pertinet. *Resp.* Imo verbum istud latissime patet; & pro subjecta materia debet exponi: sed à genere ad speciem non valet illatio affirmativa.

Obj. 4. *Act.* 13, 1, 2. Doctores aliqui Antiocheni dicuntur fuisse λειτουργοῦντες, hoc est *sacrificantes*, sive *officium Missæ celebrantes*. Ergò. *Resp.* Verbum λειτουργεῖν generatim significat *Ministrare*. Ità Angeli *Hebr.* I, 14. appellantur λειτουργικὰ πνεύματα, *ministratorii spiritus*. Et *Rom.* 13, 6. de Principibus & Magistratibus Politicis, λειτουργοὶ Θεοῦ εἰσί, *Ministri Dei sunt*. Atque ità dicitur, quòd Doctores Antiocheni fuerint λειτουργοῦντες, *ministrantes Deo cum jejunio*, sed nihil in specie de Sacrificio Missæ.

LIII. *Cœnæ Dominicæ finis* est, fidelis ac grata recordatio Christi pro nobis crucifixi atque oblati, ad spiritualem Ipsius ac beneficiorum ex Ipso promanantium communionem; 1 *Cor.* XI, 24, 25. dum corda habemus sursùm elevata ad Dominum, in cœlesti gloriâ viventem, ibique mansurum donec novissimo die revertatur ad extremum judicium, & plenam nostrî glorificationem: 1 *Cor.* XI, 26. Aliter se habet *Missa*; ubi Christus secundùm humanam naturam deorsum quæritur; sub speciebus Panis ac Vini: & ore manducari fingitur, ad percipiendam remissionem peccatorum, aliaque tum spiritualia, tum corporalia beneficia.

Sed *Adjuncta* quoque lustremus! *Cœna Dominica* universam peccatorum remissionem, atque integram salutem, nobis obsignat in Christo solo, ejusque oblatione unicâ positam: *Luc.* 22, 19, 20. Sed *Missæ* farrago, Sanctorum merita, atque invocationem

Idololatricam, includit. Et Panem consecratum, pro ipso Christo, in Missa, & extra eam, adorandum proponit.

Illa administratur linguâ populo notâ: *hæc* verò ignotâ.

Illa administratur ritibus à Christo institutis, *hæc* instrumentis, vestibus, gestibus, ritibus, &c. ab hominibus confictis.

XIV. Nunc videamus de *falsis Sacramentis!* Sunt autem ea, quinque *Pontificiorum; Confirmatio, Pœnitentia, Unctio extrema, Ordinatio,* & *Matrimonium*: quæ hoc versiculo continentur;

Ordino, Conjungo, Confirmo, Pœnitet, Ungo.

Sic illi in universum *septem Sacramenta* statuunt, hoc versiculo comprehensa;

Abluo, Firmo, Cibo, Pigèt, Ungit, & Ordinat, Uxor.

Confirmatio illis est Sacramentum, quod baptizatis adolescentibus, vel adultis, confertur ab Episcopo (aut saltem ejus Suffraganeo) in fronte, per sacrum chrisma, additis solennibus verbis (*Signo te signo crucis, & confirmo te oleo salutis, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti*) & inflictâ maxillæ alapa, ac data deinde *Pace*, adhibito etiam Compatre, potissimum circa tempus Pentecostes: ut sic fides corroboretur; & homini Christiano ad nomen Domini, quandocunque opus est, intrepide profitendum, animus addatur.

Sed *opponimus* huic commento, 1. Sacramentum confirmationis & corroborationis spiritualis, est nobis ipsa Cœna Dominica, secundùm SS. Literas. Aliud ignoramus

2. Istius Confirmationis, neque materia, neque forma, neque adjuncta, neque finis talis, comparent in S. Literis: unde concludimus, non esse verum N. T. Sacramentum.

3. Absurde Episcopus, alapam interim infligens, perso-

personam Diaboli, hominem suis colaphis exercentis, sustinet. Confer 2 *Cor.* 12, 7.

4. Perperam ritus iste ab hominibus institutus dicitur characterem indelebilem animæ imprimere, gratiam baptismalem perficere, &c. atque eatenùs ipsi Baptismo præstare.

Obj. 1. 2 *Cor.* I, 21, 22. memoratur confirmatio ibid. & 1 *Joh.* II, 27. unctio. Ergò. *Resp.* Istìc manifestè agitur de confirmatione & unctione spirituali, per Spiritum Sanctum.

Obj. 2. Apostoli, *Act.* 8, 15. leguntur baptizatis imposuisse manus, &c. *Resp.* Hæc manuum impositio tunc iis significabat superventura in ipsos extraordinaria Spiritus Sancti dona, adeoque nunc non amplius obtinet, postquam hæc dona cessârunt. Confer *Actor.* 19, 6. x. 44, 48. itemque *Matth.* 7, 12. 1 *Cor.* 13, 1, 2.

LV. *Pœnitentia* hoc loco non consideratur, ut est conversio hominis à vana conversatione ad Deum verum, quâ primùm vita in melius mutatur: ea enim in adultis Baptismum antecedit; neque vim Sacramenti habet, juxta ipsos Adversarios. Illi enim statuunt, hanc esse Sacramentum novæ Legis, à Christo post resurrectionem suam institutum, iis qui post Baptismum laberentur, & peccata sua confiterentur, &c. tanquam alteram tabulam post naufragium, administrandum à Sacerdotibus, per ista verba; *Ego te absolvo in nomine Patris*, &c. Licet non desint casus reservati. Sed cum in tota illa actione, prout à *Pontificiis* describitur, nullum externum visibile elementum detur, ad quod Verbum institutionis & promissionis, accederet, ut fieret Sacramentum; neque signum audibile ex instituto Divino efficax ad effectum spiritualem, (quod tamen ipsi Adversarii in omni Sacramento requirunt) hanc pro Sacramento non esse habendam, extra dubium est.

Accedit, quod non conveniat inter illos de formâ hujus Sacramenti; aliis absolutionem statuentibus & formam & materiam simul; aliis formam duntaxat. Sed nihil istorum auctoritate SS. Literarum nititur.

LVI. *Sacramentum extremæ unctionis* vocant; cùm homo infirmus, qui jam videtur moriturus, sed pœnitentiam agit de peccatis suis, per Sacerdotem in certis corporis membris ungitur oleo, quod Episcopus consecravit, efficaciter (ex eorum opinione) conferente remissionem reliquiarum peccati; ad mentis relevationem, atque corporis sanitatem, siquidem ita expediat, recuperandam.

Ex hâc descriptione satis apparet, 1. nullam esse talem Divinam institutionem.

2. Non esse Divinam promissionem gratiæ spiritualis justificantis & sanctificantis istis cerimoniis annexam.

3. Neque analogiam, ad spiritualem istiusmodi effectum, Divinitus propositam.

4. Neque statam & perpetuam cerimoniam, Ecclesiæ catholicæ præscriptam. Atque adeò non esse Sacramentum.

Obj. 1. *Marc.* 6, 13. Apostoli dicuntur multos ægros oleo unxisse, eosque sanasse, &c. *Resp.* Istud ad donum & opus miraculosæ sanationis manifeste pertinet. Gratis autem dicunt, istam unctionem præfigurasse suam sacramentalem.

Obj. 2. *Jac.* V, 14, 15. jubentur fideles ægrotantes, Presbyteros Ecclesiæ ad se vocare; qui eos oleo ungerent in nomine Domini, addita oratione; cum spe obtinendæ sanationis, & remissionis peccatorum; &c. *Resp.* Etiam iste locus manifeste agit de miraculosâ sanatione, cujus symbolum erat talis unctio. Verùm cessante isto effectû temere adhibetur symbolum. De remissione peccatorum conditionaliter loquitur Apostolus, &c. fatente etiam Card. *Cajetano* ad locum.

LVII. Suc-

LVII. Succedit *Sacramentum Ordinis*, quod vocant. In Ecclesiâ Dei *omnia decenter & ordine fieri dedebere*, juxta 1 *Cor.* 14, 40. in confesso est. Atque adeo neminem nisi legitime vocatum, Ministerium in ea exercere posse: quod cap. 20. probabitur.

Pontificii communiter septem statuunt *Ordines*: quatuor minores; Ostiariorum, Lectorum (quibus Cantores fere accensentur,) Exorcistarum, & Acoluthorum: tres autem majores; Subdiaconorum, Diaconorum, & Presbyterorum, (quibus fere Episcopos accensent.) Vulgò unumquemque Ordinem dicunt esse Sacramentum, materiâ, forma, & effectu proprio distinctum; nec tamen esse plura Sacramenta. Alii tamen solum Presbyteratum Sacramentum esse contendunt, &c.

Quantum ad *materiam*; in Ordinibus majoribus Signa adhibent duplicia; impositionem manuum scil. & traditionem instrumentorum; utpote Calicis & Patinę in Presbyteratu, &c. *Formam* constituunt in verbis, quibus Episcopus tunc utitur: ex. gr. in ordinatione Presbyteri; *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missasque consecrare, tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Domini.* In ordinatione Diaconi; *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei*, &c. In ordinatione Acoluthi; *Accipe ceroferarium cum cereo; & scias, te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipatum.* &c.

Effectum vulgò geminum faciunt; quòd istud Sacramentum gratiam conferat, & characterem in anima ordinati imprimat, in majoribus saltem Ordinibus. Verum ista omnia humanæ constitutionis sunt, & errorum plena,

Obj. 1 *Tim.* 4, 14. & 2, I, 6. commemoratur gratia à Timotheo accepta, per manuum impositionem. Ergò. *Resp.* 1. Istic non agitur de gratiâ justificante & sanctificante, quæ Sacramentis propriè obsignatur. 2. Idem ritus olim etiàm adhibitus fuit in qualicun-

licunque collatione extraordinariorum donorum Spiritûs Sancti. Sic nullo modo inde probatur Sacramentum.

LVIII. De *Matrimonio Pontificii* recentiores statuunt, illud esse Sacamentum verè ac propriè dictum

Nos breviter *opponimus*; 1. non esse à Deo, aut Christo, institutum, ut Sacramentale signum; aut sigillum gratiæ justificantis ac sanctificantis.

2. Nec promissione de gratiâ illâ, in ejus usû exhibendâ, munitum.

3. Nihil esse in Christianorum matrimoniis, quo fidelium matrimonia sub V. T. caruerint; cum tamen *Pontificii* fere contendant, illud Novi T. duntaxat Sacramentum esse.

4. Neque certam aliquam formam pro ejus administratione Divinitus esse præscriptam. Unde ipsi Adversarii multum dissentiunt de assignandâ materiâ & formâ istius Sacramenti: alii enim materiam constituunt in verbis consensum exprimentibus: alii in ipso consensû; alii in personis, aut corporibus contrahentium; alii in ritibus quibusdam visibilibus, qui Ecclesiastica benedictione adhibentur: formam vero, vel in verbis contrahentium, quibus consensum declarant; vel in verbis à Sacerdote prolatis, &c.

Obj. 1. *Ephes.* 5, 32. diserte vocatur Sacramentum. Ergo. *Resp.* Istìc *Mysterium*, pro quo Vulgata Versio habet *Sacramentum*, non ad Matrimonium ipsum; sed ad Spiritualem Christi cùm Ecclesiâ unionem, refertur: quod etiàm *Cajetanus* agnovit.

Obj. 2. 1 *Tim.* 2, 14. *Servabitur tamen liberos gignendo, si manserint in fide, & charitate, ac sanctimoniâ, cum moderatione.* Ex istâ promissione salutis sequitur, Matrimonium esse Srcramentum. *Resp.* Apostolus ibi consolatur feminas adversùs molestias in liberorum procreatione: ità salutem iis promittit, si virtutibus ibi assignatis serio & constanter operam dederint;

rint: sed nullo modo dixit, ipsum Matrimonium istius salutis signum & sigillum esse; atque adeò Sacramentum.

LIX. Sed & *Anabaptistæ* quidam duobus veris Sacramentis accensent *Lotionem pedum*: quam etiàm inter *Remonstrantes* adoptavit *Adolphus Venator.* Hanc autem potissimùm probare conantur, ex *Joh.* 13, 4,-16. Verum Christus ibi Sacramentum non instituit: sed lavando pedes Discipulorum suorum, isto exemplo ad quælibet officia charitatis sibi invicem humiliter præstanda, eos extimulare voluit; atque istâ occasione de spirituali ablutione ac puritate etiàm disseruit.

LX. Pro *Praxi*; 1. Exploremus nos ipsos, an Spiritum obsignantem verè habeamus: 2 *Cor.* 13, 5. cum 1, 21, 22. Eum ne extinguamus, quantum in nobis est: neque dolore afficiamus: 1 *Thess.* 5, 19. *Eph.* 4, 30.

2. Qui baptizati sumus, speciatim verò in infantiâ, admirandam istam gratiam fœderalem, sic nobis applicatam & obsignatam, piâ animi oblectatione agnoscamus, & meditemur identidem: *Act.* 8, 39. II. 39. *Psal.* 20, 10, 11. Jugitur expendamus insitionem nostrì in Christo, ad justificationis certitudinem subjectivam, & sanctificationis incrementum quotidianum: *Rom.* 6, 3,-6. atque item insitionem in corpore Ecclesiæ, ad mutuam parilem communionem bonorum salutarium, & praxin charitis non simulatæ: *Gal.* 3, 26,-29. *Rom.* 12, 3,-10. 1 *Cor.* 12, 12,-27. *Eph.* 4, 1,-7, 13,-16,

3. Ad usum Cœnæ Dominicæ, quoties occasio datur, debitè nos exploremus, præparemus, accedamus, cum pio desiderio: 1 *Cor*, XI, 28, 29. *Luc.* 22, 15. cum fame ac siti justitiæ Christi, & reliqui alimenti spiritualis: *Matth.* 5, 6. *Apoc.* 22, 17. cum *Joh.* 6, 27, 33, 35, 48, 50, 51, 53,-58.

4. Istam Corporis & Sanguinis Christi communionem

nionem rite æstimemus ac meditemur: 1 *Cor.* 10, 16. XI, 24, 25, 26. In eâ agnoscamus peccatorum remissionem, & totius N. T. ratificationem: *Matth.* 26: 26, 27, 28. 1 *Cor.* XI, 24, 25, 26. *Hebr.* 9, 15, - 28. Sic in praxi vitæ spiritualis, ac verâ sanctimoniâ, corroboremur: *Joh.* 6, 33, -. 1 *Cor.* 10, 3, - 12, XI, 20, - 34. *Hebr.* 9, 13, 14. & ad mutuam charitatem excitemur: 1 *Cor.* 10, 17, XII, 13, - 27.

5. Quæ veris Sacramentis falsò & superstiosè adjecta sunt, tanquàm characterem Bestiæ, refugiamus: *Deut.* 4, 2. V, 32. XII, 32. *Gal.* I, 8, 9. III, 15. *Apoc.* 13, 16, 17.

CAP. XIX.

De Glorificatione.

GLorificatio, *Actio realis. Termini.* 1. Christi in eâ *efficientia:* & *nexus* cum aliis beneficiis, 2. *Inchoatio* ejus in hâc vitâ. 3. *Bona* ejus. 4. Alii *fructûs.* 5. *Expectatio. Contrarium.* 6. *Consummatio. Mors fidelium.* 7. Probatur *beata existentia cum Christo.* 8. De *animabus impiorum.* 9. *Purgatorium Pontif.* refut. 10. *Objectiones* solv. 11. *Limbus Patrum* refut. c. eosd. 12. Atque item *Limbus infantium.* 13. *Glorificatio integrarum personarum. Gloriosa resuscitatio. Subjecta. Causa efficiens.* 14. *Duo actus.* Prob. 15. *Eorundem numero corporum:* c. *Socin.* 16. *Objectiones* solv. 17. *Transmutatio fidelium superstitum.* 18. *Resuscitatio improborum,* etiàm in iisdem corporibus. 19. *Judicium extremum. Actûs Christi Regis.* Patres *fidelium.* 20. Judicandi *Angeli;*

&

& Homines. 21. *Sententia justificatoria.* 22. *Condemnatoria.* 23. *Tempus. Prædictiones. Locus.* 24. *Executio æterna* in *improbis.* 25. *Gradûs* pœnarum. *Causa efficiens. Societas. Locus.* 26. *Objectiones* solv. 27. *Executio* in *fidelibus. Beatitudo* qualis. 28. *Societas. Locus. Duratio.* 29. *Quæ absutura. Quæ adfutura. Gradûs* gloriæ. 30. *Mundus non annihilandus. Obj.* solv. 31. *Praxis.* 32.

I. SUccedit, *Glorificatio*; actio realis, quâ homines redemti & justificati ex conditione miserâ & vili reipsâ transferuntur in statum gloriosum ac verè felicem. *Rom.* VIII, 30. *Quos justificavit, eos etiam glorificavit.*

Actionem realem dicimus; quia realem transmutationem in istis hominibus efficit.

Terminus à quo, est conditio misera, vilis, & ignominiosa; per turpitudinem peccatorum. *Rom.* 3, 23, *Omnes peccaverunt, ac deficiuntur gloriâ Dei. Hos.* 4, 7. *Gloriam eorum ignominiâ commutabo. Psal.* 14, 3. *Jes.* 64, 6. *Jerem.* 3, 24, 25.

Terminus ad quem, est status felix, bonorum (præcipuè spiritualium ac cœlestium) copiâ affluens, & maxime gloriosus: *Psal.* 33, 12. *Beata gens, cujus Jehovah est Deus; populus, quem elegit hæreditatem sibi.* XXXVI, 8, 9, 10. *Eph.* 1, 3. 2 *Cor.* 3, 18. 1 *Petr.* 1, 8.

II. Hanc salutem nobis *impetravit*, atque etiàm nunc in humanâ quoque naturâ exaltatus καὶ οἰκονομίαν efficaciter *applicat*, Christus: *Matth.* 20, 28, *Filius hominis* - dedit *animam suam redemtionis pretium pro multis.* 1 *Tim.* 2, 5, 6. *Eph.* 1, 5, - 8, 12. 1 *Petr.* 1, 18, 19. Ista autem gloria, licet in Justificatione nobis

bis adjudicetur; tamen per hanc actionem in nos confertur realiter: unde hæc metonymice quoque *Redemtio* appellatur, *Rom.* 8, 21, 23. *Eph.* 4, 30. Ad hanc etiam vocati sumus: 2 *Petr.* 1, 3. *Vocavit nos ad gloriam ac virtutem.* Quodque per Regenerationem primùm in nobis productum est; per Sanctificationem verò, Conservationem, & Corroborationem continuatur & perficitur; & per Obsignationem ad subjectivam certitudinem magis applicatur; idem, quatenùs decorem, felicitatem, & gloriam in se continet, ad præsentem hanc actionem quoque pertinet.

III. Spectanda est Glorificatio, *tùm* ut inchoata in hâc vitâ; *tùm* ut perfecta post hanc vitam.

In hâc vitâ consistit in restauratâ imagine Dei, & inchoatâ conformitate Christi; quæ utique gloriosa est. Hinc 1 *Cor.* XI, 7. conjunguntur *Imago* & *Gloria*. Confer *Rom.* 3, 23. Hæc est præsens quędam beatitudo, & vita æternum duratura. Vide *Rom.* 4, 5. *Matth.* 5, 3, -11. *Joh.* 3, 36. XVII, 3. Confer *Eph.* 4, 18. 1 *Joh.* 3, 15.

In hac vita gloriosâ inest viva apprehensio & certus sensus, amoris Dei; ex unione & communione, quam cum Ipso habemus per Christum: 1 *Joh.* 1, 1, 3, 4. -- *Communio nostra fuit cum Patre; & cum Filio ejus Jesu Christo.*

IV. In istâ unione & communione inest 1. maximè sublimis ac beatissima Amicitia, & Familiaritas: *Joh.* 15, 15. *Vos dixi amicos. Jac.* 2, 23. *Amicus Dei vocatus est. Eph.* 2, 19. III, 15.

2. Participatio locupletissima spiritualium donorum gratiæ: *Col.* 2, 2, 7, 10. *Ipsis charitate compactis, & omni opulentia certioratæ intelligentiæ*, &c. atque ità amplus introïtus in Regnum Dei: 2 *Petr.* 1. 8, 11.

3. Beatissima experientia benevolentiæ ac beneficentiæ Divinæ: *Psal.* 31. 20. *Quam multum est Bonum*

num Tuum, quod sepofuisti timentibus Te! &c. lxv, 5. *Nehem.* 2. 8. *Rom.* 8, 28.

4. Subjectiva certitudo perseverantiæ ac salutis æternæ: *Rom.* 8, 38, 39. Cui adjungitur indubitata spes gloriæ cœlestis: *Rom.* 5, 2. & libertas in omni necessitate adeundi ad Deum cum fiduciâ: *Eph.* 2, 18. III, 12. *Hebr.* 4, 16. x, 22.

V. Ex superioribus sequuntur alii fructus præclari: utpotè *Consolatio* adversùs mala tristia: estque doloris aut metûs opprimentis relevatio, per auxilia in Christo, tum suppeditata, tum promissa: 2 *Cor.* 1, 3, 4, 5.- *Per Christum redundat consolatio nostra.* *Joh.* 16, 33, 1 *Joh.* 5, 4. *Rom.* 8, 37. *Col.* 2, 2 *Jes.* 40, 1.

Per universam vitam hominis fideles se porrò diffundunt solida Pax & Gaudium. *Rom.* 14, 17. *Regnum Dei est Pax & Gaudium.*

Pax ista est animi tranquillitas in Deo & Christo, ratione salutis jam inchoatæ, & postmodum consummandæ: Phil 4, 7. *Pax illa Dei, quæ superat omnem mentem, præsidio custodiet corda vestra, & cogitationes vestras, in Christo Jesû. Ephes.* 2, 14 Confer *Jes.* 9, 6. *Ioh.* 14, 27.

Gaudium verò est animi delectatio in unione & communione summi boni: 1 *Ioh.* 1, 3, 4. *Communio nostra sit cum* Patre, *& cum* Filio *ejus Iesû Christo. Et hæc scribimus vobis, ut Gaudium vestrum sit plenum. Phil.* 4, 4. *Gaudete in Domino semper.* 1 *Petr.* 1, 7, 8, *Psal,* 4, 7. 8. *Luc.* 10, 20. cum *Matth.* 25, 21, 23. *Ioh.* 16, 11.

VI. Ista igitur est *Glorificatio inchoata*; Primitiæ Spiritûs; *Rom.* 8, 23. messem plenam certissimè promittentes, atque in adversis nos subsistere & victoriam obtinere facientes: 1 *Petr.* 4, 14.

Contraria est conditio impiorum; vere turpis, impura, vilis, ignominiosa. Deo omnibusque sanctis abominabilis. Hinc adjuncta & effecta tristissima; inquie-

 tudo,

tudo, terror, desperatio, exitium denique omnium eorum qui in eo statu perseverant. *Ies.* 48, 21. *Non est pax (dicit Iehovah) impiis.* lvii, 20, 21. *Prov.* 28, 1. *Fugiunt, tametsi nemo persequatur. Psal.* 73, 18, 19, 20. *Iudæ,* 13. *Rom.* 1, 28. II, 15. *Eph.* 4, 18, 19. *Ioh.* 8, 14. *Prov,* 1, 26, 27; 31, 32.

VII. *Post hanc vitam* consummabitur Glorificatio: liberabimur enim ab omni imperfectione in animâ & in corpore, atque omnis perfectio nobis communicabitur: 1 *Cor.* 13, 9, 10, 12. *Ex parte cognoscimus: -- Postquam autem advenerit quod perfectum est; tunc quod est aliquatenus, abolebitur.* &c. 2: 5, 1, - 8.

Hæc autem Glorificatio spectanda est *tum* in anima separata, *tum* in personâ integra.

Mors temporaria & corporalis adhuc evenit fidelibus; non tamen ut pœna stricte dicta; sed ut transitus in vitam æternam, & depositio reliquiarum peccati. Atque ità gradatim salus applicatur. Plenissima autem applicatio fiet novissimo die: *Rom.* 8, 10, 11. 1 *Cor.* 15, 20, 22, 23; 26. Infidelium alia est ratio, super quos ira Dei permanet: *Ioh.* 3, 36. & quos ea occupavit ad extremum usque; 1 *Thess.* II, 16.

VIII. Sic igitur *animæ fidelium*, à corporibus suis separatæ, à reliquiis peccatorum, aliarumque miseriarum, pro suâ parte liberantur, & ad perfectionem sanctitatis ac gloriæ, cum Christo apud Deum in cœlo percipiendam, statim transeunt. Hinc 1. *Eccl.* 12, 7. *Revertitur pulvis in terram; & spiritus ad Deum, qui dedit illum.* Quod de singulis quidem morientibus accipiendum; de fidelibus autem, ut vero statui gloriæ convenit. De his specialius, *Ies.* 57, 2. *Ingredietur in pace, requiescent in cubilibus suis,* &c. *Hebr.* 12, 23. *Spiritus justorum consummatorum. Apoc.* 14, 13. *Beati ab hoc tempore mortui, ii qui in Domino moriuntur. Etiàm dicit Spiritus: ut requiescant à laboribus suis,* &c. *Ioh.* 5, 24. *Qui credit -, habet vitam æternam;*

&

& in condemnationem non veniet : sed transivit à morte in vitam.

2. Hùc pertinent exempla, Latronis post mortem statim in Paradisum migrantis, *Luc.* 23, 43. cum *vers.* 46. & 2 *Cor.* 12, 3, 4, Animarum eorum, qui *mactati fuerant propter Verbum Dei*, -. *Clamabant autem voce magna, dicentes; Usque quò*, &c. *Tum datæ sunt singulis stolæ albæ*; & *dictum est, ut requiescerent adhùc paululum temporis*, &c. *Apoc.* 6, 9, 10, 11. Confer VII, 9, 10, 14. Item *Luc.* 16, 22, 25, 27, -31. de animâ Lazari ab Angelis in sinum Abrahæ transportati, &c.

3. Accedit fides solida, & certa spes, filiorum Dei. Hanc exprimit Apostolus, *Phil.* I, 21, -24. - *Constrictus utrimque teneor, desiderio tendens ad dimissionem, & ut cum Christo sim.* & 2 *Cor.* 5, 1, -8.

IX. De *animabus* verò *impiorum*, secundum SS. Literas dicendum, quod post separationem à corporibus justo Dei judicio ablegentur in infernum : atque illìc cruciatûs & pœnas peccatorum suorum perferant, Hinc 1. ratione loci, Judas proditor dicitur *abiisse in suum locum*, *Act.* I, 25. Ac similiter damnatus epulo, *in locum tormenti* venisse; *Luc.* 16. 28. Itemque 1 *Petr.* 3, 19, 20. memorantur *spiritus* existentes *in carcere*, - *qui olim non paruerunt* sermoni. Confer 2 *Petr.* II, 4.

2. Ratione verò cruciatuum & pœnarum, quales videl. naturæ spirituali conveniunt; Sodoma & Gomorra, iisque finitimæ civitates, h. e. animæ illorum hominum, dicuntur *sustinere pœnam ignis æterni.* Et Epulo, *gravissimè cruciatus in flamma*: *Luc.* 16, 23, 24, 25.

3. Neque omittenda gravis præmonitio Christi, de metuendo Illo, qui *postquam interemit* corpus, *potestatem habet conjiciendi in gehennam*; *Luc.* 12, 4, 5.

Obj. Eccl. III, 19, 20, 21. dicuntur *filii hominum mori,*

ſicuti animal, &c. *Reſp.* Iſtud intelligendum eſt de accidentibus externis & viſibilibus, in morte hominum & beſtiarum. Quod vero conditio hominum coram Deo, plurimum differat à conditione beſtiarum, ſatis patet ex verſ. 17. *Iuſtum & impium judicabit Deus.* ac porrò, XI, 9. XII, 7, 12, 13.

X. *Pontificii* pro fidelibus, qui in peccatis venialibus moriuntur, ſtatuunt locum aliquem intermedium, ubi pro culpa ſua juſtitiæ Divinæ ſatisfaciant, & per pœnas purgentur; donec poſteà ad cœleſtem beatitudinem admittantur. P*urgatorium* appellant; & carcerem aliquem ſubterraneum, inferno proximum, aut contiguum, exiſtimant. Sed 1. Scriptura tantùm duo loca animarum ſeparatarum agnoſcit, unum gloriæ, alterum damnationis, atque indicat, unumquemque permanere in eo loco, in quem ſtatim à morte tranſit. *Eccl.* XI, 3. *Si ceciderit arbor ad Auſtrum, ſive ad Aquilonem; in quem locum ceciderit ipſa arbor, ibi erit.*

2. Chriſtus pleniſſimè pro peccatis electorum juſtitiæ Divinæ ſatisfecit; adeò quidem ut nulla ſatisfactio ab iis exigi poſſit. *Hebr.* 10, 14-18. U*nicâ oblatione* Chriſtus *in perpetuum Conſummavit eos qui ſanctificantur.* Et quia per Chriſti ſatisfactionem exſtinctus eſt omnium peccatorum noſtrorum reatus, *ſanguis* ejus dicitur *nos Purificare ab Omni peccato*; 1 *Ioh.* I, 7. Nullum ergò peccatum reliquum eſt, à quo purgari deberemus tali Igne purgatorio.

3. Idem patet ex naturâ Juſtificationis, quæ plenam remiſſionem omnium peccatorum complectitur; adeò ut nulla amplius pro iis ſatiſfactio exigenda ſit. R*om.* IV, 6, 7, 8. *Sicut etiam David* (*Pſal.* 32, 1, 2.) *Declarat beatum eum hominem, cui Deus imputat juſtitiam abſque operibus*: dicens; *Beati, quibus remiſſæ ſunt Legis tranſgreſſiones; & quorum tecta ſunt peccata*, -. V, 1, 2. *Iuſtificati igitur ex fide, pacem habemus apud Deum*, -. 9. *Iuſtificati nunc Ejus ſanguine*,

ne, servabimur multò magis per Eum ab ira, VIII, 1. *Nulla nunc est condemnatio iis qui sunt in Christo Iesu.* Ergò nec temporalis illa condemnatio in Purgatorio. 33, 34. *Quis intentabit crimina*, &c.

4. Distinctio peccatorum in mortalia & venialia, quæ Purgatorio substernitur, caret fundamento; & confutata est sup. cap. 10. th. 43.

XI. *Obj. Matth.* 5, 25, 26. Christus loquitur de carcere; unde qui in eum essent conjecti, non forent liberandi ante persolutum ultimum quadrantem: iste autem est Purgatorium: ex inferno enim nulla unquàm fit liberatio. *Resp.* Sed minimè dicit, homines post hanc vitam posse ultimum istum quadrantem persolvere; & sic liberari: ad ipsum igitur infernum istud pertinet.

Obj. 2. 1 *Cor.* 3, 15. *Ipse verò servabitur, ità tamen ut per ignem.* Scil. Purgatorium. *Resp.* Apostolus allegoricè loquitur de Doctoribus, solido ac salutari fundamento Christo superstruentibus vel doctrinas veras & utiles, vel incertas & inutiles- futurum autem, ut cujusque opus manifestum fiat, ut dies ipsum declaret, & ignis probet ac retegat. Verum iste non est ignis purgatorius & pœnalis post hanc vitam; sed probatorius etiàm in hoc sæculo; dùm opus Ministerii probabitur deinceps, per ipsum Verbum Dei, Spiritû efficaciter cooperante. Confer *Ierem.* 23. 29. *Mal.* III, 2, 3. *Matth.* III, 11. Interim salvandi sunt, quamvis ægrè, qui fundamentum retinuerint. Confer *Am.* 4, 11. *Zach.* III, 2. 1 *Petr.* 4, 18.

Obj. 3. *Phil.* II, 10. *In nomine Iesu flectentur* etiam *genua subterraneorum.* Hoc est, in Purgatorio laborantium. *Resp.* Indicatur ibi subjectio omnium creaturarum, etiam hostium, & damnatorum, ad Christum. Confer *Gen.* 41, 43. *Esth.* 3, 2. Item *Psal.* 72, 9, 11. 1 *Cor.* 15, 25, 26, 27. *Ioh.* 5, 27, 28, 29.

XII. Præter istud Purgatorium, duos insuper *Lim-*

bos infernales falsò statuunt *Pontificii*; unum *Patrum* appellant, alterum *Infantium*. *Limbum Patrum* reliquis Inferni partibus, aut receptaculis, superiorem reputant; in quo patres, sive fideles V. T. fuerint detenti, donec per Christi ad inferos descensum ex eo liberarentur.

Verùm 1. S. Scriptura talem locum non agnoscit.

2. Satisfactio & Meritum Christi κτ̀ πρόληψιν etiam in istius temporis fidelibus efficax fuit: *Iesus Christus heri, & hodiè idem est, & in sæcula; Hebr.* 13, 8. Confer *Act.* 15, 10, 11.

3. Quia fideles illi etiam justificati sunt per fidem: atque adeo non solum ab omni damnatione immunes fuerunt; sed etiam jus habuerunt ad ipsam cœlestem beatitudinem. Sic de Abrahamo, *Iac.* II, 23. *Credidit Abraham Deo; & imputatum est ei ad justitiam, & amicus Dei vocatus est.* Confer *Rom.* IV, 1, - 5, 6, - 9. VIII, 30.

4. Christus localiter ad Limbum illum infernalem non descendit. Vide sup. cap. 12. th. 57.

Obj. 1. *Zach.* 9, 11. *Emisi vinctos tuos de cisternâ, in quâ non est aqua.* Hoc autem pertinet ad istum Limbum. *Resp.* Proximè pertinet ad liberationem ex captivitate Babylonicâ; ac porrò ex omni miseriâ spirituali, juxta Euangelium.

Obj. 2. 1 *Sam.* 28, 11, -. Pythonissa produxit Samuelem; non ex Cœlo, sed ex Limbo. Ergò. *Resp.* Non Samuëlem, aut ejus animam; sed Satanam, qui Prophetæ personam mentiebatur: neque enim talis vir, ut Samuel, in potestate Diaboli & hominum nefariorum fuit post mortem suam. Vide *Jes.* 57, 2. Nec Deus Sauli respondere voluit per media ordinaria: 1 *Sam.* 28, 11, 15. nedùm per Prophetam mortuum. Vide *Jes.* 8, 19, 20. *Luc.* 16, 30, 31. cum 2 *Cor.* XI, 14. Metaphoricè autem vocatur *Samuel*: propter imaginem, aut similitudinem.

XIII. *Lim-*

XIII. *Limbum Infantium* fingunt receptaculum infernale, in quo infantes sine Baptismo mortui, pœnam damni tantùm, vel exigui saltem sensûs, ferant.

Verùm 1. Scriptura nihil de isto loco tradit.

2. Si infantes verè fœderati fuerint, salutem iis promisit Deus: quæ gratia ad Baptismum jam præsupponitur; non demùm per illum confertur.

XIV. Succedit *Glorificatio integrarum personarum*, ad quam pertinent Gloriosa fidelium defunctorum Resuscitatio, publica eorundem in extremo judicio Justificatio, & Sententiæ istius Executio æterna ac beata.

Resuscitatio illa erit actio potens & gloriosa Christi, quâ Ipse cadavera omnium & singulorum fidelium suorum, quantumvis in pulverem redacta & dispersa, in consummatione sæculi restituet, gloriâ condecorabit, & animabus suis corpora singula reduniet, ad perfectam beatitudinem.

Subjecta recipientia Resuscitationis hujus gloriosæ erunt cadavera Hominum fidelium; eaque omnia & singula. *Matth.* 10, 28. *Trucidant corpus; animam autem non possunt trucidare. Ioh.* 5, 28, 29. *Qui in monumentis sunt, audient vocem Ejus. Et prodibunt, qui bona fecerint, in resurrectionem vitæ.* Item *Luc.* xx. 36. *Filii sunt Dei, cùm sint filii resurrectionis. Rom.* 8, 29, 30. *Nam quos præscivit, etiam prædestinavit conformandos imagini Filii sui; - quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.*

Causa efficiens primò est Deus: 1 *Sam.* II, 6. *Iehovah - vivificat*: *Rom.* 4, 17. 2 *Cor.* 1, 9. 1 *Tim.* 4, 18. Atque ita competit hoc opus Patri, Filio, & Spiritui Sancto: *Ioh.* 5, 21. *Rom.* VIII, 11. per Divinam omnipotentiam: *Ephes.* 1, 19, 20. *Phil.* III, 21. *κατ' οἰκονομίαν* verò istud opus tribuitur Christo Mediatori, qui istam gloriam impetravit; sic ipse à mortuis resurrexit; & membra sua etiam suscitabit:

 Ioh.

Ioh. XI, 26. *Dixit ei Iesus; Ego sum resurrectio & vita; qui credit in Me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* Vide etiam *Ioh.* 5, 26, - 29. *Ephes.* II, 5, 6. 1 *Cor.* 15, 20, - 23. Hanc suam virtutem demonstravit Christus in miraculosa resuscitatione Lazari; *Ioh.* XI, 23, - 27, 40, - 44. adolescentis filii matris viduæ; *Luc.* 7, 11, - 15. adolescentulæ filiæ Jairi; VIII, 49, - 54. & multorum sanctorum prædefunctorum circa mortem Christi; *Matth.* 28, 52, 53. Confer *Actor.* 9, 37, - 41. XX, - 9, - 12. Item 1 Reg. 17, 17, - 23: 2, IV, 20, 32, - 37. XIII, 20, 21.

XV. Ad *modum resuscitationis* pertinent duo actûs. P*rior* est ipsa revificatio: & complectitur cadaverum recollectionem; animarum propriarum iteratam cum illis unionem; atque ità veram illorum per has informationem; & quidem talem, ut istæ personæ integræ deinceps futuræ sint, etiam ratione istorum corporum, immortales, incorruptibiles, gloriosæ. *Posterior* est vivificatorum egressus in occursus Domini. Illustris est illa visio quæ *Ezechieli* exhibita fuit, XXXVII, 1, - 10. Ossium siccorum, quæ colligebantur, vivificabantur, &c. Confer *Apoc.* XX. 12, 13. Atque ipse Christus, *Ioh.* 5, 28, 29. *Veniet hora, qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Ejus. Et prodibunt, qui bona fecerint, in resurrectionem vitæ.* Adde 1 *Cor.* 15, 37, - 44. 1 *Thess.* IV. 14, 16.

Ista autem resuscitatio fiet in consummatione sæculi, in adventû Domini, &c. Magnum hoc fidei mysterium ut contra Infideles asserimus; sic aliquot Argumentorum classibus probandum est. Hùc pertinent 1. evidentissima quædam effata V. T. utpotè *Dan.* 12, 1, 2, 3. *Multi dormientium in pulvere terræ expergiscentur; hi ad vitam æternam*, &c. Adde *Job.* 19, 25, 26, 27. Et *Psal.* 16, 9, 10. quæ prophetia sic ad Christum pertinet, ut ad membra Ipsius deinceps

appli-

applicari debeat suo modo. Item *Hos.* VI, 2.

2. Ex effatis quibusdam ipsius Christi in N. T. qualia extant *Ioh.* 5, 28, 29. Adde *Matth.* XXII, 29, 31, 33. 34. ubi Salvator mortuorum resurrectionem adversùs Sadducæos validè asserit.

3. Ex confessionibus & doctrinis Apostolorum: *Act.* XXIV, 14, 15. Paulus de se ipso. *Ut qui credam omnibus, quæ in Lege & in Prophetis scripta sunt; ac spem habeam in Deo, fore, quam etiam ii ipsi* (Pharisæi) *expectant, resurrectionem mortuorum.* 1 *Cor.* 15, 12,-. 1 *Thess.* 3, 14, 16. *Apoc.* 20, 12, 13.

4. Ex redargutione hæreticorum, contrariam opinionem foventium & spargentium: 2 *Tim.* 2, 16, 17, 18. - *Qui circa fidem aberrârunt à scopo, dicentes, resurrectionem jam esse factam,* &c.

XVI. Quòd autem ista resuscitatio futura sit eorundem numero corporum, quantum ad ipsam substantiam attinet; qualitatibus ad incorruptionem & gloriam solum mutatis, probatur specialius contra *Socinianos*: 1. quia erit vera resuscitatio corporum ex pulvere terræ, ex monumentis, ex mari; secundùm loca *Dan.* XII, 2. *Iob.* 19, 25, 26, 27. *Ioh.* 5, 28. 29. *Apoc.* XX, 12, 13. atqui hæc de ipsis corporibus intelligenda sunt necessariò.

2. Accedunt alia testimonia, de ipsis corporibus nunc humilibus, & mortalibus, aut mortuis, loquentia: *Rom.* 8, 11. 1 *Cor.* 15, 53, 54. *Oportet enim corruptibile istud induere incorruptibilitatem*, &c. *Phil.* 3, 20, 21.

3. Huc etiam pertinent exempla: primò quidem & potissimùm ipsius Christi, qui eodem substantiâ corpore è sepulchro prodiit. Atqui Christus est nostrum caput; & primitiæ resurgentium à mortuis, in gloriosam vitam, factus est. Hinc Angeli ad mulieres, *Luc.* 24, 5, 6. *Quid inter mortuos quæritis eum qui vivit? Non est hîc: sed suscitatus est.* Quaproter

Act. xxiv. 15. *Resurrectionem mortuorum, tùm justorum, tum injustorum.*

2. Disertè docetur quoque resuscitatio ad ignominiam, damnationem, & horrorem: *Dan.* xii, 2. *Ioh.* 5, 29.

3. Judicium extremum, quod personarum resuscitationem prærequirit, erit universale; atque adeò infideles & improbos quoque complectetur: *Rom.* II, 5, 6. *Thesaurizas tibi ipsi iram, in diem iræ, & patefactionis justi judicii Dei; qui reddet unicuique secundum opera ipsius.* 2 *Cor.* 5, 10. 2 *Thess.* 1, 6, 7, 8.

4. Consequenter improbi damnati, æternas pœnas perferent, anima & corpore pariter: quod mox probabitur. Ubi iterum supponitur eorum resuscitatio.

Obj. Resuscitatio peragetur à Christo; cum quo infideles non habent communionem: ergo illi non suscitabuntur. *Resp.* Resuscitatio fidelium à Christo quidem peragetur, ut ipsorum Capite & Salvatore: *Phil.* 3, 21. Infidelium vero ab eodem, tanquam judice, ad judicandum ordinato: *Act.* 17. 31.

XX. *Iudicium extremum* est Actus Regni Christi quo ille novissimo die de creaturis rationalibus, visibiliter in nubibus Cœli justam sententiam pronunciabit; atque mox executioni mandabit; justos quidem palàm justificando, & vitam ęternam gloriosam judicialiter iis decernendo; injustos autem condemnando, & æternis cruciatibus adjudicando.

Quod sit *actus Christi*, patet ex locis, *Joh.* 5, 22 *Act.* 17, 31. Quod ad *Regnum Ipsius* pertineat; *Matth.* 25, 31. -- *Cum venerit Filius hominis cum gloria sua, & omnes sancti Angeli cum Eo, tunc sedebit in Throno gloriæ suæ. Et congregabuntur coram Eo omnes gentes: & separabit eos,* &c. *Tunc dicet* Rex *iis, qui ad dextram* Ipsius erunt, &c.

Ex postremo illo loco etiam liquet, Christum adfutu-

futurum cum magna demonstratione Majestatis, in propria sua humana natura; per aspectabilem quendam consessum in Throno glorioso, & cum sanctis Angelis, qui ipsi adsistent. Confer *Matth.* 24, 29, 30, 31. 1 *Thess.* 4, 16. 2, 1, 7, 8. 2 *Petr.* 3, 10, 12. *Judæ*, 14, 15. *Apoc.* 20, 11, 12. *Psal.* L, 1,-6. Item *Exod* 19. 16, 18, 19. *Gal.* 3, 10. *Hebr.* 12, 18,-21.

Ipsi autem *fideles* etiam judicabunt cum & sub Christo; ejus justum judicium agnoscentes, & approbantes: quod quidem ad arctissimam illorum cum Christo unionem, Regni Ejus participationem, adeoque ipsorum gloriam pertinebit; simulque ad majorem damnatorum convictionem. Hinc *Matth.* 19, 28. *Sedebitis vos etiam in thronis duodecim, judicium ferentes.* &c. 1. 1 *Cor.* 6. 2. 3. *An ignoratis*, Sanctos *mundum judicaturos?* 2. *an ignoratis fore, ut* Angelorum *judices simus?*

XXI. *Iudicandi* autem venient, *tum* Angeli, *tum* Homines. De *Angelis* patet ex loco proxime allegato. Specialius vero ad *malos Angelos* refertur judicium condemnatorium; 2 *Petr.* 2, 4. *Deus* Angelis, *qui peccaverunt, non pepercit; sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit, damnationi asservatos.* *Judæ*, 6. *Angelos, qui non servarunt suam originem, sed reliquerunt suum domicilium, judicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine servasse.* *Matth.* 25, 4. *Dicet iis, qui ad sinistram* erunt; *Execrandi, abite à Me in ignem illum æternum, paratum Diabolo & Angelis ejus.*

Sed *Iudicium de Hominibus* magis est nostræ considerationis: quod communiter proponitur *Eccl.* III, 17. *Iustum & impium judicabit Deus.* XII, 14. *Matth.* 25, 32,-. *Et congregabuntur coram Eo* (Christo) *omnes gentes; & separabit eos ab aliis, ut pastor oves ab hædis,* &c. *Act.* 17, 31. *Rom.* 2, 6, 16. XIV, 10, 12. 2 *Cor.* 5, 10. *Apoc.* 20, 12, 13.

Obj. 1. *Ioh.* 5, 24. *Qui credit, non veniet in judicium.*

tudo, terror, desperatio, exitium denique omnium eorum qui in eo statu perseverant. *Ies.* 48, 21. *Non est pax (dicit Iehovah) impiis.* lvii, 20, 21. *Prov.* 28, 1. *Fugiunt, tametsi nemo persequatur.* *Psal.* 73, 18, 19, 20. *Iudæ,* 13. *Rom.* 1, 28. II, 15. *Eph.* 4, 18, 19. *Ioh.* 8, 14. *Prov,* 1, 26, 27; 31, 32.

VII. *Post hanc vitam* consummabitur Glorificatio: liberabimur enim ab omni imperfectione in animâ & in corpore, atque omnis perfectio nobis communicabitur: 1 *Cor.* 13, 9, 10, 12. *Ex parte cognoscimus: -- Postquam autem advenerit quod perfectum est; tunc quod est aliquatenùs, abolebitur.* &c. 2: 5, 1, - 8.

Hæc autem Glorificatio spectanda est *tum* in anima separata, *tum* in personâ integra.

Mors temporaria & corporalis adhuc evenit fidelibus; non tamen ut pœna stricte dicta; sed ut transitus in vitam æternam, & depositio reliquiarum peccati. Atque ità gradatim salus applicatur. Plenissima autem applicatio fiet novissimo die: *Rom.* 8, 10, 11. 1 *Cor.* 15, 20, 22, 23, 26. Infidelium alia est ratio, super quos ira Dei permanet: *Ioh.* 3, 36. & quos ea occupavit ad extremum usque; 1 *Thess.* II, 16.

VIII. Sic igitur *animæ fidelium*, à corporibus suis separatæ, à reliquiis peccatorum, aliarumque miseriarum, pro suâ parte liberantur, & ad perfectionem sanctitatis ac gloriæ, cum Christo apud Deum in cœlo percipiendam, statim transeunt. Hinc 1. *Eccl.* 12, 7. *Revertitur pulvis in terram; & spiritus ad Deum, qui dedit illum.* Quod de singulis quidem morientibus accipiendum; de fidelibus autem, ut vero statui gloriæ convenit. De his specialius, *Ies.* 57, 2. *Ingredietur in pace, requiescent in cubilibus suis,* &c. *Hebr.* 12, 23. *Spiritus justorum consummatorum.* *Apoc.* 14, 13. *Beati ab hoc tempore mortui, ii qui in Domino moriuntur. Etiàm dicit Spiritus: ut requiescant à laboribus suis,* &c. *Ioh.* 5, 24. *Qui credit -, habet vitam æternam;*

& in condemnationem non veniet : ſed tranſivit à morte in vitam.

2. Hùc pertinent exempla, Latronis poſt mortem ſtatim in Paradiſum migrantis, *Luc.* 23, 43. cum *verſ.* 46. & 2 *Cor.* 12, 3, 4, Animarum eorum, qui *mactati fuerant propter Verbum Dei,-. Clamabant autem voce magna, dicentes ; Uſque quò*, &c. *Tum datæ ſunt ſingulis ſtolæ albæ* ; & *dictum eſt, ut requieſcerent adhuc paululum temporis*, &c. *Apoc.* 6, 9, 10, 11. Confer VII, 9, 10, 14. Item *Luc.* 16, 22, 25, 27,- 31. de animâ Lazari ab Angelis in ſinum Abrahæ tranſportati, &c.

3. Accedit fides ſolida, & certa ſpes, filiorum Dei. Hanc exprimit Apoſtolus, *Phil.* I, 21,-24. - *Conſtrictus utrimque teneor, deſiderio tendens ad dimiſſionem, & ut cum Chriſto ſim.* & 2 *Cor.* 5, 1,-8.

IX. De *animabus* verò *impiorum*, ſecundum SS. Literas dicendum, quod poſt ſeparationem à corporibus juſto Dei judicio ablegentur in infernum : atque illìc cruciatûs & pœnas peccatorum ſuorum perferant, Hinc 1. ratione loci, Judas proditor dicitur *abiiſſe in ſuum locum*, *Act.* I, 25. Ac ſimiliter damnatus epulo, *in locum tormenti* veniſſe; *Luc.* 16. 28. Itemque 1 *Petr.* 3, 19, 20. memorantur *ſpiritus* exiſtentes *in carcere*,- *qui olim non paruerunt* ſermoni. Confer 2 *Petr.* II, 4.

2. Ratione verò cruciatuum & pœnarum, quales videl. naturæ ſpirituali conveniunt ; Sodoma & Gomorra, iiſque finitimæ civitates, h. e. animæ illorum hominum, dicuntur *ſuſtinere pœnam ignis æterni*. Et Epulo, *graviſſimè cruciatus in flamma* : *Luc.* 16, 23, 24, 25.

3. Neque omittenda gravis præmonitio Chriſti, de metuendo Illo, qui *poſtquam interemit* corpus, *poteſtatem habet conjiciendi in gehennam* ; *Luc.* 12, 4, 5.

Obj. Eccl. III, 19, 20, 21. dicuntur *filii hominum mori,*

ſicuti animal, &c. *Reſp.* Iſtud intelligendum eſt de accidentibus externis & viſibilibus, in morte hominum & beſtiarum. Quod vero conditio hominum coram Deo, plurimum differat à conditione beſtiarum, ſatis patet ex verſ. 17. *Iuſtum & impium judicabit Deus.* ac porrò, XI, 9. XII, 7, 12, 13.

X. *Pontificii* pro fidelibus, qui in peccatis venialibus moriuntur, ſtatuunt locum aliquem intermedium, ubi pro culpa ſua juſtitiæ Divinæ ſatisfaciant, & per pœnas purgentur; donec poſteà ad cœleſtem beatitudinem admittantur. *Purgatorium* appellant; & carcerem aliquem ſubterraneum, inferno proximum, aut contiguum, exiſtimant. Sed 1. Scriptura tantùm duo loca animarum ſeparatarum agnoſcit, unum gloriæ, alterum damnationis, atque indicat, unumquemque permanere in eo loco, in quem ſtatim à morte tranſit. *Eccl.* XI, 3. *Si ceciderit arbor ad Auſtrum, ſive ad Aquilonem; in quem locum ceciderit ipſa arbor, ibi erit.*

2. Chriſtus pleniſſimè pro peccatis electorum juſtitiæ Divinæ ſatisfecit; adeò quidem ut nulla ſatisfactio ab iis exigi poſſit. *Hebr.* 10, 14-18. *Unicâ oblatione* Chriſtus *in perpetuum Conſummavit eos qui ſanctificantur.* Et quia per Chriſti ſatisfactionem exſtinctus eſt omnium peccatorum noſtrorum reatus, *ſanguis* ejus dicitur *nos Purificare ab Omni peccato*; 1 *Ioh.* I, 7. Nullum ergò peccatum reliquum eſt, á quo purgari deberemus tali Igne purgatorio.

3. Idem patet ex naturâ Juſtificationis, quæ plenam remiſſionem omnium peccatorum complectitur; adeò ut nulla amplius pro iis ſatisfactio exigenda ſit. Rom. IV, 6, 7, 8. *Sicut etiam David* (*Pſal.* 32, 1, 2.) *Declarat beatum eum hominem, cui Deus imputat juſtitiam abſque operibus*: dicens; *Beati, quibus remiſſæ ſunt Legis tranſgreſſiones; & quorum tecta ſunt peccata*, -. V, 1, 2. *Iuſtificati igitur ex fide, pacem habemus apud Deum*, -. 9. *Iuſtificati nunc Ejus ſangui-*

ne,

ne, servabimur multò magis per Eum ab ira, VIII, 1. *Nulla nunc est condemnatio iis qui sunt in Christo Iesu.* Ergò nec temporalis illa condemnatio in Purgatorio. 33, 34. *Quis intentabit crimina*, &c.

4. Distinctio peccatorum in mortalia & venialia, quæ Purgatorio substernitur, caret fundamento; & confutata est sup. cap. 10. th. 43.

XI. *Obj. Matth.* 5, 25, 26. Christus loquitur de carcere; unde qui in eum essent conjecti, non forent liberandi ante persolutum ultimum quadrantem: iste autem est Purgatorium: ex inferno enim nulla unquàm fit liberatio. *Resp.* Sed minimè dicit, homines post hanc vitam posse ultimum istum quadrantem persolvere; & sic liberari: ad ipsum igitur infernum istud pertinet.

Obj. 2. 1 *Cor.* 3, 15. *Ipse verò servabitur, itâ tamen ut per ignem.* Scil. Purgatorium. *Resp.* Apostolus allegoricè loquitur de Doctoribus, solido ac salutari fundamento Christo superstruentibus vel doctrinas veras & utiles, vel incertas & inutiles - futurum autem, ut cujusque opus manifestum fiat, ut dies ipsum declaret, & ignis probet ac retegat. Verum iste non est ignis purgatorius & pœnalis post hanc vitam; sed probatorius etiàm in hoc sæculo; dùm opus Ministerii probabitur deinceps, per ipsum Verbum Dei, Spiritû efficaciter cooperante. Confer *Ierem.* 23. 29. *Mal.* III, 2, 3. *Matth.* III, 11. Interim salvandi sunt, quamvis ægrè, qui fundamentum retinuerint. Confer *Am.* 4, 11. *Zach.* III, 2. 1 *Petr.* 4, 18.

Obj. 3. *Phil.* II, 10. *In nomine Iesu flectentur* etiam *genua subterraneorum.* Hoc est, in Purgatorio laborantium. *Resp.* Indicatur ibi subjectio omnium creaturarum, etiam hostium, & damnatorum, ad Christum. Confer *Gen.* 41, 43. *Esth.* 3, 2. Item *Psal.* 72, 9, 11. 1 *Cor.* 15, 25, 26, 27. *Ioh.* 5, 27, 28, 29.

XII. Præter istud Purgatorium, duos insuper *Lim-*

bos infernales falsò statuunt *Pontificii*; unum *Patrum* appellant, alterum *Infantium*. *Limbum Patrum* reliquis Inferni partibus, aut receptaculis, superiorem reputant; in quo patres, sive fideles V. T. fuerint detenti, donec per Christi ad inferos descensum ex eo liberarentur.

Verùm 1. S. Scriptura talem locum non agnoscit.

2. Satisfactio & Meritum Christi κατὰ πρόληψιν etiam in istius temporis fidelibus efficax fuit: *Iesus Christus heri, & hodiè idem est, & in sæcula*; *Hebr.* 13, 8. Confer *Act.* 15, 10, 11.

3. Quia fideles illi etiam justificati sunt per fidem: atque adeo non solum ab omni damnatione immunes fuerunt; sed etiam jus habuerunt ad ipsam cœlestem beatitudinem. Sic de Abrahamo, *Iac.* II, 23. *Credidit Abraham Deo; & imputatum est ei ad justitiam, & amicus Dei vocatus est.* Confer *Rom.* IV, 1, - 5, 6, - 9. VIII, 30.

4. Christus localiter ad Limbum illum infernalem non descendit. Vide sup. cap. 12. th. 57.

Obj. 1. *Zach.* 9, 11. *Emisi vinctos tuos de cisternâ, in quâ non est aqua.* Hoc autem pertinet ad istum Limbum. *Resp.* Proximè pertinet ad liberationem ex captivitate Babylonicâ; ac porrò ex omni miseriâ spirituali, juxta Euangelium.

Obj. 2. 1 *Sam.* 28, 11, -. Pythonissa produxit Samuelem; non ex Cœlo, sed ex Limbo. Ergò. *Resp.* Non Samuëlem, aut ejus animam; sed Satanam, qui Prophetæ personam mentiebatur: neque enim talis vir, ut Samuel, in potestate Diaboli & hominum nefariorum fuit post mortem suam. Vide *Ies.* 57, 2. Nec Deus Sauli respondere voluit per media ordinaria: 1 *Sam.* 28, 11, 15. nedùm per Prophetam mortuum. Vide *Ies.* 8, 19, 20. *Luc.* 16, 30, 31. cum 2 *Cor.* XI, 14. Metaphoricè autem vocatur *Samuel*: propter imaginem, aut similitudinem.

XIII. *Lim-*

XIII. *Limbum Infantium* fingunt receptaculum infernale, in quo infantes sine Baptismo mortui, pœnam damni tantùm, vel exigui saltem sensûs, ferant.

Verùm 1. Scriptura nihil de isto loco tradit.

2. Si infantes verè fœderati fuerint, salutem iis promisit Deus: quæ gratia ad Baptismum jam præsupponitur; non demùm per illum confertur.

XIV. Succedit *Glorificatio integrarum personarum*, ad quam pertinent Gloriosa fidelium defunctorum Resuscitatio, publica eorundem in extremo judicio Justificatio, & Sententiæ istius Executio æterna ac beata.

Resuscitatio illa erit actio potens & gloriosa Christi, quâ Ipse cadavera omnium & singulorum fidelium suorum, quantumvis in pulverem redacta & dispersa, in consummatione sæculi restituet, gloriâ condecorabit, & animabus suis corpora singula reduniet, ad perfectam beatitudinem.

Subjecta recipientia Resuscitationis hujus gloriosæ erunt cadavera Hominum fidelium; eaque omnia & singula. *Matth.* 10, 28. *Trucidant corpus; animam autem non possunt trucidare. Ioh.* 5, 28, 29. *Qui in monumentis sunt, audient vocem Ejus. Et prodibunt, qui bona fecerint, in resurrectionem vitæ.* Item *Luc.* xx. 36. *Filii sunt Dei, cùm sint filii resurrectionis. Rom.* 8, 29, 30. *Nam quos præscivit, etiam prædestinavit conformandos imagini Filii sui; - quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.*

Causa efficiens primò est Deus: 1 *Sam.* II, 6. *Iehovah - vivificat*: *Rom.* 4, 17. 2 *Cor.* 1, 9. 1 *Tim.* 4, 18. Atque ita competit hoc opus Patri, Filio, & Spiritui Sancto: *Ioh.* 5, 21. *Rom.* VIII, 11. per Divinam omnipotentiam: *Ephes.* 1, 19, 20. *Phil.* III, 21. *καθ' οἰκονομίαν* verò istud opus tribuitur Christo Mediatori, qui istam gloriam impetravit; sic ipse à mortuis resurrexit; & membra sua etiam suscitabit:

Ioh. XI, 26. *Dixit ei Iesus; Ego sum resurrectio & vita; qui credit in Me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* Vide etiam *Ioh.* 5,26,-29. *Ephes.* II, 5, 6. 1 *Cor.* 15, 20,-23. Hanc suam virtutem demonstravit Christus in miraculosa resuscitatione Lazari; *Ioh.* XI, 23,-27, 40,-44. adolescentis filii matris viduæ; *Luc.* 7, 11,-15. adolescentulæ filiæ Jaïri; VIII, 49,-54. & multorum sanctorum prædefunctorum circa mortem Christi; *Matth.* 28, 52, 53. Confer *Actor.* 9, 37,-41. XX,-9,-12. Item 1 *Reg.* 17, 17,-23: 2, IV, 20, 32,-37. XIII, 20, 21.

XV. Ad *modum resuscitationis* pertinent duo actûs. P*rior* est ipsa revificatio: & complectitur cadaverum recollectionem; animarum propriarum iteratam cum illis unionem; atque ità veram illorum per has informationem; & quidem talem, ut istæ personæ integræ deinceps futuræ sint, etiam ratione istorum corporum, immortales, incorruptibiles, gloriosæ. *Posterior* est vivificatorum egressus in occursus Domini. Illustris est illa visio quæ *Ezechieli* exhibita fuit, XXXVII, 1,-10. Ossium siccorum, quæ colligebantur, vivificabantur, &c. Confer *Apoc.* XX. 12, 13. Atque ipse Christus, *Ioh.* 5, 28, 29. *Veniet hora, qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Ejus. Et prodibunt, qui bona fecerint, in resurrectionem vitæ.* Adde 1 *Cor.* 15, 37,-44. 1 *Thess.* IV. 14, 16.

Ista autem resuscitatio fiet in consummatione sæculi, in adventû Domini, &c. Magnum hoc fidei mysterium ut contra Infideles asserimus; sic aliquot Argumentorum classibus probandum est. Hûc pertinent 1. evidentissima quædam effata V. T. utpotè *Dan.* 12, 1, 2, 3. *Multi dormientium in pulvere terræ expergiscentur; hi ad vitam æternam*, &c. Adde *Iob.* 19, 25, 26, 27. Et *Psal.* 16, 9, 10. quæ prophetia sic ad Christum pertinet, ut ad membra Ipsius deinceps

appli-

applicari debeat suo modo. Item *Hos.* VI, 2.

2. Ex effatis quibusdam ipsius Christi in N. T. qualia extant *Ioh.* 5, 28, 29. Adde *Matth.* XXII, 29, 31, 33. 34. ubi Salvator mortuorum resurrectionem adversùs Sadducæos validè asserit.

3. Ex confessionibus & doctrinis Apostolorum: *Act.* XXIV, 14, 15. Paulus de se ipso. *Ut qui credam omnibus, quæ in Lege & in Prophetis scripta sunt; ac spem habeam in Deo, fore, quam etiam ii ipsi* (Pharisæi) *expectant, resurrectionem mortuorum.* 1 *Cor.* 15, 12,-. 1 *Thess.* 3, 14, 16. *Apoc.* 20, 12, 13.

4. Ex redargutione hæreticorum, contrariam opinionem foventium & spargentium: 2 *Tim.* 2, 16, 17, 18. - *Qui circa fidem aberrârunt à scopo, dicentes, resurrectionem jam esse factam*, &c.

XVI. Quòd autem ista resuscitatio futura sit eorundem numero corporum, quantum ad ipsam substantiam attinet; qualitatibus ad incorruptionem & gloriam solum mutatis, probatur specialius contra *Socinianos*: 1. quia erit vera resuscitatio corporum ex pulvere terræ, ex monumentis, ex mari; secundùm loca *Dan.* XII, 2. *Iob.* 19, 25, 26, 27. *Ioh.* 5, 28. 29. *Apoc.* XX, 12, 13. atqui hæc de ipsis corporibus intelligenda sunt necessariò.

2. Accedunt alia testimonia, de ipsis corporibus nunc humilibus, & mortalibus, aut mortuis, loquentia: *Rom.* 8, 11. 1 *Cor.* 15, 53, 54. *Oportet enim corruptibile istud induere incorruptibilitatem*, &c. *Phil.* 3, 20, 21.

3. Huc etiam pertinent exempla: primò quidem & potissimùm ipsius Christi, qui eodem substantiâ corpore è sepulchro prodiit. Atqui Christus est nostrum caput; & primitiæ resurgentium à mortuis, in gloriosam vitam, factus est. Hinc Angeli ad mulieres, *Luc.* 24, 5, 6. *Quid inter mortuos quæritis eum qui vivit? Non est hîc: sed suscitatus est.* Quaproter

 ètiam

etiam Christus suum corpus Discipulis palpandum dedit, ut certi essent de ejus identitate. *Vers.* 39, 40. *Videte manûs meas, & pedes meos: nam Ego ipse sum. Contrectate Me, & videte*, &c. *Joh.* xx. 27. Conferendus est locus Apostoli, 1 *Cor.* 15, 20, - 23, 47, 48, 49. ubi nostram resurrectionem ex resurrectione Christi, atque utriusque similem esse modum, tùm in corporis identitate, tùm in qualitatibus, docemur.

Nec omittenda exempla eorum, qui jam anteà fuerunt ex mortuis suscitati; & sic quodammodò typum gesserunt istius resurrectionis: *Matth.* 27, 52, 53. *Luc.* 7, 12, 15. VIII. 54, 55. *Ioh.* XI, 43, 44. &c. Ergò & hanc resuscitationem eorundem numero corporum esse oportet.

4. Per infinitam Dei sapientiam ac potentiam talis resuscitatio nôn solùm est possibilis; sed per Ipsius justitiam quoque necessarium est, ut eædem personæ, quarum partes essentiales quoque sunt corpora, retributionem accipiant pro operibus, per corpora, tanquàm instrumenta consubstantialia, factis; atque adeò in iisdem etiam corporibus. Ità 2 *Thess.* I, 6, 7. *Justum est apud Deum, vicissim reddere iis, qui vos affligunt afflictionem: Vobis verò, qui affligimini*, &c. 2 *Cor.* 5, 10. *Omnes enim nos comparere oportet coram tribunali Christi, ut unusquisque reportet quæ in corpore fecerit, congruenter ad id quod fecerit, sive bonum, sive malum.*

XVII. *Obj.* 1. Resuscitatio ista impossibilis videtur ob cadaverum tam diu mortuorum adeo multas mutationes; ob ἀνθρωποφάγους, &c. *Resp.* Imo infinitæ Dei sapientiæ & potentiæ ea facilis est: *Matth.* XXII, 29. *Rom.* IV, 17. *Phil.* III, 21. *Hebr.* XI, 18. Ipse enim non minus separanda separare, conjungenda conjungere, & mutanda mutare potest: quàm ex nihilo creaturas producere potuit.

Obj. 2. *Dan.* 12, 2. dicitur; *Multi dormientium in*

pulvere

pulvere terræ, expergiſcentur, &c. Si autem *Multi*; ergò non omnes. *Reſp.* Neg. Conſeq. Per Multos commodè intelligimus ſuſcitandorum ad vitam æternam; dùm alii ſuſcitandi ſunt ad damnationem & opprobrium.

Obj. 3. 1 *Cor.* 15, 44. dicit Apoſtolus, ſuſcitandum eſſe *corpus ſpirituale*: ergò non idem numero. *Reſp.* *Spirituale* appellat, non reſpectû ipſius ſubſtantiæ; ſed qualitatum.

Obj. 4. Ibidem *verſ.* 50. negat Apoſtolus, *carnem & ſanguinem* conſequi poſſe hæreditatem regni Dei. Ergò. *Reſp.* Iſtic non loquitur de ſubſtantiâ; ſed de imperfectionibus, tùm damnabilibus, tùm miſerabilibus Confer *Ioh.* I, 13. *Ioh.* III, 6. *Matth.* 16, 17. *Eph.* 6, 12.

XVIII. Reſuſcitationi iſti analoga erit *Mutatio glorioſa*, quæ fidelibus tunc ſuperſtitibus continget; ut ſine morte ad eandem illam gloriam, cum fidelibus à morte reſuſcitatis, tranſmutentur. Hinc 1 *Cor.* 15, 51, 52, 53. *Ecce, Myſterium vobis dico: Non omnes quidem obdormiemus; ſed omnes mutabimur: momento*, &c. 1 *Theſſ.* IV, 15, 16, 17. Cujus Tranſmutationis ſpecimen quoddam datum eſt in Enocho & Eliâ, ſine morte tranſlatis. Vide ſup. cap. 12. th. 62.

Obj. *Hebr.* 9, 27. *Statutum eſt hominibus, ut ſemel moriantur, poſteà vero judicium.* Nulli igitur à morte erunt immunes. *Reſp.* Statuti iſtius pœnalis abolitio à Chriſto fidelibus impetrata, noviſſimo die plenè applicabitur: non igitur mirum, ſuperſtites tunc fideles ſine morte ad gloriam tranſituros.

XIX. *Improbi & infideles* Reſuſcitationis glorioſæ non erunt participes: ſed Reſuſcitationem ex morte temporali, integrarum perſonarum, iiſdem quoque corporibus; verùm cum horrore ac ignominiâ, & ad cruciatûs æternos, experientur. Sic 1. Reſuſcitatio mortuorum ad injuſtos quoque extenditur:

Act.

Act. XXIV. 15. *Resurrectionem mortuorum, tùm justorum, tum injustorum.*

2. Disertè docetur quoque resuscitatio ad ignominiam, damnationem, & horrorem: *Dan.* XII, 2. *Ioh.* 5, 29.

3. Judicium extremum, quod personarum resuscitationem præerequirit, erit universale; atque adeò infideles & improbos quoque complectetur: R*om.* II, 5, 6. *Thesaurizas tibi ipsi iram, in diem iræ, & patefactionis justi judicii Dei; qui reddet unicuique secundum opera ipsius.* 2 *Cor.* 5, 10. 2 *Thess.* 1, 6, 7, 8.

4. Consequenter improbi damnati, æternas pœnas perferent, anima & corpore pariter: quod mox probabitur. Ubi iterum supponitur eorum resuscitatio.

Obj. Resuscitatio peragetur à Christo; cum quo infideles non habent communionem: ergo illi non suscitabuntur. *Resp.* Resuscitatio fidelium à Christo quidem peragetur, ut ipsorum Capite & Salvatore: *Phil.* 3, 21. Infidelium vero ab eodem, tanquam judice, ad judicandum ordinato: *Act.* 17. 31.

XX. *Iudicium extremum* est Actus Regni Christi quo ille novissimo die de creaturis rationalibus, visibiliter in nubibus Cœli justam sententiam pronunciabit; atque mox executioni mandabit; justos quidem palàm justificando, & vitam ęternam gloriosam judicialiter iis decernendo; injustos autem condemnando, & æternis cruciatibus adjudicando.

Quod sit *actus Christi*, patet ex locis, *Ioh.* 5, 22 *Act.* 17, 31. Quod ad *Regnum Ipsius* pertineat; *Matth.* 25, 31. -- *Cum venerit Filius hominis cum gloria sua, & omnes sancti Angeli cum Eo, tunc sedebit in Throno gloriæ suæ. Et congregabuntur coram Eo omnes gentes: & separabit eos,* &c. *Tunc dicet* Rex *iis, qui ad dextram* I*psius* erunt, &c.

Ex postremo illo loco etiam liquet, Christum adfutu-

futurum cum magna demonstratione Majestatis, in propria sua humana natura; per aspectabilem quendam consessum in Throno glorioso, & cum sanctis Angelis, qui ipsi adsistent. Confer *Matth.* 24, 29, 30, 31. 1 *Thess.* 4, 16. 2, 1, 7, 8. 2 *Petr.* 3, 10, 12. *Iudæ*, 14, 15. *Apoc.* 20, 11, 12. *Psal.* L, 1,-6. Item *Exod* 19. 16, 18, 19. *Gal.* 3, 10. *Hebr.* 12, 18,-21.

Ipsi autem *fideles* etiam judicabunt cum & sub Christo; ejus justum judicium agnoscentes, & approbantes: quod quidem ad arctissimam illorum cum Christo unionem, Regni Ejus participationem, adeoque ipsorum gloriam pertinebit; simulque ad majorem damnatorum convictionem. Hinc *Matth.* 19, 28. *Sedebitis vos etiam in thronis duodecim, judicium ferentes.* &c. 1. 1 *Cor.* 6. 2. 3. *An ignoratis*, Sanctos *mundum judicaturos*? 2. *an ignoratis fore, ut* Angelorum *judices simus*?

XXI. *Iudicandi* autem venient, *tum* Angeli, *tum* Homines. De *Angelis* patet ex loco proxime allegato. Specialius vero ad *malos* Angelos refertur judicium condemnatorium; 2 *Petr.* 2, 4. *Deus* Angelis, *qui peccaverunt, non pepercit; sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit, damnationi asservatos. Iudæ*, 6. *Angelos, qui non servarunt suam originem, sed reliquerunt suum domicilium, judicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine servasse. Matth.* 25, 4. *Dicet iis, qui ad sinistram* erunt; *Execrandi, abite à Me in ignem illum æternum, paratum Diabolo & Angelis ejus.*

Sed *Iudicium de Hominibus* magis est nostræ considerationis: quod communiter proponitur *Eccl.* III, 17. *Iustum & impium judicabit Deus.* XII, 14. *Matth.* 25, 32,-. *Et congregabuntur coram Eo* (Christo) *omnes gentes; & separabit eos ab aliis, ut pastor oves ab hædis,* &c. *Act.* 17, 31. *Rom.* 2, 6, 16. XIV, 10, 12. 2 *Cor.* 5, 10. *Apoc.* 20, 12, 13.

Obj. 1. *Ioh.* 5, 24. *Qui credit,- non veniet in judicium.*

cium. Ergo fideles non judicabuntur. *Resp.* Istic synecdochice intelligitur judicium condemnatorium.

Obj. 2. *Psal.* 1, 5. *Non stabunt impii in judicio;* &c. Ergo. *Resp.* H. e. non subsistent; sed causa cadent sive condemnabuntur.

XXII. *Sententia* duplex pronunciabitur; *una* de electis, *altera* de reprobis: *prior* erit justificatoria; *posterior*, condemnatoria.

Iustificatoria hominum electorum, feretur propriè juxta Euangelium: eritque nihil aliud, quam publica Justificationis Euangelicæ promulgatio. Adeoque sententia gratiosa; attamen justitiâ Christi nixa; quemadmodum illi in hoc sæculo crediderint & speraverint, suamque fidem ac spem sincera pietate, sanctimonia, omnibusque bonis operibus demonstraverint; quod sic, remissis peccatis omnibus, habituri sint gloriam cœlestem & beatitudinem æternam.

Gratiam, sive Misericordiam, dixi: nulla enim erit hominum salvandorum ex seipsis, & in seipsis, talis dignitas; sed miseria satis est manifesta, unde perfectè liberabuntur isto die. Hinc 2 *Tim.* 1, 16, 18. *Præstet misericordiam Dominus Onesiphori familiæ! - Det ei Dominus, ut inveniat misericordiam apud Dominum in die illo!* Confer *Rom.* 4, 6, 7, 8.

Iustitiam Christi illis imputatam commemoravi: unde, *dignitas*, quæ sæpius appellatur. Ita *Phil.* 3, 8,-14. *Ut Christum lucrifaciam; Et comperiar in eo, non habens meam justitiam; quæ est ex Lege: sed eam, quæ est per fidem:* &c.

Virtutes eorum & bona opera, ut fructus communionis Christi, ac veræ fidei & spei; non ut causæ meritoriæ regnandi, sed ut via regni, adjiciuntur: juxta *Matth.* 25, 34,-40. 2 *Tim.* 1, 16, 17, 18. *Apoc.* 14, 13. Atque hæc omnia juxta *decretum electionis*, quo tota salutis nostræ methodus fuit definita. Unde Rex noster

ſter appellabit, *Regnum* nobis *paratum à jacto mundi fundamento*; *Matth.* 25, 34. Confer *Apoc.* 20, 12.

XXIII. *Sententia condemnatoria* feretur in improbos Angelos & Homines,

De *malis Angelis* ſatis evidentia ſunt teſtimonia, 2 *Petr.* II, 4. *Judæ.* 6. quia ſcil. peccarunt contra Legem ſibi præſcriptam.

Similiter *Homines reprobi*, propter peccata ſua, condemnabuntur, juxta Fœdus Legale; ſive Legem ſcriptam acceperint; ſive Legis ſubſtantiam per naturalem conſcientiam, vel qualemcunque inſuper inſtructionem habuerint: *Rom.* II, 12, 14, 15. *Quicunque abſque Lege* (ſcripta) *peccaverunt, abſque Lege quoque peribunt: & quicunque cum Lege peccaverunt, per Legem damnabuntur. Nam cum Gentes, quæ Legem non habent*, &c. Ita Lex dicitur *iram operari*; *Rom.* 4, 15. Et *Miniſterium mortis ac condemnationis* appellatur; 2 *Cor.* III, 7, 9. Adde, 1 *Tim.* I, 9, 10. *Gal.* III, 10.

Formam iſtius damnationis indicavit Chriſtus, ipſe Judex futurus; *Matth.* 25, 41, -45. *Tunc dicet etiam iis, qui ad ſiniſtram* erunt; *Execrandi, abite à Me in ignem illud æternum*, &c.

XXIV. *Tempus* iſtius judicii conſilio Dei definitum eſt; nobis vero ſic minime revelatum. Hinc Ipſe Chriſtus, *Matth.* 24, 36, 37. *De die autem illo, & hora, nemo ſcit: ne Angeli quidem cœlorum: ſed Pater meus ſolus.* Nihil ergo curioſe inquirendum; nec temere determinandum de iſto tempore: *Act.* 1, 7.

Prædictum eſt tamen fore, ut profani irriſores objiciant moram finis; atque inde concludant, illum diem nunquam eſſe venturum. Sed iis opponi debet hiſtoria creationis, à quo principio tempora hujus mundi labuntur, & ad finem tendunt; & veritas judicii univerſalis per àquas diluvii: tum quod Deus in ſua æternitate ſucceſſionem non habens, propter ſe non

non tardet adventum illum; sed quod patiente sit animo erga homines, atque universam electorum multitudinem ad resipiscentiam & salutem adduci velit: 2 *Petr.* III, 3, - 9. Quin & Christum præmonuisse, multa judicium hoc universale præcessura; *Matth.* 24, 4, --. Et Paulum noluisse, ut fideles essent in eâ opinione, quasi jam illo tempore adventus iste Domini prope adesset: sed docuisse, futuram prius insignem apostasiam, & revelandum Antichristum; 2 *Thess.* II, 1, -- 12. Et vaticinatum de generali quâdam Judæorum conversione & restitutione, &c. *Rom.* XI, 11, --. Confer 2 *Cor.* III, 14, 15, 16. Ac porro in Apocalypsi fata Ecclesiæ N. Test. prophetice retegi. Semper interim observanda est salutaris illa Christi præmonitio, *Matth.* 24, 42. *Vigilate ergo! Nescitis enim, qua hora Dominus vester venturus sit.*

Locus autem indicatur futurus in Nubibus Cœli; *Matth.* 24. 30. nec determinamus specialius, vel aliter. *Joël. III.* 2, 12. commemoratur quidem judicium omnium gentium in valle Josaphati: sed vaticinium istud conferendum cum historia, 2 *Chron.* 20. & sic indicari videtur, judicium illud juste exercendum esse, inspectante Ecclesiâ.

XXV. Ad Judicium istud extremum mox sequetur ejus *executio*; justis gloriosa ac beata, improbis vero miserrima & ignominiosa: *Matth.* 25, 46. *Et abibunt isti in supplicium æternum; justi vero ad vitam æternam.* Unde 1. manifestum evadit improborum supplicium æternum, & absque fine; non solum in genere damni, sed etiam in genere sensûs. *Apoc.* 20, 10. *Et torquebuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.*

2. Idem emphatice docetur *Matth.* 25, 41. *Abite à Me; in ignem illum æternum. Marc.* 9, 43, - 48. *abire in gehennam, in ignem illum inextinctum: ubi vermis eorum non interit, & ignis non extinguitur.* Similiter *Jes.* 66, 24.

66, 24. Vermis autem rodens, & ignis urens, cruciatus denotant; quod interim vermis non interibit, nec ignis extinguetur, eorum æternitatem & durationem absque fine significat.

3. Similis est phrasis, adjunctum æternum exprimens, *Apoc.* 14, 11. *Fumus tormenti ipsorum ascendet in sæcula sæculorum: nec habebunt requiem die, nec nocte.*

4. Hoc est consentaneum peccatorum demerito: cum enim ista adversùs infinitam Dei Majestatem commissa sint, eamque læserint; Justitia postulat, ut infinitis quoque pœnis luantur: quæ quidem infinitas, in subjectis finitis, esse debet infinitas durationis successivæ. Hinc *Matth.* 5, 26. *Amen dico tibi; nequaquam exibis illinc, usquedum reddideris ultimum quadrantem.*

XXVI. *Gradus* istarum pœnarum non erunt in omnibus omnino damnatis æquales; sed inæquales: atque in singulis aptâ proportione respondentes demerito peccatorum ipsorum: *Luc.* 12, 47, 48. *Ille autem servus, qui novit voluntatem Domini sui*, &c. *Qui vero non novit*, &c. Adde *Matth.* xi, 22. 24.

Causa efficiens principalis in genere sensûs propriè habebit locum: scil. Justitia Dei vindicativa, sic sese exerens in damnatis, ut Diaboli, & Homines reprobi in suis animabus, perferant cruciatus naturæ spirituali convenientes; ac porro etiam Homines reprobi in corporibus suis, juxta eorum conditionem.

Societas Diabolorum, & Hominum damnatorum, pariter desperantium, & Judicem suum blasphemantium, augebit istam miseriam.

Locus proprius erit Infernus. Vide sup. cap. 7. th. 25.

XXVII. *Obj.* 1. *Apoc.* 21, 8. appellatur *mors secunda*: ergo non erunt perferendi cruciatus positivi

 æterni,

æterni. *Resp.* Vocatur *mors secunda*, non quasi futura esset damnatorum annihilatio; aut omnimoda vitę privatio: sed quia erit æterna abalienatio à vitâ Dei, & communione Ipsius gratiosa ac beata, dum absque fine durabunt etiam cruciatus positivi.

Obj. 2. Similiter 2 *Thess.* 1, 9. occurrit *æternum exitium*. Ergo. *Resp.* Iterum non personarum abolitio; sed privatio beatificæ communionis Dei, in personis pœnam sensus quoque sustinentibus.

Obj. 3. Actus peccaminosi finiti sunt: à justitia igitur alienum est, eos puniri cruciatibus æternis. *Resp.* Actus peccaminosi, ratione temporis interim labentis, finiti sunt: quia tamen adversus infinitam Dei Majestatem committuntur, inde emergit ratio demeriti infiniti

XXVIII. Sic ergo Justi videbunt quoque Executionem sententiæ condemnatoriæ, in hostibus Dei, & Christi, & suis; in qua liberatione finali, sed duratura deinceps absque fine, ipsi non poterunt non exultare, Deique circa improbos justitiam celebrare. Huc pertinet illud, *Apoc.* 16, 5, 6, 7. *Justus es, Domine, Qui es, & qui eras, & qui eris, quod hæc judicaveris. - Digni enim sunt.* --.

Ipsi autem *ibunt in vitam æternam. Matth.* 25, 46. Confer 1 *Cor.* 2, 9. Beatissimam tunc habituri cum Deo communionem, qui erit omnia in omnibus: *Psal.* 36, 10. 1 *Cor.* 15, 28. Circa quam 1. sic exercenda nunc est fides & spes, ut interim omnis curiositas evitetur: 1 *Joh.* III, 2, 3. - *Nondum manifestum factum est quod erimus* &c.

2. Non est statuenda corporalis Dei visio.

Neque 3. cognitio adæquata, sive comprehensiva. Vide sup. cap. 4. th. 22. & 32.

Neque 4. constituenda est illa beatitudo (cum impuris *Muhammedanis*) in voluptatibus corporeis: erimus enim ἰσάγγελοι; *Matth.* 22, 30. cum XVIII, 10.

v, 8. 1 *Cor.* 13, 12. ſimili ergò cum Angelis beatitudine fruemur. Adde 1 *Cor.* 15, 44. *Rom.* 14, 17.

XXIX. Ad communionem illam cum Deo; per cognitionem familiariſſimam, ac fruitionem beatiſſimam in charitate perfectiſſimâ, & cum Christo Θεανθρώπῳ Capite noſtro glorioſiſſimo, accedet *Societas Angelorum* ſanctorũ, omniumque *Hominum* electorum, pariter glorificatorum. Vide *Heb.* 12, 22, 23, 24.

Locus proprius erit Cœlum ſupremum. Hinc Christus, *Joh.* 16, 2, 3. *In domo Patris mei habitationes multæ ſunt, Proficiſcor paraturus vobis locum*, --. Adde XVII, 24.

Duratio erit æterna; abſque fine: *Matth.* 25, 46. *Ibunt in vitam æternam*, *Rom.* II, 7.

XXX. *Aberit* omnis moleſtia, calamitas, defectus: *Apoc.* 7, 16, 17. *Non eſurient ampliùs, neque ſitient ampliùs; nec in eos cadet Sol, neque ullus æſtus: & abſterſurus eſt Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* XXI, 4, 5. Ex adverſo *aderit* in tali communione & ſocietate, in tali loco, cum pleniſſimâ certitudine æternitatis, gaudium perfectiſſimum. *Matth.* 25, 21, 23. *Ingredere in gaudium Domini tui.* Hinc David, *Pſal.* 16, 11. *Satietas lætitiarum eſt cum vultû Tuo; Jucunditates ſunt in dexterâ tuâ in ſæculum.* Hùc pertinent variæ locutiones metaphoricæ, de Paradiſo; *Luc.* 23, 43. 2 *Cor.* 12, 2, 4. Nuptiis; *Matth.* 25, 1, 10. *Apoc.* 19, 7, 9. Regno; *Matth.* 5, 3: XXV, 34. Throno; XIX, 20. *Apoc.* 3, 21. Poteſtate; *Matth.* 24, 47. *Luc.* 19, 17, 19.

Admittendi tamen videntur *gradûs* aliqui in gloriâ; ſicut nunc dantur gradus in gratia; & gradus erunt in pœnis infernalibus. *Dan.* 12, 3. *Intelligentes fulgebunt, ut ſplendor firmamenti: & juſtificantes multos, tanquàm ſtellæ in ſæculum & in æternum.* 1 *Cor.* 15, 40, 41, 42. Sunt *corpora cœleſtia, &* ſunt *corpora terreſtria: ſed alius quidem cœleſtium decor*, -. *Alius*

decor Solis, & alius decor Lunæ, & alius decor Stellarum: Stella enim Stellæ præstat decore. Itâ erit *& resurrectio mortuorum.* Sic illi, qui in parabolâ decem talentis rectè fuerat usus, dabatur potestas decem civitatum; qui verò quinque talentis, potestas quinque civitatum: *Luc.* 19, 17, 19.

Obj. 1. Hinc fulcietur opinio de propriis meritis. *Resp.* Neg. Deus enim sua opera coronat in nobis; non nostra merita.

Obj. 2. Mercenarii, qui unam tantùm horam laborârant, eandem mercedem cum cæteris acceperunt; *Matth.* 20, 9, 10. *Resp.* Scopus parabolæ est, æquè serò ac citò vocatos & conversos salvatum iri. Sic identitas salutis proponitur; non graduum æqualitas.

XXXI. *Quæritur*, Quid interim futurum sit de hâc terrâ, & elementis reliquis, cœlisque visibilibus? Utrùm sint annihilanda, an verò relinquenda? *Dicendum* videtur; futurum, ut elementa magnâ ex parte cedant in corpora Hominum tùm beatorum, tùm damnatorum; prout ista resoluta fuerant in sua principia: reliqua autem mutentur in statum præstantiorem; quàm nunc habent, propter hominum peccata. Hinc totus mundus dicitur sperare & expectare liberationem sui, ex servitute corruptionis & vanitatis, cui nunc subjectus est; *Rom.* 8, 19, -22. Atque ita erit novum cœlum, & nova terra; 2 *Petr.III.* 10,-13. *Apoc.* 21, 1.

Obj. 1. *Psal.* 72, 7. *Donec non sit Luna.* CII, 27. *Ipsi* (Cœli) *peribunt*, &c. *Matth.* 5, 18. *Usquedùm præterierint Cœlum & Terra.* Ergò annihilabuntur. *Resp.* Neg. Conseq. Sic enim indicatur solùm finis, qui præsenti huic statui & ordini istarum creaturarum imponetur, cùm fiet insignis illa & gloriosa immutatio.

Obj. 2. Explicari non potest, qualià tunc ista omnia sint futura, & quem usum habitura: ergò potiùs

statuenda

ſtatuenda annihilatio. *Reſp.* In genere probavimus reſtitutionem in ſtatum meliorem. Si quis in ſpecie multa interroget, malumus doctam ignorantiam profiteri; quàm temerè quicquam determinare extra ea quæ ſcripta ſunt. Nunc ex parte tantùm cognoſcimus: 1 *Cor.* 13, 9. & nondùm manifeſtum factum eſt quod ipſi erimus: 1 *Joh.* III, 2. Quid mirum ergò, ſi iſta ſpeciatim explicare & aſſerere nequeamus?

XXXII. Pro *Praxi*; 1. Glorificationem in hâc vitâ inchoatam; & bona, quæ in eâ inſunt, ritè æſtimemus: 1 *Joh.* III, 1, I, 1, 3, 4. *Rom.* 5, 5. *Joh.* 15, 15. 2 *Pet.* I, 8, 11. In eâ conſolationem quæramus adverſùs omnes calamitates, labores, & miſerias reliquas: 2 *Cor.* 1, 3, 4, 5. 1 *Joh.* 5, 4. *Rom.* 8, 37. Et exultemus gaudio ſpirituali: *Joh.* 16, 11. *Phil.* 4, 4. 1 *Petr.* 1, 8. 1 *Joh.* 1, 4.

2. Mortalitatis noſtræ nobis conſcii, temporis verò quo moriendum erit ignari, tantam interim expectationem habentes, juxta Euangelium; ritè nos præparemus ſemper; & piâ praxi ſpem iſtam confirmemus: *Pſal.* 90, 12. *Eph.* 5, 16. 2 *Cor.* 5, 8, 9.

3. Sedulò operam demus communioni cum Chriſto, per reſurrectionem primam; quô magis corroboretur ſpes reſurrectionis beatæ: *Apoc.* 20, 6. XIV, 13. 1 *Joh.* 3, 3.

4. Sic meditemur Judicium extremum, ut quàm accuratiſſimè obſervemus atque inſtituamus ſingulas actiones noſtras: 2 *Cor.* 5, 10, 11. *Luc.* 21, 34, 35, 36. *Matth.* 24, 42, 44, 1 *Theſſ.* V, 2, 6. 1 *Petr.* 4, 7: 2. III, 11. Terrorem illum Domini ſcientes tantò magis ſaluti noſtræ ſtudeamus, atque alios ſedulô commonefaciamus: 2 *Cor.* 5, 11.

5. Quoniàm cognoſcimus, qualis & quanta futura ſit merces noſtra in Cœlis, ſtrenui ſimus & aſſidui in officiis noſtris: *Matth.* 5, 12. 1 *Cor.* 15, 58. *Phil*, 3, 12, 13, 14, 20, 21. *Tit* II, 12, 13. 1 *Joh.* 3, 2, 3. *Apoc.* 20, 11, 12.

CAPUT XX. & ultimum,

De Ecclesiâ.

ECclesiæ *synonyma.* 1. Vocabuli *usus varius* in SS. Literis. Sed nusquàm significat *Pontificem Rom.* 2. *Definitio.* Ecclesia *mystica.* 3. Hujus *Caput.* Non *Pontifex Rom.* 4. Ecclesia *militans. Triumphans.* Errores tùm *Pontif.* tùm *Socin.* 5. *Catholica. Invisibilis. Indefectibilis.* 6. Ecclesia *externa instituta. Distributiones* quædam. 7. Quomodò constituatur Ecclesia *particularis.* 8. *Ministri Ecclesiastici. Patriarchæ. Prophetæ, Ordinarii V. T.* 9. *Ministri N. T. Apostoli.* 10. *Prophetæ.* 11. *Exercitia prophetica. Revelationes extraordinariæ.* 12. *Euangelistæ.* 13. *Ordinarii. Pastores.* 14. *Vocatio.* Ejus *necessitas*, c. *Enthus. Libert.* &c. *Obj.* solv. 15. *Electio.* 16. *Examen.* 17. *Approbatio.* 18. *Publica confirmatio.* 19. *Potestas* vocandi & mittendi Pastores, tùm *principalis*, tùm *ministerialis.* 20. Praxis *Ecclesiarum nostrarum. Jus Patronatûs.* 21. *Primorum Reformatorum vocatio* legitima, &c. *Dilemma* Pontif. solv. 22. *Necessitas* muneris Pastoralis; c. *Enthus.* &c. 23. *Objectiones* solv. 24. Pastorum *æqualitas*; c. *Pontif.* aliosque *Hierarch. Obj.* solv. 25. *Petrus* non superior reliquis Apostolis. *Obj.* solv. 26. *Stipendium*, c. *Anabapt. Obj.* solv. 27. *Doctores.* 28. *Seniores gubernantes. Obj.* solv. 29. *Diaconi.* 30. *Opitulationes.* 31. Reliqua *multitudo fidelium.* Malè distinguunt *Pontif.* in *Clericos*, & *Laicos.* 32. Itemque in *Religiosos*, & *Sæcula-*

cialis. Nationalis. Oecumenica. 59. Qui ad Synodum mittuntur, manent *adstricti Verbo Dei*; & consequenter suæ *Ecclesiæ*, atque *Confessioni*; c. *Remonstr.* Et juxta Verbum Dei rectè dicunt: *Hoc firmiter & constanter credendum est.* Sic etiàm *obligantur Adversarii.* 60. *Adjuncta* Eccl. partic. *Potestas ministerialis.* 61. *Visibilitas.* Ecclesia nostra ante *Lutherum.* 62. *Ecclesiæ partic. defectibilitas.* etiàm *Romanæ. Obj.* solv. 63. *Notæ.* 64. Earum *investigatio* non inutilis; c. *Socin.* & *Libert.* 65. Sententia *Pontif.* 66. Contraria. *Persecutiones.* 67. *Seductiones.* 68. *Antichristus. Magnus* ille. 69. Est *Papa Romanus.* Ἀατεῖνος. *Efficacia Satanæ. Defectiones.* Occasio *patefactionis.* 70. *Hypocrisis. Scelerosus* ille. ἀντικείμενος. *Extollens* sese *supra Deum*, &c. 71. Illecebræ *doctrinarum fallacium. Signa mendacia. Exempla vitæ impuræ. Crudelitas tyrannica.* Effectus in *aliis.* Eventus *ipsius.* 72. Sententia *Pontificiorum* de *Antichristo. Ecclesia Romana* verè Antichristiana, & Babylon Apocalyptica. Deserenda. 73. Apostasia *Muhammedica. Hæretici*: & *errantes* alii. 74. *Praxis.* 75.

I. SIc fuerunt actûs, per quos applicatur salus: sequitur ut videamus de *objecto*, circa quod isti actûs versantur. Communi nomine *Ecclesia* appellatur; Græcè Ἐκκλησία, à verbo Ἐκκαλέω, *evoco*: estque Cœtus hominum evocatus & convocatus; utpotè præconis voce. Similiter *Concio* dicitur, à *conciendo.* Hebraïcè קָהָל, à verbo קָהַל, *congrega-*

gregavit; vel עֵדָה à יָעַד, *indixit*, &c. Græci Interpretes utramque vocem transtulerunt Συναγωγὴν: sed & priorem aliquandò Ἐκκλησίαν. Postea usus invaluit, ut Judæorum congregatio, atque item ejus locus, appellaretur *Synagoga*; Christianis autem servaretur nomen *Ecclesiæ*. Vide tamen *Hebr.* 10, 25. *Jac.* 2, 2.

II *Ecclesia* autem in SS. Literis quandoque sumitur generatim pro quolibet hominum cœtû; etiàm tumultuantium & malignantium: ut *Act.* 19, 31. *Alii aliud clamabant; erat enim* Ἐκκλησία *conturbata*. *Psal.* 26, 5. in Versione Græcâ, & Vulgatâ Latinâ: *Odivi Ecclesiam malignantium*. Verùm ista significatio generalitate suâ excedit limites considerationis nostræ. *Specialiùs* autem *vel* sic usurpatur, ut magis spectetur status interior; de corpore scil. mystico, ad æternam salutem electo, quod Christus summoperè dilexit, & constanter in communione suâ conservat: *Eph.* 5, 25, 26. *Christus dilexit Ecclesiam*, &c. *Hebr.* 12, 22, 23. *Matth.* 26, 18. *Vel* etiam ut magis respiciatur status exterior.

Sic autem vel *universaliter* notat religiosam societatem eorum, qui ex universo genere humano per Verbi prædicationem collecti, eandem fidem salutarem profitentur: 1 *Tim.* 3, 15. *Ut noris, quomodò oporteat in domo Dei versari, quæ est Ecclesia Dei vivi.* Vel sumitur *particulariter*, prout talis societas existit in urbe, vico, similive loco particulari: 1 *Cor.* I, 2. *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi.* 1 *Thess.* I, 1. Imò etiam 1 *Cor.* 16, 19. *Salutant vos in Domino multum Aquila & Priscilla; cum Ecclesia, quæ est domi ipsorum*: ubi intelligenda videtur societas fidelium, tùm in eâdem domo habitantium, tùm istùc ad exercitia sacra unà convenire solitorum. Similiter *Rom.* 16, 5. *Col.* 4, 15. Tales autem cœtûs distincti in aliquâ provinciâ, aut

majori orbis tractû, pluraliter *Ecclesiæ* appellari solent; 1 *Cor.* 16, 1. *Ordinavi Ecclesiis Galatiæ.* 19. *Salutant vos Ecclesiæ Asiæ.*

Verùm quandoque occurrit acceptio synecdochica; ut *Multitudo fidelium pascendorum*, à Pastoribus suis contradistincta, appelletur *Ecclesia*; quæ est pars major: sic Paulus Presbyteris Ecclesiæ Ephesinæ dixit, *Act.* 20, 28. *Spiritus ille Sanctus vos constituit Episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei*, -. Interdùm contrà magis spectatur *Collegium ipsorum Pascentium*; ubi est pars ratione ordinis potior: ità Christus de Disciplinâ Ecclesiasticâ agens, *Matth.* 18, 17. *Quodsi neglexerit eos* (testes à primo redarguente assumtos) *audire; dic Ecclesiæ.* Vulgò *Ecclesia repræsentativa* appellatur; quòd Collegium illud in exercendo Regimine toti multitudini Ecclesiasticæ præëat, eamque quodammodò repræsentet. Paulus Πρεσβυτέριον vocat, 1 *Tim.* 4, 14.

Hactenùs ergò semper significat in Scripturâ multitudinem; nunquàm verò unum quemcunque hominem; utpotè *Pontificem Romanum*: quod velint ejus sectatores. Hoc autem eò absurdius est, quòd ipsi cogantur fateri, fieri posse, ut ille ad Ecclesiam non pertineat; si videl. non fuerit baptizatus; vel propter Simoniam, aut hæresin occultam, ipso facto sit excommunicatus.

Ecclesia metonymicè etiam aliquandò notat Locum, ubi Conventûs sacri solent haberi: sed in SS. Literis id non fit manifestè. Cùm enim dicitur, 1 *Cor.* XI, 18, 22. *Cùm convenitis in Ecclesiâ*, --. *Aut Ecclesiam Dei contemnitis?* intelligitur potiùs ipse Cœtus fidelium.

III. Ad *rem significatam* quod attinet; Ecclesia est Cœtus hominum, ad communionem Fœderis salutaris cum Deo in Christo vocatorum, & assumtorum. *Cœtum* & *Vocationem* indicat ipsum nomen:

Com-

Communionem Fœderis salutaris cum Deo in Christo, & *Assumtionem* in eam, indicat passim S. Scriptura. Ad *Homines* restringimus; quoniam Fœdus salutare in Christo intercedit inter Deum & Homines: ad Angelos istud non pertinet. Confer sup. 12. th. 27.

Quoniàm verò *Ecclesia* à *Vocatione* nomen accepit, & per eam constituitur; ex hâc potissimùm cognosci debet. *Primario* igitur spectanda venit *Ecclesia mystica*: Cœtus hominum electorum, qui per vocationem efficacem ac verè salutarem adducti sunt ad interiorem, sive mysticam, unionem & communionem cum Capite suo Christo.

IV. Ità *Caput* hujus est Christus, qui ut per Spiritum suum ista membra spiritualiter vivificat; sic porrò ea movet, gubernat, & perficit ad veram æternamque beatitudinem. *Eph.* I, 22, 23. Pater *constituit Eum Caput super omnia Ecclesiæ: Quæ est corpus ipsius, & complementum ejus, qui omnia complet in omnibus*, IV, 15, 16. V, 23. *Col.* I, 18. *II*, 9, 10, 19.

Neque tamen Christus putandus est propriè *Pars Ecclesiæ*: cùm omnis Pars propriè dicta ab aliis Partibus perficiatur in Toto, & Totum majus ac perfectius sit quâlibet suâ Parte; Christus autem à suis membris nullam accipiat perfectionem, ipse in Se perfectionem infinitam habens.

Pontificii suum Pontificem statuunt Caput Ecclesiæ veræ Catholicæ. Verùm I. S. Scriptura docet Christum esse Caput Ecclesiæ; atque hanc dignitatem ipsi peculiariter tributam: ut modò probatum est. Solus Ergò Christus talis agnoscendus est: plura Capita ejusdem Corporis, hoc monstrosum faciunt.

2. Huc etiam pertinent aliæ phrases, quibus eadem res, & eadem unitas, diserte exprimitur. Nempe quod Christus sit *unus Dominus*: *Eph.* 4, 5. *Unus Doctor* principalis: *Matth.* 23, 8, 11. cum *Ephes.* 4, 11. *Unus Sponsus*, & *Vir Ecclesiæ*: 2 *Cor.* XI, 2. *Unicum*

nicum Fundamentum hujus Spiritualis ædificii: 1 *Cor.* 3, 11. U*nus Mediator* Dei & Hominum: 1 *Tim.* II. 5, 6. in quo *ſolo ſalus*: *Act.* 4, 12. cum *Eph.* 5. 23.

3. Chriſtus ità dicitur Rex Eccleſiæ, ut iſta ἐξοχὴ illi ſoli tribuatur; imo etiam Divina ipſius Filiatio iſti dignitati ſubſternatur: *Pſal.* II, 6, 7, 8, 12. *Hebr.* 1, 1, - 9. *Joh.* 5, 20, 23, 26, 27, 28. *Phil.* II, 6, - 11.

4. Actus iſti interni ſpirituales, & efficaces, qui à Chriſto ut Capite Eccleſiæ procedunt, atque ex ipſo in membris ſuis myſticis exeruntur, tales ſunt ut à mera aliqua creatura proficiſci minimè poſſint; ſed Perſonam Θεάνθρωπον requirant, ut per Spiritum Sanctum poſſit in iis vivere, eos movere, &c.

V. Per veram fidem Euangelicam & ſalvificam, ſingula membra accipiunt hanc ſalutarem cum Chriſto Capite ſuo unionem & communionem; eademque opera accipiunt unionem & communionem inter ſe mutuam, tanquam Membra unius Corporis myſtici.

Sic autem, ratione ſtatus diſtincti, *Partes* ejus ſunt Eccleſia militans, & Eccleſia triumphans.

Eccleſia militans in hoc ſæculo, in Regno gratiæ, in vertute Chriſti, ſub ipſius vexillo militiam gerit adversùs hoſtes ſpirituales, ac per fidem victoriâ potitur: 1 *Tim.* 6, 12. *Decerta præclarum illud certamen fidei.* 2: IV, 7, 8. *Rom.* 8, 37. *In his omnibus amplius quam victores ſumus.* Militat ergo contra Diabolum. *Epheſ.* 6, 12. *Eſt nobis lucta -- adversus -- tenebrarum hujus ſæculi Principes, adverſus ſpirituales malignitates in ſublimi.* 1 *Petr.* 5, 8, 9. *Diabolus - quærit quem devoret.* Adversus Mundum: *Joh.* 14, 19. XVI, 33. 1 *Joh.* 5, 4. *Fides noſtra eſt victoria, quæ vincit mundum.* Et adversus Carnem: *Nam Caro concupiſcit adverſus Spiritum*, &c. *Gal* 5, 17. *Col.* 3, 5. 1 *Cor.* 9, 26, 27.

Eccleſia triumphans eſt, quæ bello illo ad glorioſum finem

finem virtute Christi perducto, cum ipso in Coelis beatum atque æternum triumphum agit; priùs secundùm animas separatas, deindè secundùm integras personas. *Hebr.* 12, 22, 23. *Accessistis ad -- concionem primogenitorum, qui conscripti sunt in Cœlis, -- & Spiritus justorum consummatorum. Apoc* 6. 9, 11. VII, 9, 14.

In defectu hic peccant *Sociniani*; dum hinc ad extremum usque judicium nullàm Ecclesiam actu triumphantem agnoscunt: in excessu vero *Pontificii*; qui insuper Ecclesiam aliquam laborantem in Purgatorio fingunt.

Atque ità omnes vere fideles, dum sunt in hoc sæculo, ad Ecclesiam militantem; hinc autem translati, iidem ad triumphantem pertinent.

VI. Ecclesia mystica recte dicitur *catholica, invisibilis,* & *indefectibilis.*

Catholica; quia omnes vere fideles, omnium locorum, omniumque temporum, sua amplitudine complectitur.

Invisibilis; quia mystica unio & communio vere fidelium cum Christo, atque inter se mutuo, oculis omnino conspici non potest.

Indefectibilis; quia fieri non potest, ut numero vere fidelium quicquam decedat. Huc pertinet illustre testimonium Christi, *Joh.* 10, 14, 15, 16. *Ego sum Pastor ille bonus; & agnosco meas* (oves.) - *Habeo alias etiam oves, quæ non sunt ex hac caula: eas Me quoque oportet adducere: - fietque unus Grex, & unus Pastor.* Ac porro, 26,-30. 2 *Tim.* 2, 19. 1 *Petr.* 2, 9.

VII. Altera consideratio est *Ecclesiæ secundum formam externam institutam*, in suis Conventibus; ubi Verbum prædicatur, Sacramenta administrantur, Disciplina exercetur, aliaque similia peraguntur: sic tamen ut actus isti externi, tanquam signa & media, referantur ad statum interiorem; eumque promoveant.

Citra

Citra iſtum reſpectum & uſum media illa externa non conſtituunt Eccleſiam, aut Membra ejus; niſi æquivocè. *Hoſ.* 1, 9. *Vos non eritis populus meus*; &c. II, 2. *Rom.* 2, 25, 28, 29. *Quod ſi tranſgreſſor Legis fueris, Circumciſio tua facta eſt Præputium. Non enim qui eſt in propatulo* (Judæus,) *Judæus eſt.* 1 *Joh.* 2. 19. *Non erant ex nobis.*

Sic autem ratione temporis atque œconomiæ ſtatim occurrit *diſtributio* in Eccleſiam V. Teſt. & Eccleſiam N. Teſt.

Atque hæc *porro* conſiderari poteſt per ſua Sæcula; priora, media, poſteriora: *deinde*, ſecundum Plagas mundi; *aut* ſecundum Nationes, Regna, Provincias, Urbes, Vicos: atque adeo vel magis, vel minus *univerſaliter*; ſive etiam *particulariter.* Potiſſimum vero ſpectari debent, ubi externam formam inſtitutam conſideramus, ſingulæ Particulares Eccleſiæ, ſecundum Urbes, Vicos, vel etiam Cœtus, diſtinctæ.

VIII. *Eccleſia* autem *externa particularis inſtituta* ſic conſtituitur per Fidelium confœderationem & conjunctionem mutuam, ad communes actus religioſos, Verbi prædicandi, Sacramentorum adminiſtrandorum, Diſciplinæ exercendæ, &c. præeuntibus Anteceſſoribus. Hinc *Act.* 13. 1, 2. *Erant autem Antiochiæ, in Eccleſiâ quæ illic erat, quidam Prophetæ & Doctores*, &c. *Illis autem ſacram ſuam functionem obeuntibus.* Vide porro, XIV, 21, 22, 23. XV, 2, 3, 4, 6. XX, 17. 28. 1 *Cor.* 4, 17. XI, 16, 18, 20, 22. XV, 1, 2. *Phil.* 1, 1. *Tit.* 1, 5. *Apoc.* 1, 20. Diſtincte autem in Eccleſia inſtituta ſpectabimus deinceps *Partes*, *Functiones obeundas*, *Adjuncta*, & *Contraria.*

IX. *Partes Eccleſiæ inſtitutæ* ſunt Miniſtri Eccleſiaſtici, & reliqua multitudo fidelium; qui pariter conſtituunt *Exteriorem Politiam Eccleſiaſticam.*

Miniſtri Eccleſiaſtici dicuntur; Perſonæ, quibus ex ordi-

ordinatione Christi, singularis aliqua functio demandata est, ad communem ædificationem. Hi considerari possunt *vel* V. *vel* N. T. atque utrique in *extraordinarios*, & *ordinarios*, dispescuntur.

Extraordinarii vocatione & donis extraordinariis dignoscuntur. Tales sub V. T. fuerunt *Patriarchæ*, & *Prophetæ*.

Patriarchæ appropriato usû dicuntur ejusmodi Patres familiarum, iidemque Ministri extraordinarii, qui ante exaratas SS. Literas, & ante Sacerdotium Leviticum, Ecclesiam in suis familiis & in sua posteritate instituerunt, conservarunt, & propagarunt, tum ante, tum post Diluvium. Quantum ad *nomen* attinet, Jacobus *Act.* 7, 8. dicitur genuisse *duodecim illos Patriarchas*. Quantum ad *rem*, statim à lapsu Deus Adamo & Evæ Euangelium promissionis ipse revelavit; *Gen.* 3, 15. Nec dubitandum; quin modum sacrificandi porro docuerit: unde potissimum celebratur sacrificium Abelis per fidem oblatum, *Gen.* 4, 4. *Hebr.* XI, 4, Vide etiam *Gen.* 4, 26. Item V, 22, 24. cum *Hebr.* XI, 5. & *Judæ*, 14, 15. Porro autem tum ante, tum post diluvium, Patriarchæ fuerunt plures; de quibus per totam Genesin legere est.

Prophetæ V. T. dicuntur, qui citra respectum ad familiam ac posteritatem propriam, tamen ut Ministri extraordinarii, cum SS. Literæ exarari cœptæ sunt, & cultus œconomicus V. T. magis in ordinem redactus, ac deinceps, mysteria Divina Θεοπνεύςως revelarunt; vel etiam futura prædixerunt, ac potissimum de Messiâ venturo, ejusque vita, passionibus, gloriâ, officiis, & beneficiis: *Act.* 3, 21, - 24. *De quibus locutus est Deus à sæculo, per os omnium sanctorum suorum Prophetarum.* X, 43. *Huic* (Christo) *etiam omnes Prophetæ testimonium dant. Hebr.* I, 1. 1 *Petr.* I, 10, 11, 12.

Horum aliqui Spiritui Sancto servierunt, tanquam amanu-

amanuenses, in conscribendis SS. Literis. Tales fuerunt Moses, David, Salomon, &c. item Jesaïas, &c. 2 *Petr.* 1, 19, 20, 21. 2 *Tim.* 3, 16. Alii valde etiam illustres fuerunt, variisque miraculis clari; neque tamen constat, libros aliquos sacros ab iis esse conscriptos: utpote Elias & Elisæus: 1 *Reg.* 17, -. 2, XIII.

Prophetis accensendæ sunt *Prophetissæ*; quales Debora; *Jud.* 4, Et Hulda; 1 *Reg.* 22, 14.

Ordinarii Ministri V. T. Primo quidem sub ductu Patriacharum fuerunt *Patres* singularum familiarum fidelium, eorumque *Filii primogeniti*; deinde vero, juxta præscriptnm Legis cerimonialis, sed & à Prophetis, ubi exorbitarent, ad lineas revocandi, *Sacerdotes* & *Levitæ*.

X. *Ministri* N. T. proponuntur, *Eph.* 4, 11. 12. & *Rom.* 12, 6, 7, 8.

In his *extraordinarii* sunt Apôstoli, Prophetæ, & Euangelistæ.

Apostoli fuerunt Ministri extraordinarii, à Christo vocati & missi, ad Ecclesias in universum plantandas, propagandas, & reformandas. Tales initiô, dùm Christus vixit humilis, fuerunt duodecim; ab ipso immediatè vocati, atque insignibus donis ad istam functionem instructi. Vide *Matth.* 4, 18, - 22. IX, 9. Item X, 1. *Tunc advocatis duodecim Discipulis suis, dedit iis auctoritatem adversùs spiritûs impuros, ut ejicerent eos; & sanarent quemvis morbum. Porrò duodecim Apostolorum nomina*, &c. *Hos duodecim misit Jesus, & addidit eis mandata. Luc.* 6, 13. In Judæ proditoris locum, qui unus illorum fuerat, posteà suffectus est *Matthias*: *Actor.* 1, 21. 26. Accessit deindè Paulus: IX, 1, 6, 15, 16. *Gal.* 1, 1. Atque etiam Barnabas; ut nonnulli colligunt ex *Act.* 13, 2, 3. ac porrò XIV, 14. ubi pariter appellantur *Apostoli Barnabas & Paulus.* Vide etiàm *vers.* 12. & XV. 35. -.

Sed

Sed officium illud universale, atque in docendo infallibile, ut constituendæ primùm œconomiæ N. T. serviit; sic post eam, per istas personas, constitutam desiit.

XI. *Prophetæ* nunc intelliguntur extraordinarii Ministri N. T. singulari quodam dono, & revelatione Divinâ, arcana explanantes, & futura quandoque prænunciantes. Exempla occurrunt, *Act.* XI, 27, 28. *Descenderunt Hierosolymis Prophetæ Antiochiam, inter quos Agabus*, de quò etiàm, XXI, 10, 11. Adde XIII, 1.

Prophetis annumerandæ *Prophetissæ*; quemadmodùm Philippo Euangelistæ dicuntur fuisse *quatuor filiæ virgines prophetantes*, *Act.* XXI, 8, 9. Confer II, 16, 17, 18.

Dùm verò Prophetæ & Doctores; pariter sua dona, ad mutuam, & communem Ecclesiæ ædificationem, conferebant; hinc enata sunt insignia quædam *exercitia*: quorum extat, *Act.* 13, 1, 2. *Erant Antiochiæ, in Ecclesiâ quæ illic erat, quidam Prophetæ & Doctorés.--Illis autem sacram functionem obeuntibus*: &c. Verùm etiàm alii, donis extraordinariis non instructi, illis sese adjunxerunt; expectantes, si fortè Deo etiàm talia in ipsos conferre placeret: vel hoc agentes, ut saltem per istiusmodi media, ordinariâ Sp. Sancti gratiâ cooperante, proficerent in mysteriis fidei; deque iis ad mutuam ædificationem differerent. Hinc 1 *Cor.* 14, 1. *Affectate spiritualia, maximè verò ut prophetis.* Vide porrò, 3, 4, 24, 25, 26, 29, 30, 32, 35. XI; 5.

XII. Præclara fuerunt ista *exercitia* sub ductû Prophetarum extraordinariorum & Doctorum; magnæque utilitatis ad profectum in cognitione veritatis, quæ secundùm pietatem est. Hinc etiàm 1 *Thess.* V, 19, 20, 21. *Spiritum ne extinguite: Prophetias ne pro nihilo habete: omnia explorate: quod bonum fuerit, retinete.*

Istiusmodi *Collegia* etiàm instituta fuerunt in Eccle-

 siis

ſiis à Papiſmo reformatis, ſub ductû ordinariorum Paſtorum ac Doctorum.

At ſi quid *Extraordinariæ revelationis* vel jactetur, vel deprehendi videatur, cavendum ſedulò, ne quod opus Dei temeritate noſtrâ contemnatur, aut blaſphemetur: interim etiàm ſeriò cogitandum eſt de verſutiâ antiqui illius ſerpentis, Diaboli, ſeſe in Angelum lucis transfigurantis. Obſervandæ igitur *cautiones* duæ. *Prior* eſt *Deut.* 18, 20. *Quandò loquetur Propheta in nomine Jehovæ, & non extiterit verbum ejus; per ſuperbiam locutus eſt illud Propheta ille: ne metuas ab illo.* Confer *Num.* 23, 19. *Jeſ.* 46, 9, 10. Niſi ſcil. conditio aliqua fuerit vel expreſſa, vel intellecta. Vide *Jerem.* 18, 7, - 10. & confer *Jon.* III, 4. *Altera* eſt, *Deut* 13, 1, 2, 3. *Cum ſurrexerit in medio tui* Propheta, *& dederit tibi ſignum vel portentum; eveneritque, quod locutus eſt tibi, dicendo: Eamus poſt Deos alienos, quos non noſti. Non obedies verbis Prophetæ illius; quia Jehovah Deus veſter tentat vos.* Confer *Gal. I,* 8, 9. 1 *Joh.* 4, 1, 2, 3. R*om.* 12, 6. 2 *Tim. II,* 13. *Jac. I,* 17.

XIII. *Euangeliſtæ* ſunt etiam extraordinarii Miniſtri N. T. Apoſtolis adjuncti auxiliares in miniſterio Euangelico; qui ab iis aſſumebantur comites, alicubi poſt eorum diſceſſum relinquebantur, vel etiam alio mittebantur ad Eccleſias particulares; ut conſtituerent neceſſaria ad ſpiritualem ædificationem. Iſti diſerte etiam appellantur *Eph.* 4, 11.

Tales fuerunt Philippus Euangeliſta; *Act.* 21, 8. *qui unus erat ex illis ſeptem*: ſcil. primus ordinatis Diaconis; VI, 5. *Timotheus*; ad quem 2, IV, 5. *Opus perage Euangeliſtæ.* Aliique plures, ut Titus, Marcus, Lucas, Silas, &c.

Alio ſignificatû Scriptores hiſtoriæ Euangelicæ *Euangeliſtæ* communiter appellantur; cum tamen Matthæus & Johannes Apoſtoli fuerint; ſed Marcus & Lucas

Lucas in Euangelistarum ordine substiterint.

XIV. Sequuntur *Ordinarii*; qui, juxta ordinem nomine Dei & Christi per extraordinarios constitutum, ad functionem Ecclesiasticam eliguntur & vocantur, atque alii aliis succedunt, usque ad consummationem sæculi & Ecclesiarum institutarum. Tales in Constitutionibus Ecclesiarum nostrarum recte recensentur *Pastores*, *Doctores*, *Seniores gubernantes*, & *Diaconi*.

In N. T. ipse Christus κατ' ἐξοχὴν *Pastor* vocatur: *Joh.* 10,11,14,16. 1 *Petr.* II,25. qui Magnus Pastor: *Hebr.* 13,10. & Princeps Pastorum; 1 *Petr.* 5,4. Sed de Ministris, & quidem ordinariis, eadem vox usurpatur, *Eph.* 4, 11. iisque mandatum est, *pascere Ecclesiam Dei*; *Act.* 20, 28. *Pascere gregem Dei, qui penes ipsos est*; 1 *Petr.* 5,2. Confer *Joh.* 21,15,16,17. cum 1 *Petr.* 5,1. Sed *Act.* 20,17,28. *Presbyteri*, & *Episcopi* appellantur. Confer 1 *Tim.* 5,17. Et *Hebr.* 13,17,24. *Ductores*, *excubantes pro animabus* populi, *tanquam rationem reddituri*. 1 *Thess.* 5,12. *Laborantes, qui præsunt in Domino, & admonent.*

Pascunt igitur sermone & doctrinâ: quod est *lac sincerum*; 1 *Petr.* II,2. & simul *cibus solidus*; *Hebr.* 5, 12, 13, 14. Unde Episcopum oportet esse διδακτικόν: 1 *Tim.* III, 2. Doctrinæ adjungitur Baptismus, Sacramentum initiationis: sic enim Christus ista conjunxit; *Matth.* 28, 19. Confer *Eph.* 5,26. Ac porro Cœna Dominica, Sacramentum nutritionis spiritualis; in cujus dispensatione satis etiam manifesta est pastio: 1 *Cor.* XI, 24, 25. cum IV, 1. Disciplina Ecclesiastica huc quoque pertinet; atque adeo Claves Regni cœlorum, sive Potestas ligandi & solvendi; quam Christus in Ecclesiâ extare voluit: *Matth.* 16, 19. XVIII, 17, 18. Itemque Orationes publicæ: *Act.* II. 42, VI, 4. Ex quibus conficitur *Descriptio*; Pastores sunt Ministri ordi-

ordinarii N. T. quibus in Ecclesia ministerium Verbi annunciandi, Orationem habendarum, Sacramentorum administrandorum, & Disciplinæ una cum Collegis suis pariter gubernantibus exercendæ, mandatum est. Nunc agamus de eorum *Vocatione, Necessitate, Æqualitate*, & *Stipendio*.

XV. *Vocatio* hîc *ordinaria* intelligitur: ea est Actio Ecclesiæ, vel Antecessorum ejus, qua nomine Christi, & juxta præscriptum Ipsius, talis persona eligitur & applicatur ad tale Ministerium.

Asserimus autem contra *Enthusiastas, Libertinos*, eorumque sequaces, Vocationem ad Ministerium Pastorale esse necessariam; non vero licitum esse cuivis idoneo, aut se idoneum putanti, sponte sua id capessere. Sententiam probamus istis Argumentis: 1. Necessitas illa satis diserte exprimitur in SS. Literis: utpote Rom. 10. 14, 15. *Quomodò invocabunt eum, in quem non crediderint? quomodo autem credent ei, de quo non audierint? quomodo autem audient absque prædicante? Quomodo autem prædicabunt, nisi missi fuerint?* Missio igitur, quæ non differt realiter à Vocatione, necessaria est, ut quis prædicet Verbum; ex cujus auditu erit fides salutaris, ac fidelis invocatio. Similiter *Hebr*. 5, 4, 5. *Neque sibi quisquam sumit hunc honorem; Sed qui vocatur à Deo, sicut & Aharon.* Quæ propositio generalis est, licet ab Apostolo specialius applicetur. Munus autem Pastorale vere honorificum est; quapropter nemo illud ipse sibi sumere debet. Vide 1 *Tim*. 3, 1. cum 7. & 10. Item v, 17. cum 22.

2. Reprehenduntur qui sine vocatione, aut missione, munus istiusmodi capessunt: *Jerem*. 23, 31. *Non misi Prophetas illos; & ipsi currebant: non sum locutus ad eos; & ipsi prophetabant.* Sic diserte redarguitur ille actus docendi, absque missione ad eum. Ut autem se habet vocatio extraordinaria ad functionem extraordina-

dinariam; sic vocatio ordinaria ad functionem ordinariam.

3. Accedunt exempla & praxis perpetua; non solum in V. T. sed etiam in N. Johannes Baptista à Deo missus fuisse dicitur, *Joh.* 1, 6, 33. Apostoli à Christo, *Matth.* 10; 1,-5. Septuaginta Discipuli etiam à Christo, *Luc.* 10, 1. Quæ quidem vocationes fuerunt immediatæ. Aliæ deinceps fuerunt mediatæ: ut saltem ex parte vocatio Matthiæ Apostoli; *Act.* 1, 21,-26. Atque amplius sic constituti sunt Presbyteri variarum Ecclesiarum; XIV, 23. XX, 28. *Tit.* 1, 5.

4. Accedit ratio; quod sint Legati Dei & Christi 2 *Cor.* 5, 19, 20. Atqui Legatorum est a Principe mitti. Confer I, IV, 1, 2. cum 1 *Petr.* 4, 10, 11. *Matth.* 28. 19, 20. *Ephes.* 4, 11, 12, 13. 1 *Cor.* III, 10,-13. Eidem ergo Domino ministrant, & in eundem finem, ordinarii; ut ministrarunt extraordinarii.

Obj. 1. 1 *Tim.* III, 1. *Si quis Episcopatum desiderat, præclarum opus desiderat.* Ergò etiam licet personæ habili illud munus capessere. *Resp.* Non tamen licet absque vocatione legitimâ.

Obj. 2. 1 *Thess.* 5, 11. *Adhortamini alii alios; & ædificate singuli singulos; sicut & facitis.* Singulis ergò licet alios docere & adhortari; atque adeò Pastoris munere fungi. *Resp.* Ex privato officio charitatis singuli singulos rectè ædificant: sed hinc nihil adversùs sententiam nostram conficitur.

Obj. 3. *Actor.* 8, 4, 5. agitur de fidelibus præter Apostolos, ex persecutione dispersis; qui dicuntur Euangelizasse sermonem Dei: ac nominatim Philippus in urbe Samariæ prædicâsse Christum. Ergò. *Resp.* Philippus Euangelista fuit; *Act.* 21, 8. Nec dubitandum videtur, quin in istâ multitudine fuerint plures Euangelistæ, & Doctores. Reliqui verò etiam ex privato charitatis officio privatim alios instituere

& exhortari potuerunt. Sed hinc non ſequitur, ad ordinarium Paſtoris officium non requiri vocationem, aut miſſionem.

Obj. 4. 1 *Cor.* 14, 3, -. loquitur Apoſtolus ſatis prolixè de libertate prophetandi ſingulis permittendâ. Ergò. *Reſp.* Apoſtolus loquitur de variis donis in communem Eccleſiæ ædificationem conferendis, ac potiſſimùm de dono prophetiæ; ubi etiàm alii pio diſcendi ac proficiendi ſtudio exercitia ſua adjungebant; quamvis extraordinariam revelationem non habentes. Verùm de iſtis adhuc præcipit Apoſtolus *verſ.* 40. *Omnia decenter & ordine fiant.* Nedùm cuicunque homini, quantumvis idoneo, vel idoneum ſeſe reputanti, liceat ſuâ ſponte, ſine vocatione, capeſſere Munus anteceſſorium adminiſtrandi Verbum, & Sacramenta, & Claves regni cœlorum.

XVI. Ad legitimam Vocationem pertinent *Electio*, *Examen*, *Approbatio*, & *publica Confirmatio*.

Electio eſt perſonæ unius (ſi una tantùm deſideretur) ex pluribus diſcretio, & deſignatio, ad hoc munus, ſi omnia ſe in eâ & circa eam rectè habeant, deinceps ritè obeundum. Prius tamen, etiàm cùm unus tantùm Miniſter requiritur, plures quandoque *nominantur*, & in conſiderationem veniunt; poſteà unus *eligitur* per ſuffragia. Hùc analogicè pertinet illud, *Actor.* 1, 15, -- 26. ubi cùm Petrus, in mediâ multitudine fidelium expoſuiſſet Judæ proditoris locum neceſſariò ſupplendum; duos nominarunt, Joſephum & Matthiam; ac porrò deciſionem à Deo petierunt. Reſpondit autem Deus per ſortem; atque ità locus ille ſuppletus eſt, omnibus pariter conſentientibus. Similiter ſeptem Diaconi, *cap.* 6, 2, -- 5. ab Eccleſiâ fuerunt electi. Propiùs autem hùc ſpectat, quod de χειροτονίᾳ, ſuffragiis protensâ manû datis, in eligendis Presbyteris, occurrit, *cap.* XIV, 23.

XVII. *Examen* eſt accurata obſervatio Perſonæ

hactenùs

hactenùs electæ; & exploratio, nùm ea verè idonea sit ad istud Ministerium. 1 *Tim.* 5, 22. *Manûs citò ne cui imponito: neque communicato peccatis alienis.* Confer. III. 10. *Hi etiam explorentur priùs*, &c.

Examen autem institui debet non solùm ratione doctrinæ, & facultatis dicendi accommodatè ad spiritualem ædificationem; verùm etiàm ratione vitæ universæ. Hinc 2 *Tim.* 3, 17. *Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.* *Tit.* 1, 9, 10, 11. Oportet Episcopum esse *tenacem fidi illius secundùm doctrinam sermonis; ut possit & auditores exhortari doctrinâ illâ sanâ, & contradicentes convincere.* Adde 1 *Tim.* 3, 2, 6. Specialius de vitâ: *vers.* 2, 3. Oportet eum esse *Irreprehensibilem, non vinosum, non percussorem, non turpem quæstum facientem, alienum à pugnis, alienum à pecuniæ amore.* Tit. 1, 7. Pietate verò, modestiâ, omnibusque reliquis virtutibus ornatum: 1 *Tim.* 3, 2, 4, 5, 7. *Unius uxoris virum, vigilantem, temperantem, compositum, hospitalem, æquum*, &c. *Tit.* 1, 6, 7 8.

Atque ità in Ecclesiis nostris receptum est, ut Theologiæ Studiosi, ad S. Ministerium adspirantes, examinentur priùs *præparatoriè.* Hinc, ut Ecclesiis innotescant magis, ad specimina publica admittuntur. Postquàm verò ad Ministerium electi sunt, iterùm instituitur examen; quod *peremtorium* appellatur.

XVIII. *Approbatio* est, eorum, ad quos negotium istud pertinet, post examen sufficiens, judicium & consensus, ut talis persona deinceps ad Ministerium istud admittatur. Sic *Act.* 1, 26. de Matthiâ; *Communibus calculis allectus est cum undecim Apostolis.* Hùc etiam pertinet illud de electis sex Diaconis, vI, 6. *Quos statuerunt in conspectû Apostolorum*; approbandos scil. atque porrò ordinandos. Finis nimirùm Examinis est, ut idonei approbentur; inepti reprobentur, aut relinquantur. In plerisque Ecclesiis Bel-

gicis accedit specialis Approbatio Magistratûs Religionem Reformatam profitentis; atque item Classis, ad quam Ecclesia ista pertinet.

XIX. *Publica Confirmatio* est solennis admissio & introductio Pastoris electi, explorati, & approbati, ad Ministerium ritè obeundum.

Antiquitùs hìc etiàm usurpata fuit *Impositio manuum*: quo ritû tales personæ Deo veluti consecrabantur ad istud Ministerium, cum precibus ac benedictionibus. Confer *Levit.* 1, 4. *Genes.* 48, 17, 18. Ità de septem primis Diaconis, *Act.* 6, 6. *Adhibitis precibus, imposuerunt eis manûs.* XIII, 3. de Prophetis & Doctoribus Antiochenis, cùm Spiritus Sanctus iis mandâsset, ut sibi Barnabam & Paulum ad opus singularis Ministerii separarent; *Cùm jejunâssent, & orâssent, & imposuissent eis manûs, dimiserunt eos.* Iterùm 1 *Tim.* IV, 14. *Ne negligito donum, quod in te est; quod datum est tibi per prophetiam, cum impositione manuum ordinis Seniorum.* Et V, 22. *Manûs cito ne cui imponito.*

Istiusmodi ordinatio & confirmatio apud nos peragitur, adhibitâ publicâ χειροθεσίᾳ, in iis qui primùm Ministerio Verbi consecrantur. In conventû Classis verò peragitur circa eos, qui mittuntur ad Ecclesias sub cruce latentes, aut valdè remotas; apud quas ordinatio non ità commodè posset peragi. Sed absque illo ritû fit confirmatio eorum, qui priùs etiàm alibi munere Pastorali functi sunt, atque ità ordinati fuerunt.

XX. *Potestas vocandi & mittendi Pastores* spectari potest *vel* principalis, *vel* ministerialis. *Principalis* competit Deo absolutè; aut Patri, tanquam primo ordine subsistendi & operandi. Hinc Christus Discipulis suis, *Matth.* 9, 38. *Deprecamini Dominum messis, ut emittat operarios in messem suam.* Confer 1 *Cor.* 4, 1, 2: V, 20. *Matth.* XI. 25. Κατ' οἰκονομίαν verò

compe-

competit Christo Θεανθρώπῳ, qui tanquàm Rex Ecclesiæ Ministros instituit, sibique tanquàm supremo Prophetæ subordinat; juxta illud *Ephes.* IV, 11. *Christus dedit alios Apostolos, -- alios Pastores & Doctores.* Adde *Joh.* 20, 21. *Matth.* 28, 18, 19. Secundùm aliam appropriationem tribuitur Spiritui Sancto, per quem Filius operatur, & docet intùs efficaciter. Sic enim *Actor.* 13, 2. *Dixit Spiritus Sanctus; Separate mihi Barnabam & Saulum ad opus, ad quod eos advocavi.* Adde xx, 28.

Ministerialis autem, quæ in Vocatione mediatâ locum habet, competit Ecclesiæ; præeuntibus tamen Antecessoribus, quos modò habet; juxta voluntatem Dei & Christi: haud secùs ac quælibet Respublica libera potestatem habet constituendi Rectores, qui præsint reliquæ multitudini; aut per Rectores, qui modò existunt, datâ occasione supplet defectum aliorum. Sic Apostoli ad multitudinem fidelium retulerunt de supplendo loco vacante, post interitum Iscariotæ, *Act.* 1, 14, 15. & Matthias communibus calculis dicitur allectus cum undecim Apostolis; *vers.* 26. Similiter ad multitudinem retulerunt de eligendis Diaconis; VI, 2, 3. Prophetæ autem & Doctores Antiocheni Barnabæ & Paulo manûs imposuerunt; XIII, 1, 2, 3. Timotheo in memoriam revocatur impositio manuum Presbyterii; 1 *Tim.* 4, 14. Iterùm Paulus & Barnabas, Lystram, & Iconium, & Antiochiam reversi, ad confirmandos fidelium animos, dicuntur per suffragia illis creâsse, per singulas Ecclesias, Presbyteros; *Actor.* 14, 23. Adde *Tit.* 1, 5. 1 *Tim.* 5, 22.

XXI. Atque ità in Ecclesiis nostris, juxta receptas Constitutiones, Electio Pastoris peragitur à *Presbyterio*, collegio Antecessorum Ecclesiasticorum: ubi verò Presbyterium nondùm est constitutum, peragitur à *Classe*, ad quam Ecclesia ista pertinet: quem-

admodum etiàm ad Ecclesias sub cruce sic laborantes; ut ipsæ sibi Pastores vocare commodè non possint, aut ad Ecclesias de novo plantandas, vel colligendas, mittuntur Pastores à *Synodo*, aut *Classe* aliquà propinquâ.

Quoniàm autem *Magistratûs* in his Provinciis ferè Religionem Reformatam profitentur, observandum venit, ad Magistratum quâ talem pertinere, quinam sint cives in suâ civitate, vel territorio; ac potissimùm, quinam illìc publico munere fungantur: dùm verò, & quatenùs iidem fideles sunt, & Ecclesiarum nutricii, eorundem consensus etiàm requiritur speciatim. Atque hùc pertinet *Correspondentia*, quam vocant.

Alicubi *jus* quoddam *Patronatûs* obtinet etiamnùm. Sub Papatû istud duplex fuit: unum *Clericale*, quod erat penes Clericos; alterum *Laïcale*, quod penes Laicos, (ut isti appellant) ex ipsorum usurpatione, vel etiàm ex concessione Episcopi, ob insigne aliquod beneficium in Ecclesiam collatum: sic autem *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundum. Clericale* per Reformationem abrogatum est: *Laïcale* verò cùm tolli hactenùs omninò non potuerit, etiàm toleratur; sed conditionibus quibusdam limitatum. Vide Synodi Nationalis Dordracenæ Sessionem 157.

XXII. Videndum nunc de *Legitimâ Vocatione Pastorum in Ecclesiis Reformatis.* Hic autem initio occurrunt, qui *primi Reformatores* appellantur; ut Lutherus, Zuinglius, &c. iique habuerunt Vocationem legitimam, juxta ordinem tunc in Ecclesiâ Romanâ receptum; non quidem ἀνέγκλητον; talem interim, ut accedente Ecclesiæ cujusque particularis, ubi illi Ministerium obierunt, consensû & approbatione, essentialia censeri debeant integra.

Vocati enim fuerunt, 1. ad Euangelium fideliter prædicandum: dùm autem hoc fecerunt magis fideliter,

liter, quàm illi à quibus fuerant ordinati, aut missi; sic in usu & exercitio magis legitimum fecerunt suum Ministerium; sed nequaquàm jure eo excidisse putandi sunt.

2. Cùm illi diù ante Concilium Tridentinum fuerint ordinati ac missi, non fuerunt in suâ ordinatione ac missione obnoxii illius Decretis, aut prohibiti docere adversùs ejus Canones.

3. Qualiacunque Decreta & Statuta Ecclesiastica nihil valent adversùs Verbum Dei.

Qui verò deindè *secuti* sunt *in Ecclesiis Reformatis*, legitimam Vocationem habuerunt, & habent, per Antecessores Ecclesiasticos, adstipulante Grege Ecclesiastico, juxta Verbum Dei.

Ex his facilè solvitur *Dilemma Pontificiorum*; Primi Reformatores vel habuerunt Vocationem legitimam, vel non habuerunt: si non habuerunt, non licuit iis Ecclesiam reformare, tanquàm destitutis omni jure ac potestate ad eam rem: si verò habuerunt Vocationem legitimam, ergò Ecclesia Romana, in cujus communione Vocationem acceperunt, habet potestatem legitimè vocandi; consequenter est vera Ecclesia, non corrupta, aut Reformatione egens. *Respondemus* enim, eos habuisse Vocationem essentialiter legitimam; atque hactenùs valuisse Vocationem in Ecclesiâ Romanâ factam; non minùs quàm Baptismum in eâ administratum etiamnùm agnoscimus. Verùm indè nequaquàm sequitur, Ecclesiam Romanam esse incorruptam; sicut de ejus corruptione plurimi, etiàm diù ante Lutherum, meritò fuerant conquesti. Homo æger, atque ex morbo periculosissimo morti propinquus, hactenùs tamen homo est, & actiones quasdam humanas edere potest; verùm indè minimè sequitur, nihil opus illi esse curatione.

XXIII. Sequitur *Necessitas muneris Pastoralis* ad Ecclesiæ militantis collectionem, conservationem, &

propa-

propagationem. Ea autem probatúr contra *Enthusiastas*, *Libertinos*, & varios ἀτάκτους, 1. ex disertâ ordinatione Divinâ: *Matth.* 28, 19, 20. *Profecti ergò docete omnes gentes, baptizantes eos, ---. Et ecce, Ego vobiscùm sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Sic Ministerium in Apostolis inchoatum, per eorum Successores continuari debuit usque ad finem mundi. Adde *Joh.* 20, 21. 2 *Cor.* 5, 18, 19, 20. Sic *Ephes.* 4, 11, 12. non minùs Pastorum & Doctorum, quàm Apostolorum, Prophetarum, & Euangelistarum constitutio, seu ordinatio ad opus Ministerii, & ad ædificationem Ecclesiæ, tribuitur Christo. Quemadmodùm Spiritui Sancto etiàm tribuitur constitutio Episcoporum, sive Presbyterorum: *Actor.* 20, 17, 28. Talis consequenter fuit Praxis Ecclesiæ Apostolicæ & primitivæ: *Tit.* 1, 5. *Actor.* 14. 23. xv, 2. *Phil.* 1, 1. 1 *Tim.* 4, 14. *Apoc.* 1, 20. cum *Mal.* II, 7.

2. Ex consideratione finium: *Dan.* 12, 3. *Justificantes multos*, &c. *Joh.* 20, 23. *Si quorum remiseritis peccata* (ministerialiter remissionem denunciando, postquam homines ad fidem & resipiscentiam fuerint adducti) *remittuntur eis*,-. *Eph.* 4, 11, 12, 13. *Is igitur dedit aliòs quidem Apostolos; - alios autem Pastores & Doctores: ad concinnationem integram sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi: Donec deveniamus nos omnes in unitatem fidei*, &c.. Adde 1 *Tim.* 4, 16. *Rom.* 10, 13, 14, 15. Huc pertinent consequentia miseranda & noxia, ubi deest Ministerium: *Prov.* 29, 18. *Am.* 8, 11, 12. Tristis querela; *Psal.* 47, 9. & Christi commiseratio ac monitum; *Matth.* 9, 36, 37, 38.

3. Ex requisitis & conditionibus Ministrorum eligendorum; ac porro ex eorum officiis, tam accurate descriptis: 1 *Tim.* 3, 1, - 13. *Siquis Episcopatum desiderat, præclarum opus desiderat. Oportet igitur Episco-*

pum

pum irreprehensibilem esse, *unius uxoris virum, vigilantem*, &c. *Tit* 1, 6,-9. 2 *Tim.* II, 2. Item *Act.* 20, 28. *Attendite igitur* animum *ad vos ipsos*, *& totum gregem, in quo vos Spiritus ille Sanctus constituit Episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei*, *quam suo illo proprio sanguine acquisivit.* *Col.* 3, 17. 1 *Cor* 4, 2. 1 *Tim.* 3, 15. IV, 11,-16. 2. II, 24, 25. III, 17. IV, 2. *Tit.* II, 1,-. 1 *Petr.* 5, 1,-4.

4. Ex mandatis, quomodo singuli Ministros debeant recipere, non rejicere, aut contemnere; sed audire, & in honore habere, &c. *Matth.* 10, 40, 41. *Qui recipit vos, Me recipit*: -. *Luc.* 10, 16. 1 *Cor.* 4, 1. *Sic de nobis reputet homo, ut de Ministris Christi, & Dispensatoribus mysteriorum Dei.* 1 *Thess.* 5, 12, 13. *Rogamus autem vos, fratres, ut agnoscatis eos qui laborant inter vos, qui præsunt vobis in Domino, & admonent vos*: 1 *Tim.* 5, 17. *Hebr.* 13, 17.

XXIV. *Obj.* 1. Deus *Ezech.* 34, 11,-24. promisit, se in Christo quæsiturum & pasturum oves suas. Sic *Jes.* 54, 13. *Joh.* 6, 45. *Erunt omnes docti à Deo.* Confer *Joh.* 8, 47. X, 11. Nihil igitur opus est Ministris & Ministerio Ecclesiastico. *Resp.* Male sic separantur conjuncta; Causæ secundæ à prima, ministræ & instrumentales à principali. Paulus plantat, Apollos rigat; sed Deus dat crescendi vim: 1 *Cor.* 3, 6. Confer *Act.* 16, 14. *Matth.* 28, 19, 20.

Obj. 2. Christus Spiritum promisit, qui suos in omnem veritatem esset ducturus, *Joh.* 16, 13. cum *Rom.* 8, 9, 14. 1 *Joh.* II, 27. *Resp.* Sed non secluso medio Ministerii. Diserte *Joh.* 16, 27. *Spiritus testabitur de Me. Sed & vos testabimini.*

Obj. 3. Christus est unus Mediator: 1 *Tim.* II, 5. & uno opus est: *Luc.* 10, 42. Ergo. *Resp.* Non tamen tolli debent media, quibus ad Christum, & studium salutis æternæ, ex Ipsius ordinatione, adducamur.

Obj.

Obj. 4. Fides est aliquid internum & spirituale; ut & Regnum Dei: *Luc.* 17, 20, 21. Apostoli erant Ministri Spiritus: 2 *Cor.* 3, 6. Ergo. *Resp.* Non tamen sequitur, fidem ordinarie produci sine ministerio prædicantium: *Rom.* 10, 14. & Ministri Spiritus discerni debent ab ipso Spiritu.

Obj. 5. Abrahamus immediate ab ipso Deo fuit vocatus. Itemque Paulus non ab hominibus, neque per homines vocatus, &c. Ergo. *Resp.* 1. A factis quibusdam extraordinariis, ad ordinaria, non valet consequentia. 2. Abrahamus etiam familiam & posteritatem suam docere debuit: *Gen.* 18, 19. Et Paulus per Ananiam instructus & baptizatus est: *Actor.* 9, 10,-19. &c.

XXV. Succedit *Pastorum æqualitas:* ut omnes & singuli Pastores Ecclesiastici eandem, sive æqualem, potestatem ministerialem habeant; juxta ordinem in Verbo Dei præscriptum. *Pontificii* magnam inæqualitatem statuunt: *Episcopos* enim *Presbyteris* dicunt majores, aut superiores, potestate ordinis, & jurisdictionis; h. e. ut illi, non hi, possint aliis conferre Sacramentum ordinis (quod vocant); & ut jurisdictionem spiritualem habeant. Quin imò *Archiepiscopos*, & *Primates*, & supra omnes *Pontificem Romanum*, agnoscunt iidem. Sed & alii *Hierarchici* similem fere inæqualitatem statuunt.

Verum 1. in SS. Literis Episcoporum & Presbyterorum appellationes inter se permutantur: sic enim qui *Act.* 20, 17. *Presbyteri* vocantur, iidem *Episcopi* appellantur, *vers.* 28. Sic *Tit.* 1, 5, 6, 7. 1 *Petr.* 5, 1, 2.

2. Alibi in unâ Ecclesia particulari plures dicuntur fuisse Episcopi; cum tamen una urbs, quantumvis magna, plures simul Episcopos Hierarchicos non capiat. Sic autem Apostolus, *Phil.* 1, 1. *Omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, una cum Episcopis &*

Diaco-

Diaconis. Hoc igitur de Presbyteris intelligendum est necessario.

3. Presbyteris tribuuntur eadem officia, quæ Episcopis. Episcopis tribuitur præclarum opus; docere, & Ecclesiam Dei curare: 1 *Tim*. III, 1, 2, 3. Similiter etiam Presbyteris: v, 17. Adde *Tit*. I, 7. cum 1 *Petr*. 5, 2, 4. & *Act*. 20, 17, 28. Speciatim χειροθεσία diserte ad Presbyterium refertur: 1 *Tim*. 4, 14.

4. Dominationem vero, & superiorem potestatem spiritualem, quam sibi præ Presbyteris arrogant Episcopi Hierarchici, Christus aperte prohibuit: *Matth*. 20, 25, 26. *Scitis, Principes Gentium in eas dominari. Verum non ita erit inter vos*. XXIII, 8,-11. *Unus vester Doctor; omnes autem vos fratres estis.-Qui maximus est vestrum, sit minister vester*. 1 *Petr*. 5, 3. *Non ut dominantes cleris; sed ut qui sitis exemplaria gregis*.

Obj. 1. 1 *Tim*. 5, 19. *Adversus Presbyterum accusationem ne ricipito, nisi sub duobus aut tribus testibus*: Ergo Timotheus, tanquam Episcopus, habuit jurisdictionem supra Presbyteros, &c. *Resp*. Inde tamen non sequitur, Timotheum, tanquam Episcopum, potestatem de Presbyteris judicandi habuisse, ut superiorem de inferioribus: nam alii æquales de hoc vel illo, cætera æquali, delato, & testimoniis aliorum gravato, judicandi potestatem quoque habent: 1 *Cor*. 14, 29, 32.

Obj. 2. Ibidem *vers*. 22. extat hæc admonitio; *Ne cui cito manus imponito*. Episcopus ergo Presbyteris superior est potestate ordinis. *Resp*. Cum istud etiam ad Seniorum ordinem pertineat; 1 *Tim*. 4, 14. nihil probat.

Obj. 3. *Apoc*. I, 20. appellantur *Angeli septem Ecclesiarum in Asia*. Consequenter, II, 1. *Angelo Ephesinæ Ecclesiæ scribe*, &c. Ex singulari ista appellatione patet, singulis istis Ecclesiis singulos Episcopos præfuisse.

se. *Resp.* Negamus, Angelum istic notare Episcopum unum cujusque Dioecesios, potestate jurisdictionis, aut dominatione aliquâ, cæteris præstantem. Intelligimus vero synecdochen numeri singularis pro plurali; qualis etiam occurrit *Mal.* II, 7. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam*, &c. cum tamen multi numero essent Sacerdotes. Confer *Act.* 20, 28. de pluribus Episcopis Ecclesiæ Ephesinæ.

XXVI. Quæ contra Episcopos Hierarchicos produximus, eadem quoque ad similes alias Dignitates superiores Ecclesiasticas applicanda sunt: speciatim vero adversus Pontificem Romanum hæc valent; qui omnes alios Antecessores Ecclesiæ sibi habere subordinatos dicitur à suis assentatoribus, tanquam Caput visibile Ecclesiæ catholicæ, Monarcha Ecclesiasticus, Christi in terris Vicarius, &c. Frustra autem hi provocant ad Petrum. Ille enim 1. reliquis Apostolis æqualis fuit; non vero iis superior, aut major. Hinc Paulus 1 *Cor.* 3, 21, 22, 23. *Et Paulus, & Apollos, & Cephas, -- omnia vestra sunt; vos autem Christi.* Ita hi omnes Christo pariter subordinantur. Vide etiam ibid. *vers.* 5. & I, 12. Atque iterum 2, XI, 5. *Puto enim me nihilo inferiorem fuisse summis Apostolis.*

2. Similiter *Gal.* II, 7, 8, 9. dicit Apostolus, sibi Evangelium Præputii, ac Petro Circumcisionis, creditum fuisse; & se à Jacobo, Cepha, (i. e. Petro,) & Johanne pro socio agnitum. Ac porro *vers.* 11. se Petro Antiochiæ in os restitisse, quod esset redarguendus.

3. Hoc ipsum etiam inde patet, quod Apostolis inter se de primatu certantibus, Christus litem non terminaverit, dicens; se illum Petro jam dedisse, vel decrevisse: sed contra; *Inter vos non erit sic: Matth.* 20, 26. *Luc.* 22, 26. Confer *Matth.* 23, 6,-12.

4. Consequenter *Petrus*, ut alios Presbyteros precatus est, ne dominarentur Cleris; ità se συμπρεσ-

βύτερον

βύτερον appellavit, &c. nihil superioritatis sibi arrogans; I, V, I, 3,

Obj. 1. Atqui Christus dixit Petro, *Matth.* 16, 18, 19. *Tu es Petrus; & super hanc petram*, &c. Atque iterum; *Tibi dabo claves Regni Cœlorum.* Ergò. *Resp.* 1. Petra illa, super quam ædificanda dicitur Ecclesia, non erat Petrus; sed ipse Christus: 1 *Cor.* 3, 11. x, 4. 2. Ministerialis illa potestas clavium, & remittendi peccata, Petro quidem promissa & data fuit; sed non soli: *Matth.* 18, 18. *Joh.* 20, 21. 22, 23.

Obj. 2. Petrus diserte *primus* appellatur; *Matth.* 10, 2, *Resp.* Istud fit ratione ordinis, quo Discipulus & Apostolus factus est: IV, 18, 19. unde nequaquam sequitur superior potestas.

Obj. 3. Ille sæpius nomine omnium verba fecit, &c. *Resp.* Nulla iterum consequentia ad primatum, aut suprematum. Neque porro à Petro ad Papam: quod in superioribus quoque observandum.

Obj. 4. Idem postulat ratio ordinis atque unitatis. *Resp.* Ordo potest conservari per ea, quæ ipse Christus instituit; atque etiam unitas.

XXVII. Nunc de *Stipendio Pastorum* agendum; potissimum propter *Anabaptistas*, qui Pastores nostros isto nomine criminari solent. *Stipendii* nomine intelligimus hoc loco media honestæ sustentationis, quæ Ministris in Verbo laborantibus, & curæ animarum omnino vacantibus, ab Ecclesiâ, aut ejus nutriciis, grato animo prębentur. Quod autem istiusmodi Stipendium præbere Ecclesiam deceat; idque accipere Ministris liceat, probamus;

1. Ex diserta ipsius Christi sententia, Ministris Euangelii, tanquam operariis, debentur sua alimenta; *Matth.* 10, 10.

2. Paulus ex professo, & satis prolixe, hoc ipsum astruit, 1 *Cor.* 9, 4,-14. tum ex communi æquitate, tum ex jure Divinitus instituto.

3. Consequenter hoc ipsum Ecclesiis mandatur: *Gal.* 4, 6. *Communicet autem, qui instituitur in sermone, cum eo qui se instituit, omnia bona.* 1 *Tim.* 5, 17, 18.

4. Deus sub V. T. Sacerdotibus & Levitis, ordinariis Ecclesię Ministris, de honestâ sustentatione prospexit: *Levit.* 27, 30. *Num,* 15, 20, 21. *Deut.* 26, 2,-. XVIII, 1,-8. *Levit.* 6, 16, 17, 18. VII, 6,-10, 14; 31,-34. VIII, 31. XXIV, 5,-9. *Num.* 35, 2,-. *Jos.* 21, 3,-. Unde analogice colligimus, nunc etiam Ministris N.T. prospiciendum esse; quoniam in ipsâ re subest eadem ratio æquitatis.

Obj. 1. *Ezech.* 34, 2, 3. reprehenduntur Pastores se ipsos pascentes. Hoc autem faciunt, qui stipendium accipiunt. *Resp.* Jure merito istìc reprehenduntur carnales illi Pastores, qui propriis suis commodis duntaxat intenti, gregem suæ fidei commissum negligebant. Inde autem minime sequitur, Pastoribus fidis, munus suum sedulò obeuntibus, non deberi honestam sustentationem.

Obj. 2. *Matth.* 10, 7. 8. *Gratis accepistis, gratis date.* Ergo, &c. *Resp.* Christus ibi prohibet, ne bona spiritualia, & dona gratiæ, pretio æstimentur; & quasi vendantur. Sed perperàm indè colligitur, Ministris, nullam deberi honestam sustentationem. Contrarium deinceps ibidem docuit ipse Servator.

Obj. 3. Paulus noluit à quibusdam Ecclesiis stipendium accipere; sed potiùs labore manuum suarum sibi victum quæsivit: *Act.* 20, 34, 35. 1 *Thess.* II, 9. Ergò *Resp.* Non, quasi non habuerit jus percipiendi stipendium, sive media honestæ sustentationis; sed ut calumniatoribus, qui ipsum quæstûs gratiâ Euangelium annunciare vociferabantur, os occluderet; atque ità scandalum averteret, & infirmis quibusdam succurreret; ut patet ex locis allegatis. Contrà verò docet, se illud jus habuisse; 1 *Cor.* 9. 4, 5, 6, 12. &c. Et causas explicat, cur à quibusdam Eccle-

siis

ſiis noluerit quicquam accipere; cùm tamen ab aliis etiàm acciperet; *verſ.* 12, 15. 2: XI, 7, 8, 9, 12.

Obj. 4. Eſt ſpecies Simoniæ: Ergò. *Reſp.* Non ſubeſt ratio Simoniæ; dùm ipſa bona ſpiritualia non æſtimantur pretio; neque fidus Paſtor ſpe lucri, & quæſtùs ad functionem ſui muneris inducitur. Verùm interim Eccleſia obligatur ad gratitudinem in Paſtore ſuſtentando demonſtrandam, & Paſtori jus eſt ſtipendium conſequenter accipere.

Inſt. Vel acciperet ſtipendium pro labore in Euangelio; vel pro vacatione ſuâ ab aliâ quâcunque arte: prius videtur Simoniacum: poſteriùs etiàm abſurdum; ſic enim omnibus otioſis deberetur ſtipendium pro ſuâ vacatione. *Reſp.* Fidi Paſtores minimè ſunt otioſi; &, cùm ipſi alia ſuſtentationis media omittant, Eccleſiæ ædificationi prorsùs invigilantes, æquum eſt illis hanc gratitudinem præſtari.

XXVIII. Succedunt *Doctores*, quos Apoſtolus diſertè ac diſtinctè etiàm appellat, *Epheſ.* 4, 11. 1 *Cor.* 12, 28, 29. Et ſunt Miniſtri ordinarii, in veritate fidei Chriſtianæ, ex SS. Literis, accuratè explicandâ, inculcandâ, confirmandâ, & contra Adverſarios defendendâ, laborantes. Hùc pertinent *Catechiſtæ*, qui circa rudiores occupantur: alii autem verſantur in inſtructione eorum, qui ad Miniſterium Verbi aſpirant; & dicuntur *Profeſſores Theologiæ.* Hi in Scholis & Academiis Chriſtianis, SS. Literas methodicè interpretantur; Theologiam ſyſtematicè tradunt; Controverſias accuratè tractant; Caſus conſcientiæ explicant, &c.

Quoniàm verò plurima requiruntur in iſtis Doctoribus, qui futuros Paſtores informant ac præparant; hinc qui ad conditionem illam exiſtimantur idonei, rectè priùs ab aliis Doctoribus examinantur; ac deinceps iſto honoris titulo ſolenniter ornantur: quemadmodùm in aliis Facultatibus etiàm fieri ſolet.

Iſtius promotionis Academicæ finis nequaquàm eſt, ut promoti illi Doctores titulo ſuo ſuperbiant; ſed ut publico iſto teſtimonio conſtet, eos eſſe idoneos qui Theologiam ità doceant, ut indicatum eſt modò.

Obj. Matth. XXIII, 10. *Ne vocamini Doctores: unus enim veſter eſt Doctor*, nempè *Christus*. Ergò. *Reſp.* Verùm textum ritè conſideranti patet, non iſtum titulum abſolutè prohiberi; ſed faſtum illi apud Phariſæos adjunctum. Similiter enim dicitur *verſ.* 9. *Et Patrem veſtrum ne quenquam vocate in terrâ: unus enim eſt Pater veſter qui in cœlis eſt.* Confer *Act.* 13, 1. 1 *Cor.* 12, 28, 29. *Eph.* 4, 11. 1 *Tim.* II, 7.

XXIX. *Seniores gubernantes* ſunt etiàm viri pietate, prudentia, & gravitate in Eccleſia conſpicui, qui in ejus regimine, fideique & morum cenſura, Paſtoribus adjunguntur. Ità Apoſtolus in Miniſteriis Eccleſiaſticis *gubernationes* quoque recenſet, 1 *Cor.* 12, 28. Confer *Rom.* 12, 8. 1 *Theſſ.* 5, 12. *Hebr.* 13, 17. Evidentiſſimè verò diſtinctio horum Seniorum à Paſtoribus patet ex loco 1 *Tim.* 5, 17. *Qui benè præſunt Presbyteri, duplici honore digni habentor: maximè qui laborant in ſermone & doctrinâ.* Omnium ergò Presbyterorum, ſive Seniorum, eſt benè præeſſe: ſed aliquorum etiàm laborare in ſermone & doctrinâ.

Atque adeò Scripturaria & Apoſtolica eſt diſtinctio inter Paſtores, ſive Presbyteros gubernantes & docentes ſimul; & inter Seniores, ſive Presbyteros gubernantes tantùm. Nec contemtim appellandi ſunt *Seniores Laïci*; quòd eligantur ex multitudine fidelium qui per Paſtores docentur: Chriſtus enim Diſciplinam Eccleſiaſticam tribuit Eccleſiæ; *Matth.* 18, 17. nihil mirum igitur, ſi poteſtas hæc miniſterialis, quæ radicaliter eſt penes Eccleſiam, exercenda committatur etiam quibuſdam ex fidelium multitudine electis, qui ſimul cum Paſtoribus Eccleſiam repræſen-

sentent, eique præeant; ut omnia decenter fiant & ordine.

Exc. 1. *Qui benè præsunt Presbyteri*, sunt Episcopi Hierarchici. *Resp.* Absurdè istud dicitur; cùm illis Presbyteris non obscurè præferantur, & magis duplici honore digni pronuncientur alii, in Sermone & Doctrinâ laborantes.

Exc. 2. *Qui Laborant*, &c. h. e. qui valdè seduli sunt, ac sese fatigant isto opere; illi maximè digni sunt duplici honore. *Resp.* Imò qui in re tantâ, ipsis etiam demandatâ, non sunt seduli, &c. nequaquàm dici possunt benè præesse: nec duplici honore digni: quin contrà eos ferit comminatio. *Jerem.* 48. 10.

Obj. Ex usû SS. Literarum Presbyteri iidem sunt qui Episcopi; & Episcopum oportet esse διδακτικόν: 1 *Tim.* 3, 2. Nulli ergò Seniores debent esse gubernantes tantùm, & non etiàm docentes. *Resp.* 1. Apostolus, dùm istam conditionem requirit, speciatim respicit Episcopos, sive Presbyteros illos, quibus in cumberet munus docendi. 2. Seniores tantùm gubernantes etiàm debent apti esse ad docendum, quantum sufficit ad instructionem, exhortationem, correctionem, consolationem, &c. pro re natâ.

XXX. *Diaconi* sunt viri pii, prudentes, ac fidi, quibus committitur collectio, conservatio, & dispensatio bonorum temporalium, quæ ad sustentationem pauperum in Ecclesiâ, & ad alios usûs Ecclesiasticos, conferuntur; atque in istis rebus Ecclesiæ ministrant. Hoc ministerium primitùs penes Apostolos quoque fuit: *Act.* 4, 34, - 37. v, 1, 2. Posteà verò, cum Apostoli isti curæ non sufficerent, aliis ea necessariò mandari debuit. Hinc *Act.* 6, 1, - 5. septem viri, idoneo testimonio ornati, pii, & pleni Spiritû Sancto, in istam partem Ministerii eligebantur. Conse-

quenter Paulus, ubi varia dona Spiritûs Sancti, & distincta officia Ecclesiastica recenset, *Rom.* 12, 7, 8. dicit; *Sive Ministerium*, (διακονίαν) versemur *in ministrando. -- Tùm is qui distribuit, cum simplicitate: tùm qui miseretur, cum hilaritate.* Et 1 *Tim.* 3, 8,-13. ubi requisita Diaconorum enumerat, eâdem operâ docet, Diaconatum sic fuisse primitùs ministerium distinctum, ut tamen gradatim ex eo factæ fuerint promotiones ad Presbyteratum gubernantem, vel etiàm in verbo laborantem. De Philippo Diacono nominatim vide *Act.* 21, 8.

XXXI. Hactenùs satis de istis Ministrorum ordinibus. Verùm Apostolus 1 *Cor.* 12, 28. etiàm *opitulationes* enumerat: quo quidem nomine Diaconi rectè intelliguntur; attamen non soli videntur intelligendi. Olim in Ecclesiâ Apostolicâ fuerunt etiàm *Viduæ Diaconissæ*, Diaconorum in quibusdam partibus adjutrices. Sic *Rom.* 12, 16. *Phœbe* appellatur διάκονος, *Ministra Ecclesiæ Cenchreënsis.* Confer 1 *Tim.* 5, 9, 10.

Sed & *opitulationes* in nostris Ecclesiis præstant *Prælectores* & *Præcentores*, nec non *Ægrorum Visitatores.*

Huc quoque pertinent *Curatores*, *Quæstores*, & *Dispensatores bonorum Ecclesiasticorum.* Quin & suo modo *Apparitores*, *Ostiarii*, *Scopatores*, &c.

XXXII. Agendum nunc de *reliquâ multitudine Fidelium*; qui etiàm sunt Membra Ecclesiæ institutæ, & Deo in Christo insigniter chari, eodem sanguinis Christi pretio redemti, æquè pretiosam fidem sortiti, & ejusdem salutis consortes: 1 *Cor.* 6, 20. VII, 23. 1 *Petr.* I, 18, 19. 2: I, 1. *Judæ* 3. 1 *Joh.* 1, 3. *Rom.* 8, 16, 17. XII, 1. 1 *Pet.* II, 9, 10. *Eph.* 2, 19,-22. Atque adeò cum *Petrus*, 1: V, 3. in suâ exhortatione ad Presbyteros, scribit; *Neque ut dominantes Cleris, sed ut qui sitis exemplaria gregis*, per *Cleros* itidem, ut per gregem, intelligi debet Populus Christianus; tan-

quàm verè fors, hæreditas, & peculium Domini: agnoſcente etiàm Card. *Cajetano.*

Minimè igitur Scripturaria eſt *Pontificiorum* diſtinctio in *Clericos*, & *Laïcos*; quaſi tota fidelium multitudo, ſeu populus Chriſtianus, non pertineret ad hæreditatem, ſeu peculium Domini; ſed ſoli Antecesſores Eccleſiaſtici. Vide *Deut.* 7, 6. XIV, 2, XXVI, 18.

XXXIII. Neque admittenda eſt eorundem diſtinctio in *Religioſos*, & *Sæculares*; quaſi pro membris Eccleſiæ inſtitutæ agnoſcendi eſſent Sæculares Religionem non profitentes. Verùm *Adverſarii* Religionis vocem ſtrictiùs ſumunt, & vitam Monaſticam intelligunt: atque iſto ſensû *Religionem* definiunt, quòd ſit Status hominum ad perfectionem Chriſtianam, per paupertatis, continentiæ, & obedientiæ vota, tendentium. Verum 1. Chriſtus & Apoſtoli tale vitæ genus non inſtituerunt; ſed de Religione aliter docuerunt; *Jac.* 1, 26, 27 & alibi.

2. Abſoluta perfectio, quam *Adverſarii* intelligunt, à nemine poſt lapſum in hàc vitâ acquiri poteſt. Vide ſup. cap. 16. th. 18.

3. Vota Monaſtica ſuperſtitioni promovendæ ſatis apta ſunt; non autem iſti perfectioni, cui nos operam dare oportet.

4. Imò potiùs obſunt veræ pietati ac ſanctimoniæ. Vide ſup. cap. 9. th. 52.

Obj. 1. Tempore Enoſchi *cœptum eſt invocari nomen Domini*: *Gen.* 4, 26. Ergò ſaltem præfiguratus Monachatus. *Reſp.* Ille tamen in matrimonio vixit; ſic filios & filias ſuſcepit: *cap.* v, 9, 10. neque quicquam extat de ejus paupertate, vel cœcâ obedientiâ erga homines; aut tali voto.

Obj. 2. Enoch *ambulavit cum Deo*: *Gen.* v. 22. Ergò. *Reſp.* Sed & iſte conjugatus, liberos genuiſſe commemoratur ibidem. Nihil de vitâ Monaſticâ.

Obj. 3. Elias in monte Carmel vitam degit valde austeram, &c. Similiter Elisæus, &c. Ergò. *Resp.* Elias & Elisæus Prophetæ fuerunt; vitamque instituerunt juxta vocationem ac functionem suam extraordinariam, & ratione temporum istorum corruptissimorum: sed mons Carmel non fuit omninò desertus, aut habitatoribus destitutus: *Jos.* 12, 22. xv, 55. 1 *Sam.* 25, 2. &c. Ac porrò nihil in illis de instituto Monastico.

Obj. 4. *Nasiræi*, &c. *Resp.* Nec illi fuerunt obligati ad cœlibatum, &c. sed ad observationes quasdam cerimoniales, œconomiæ V. T. convenientes, & ab ipso Deo præscriptas; *Num.* 6, 2, -- 21.

Obj. 5. Rechabitæ, *Jerem.* 35, 2, --. &c. *Resp.* Etiàm isti non ex Religione speciali, sed ex Patris sui præscripto, singularia quædam observârunt: at nec cœlibes vixerunt, nec omni possessione propriâ destituti.

Obj. 6. Johannes Baptista vestitû, victû, loco habitationis, Monachatum, aut vitam Anachoreticam, præ se tulit. Ergò. *Resp.* Iste extraordinarius Dei Minister, & Christi præcursor, frugaliter admodùm vixit; sed nec de ejus voto cœlibatûs, nec de spontaneà paupertate, nec de cœcâ erga ullum hominem obedientiâ, quicquam legitur. Neque vixit in Monasterio; nec in deserto pluribus incolis destituto. Vide *Luc.* 1, 39, 40. *Jos.* 15, 61, 62.

XXXIV. Sic de Partibus Ecclesiæ institutæ: succedunt *Functiones obeundæ*; tùm *domatim*; tùm *publice*. Vide *Act.* 20, 20. Nam non solùm ipsis *Fidelibus* conveniunt varia Exercitia domi suæ peragenda, ut Fidei, Spei, Charitatis; Precum, Lectionis Verbi Divini, Psalmodiæ, Instructionis juniorum & imperitorum, &c. Sed & *Antecessoribus* domatim obeundæ sunt quædam functiones. Sic enim *Pastorum* & *Seniorum* est familiariter fideles admonere & excitare ad officia,

quâ

quâ publicè, quâ privatim observanda; reprehendere inordinatos; corroborare infirmos; reconciliare diffidentes; visitare ægros, &c. *Luc.* 14, 23. 2 *Tim.* 4, 2. *Diaconorum* similiter est visitare eos potissimùm qui eleemosynis sustentantur, aut iis indigent; ut necessitatem istorum sublevent, non solùm rebus corporalibus; verùm etiàm adhortationibus spiritualibus.

XXXV. Sequuntur functiones quæ pertinent *tùm* ad Cœtum publicum, *tùm* ad alios Conventûs Ecclesiasticos. In *Publico Cœtû ordinaria & perpetua* sunt Publica S. Scripturæ prælectio, Psalmodia Ecclesiastica, Preces, Concio, Catechizatio, Benedictio, & Eleëmosynarum collectio; *alia* non sunt perpetua.

Publica S. Scripturæ prælectio ab Anagnostis, seu Prælectoribus, peragi solet; ità quidem ut Textus Biblicus verè Canonicus clarè & distinctè prælegatur ex ordine, atque omnes pariter audiant, ad spiritualem ædificationem: vel etiam selecti Textûs prælegantur, in quibus potissimùm continentur precipua capita fidei Christianæ, & praxios spiritualis. Atque istâ ratione hoc quoque agitur, ut sermo Christi inhabitet in nobis copiosè, cum omni sapientiâ: *Col.* 3, 16. Hùc pertinet insignis locus, *Deut.* 31, 11, 12, 13. *Cùm venerit universus Israël, ut appareat coram Jehovâ Deo tuo, - leges Legem istam coram universo Israël. - Et filii eorum, qui non noverunt, audiant, & discant timere Deum vestrum*, &c. Insigne exemplum publicæ Lectionis est *Nehem.* 8, 2, - 5, 8, 18. Vide etiam *Act.* 13, 27. xv, 21. 2 *Cor.* 3, 14, 15. Item *Luc.* 4, 16, - 19. *Col.* 4, 16.

XXXVI. *Psalmodia Ecclesiastica* est Cantus Psalmorum, qui in cœtû Ecclesiastico à Fidelibus pariter peragitur, ad communem eorum ædificationem, & Dei gloriam. Sic disertè 1 *Cor.* 14, 26. *Quid igitur est fratres? quoties convenitis, quisque vestrûm canti-*

cum habet: - omnia ad ædificationem fiant. *Col.* 3, 16. *Docendo vos mutuo Psalmis, & hymnis, & cantionibus spiritualibus, cum gratiâ canentes in vestro corde Domino.* *Eph.* v, 19. Confer 1 *Chron.* 6, 31, 32. Obtinuit istud exercitium antiquitùs in Ecclesiâ Christiana. Consequenter etiàm in Reformatione Psalmodia repurgata fuit à superstitionibus Papisticis, &c.

Plurimum autem facit ad communem ædificationem, ut præeunte idoneo aliquo Præcentore, tota multitudo Ecclesiastica simul canat. Vide *Exod.* 15, 1. Istâ enim ratione singuli fideles in communi quasi scholâ exercentur, & excitantur ad canendum quoque privatim. *Jac.* 5, 13. Propterea etiam Psalmodia Ecclesiastica peragenda est linguâ communiter notâ; ut singuli fideles ità spiritualiter ædificentur; 1 *Cor.* 14, 15.

XXXVII. Quod ad *Preces Ecclesiasticas*; *Act.* 6, 4. cum Apostoli proposuissent de Diaconis administrationi mensarum præficiendis, subjecerunt; *Nos vero in Oratione, & administratione Sermonis perdurabimus.* Et 1 *Cor.* 14, 15, 16. ubi de dono Linguarum; *Quid est igitur? orabo spiritû, sed orabo etiam intelligentiâ: -- quandoquidem si benedixeris spiritû, is qui implet locum Idiotæ, quomodo dicturus est Amen ad tuam gratiarum actionem? nam quid dicas nescit. Nam tu quidem bene gratias agis; sed alius non ædificatur.* Vide etiam *Nehem.* 9, 1, -. *Act.* 21, 5.

Hinc deducimus *primo* contra *Anabaptistas*, Ministrum in Precibus Ecclesiasticis clara voce præire debere reliquæ multitudini; quæ animo & cogitationibus, vel etiam submissa voce, eum sequatur: cæteroquin 1. non est una communis omnium oratio.

2. Reliqui non possunt ædificari per orationem Ministri.

3. Non possunt ad eam dicere *Amen.*

4. Non

4. Non possunt aliàs commode singulorum preces pariter finiri.

Colligimus *secundo* contra *Pontificios*, Preces istas peragendas esse linguâ vernaculâ, & communiter notâ in cœtû: sic enim 1. Apostolus diserte docet, etiàm intelligentiâ orandum esse.

2. Docet, reliquos alioqui non ædificari.

3. Nec posse dicere *Amen* ad precationem linguâ peregrinâ habitam.

4. Nec potest esse communis cultus rationalis, qui non intelligitur ab omnibus communiter. Vide 1 *Cor.* 14, 23.

XXXVIII. Quoniàm Preces in spiritû & veritate peragi debent, ex sincerâ & continuâ animi intentione ac devotione, quâ Ministrum præire oportet, & reliquos subsequi; inde etiam sequitur, minus recte in Precibus Ecclesiasticis adhiberi *Antiphonas*, & *Responsoria*; uti fieri solet in *Officio Romano*: ista enim magis affinia sunt Hominum inter se Dialogis, quam communibus omnium Precibus ad Deum.

Et quoniàm in Precibus illis consistit magna pars Ministerii Ecclesiastici; sequitur, isti Ministerio nequaquàm satisfieri, si solummodò certæ quædam *Formulæ* precum publicè prælegantur, aut memoriter recitentur: hoc enim à quolibet fieri facilè potest. Et spiritualis intentio ac devotio plus requirit, respectû præsentis cujusque occasionis. Formulæ interim quædam rectè habentur, in usum incipientium & imperitorum; atque ut constet, quæ soleant ac debeant esse præcipua ingredientia Precum Ecclesiasticarum.

Perpetuæ autem sunt Preces, quæ à Ministro *tum* Concioni præmittuntur, *tum* eâ finitâ peraguntur. Minister etiam Catechizationes, & Sacramentorum administrationes, à Precibus inchoat; & Precibus, ubi peractæ sunt, terminat.

XXXIX. *Con-*

XXXIX. *Concio* eſt Textûs alicujus Biblici plenior explicatio & applicatio, à Miniſtro coram Auditoribus facta, ad ſpiritualem ædificationem. Huc 1. pertinent exempla, tum V. tum N. T. utpote *Nehem.* 8, 7, 8, 9. *Et Levitæ intelligere faciebant populum Legem: populus autem erat in loco ſuo. Et legerunt in libro ipſo, in Lege Dei explanate, & appoſuerunt intellectum, & intellexerunt Scripturam ipſam.* Ipſe Servator in Novo Teſtamento, *Luc.* 4, 20, 21, 22. in Synagogâ Nazaretanâ Scripturam explicuit & applicuit. Vide etiam XXIV, 27. Itemque de Philippo, *Act.* 8, 35. & de Paulo, XX, 7.

2. Speciale opus Miniſterii in Verbo: Unde *Act.* 4, 4. *Nos in Oratione & adminiſtratione Sermonis perdurabimus.* *Rom.* 10, 14, 15. *Quomodo credent ei, de quo non audierint? quomodo autem audient abſque Prædicante? quomodo autem prædicabunt, niſi miſſi fuerint? ſicut ſcriptum eſt* &c. 12, 7, 8. 1 *Theſſ.* 5, 12, 13. 1 *Tim.* 5, 17. 2, II. 2. IV. 2.

3. In iſtum quoque finem conſcripti ſunt Libri ſacri: 2 *Tim.* 3, 16, 17. *Tota Scriptura Divinitus eſt inſpirata; & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad deſciplinam quæ eſt in juſtitia: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte inſtructus.* *Rom.* 15, 4, IV, 23, 24. 1 *Cor.* 10, 11. 1 *Tim.* 4, 13,-16.

4. His conſentanea eſt praxis Eccleſiæ antiquæ.

Concludimus ergo contra *Libertinos* quoſdam, non ſufficere, ſi ipſe contextus Biblicus per Anagnoſten aliquem nude prælegatur; ſed Conciones inſuper habendas eſſe.

Obj. Atqui S. Scriptura perfecta eſt & perſpicua. Ergo. *Reſp.* Ipſa in ſe objective talis eſt: attamen Deus hominum ignorantiæ, tarditati, & inadvertentiæ ſubveniri etiam voluit, per iſtiuſmodi explicationes, & applicationes.

XL. Ini-

XL. Initio autem *Textus* aliquis Biblicus *prælegi* debet: exemplo ipsius Christi, *Luc.* 4, 16,-22.

Prælegendus autem est Textus lingua communiter nota: quod Auditorum ædificatio prorsùs requirit.

Aliquando seliguntur Textus, qui conditioni Auditorum, ac præsenti tempori, magis convenire videntur; *aliàs* libri quidam sacri, aut capita, ex ordine tractantur, tum V. tum N. T.

Minus rectè eędem duntaxat sectiones quotannis perpetuo repetuntur; *Euangelia* scil. & *Epistolæ Dominicales*: sic enim Concionatorum ignaviæ, & Auditorum ignorantiæ, litatur.

Imo & *Textus prolixiores* præferendi sunt ordinariè brevioribus: hinc enim facilius multa & varia, ad communem ædificationem utilissima, elici possunt; quibus Auditores solidius instruentur.

Recte etiam ob maximam necessitatem, & amplissimam utilitatem, quotannis repetuntur *capita Doctrinæ Catecheticæ*: ut in Ecclesiis nostris per singulas Dominicas concionibus pomeridianis fieri solet. Sic enim Apostolus, *Phil.* 3, 1. *Eadem scribere vobis, me quidem haud piget; vobis autem tutum est.* Et 2 *Tim.* 1. 13. *Expressam formam teneto sanorum sermonum, quos à me audisti, cum fide & charitate, quæ est in Christo Jesu.*

XLI. Sed nunc paucis dicamus de *Inventione*, *Dispositione*, *Exornatione*, & *Actione Concionatoriâ*!

Inventio versatur circa materiam Concionis. Ea vero, quantum ad φύσιν attinet, petenda est *primo* ac potissimum ex libro S. Scripturæ; ut sit tractatio vere Scripturaria: juxta 1 *Petr.* 4, 11. *Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei.* 1 *Cor.* 11, 13. Confer *Act.* 18, 14. 2 *Tim.* 3, 16, 17. Sed & *secundario* ex libro naturæ; nam & *Cœli enarrant gloriam Dei*, &c. *Psal.* 19, 2, 3, *Act.* 14, 17. Accedit *tertio* liber conscientiæ, & experientiæ spiritualis; sed juxta librum Scripturæ: sic enim

Conci-

Concionator plurimum juvabitur ac dirigetur in applicationibus feliciter faciendis: *Hebr.* 5,2,3. *Rom.* 7, 13,--. Atque item *quarto* liber Ecclesiæ; cujus conditionem sibi Concionator habere debet quam exploratissimam, ut norit quid maxime dici conveniat. Vide *Hebr.* 5, 11,--. 1 *Cor.* 3, 1, 2, 3. *Phil.* 3, 15, 16. Subsidiariam quoque operam præstabunt Conciones aliorum recte observatæ, & Scripta insignium Theologorum.

Observandum vero, quod Inventio debeat esse *varia & rara*: non semper, aut sæpe eadem; ne fastidium creëtur Auditoribus: *Matth.* 13, 52 *Omnis Scriba edoctus Regno cælorum, similis est cuipiam patrifamilias, qui profert è thesauro suo nova & vetera.*

XLII. *Partes constituentes* potissimum sunt Explicatio Textus, & Applicatio. In *Explicatione*, genuinus sensus ex dictionibus ac phrasibus, antecedentibus & consequentibus, nec non collatione similium, & quandoque dissimilium, clare & accommodate ad captum Auditorum proponendus est. Cavendum autem ne ea sit nimis prolixa, nec operosa; neque tamen obscura.

Applicatio fit per Documenta, & eorum Usûs.

Documentum hoc loco est thesis Theologica, quæ ex Textû jam explicato vel immediate conficitur, vel per proximam & evidentem consequentiam deducitur.

Usus documenti est ejus propior & efficacior applicatio ad animos Auditorum; tum *ratione veritatis*: quo pertinet instructio, & oppositi erroris refutatio: *Rom.* 15, 4. 2 *Tim.* 3, 16 *Tit.* 1, 7, 9, 10, 11. Tum *ratione boni honesti*: quo pertinent querelæ, reprehensiones, admonitiones, methodica explicatio probæ praxios, media & adminicula virtutum, remedia vitiorum, signa sinceræ praxios: 2 *Tim.* 3. 16, 17. IV, 1, 2.

1,I,5. *Tit.* 1,13. II,11,12,13. 2 *Cor.* 13, 5. Tum etiam *ratione boni jucundi*: quo pertinent corroborationes in fide ac spe, & consolationes adversus quævis mala tristia; nec non signa status illius, cui ista bona sunt propria: *Jes.* 40,1,2. 1 *Thess.* 4, 18. *Rom.* 5, 1,-5. VIII, 1, 10,11,14,-18,24,-. 2 *Cor.* 1,5,6,7. 2 *Thess.* 3,3. *Jac.* I,1,3,4. 1 *Petr.* I,3,-9.

XLIII. Quantum ad *Dispositionem* attinet; ubi quis recte præmeditatus fuerit Textus sui Scopum, cum Explicatione & Applicationibus, non multum laborandum erit de *Exordio*. Hoc enim non absolute, nec semper necessarium est. Ubi autem adhibebitur, sumatur à materiâ Scopo proximâ; & ad Textum perspicuè accommodetur.

Pro *Narratione*, Textus summatim proponatur, ejusque Scopus perspicue indicetur.

Succedit *Distributio*; quæ non verbis, sed sensu niti debet: ac porro institui in partes quam paucissimas; neque enim facile superandus est numerus ternarius, aut quaternarius. Cavendum porro, ne *Subdivisionum* numerus nimium crescat.

Sequitur *Explicatio*: ubi genuinus sensus perspicuè proponatur; ex antecedentibus & consequentibus demonstretur; atque item per loca parallela illustretur & confirmetur; vel etiam per exempla, tum similia, tum dissimilia.

Deinde instituitur *Applicatio* per Documenta, eorumque Usus. Potissimum vero unumquodque Documentum cum suis Usibus, subjiciendum est illi parti, aut particulæ, unde ipsum adæquate fluit.

Restat *Epilogus*; qui non debet esse operosus, vel admodum artificiosus: Concionem interim finiat adhortatione potius, aut consolatione; quam elencho, aut reprehensione.

XLIV. Quod ad *Exornationem*; cavendum Concionatori, ne Stylus hinc sit rusticus, aut nimis plebe-

jus,

jus; nec inde nimis ſublimis, aut affectatus: ſed gravis, & Scripturarius; attamen perſpicuus.

Ad *Actionem* pertinent Vox & Geſtus. *Illa* ſit clara; & diſtincta, rebuſque accommodata.

In *his*; totius *Corporis* ſtatus ſit erectus. *Vultus* inſerviat exprimendis affectibus. *Brachium*, præcipue dextrum, moveatur decore. *Manus* complicatæ precibus conveniunt: *Digiti* complicati reprehenſionibus; explicati demonſtrationi & numerationi inſerviunt.

XLV. *Catechizatio* eſt familiarior quædam inſtitutio Religionis, per explicationes ad captum Catechumenorum accommodatas, itemque per interrogationes & reſponſiones. *Prov.* 22, 6. *Imbue puerum juxta viam ſuam: etiam cum ſenuerit, non recedet ab eâ. Gal.* 6, 6. *Hebr.* 6, 1, 2, 3.

Ratione loci diſpeſcitur Catechizatio in *Domeſticam*; quæ in familiis peragitur à Parentibus, aliiſve perſonis idoneis: *Scholaſticam*; quæ in ſcholis à Præceptoribus: & *Eccleſiaſticam*; quæ in Eccleſiis peragitur à Paſtoribus, aliiſve Catechiſtis. *Hæc* autem vel *publica* eſt, vel *quaſi-publica*.

Ratione eorum qui exercentur Catechizatio *vel* eſt rudiorum, *vel* provectiorum. Atque ita *Dogmaticæ Catechizationes* ad ſingulorum captum fiunt. Accedunt *Catechizationes elencticæ*, de Controverſiis; *Practicæ*, in quibus Praxis doctrinæ Catecheticæ pertractatur; atque item *Scripturariæ*, ad librum aliquem S. Scripturæ.

XLVI. *Benedictio* nunc intelligitur, quâ Concionator, peractis ſacris, cœtum Eccleſiaſticum dimittit. Vide *Num.* 6, 23,-. & confer Clauſulas in Epiſtolis Paulinis. Iſtiuſmodi autem Benedictio non ſolum eſt apprecatoria; ſed etiam denunciatoria, ſecundum gratioſam Dei promiſſionem.

Supereſt *Eleëmoſynarum collectio* per Diaconos in cœ-

tû

tû Ecclesiastico facienda; ut possint illas deinceps pauperibus distribuere, atque ita necessitatem eorum sublevare. Vide *Joh.* 12, 6. *Actor.* 4, 34, 35, 37. v, 2. Sed posteà ab Apostolis, consentiente fidelium multitudine, hæc provincia Diaconis demandata fuit; *Act.* 6, 2, 3. Confer 1 *Cor.* 16, 1, 2.

XLVII. Sequuntur *Agenda in publico cœtu Ecclesiastico, non perpetua*; attamen suis occasionibus *recurrentia.* Atque hæc potissimum sunt Administratio S. Baptismi, & Cœnæ Dominicæ; Excommunicatio, & Excommunicatorum reconciliatio; publica Ministrorum confirmatio; Jejunium publicum, & dies Eucharisticus; ac tandem Matrimonii confirmatio.

De *Sacramentis Baptismi*, & *Sacræ Cœnæ*, eorumque Administratione, actum est sup. cap. 18.

Excommunicatio publicè etiàm peragitur, secundum formulam in Liturgiâ nostrâ expressam, quoties necessitas postulat. Ubi scil. membrum aliquod Ecclesiæ, nobiscum prius etiam Cœnæ Dominicæ particeps, à veritate fidei Christianæ defecit ad errores fundamentales, aut à sanctimoniâ vitę ad peccata insigniter scandalosa; nec prævias admonitiones multas ac varias audivit. Non tamen ad plenam & publicam Excommunicationem proceditur, nisi exploratâ & compertâ satis ejus pertinaciâ. Vide *Matth.* 18, 17. 1 *Cor.* 5, 2, 5, 13. *Tit.* 3, 10.

Si verò contingat, excommunicatum posteà resipiscere, veramq; emendationem promittere ac reipsâ præstare, Ecclesia pœnitentem illum denuo admittit; juxta 2 *Cor.* II, 7. Atque adeo publica ejus *Reconciliatio* etiam celebratur.

XLVIII. *Publica Ministrorum confirmatio* est tum Pastorum, tùm Seniorum gubernantium, ac Diaconorum, prius electorum: peragitur quælibet coram facie Ecclesiæ, post trinam denunciationem; ut

ſic exploretur & obtineatur publicus omnium conſenſus.

Jejunium publicum, urgente publica aliquâ calamitate, aut inſigni periculo, indicitur; & celebrari ſolet hâc ratione, ut ab Anagnoſtis prælegantur capita Biblica huic occaſioni convenientia, ſimileſque Pſalmi cantentur: Et à Paſtore Conciones Preceſque hùc quoque accommodentur; Auditores ad conſiderationem peccatorum, & reſipiſcentiam adhortando.

Dies Eucharisticus inſtituitur, cum inſignia quædam beneficia Dei percepimus, ad publicam gratitudinem ipſi præſtandam. Hoc fine prælegunt Capita Biblica praxin gratitudinis continentia, & tales Pſalmi cantantur. Paſtores autem eandem gratitudinis praxin tum in Concionibus ſerio urgent; tum in Orationibus præſtant, ac porro promittunt Eccleſiæ nomine.

Publica Matrimonii Confirmatio, ubi occaſio eam poſtulat, peragitur quoque juxta formulam in Liturgiâ Eccleſiarum noſtrarum expreſſam.

Sunt & *Exercitia*, quæ ſub ductû *Doctorum Academicorum*, in ordine ad Eccleſiam, ejuſque ædificationem, haberi ſolent. Eaque ſunt Publica, vel Privata.

Publica, ſunt tum Lectiones, tum Diſputationes

Privata autem ſunt Collegia Dogmatica, vel Polemica, vel Practica, &c.

XLIX. Succedunt alii *Conventûs Eccleſiaſtici*: qui *vel* ſunt Anteceſſorum cujuſque Eccleſiæ particularis inſtitutæ; *vel* Delegatorum à pluribus Eccleſiis particularibus. In ſingulis Eccleſiis particularibus inſtitutis occurrit *Synedrium*, ſive *Presbyterium*. Paulus diſerte Πρεσβυτέριον appellat, 1 *Tim.* 4, 14. Collegium ſcil. Presbyterorum, tum ſimul docentium, tum ſolummodò gubernantium. Ad hoc, ubi Presbyteri

teri sunt pauciores, etiàm Diaconi admittuntur. In isto autem Collegio, quia Deus non est incompositi status auctor; sed pacis; 1 *Cor.* 14, 33. ut omnia decenter & ordine fiant, *Præses* requiritur, qui negotia tractanda proponat; suffragia singulorum roget & colligat; atque ex votis, seu communibus, seu pluribus ac potioribus, conclusionem formet. Quæ autem sic tractata & conclusa sunt, in libro peculiari consignantur: in eum finem, ubi Pastores plures sunt, Præsidi adjungitur *Scriba*.

L. *Negotia* ad Presbyterium pertinentia, potissimum sunt; *primò* curare ut recte peragantur ea, quæ ad Cœtum publicum, communemque ædificationem, spectant; atque adeò ut suis etiàm libris identidem inscribantur nomina Baptizatorum, ad Cœnæ Dominicæ communionem admissorum, & Matrimonio in Ecclesiâ junctorum.

Secundò, quæ in domesticis singulorum membrorum Ecclesiæ visitationibus vitiosa observata sunt, & per Pastores Senioresve corrigi non potuerunt, ad Presbyterium referri debent; ut decernatur, quid facto opus sit.

Tertiò, Attendendum, ut in Antecessoribus Ecclesiasticis, tùm in reliquis Membris, conservetur puritas fidei, & sanctimonia vitæ.

Quartò, Ubi postulat necessitas, progrediendum est ulteriùs in Disciplina Ecclesiastica. Hanc 1. pro N. T. instituit Christus, dicens Petrò, *Matth.* 16, 19. *Et tibi dabo claves Regni cœlorum: & quicquid ligaveris in terrâ, erit ligatum in cœlis; & quicquid solveris in terrâ, erit solutum in cœlis.* Ac similia reliquis Discipulis; XVIII, 15,-18. *Joh.* 20, 23. Quæ cùm semper necessaria sint ad Ecclesiæ ædificationem, certè ad Ministros ordinarios etiàm extendi debent.

2. Apostoli consequenter Ecclesiis eam tradiderunt: 1 *Cor.* 5, 2, 7. de homine quodam incestuoso;

Cum potestate Domini nostri Iesu Christi tradatur iste homo Satanæ, ad interitum carnis, ut spiritus salvus sit. Ac porrò 9, 11, 12, 13. - *Tollite hunc sceleratum è vobis.* 2 *Thess.* 3, 14, 15. *Tit.* 3, 10, 11.

3. Indicantur fines, quorum gratiâ necessaria est ista Disciplina; tùm ratione Fœderis Divini, ac Sigillorum ejus, ne scil. ista profanentur; tùm ratione Dei, iræque ipsius, ne hæc adversùs totam Ecclesiam concitetur: *Matth.* 7, 6. *Ne date quod sanctum est canibus.* cum *Psal. L.* 16, 17. *Impio dixit Deus; quid assumis pactum meum in os tuum? tu vero odisti disciplinam.* Ac 1 *Cor.* 5, 6. *An nescitis, paulo fermenti totam massam fermentari.* XI, 30, 31. *Propterea inter vos multi sunt ægroti & valetudinarii; & dormiunt multi.* Hæc Corinthiis propter Disciplinæ neglectum evenerunt.

4. Idem analogicè colligi potest ex cerimonialibus quibusdam constitutionibus V. T. *Exod.* 12, 48. *Num.* 9, 6, 7, 10. &c,

Exc. Excommunicatio ab Apostolis peracta, fuit extraordinaria: ut videre est in Ananiâ & Sapphirâ subitò & miraculose necatis; *Act.* 5, 1, - 11. *Resp.* In Apostolica Ecclesia fatemur circa Disciplinam aliquandò fuisse extraordinaria quædam adjuncta: verùm res ipsa est usûs perpetui; atque sic Ecclesiis mandata.

Obj. Coërcitio peccantium pertinet ad Magistratum Politicum. Ergò. *Resp.* Magistratui Politico sarta tecta conservari debet sua potestas Politica, ratione statûs exterioris ac temporalis. Verùm nunc de mero ministerio agimus, ordinato per institutionem Christi ad hominem interiorem, & statum ejus æternum.

LI. Ecclesiam appellavit Christus in negotio hujus Disciplinæ, *Matth.* 18, 17. non tamen eò sensû, quasi omnia istùc spectantia per omnia & singula ejus Mem-

Membra necessariò agi deberent; quod volunt *Brownistæ*. Nam cùm Ecclesia sit consideranda ut corpus organicum, quod distincta habet membra, quibus distinctæ etiàm sunt proprietates & operationes; ideò scandala ad Ecclesiam referuntur in Presbyterio, quæ ibi per Antecessores ea audit, reprehendit, &c.

Atque hùc spectant speciales istæ rationes: 1. Ecclesia, juxta ordinationem Christi & Apostolorum, suos habet Antecessores; quos consequenter in exercitio Disciplinæ tales etiàm sese præstare oportet. *Act.* 20, 28. 1 *Cor.* 12, 28. 1 *Thess.* 5, 12. 1 *Tim.* 5, 17. *Hebr.* 13, 17.

2. Christus Apostolis, tanquàm istiusmodi Antecessoribus, Claves Regni cœlorum mandavit; ac ministerialem potestatem peccata remittendi, vel retinendi, dedit: *Matth.* 16, 19. XVIII, 18. *Joh.* 20, 23. 1 *Cor.* 5, 3, 4, 5. 2, *II*, 10.

3. Isto etiàm modo Apostolus reprehensionem, quæ est hujus Disciplinæ, disertè ad multos refert; 2 *Cor.* 2, 6.

4. Omnia in Ecclesiâ ordine ac decenter fieri debent: 1 *Cor.* 14, 40. Non omnes eandem habent facultatem, vel functionem. Antecessorum igitur est etiam hâc parte sese Antecessores præstare, &c.

LII. *Excommunicatio* adhibetur demùm, ubi quis à fidei salutaris veritate, aut à fideli observantiâ deficiens, scandalum dedit; & monitionibus ac reprehensionibus præviis corrigi non potuit.

Ea autem vel *major* est vel *minor*. Per *Majorem* fit peccatoris, cujus pertinacia & impœnitentia satis diù explorata est, separatio & exclusio à communione Ecclesiæ institutæ, & à symbolis gratiæ in eâ. Hæc simul ministerialiter est declaratoria, illum hominem, quamdiù & quatenus talis manet, à Deo & Christo exclusum esse à communione gratiæ salutaris, atque ipso Regno cœlorum. Ità Ministri non archi-

tectonicè realiter efficienter, nec abſolutè, quenquam excludunt Regno cœlorum; ſed ſolum miniſterialiter, declarativè, & hypotheticè.

Minor Excommunicatio eſt, qua illi, qui ſcandalum jam publicè dederunt; ſed reſipiſcentiam hactenùs non egerunt; aut de quorum reſipiſcentia nondùm ita conſtat, ut per eam ſcandalum poſſit videri extinctum, ab actuali communione Cœnæ Dominicæ tantiſper ſuſpenduntur; donec vel poſt exploratam reſipiſcentiam denuò admittantur; vel etiam poſt compertam impœnitentiam, major excommunicatio in eos ſtringatur.

Iſti quodammodò affinis eſt *ſimplex abſtentio*, qua illi de quibus ſcandalum aliquod publicè notum eſt, ſi propè inſtet adminiſtratio S. Cœnæ, à communione interim abſtinentur, dùm cognoſcatur de ipſorum pœnitentia; vel etiam forte de circumſtantiis quibuſdam ipſius ſcandali: ne, dùm ſcandalum publicè notum eſt, pœnitentia verò hactenùs ignota, alii per eorum admiſſionem ad S. Synaxin offendantur.

LIII. Ex dictis ſequitur, *primò*; etiam ob grave & publicum ſcandalum, neminem eſſe excommunicandum, ſine prævia admonitione. Quod contra rigidos quoſdam *Anabaptiſtas* probatur; 1. Ex inſtitutione ipſius Chriſti; qui in redargutione fratris ſcandaloſi aliquot gradûs obſervari voluit ante Excommunicationem: *Matth.* 18, 15, 16, 17.

2. Similiter Paulus hominem hæreticum ſemel atque iterùm monendum conſtituit, priuſquàm devitetur; *Tit.* 3, 10.

3. Ipſius Excommunicationis finis eſt, ut ad pudorem ac reſipiſcentiam adducantur peccatores: 1 *Cor.* 5, 5. 2 *Theſſ.* 3, 14. Si igitur iſte finis faciliori modo obtineri poſſit, ſatis patet, ad Excommunicationem non eſſe veniendum.

Attra-

Attamen ſcandalo publico ſtatim convenit Reprehenſio publica; juxta doctrinam Pauli, 1 *Tim.* 5, 20, & praxin; *Gal.* 2, 14.

Secundò, Minimè etiàm excommunicandi ſunt peccatores, poſt ſcandalum quantumvis grave, jam reſipiſcentiam demonſtrantes: nam 1. tunc obtinetur Excommunicationis finis.

2. Ipſe Deus tales non excludit Regno cœlorum: Ergò nec Eccleſia verè poteſt declarare, eos eſſe à Deo excluſos,

LIV. Neque verò putandum, per Excommunicationem extingui omnem fidelium obligationem ad excommunicatos, ſive naturalem, ſive œconomicam, ſive civilem. Conſequenter, eam non eſſe juſtam cauſam Divortii. Vide ſup. cap. 9. th. 94.

Gravior autem iſtius judicii expreſſio fit per *Anathema*; *Galat.* 1. 8, 9. & per *Anathema Maran atha*: 1 *Cor.* 16, 22. ubi peccator, omni ſpe hactenùs adjectâ, judicio Divino relinquitur.

Illegitimæ verò Excommunicationes nullam habent efficaciam: quales ſunt Papales in Orthodoxos, &c.

LV. Olim *Novatiani* lapſos, quantumvis pœnitentes, non recipiebant. Rectiùs *Orthodoxi* excommunicatos, poſt declaratam reſipiſcentiam, atque hactenus extinctum ſcandalum, ad communionem Eccleſiæ ac ſymbolorum gratiæ denuò admittunt: ità enim 1. æquum eſt, ut ceſſante causâ Excommunicationis, ceſſet etiam ipſa Excommunicatio. 1 *Cor.* 5, 5. 2 *Theſſ.* 3, 14.

2. Diſertè etiàm Apoſtolus de eodem illo inceſtuoſo, quem excommunicandum judicaverat, 1 *Cor.* 5, 3.÷. poſtquàm de ejus reſipiſcentiâ cognoviſſet; 2: II, 6, 7, 8, *Conſolemini illum; ne quo modo redundante triſtitiâ abſorbeatur vir hujuſmodi. Quapropter, ratam faciatis in illum charitatem.*

3. Ipſe Deus quoſvis peccatores ſeriò reſipiſcentes admittit: *Ezech.* 18, 21. Ergò.

4. Singuli fideles ſemper debent parati eſſe ad remittendas injurias; & ſic imitari ipſum Deum nobis remittentem: *Matth.* VI, 14, 15. XVIII, 21.--. Ergò & Eccleſia non minùs debet remittere, ubi Deus remittit.

Apud ipſos Catholicos olim Excommunicatorum pœnitentium *Reconciliatio* tardis ac difficilibus gradibus peragebatur: interdùm tamen fiebat quædam *Remiſſio*; undè ſequioribus ſæculis *Papales Indulgentiæ* natæ ſunt.

Obſervandum autem, lapſos & excommunicatos Pœnitentes, ſuâ Pœnitentiâ, ejuſque demonſtratione, non ſatisfacere juſtitiæ Divinæ: nullus enim merus homo ei ſatisfacere poteſt pro peccatis ſuis: *Matth.* 16, 26. Hoc Chriſtus præſtitit ſolus: ut probatum eſt ſuo loco. Sed Eccleſiæ quodammodò ſatisfacere, quam offenderunt; ut videl. ſcandalum reſipiſcendo extinguant.

LVI. Ad *Presbyterium* quoque pertinet Vocatio Miniſtrorum, ſi qui deſiderentur; nec non Dimiſſiò Paſtoris ad aliam Eccleſiam magis laborantem vocati, cum Vitæ Miniſteriique teſtimonio. Imò etiam quorumcunque Membrorum, aliò migrantium, Dimiſſio cum teſtimonio convenienti.

Quoties autem habenda eſt Claſſis, ad eam quoque deputandi ſunt, qui nomine hujus Eccleſiæ ibi compareant.

Diaconi in Eccleſiis majoribus diſtinctos ſuos habent conventûs, ubi de negotiis Diaconiæ ſuæ agunt; eleëmoſynis ſcil. collectis, aut colligendis, deque earum diſtributione. Ubi verò diſtinctos conventùs non habent, eadem in communi conventû Presbyterii etiàm aguntur.

LVII. Sequuntur *Conventûs plurium Eccleſiarum*

parti-

particularium, juxta unionem aut confœderationem, mutui auxilii causâ institutam, ad communem ædificationem. Hujus rei insigne exemplum habemus in Ecclesiâ Apostolicâ, *Act.* 15, 1,-29. ubi à delegatis Ecclesiæ Antiochenæ, Presbyteris Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ipsisque Apostolis ibi præsentibus, gravis controversia determinata est; cui sola Antiochena, propter turbas istic excitatas non sufficiebat.

Alibi etiàm notamus vicinarum aliquot Ecclesiarum conjunctionem; & communionem sanctorum sic etiàm cum remotioribus observatam: ita *Rom.* 15, 26. *Libuit* Ecclesiis *Macedoniæ & Achajæ pariter conferre aliquid in pauperes sanctos*, *qui* erant *Hierosolymis*. Vide etiam 2 *Cor.* 8, 1, 4, 19. itemque 1 *Cor.* XI, 16.

Sic ergò istiusmodi unio & communicatio plurium Ecclesiarum particularium necessaria est, non quidem simpliciter ad *esse*; sed ad *benè esse* omnium & singularum. Atque ità *cumulativè*, bonum bono additum facit majus bonum: non autem se habet *privativè*; quasi per eam quælibet particularis desineret esse Ecclesia, suamque potestatem ipsa exercere non posset, aut deberet.

LVIII. Ecclesiarum aliquot vicinarum in mediocri tractû ejusdem ferè Provinciæ confœderatio, & communicatio, consistit in *Classe*; ut nunc appellatur. In hâc comparere solent omnes Pastores istius districtûs; atque insuper Seniores singuli ab Ecclesiis istis singulis, aut saltem ab Ecclesiis majoribus, literis fidei à suis delegantibus instructi. Eidem Conventui interesse etiam solent singuli Correspondentes, à singulis Classibus ejusdem Synodi Provincialis. In Classe Pastor aliquis *Præses* constituitur electione, vel etiàm ex ordine. Cujus est curare, ut omnia ordine ac decenter in isto Conventû fiant; negotia tractanda proponere: suffragia colligere, & indè con-

clusionem formare. Præsidi adjungitur *Assessor*; cujus est Præsidem in dirigendo Conventû juvare: atque item *Scriba*; cujus est acta istius Conventûs fideliter consignare.

Ad Classem pertinent, tùm *negotia communia* Ecclesiarum istius districtûs: tùm *negotia graviora*, super quibus Presbyteria auxilium Classis requirunt: nec non *Provocationes & querelæ* eorum, qui se Presbyterii sui judicio gravatos existimant.

LIX. Ex aliquot Delegatis omnium Classium ejusdem Provinciæ, constituitur *Synodus Provincialis*. Accedunt Correspondentes ex Synodis vicinarum Provinciarum.

In eâ constituuntur *Directores*, ut suprà.

Tractantur verò *negotia* omnium Ecclesiarum istius Provinciæ *communia*; atque etiàm *graviora*, in quibus Classis aliqua auxilium Synodi petit; nec non *Provocationes & Querelæ* eorum, qui se judicio suæ Classis gravatos putant.

Similiter ex Delegatis Synodorum Provincialium ejusdem Nationis, constituitur *Synodus Nationalis*. Accedunt Correspondentes aliarum Nationum eandem fidem profitentium.

Constituuntur *Directores*, &c.

Tractantur autem hîc *Negotia* omnibus ut plurimùm ejusdem Nationis Ecclesiis *communia*; *tùm* fidei puritatem, *tùm* graviores casûs conscientiæ, *tùm* etiàm ordinem Ecclesiasticum spectantia.

Nuncupantur etiàm *Concilia œcumenica*; quasi convocata & collecta ex Ecclesiis totius orbis, πάσης τῆς οἰκουμένης. Sed nulla verè & propriè talia unquàm fuerunt: nisi quòd Synodùs Hierosolymitana quodammodò haberi possit œcumenica, propter Apostolos Doctores œcumenicos.

LX. Non autem putandum est cum *Remonstrantibus*, eos, qui ad Synodum mittuntur, debere, durante

rante litis examine, nulli vel personæ, vel Ecclesię, vel Confessioni esse adstrictos: nam 1. nunquàm iis licet, fidem suam Verbo Dei fundatam, & juxta illud Confessione aliquâ expressam, abnegare, vel deponere.

2. Semper oportet eos Deo, Christo, & SS. Literis, quibus orthodoxæ Confessiones consentaneæ sunt, adstrictos manere.

3. Neque de Apostolis existimandum, eos in Synodo Hierosolymitanâ, priorem suam fidem ac notitiam de istis rebus deposuisse: *Act.* 15, 6, -.

4. Neque alii Judices suam scientiam Juris, Legum, Statutorum, Consuetudinum, & Sententiarum in similibus causis latarum, tenentur deponere.

Neque similiter putandum, in iis quæ controversi juris sunt, nimiûm sibi arrogare Synodos, si dicant; *Hoc credendum est constanter & firmiter*: cùm enim suam sententiam ex Verbo Dei confirmant, hæc confirmatio omninò admitti debet propter auctoritatem Verbi Divini, quâ ea nititur. Si aliter fiat, contra Deum peccatur, quòd ipsius testimonium in dubium vocetur: 1 *Joh.* 5, 10. Confer *Hebr.* 13, 17. 1 *Thess.* II, 13.

Quin & Adversarii aliter sentientes, quotquot SS. Literas acceperunt, eâdem quoque auctoritate devinciuntur.

Obj. 1 *Cor.* 5, 12, 13. Extranei ab Ecclesiâ non sunt judicandi. Ergò. *Resp.* Apostolus istic de Disciplinâ Ecclesiasticâ loquitur, quæ propriè versatur circa Membra Ecclesiæ alicujus instituta. Verùm indè nequaquàm sequitur, quod Adversarii intendunt.

LXI. Transeo ad *Adjuncta*; quæ nunc potissimùm occurrunt, Potestas, Visibilitas, Defectibilitas, & Notæ.

Potestas hoc loco Ministerialis intelligitur: autocratorica enim Christo Regi nostro spirituali propria est.

eſt. Interim Chriſtus Poteſtatem hujuſmodi miniſterialem in Eccleſiâ ordinavit; ſic tamen, ut in exercitio Anteceſſoribus eſſent ſuæ partes Anteceſſoriæ. Eſt autem hæc *Poteſtas*, *tùm* clavium, *tùm* ordinationis. Ad *Poteſtatem clavium* pertinet *tùm* Prædicatio Euangelii, *tùm* Diſciplina Eccleſiaſtica. *Poteſtas Ordinationis* eſt jus Miniſtros eligendi, vocandi, & confirmandi, Eccleſiæ ejuſque Anteceſſoribus competens. De quibus ſic ſatis in ſuperioribus.

LXII. Eccleſia in ratione myſticâ *inviſibilis* eſt. Sicut & inſtituta, univerſaliter ſpectata. Verùm particularis quæque Eccleſia, in ſingularibus ſuis membris, conventibus, & functionibus externis, quandò eæ procedunt, eſt *viſibilis*: *Matth.* 5, 14, 15. Fieri tamen poteſt, ut Eccleſiæ particulares, ob perſecutiones hoſtium ſuorum, latere cogantur: vel etiàm diſpergantur; atque ità hoſtibus ſuis non ſint conſpicuæ; imo neque fidelibus quibuſdam, dùm hi cum illis congregari non poſſunt. Quod accidit tempore Eliæ, *Rom.* 11, 2, 3, 4, 18. Confer *Joh.* 20, 19, & *Act.* 12, 12, 13, 14. Quid autem longè poſt, & ſatis diù futurum eſſet de Eccleſiâ N. T. clariſſimè oſtenſum eſt typo Mulieris iſtius, amictæ Sole, &c. de quâ, *Apoc.* 12, 6. *Fugit in ſolitudinem, ubi habet locum paratum à Deo, ut illic alerent eam diebus mille ducentis ſexaginta.*

Propterea qui puriorem Chriſtianiſmum profitebantur, (qualem Deus propitius per Reformationem reſtituit,) prævalente Antichriſtianiſmo, latebras quærere coacti ſunt in variis partibus ipſius Babylonis: qui *Waldenſes* appellabantur, ac deinde etiàm *Bohemi*, ſæpius fuerunt oppreſſi, ac diſperſi, &c. Magnum interim fuiſſe eorum numerum, ſatis manifeſtum eſt ex Catalogis Teſtium veritatis, ac Martyrologiis. Sic occurrendum *Pontificiis*; perpetuam Eccleſiæ viſibilitatem jactantibus; & ſæpe quærentibus. Ubi fuerit Eccleſia noſtra ante Lutherum? Chri-

LXIII. Christus Rex ęternus non potest omnino distitui subditis; *Luc.* I, 33. sed necessario impleri debet, quod promisit ipsa veritas, *Matth.* 16, 18. *Portæ Inferorum non superabunt* Ecclesiam. & XXVIII, 20. *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Verum Ecclesia quęque particularis est *defectibilis:* fieri enim potest, ut electi fideles & sanctificati tum moriantur tum aliò migrent; temporarii autem deficiant ad hæreses, vel infidelitatem, & profanitatem. Ità Ecclesiæ plurimæ, quæ olim fuerunt in Asiâ, Muhammedismo succubuerunt; juxta comminationem olim factam *Apoc.* II, 5. Multæ etiàm aliæ Antichristum secutæ sunt, & concesserunt Bestiæ ac Meretrici Babylonicæ; sicut prædictum, XIII, 3, 4, 8.

Neque *Indefectibilitatis* privilegium datum est *Ecclesiæ Romanæ*; nec ulla talis promissio ei speciatim facta sed comminatio superioribus similis, *Rom.* XI, 17,-21. *Ne effertor animo; sed metue. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, vide ne tibi quoque non parcat.* Confer 2 *Thess.* II, 3,-7. *Apoc.* 17, 3, 4, 5, 9; 18.

Obj. 1. Atqui occurrunt tàm multæ & præclaræ promissiones de perpetuitate Ecclesię. Ergo. *Resp.* Quæ promissa sunt Ecclesiæ electorum, vel in universum dicta de Ecclesiâ institutâ, non rectè restringuntur ad Ecclesiam aliquam particularem, aut specialius ad Romanam. Orbis major est Urbe.

Obj. 2. Paulus ad *Romanos* scripsit, I, 18. *Gratias ago Deo meo per Jesum Christum, super omnibus vobis, quod fides vestra annunciatur in toto mundo.* Ergo gloria & perpetuitas ista pertinet ad Ecclesiam Romanam. *Resp.* Neg. Conseq. Talis quidem tunc fuit fides Romanorum; verum inde nequaquam sequitur, eam semper per omnia sæcula talem fuisse mansuram. Similia vide 2 *Thess.* I, 3, 4.

Obj.

Obj. 3. *Ecclesia est columna & stabilimentum veritatis:* 1 *Tim.* 3, 15. Ergò *Resp.* Ecclesia Catholica in universum, & quælibet particularis quatenus verum ac sanum membrum catholicæ est, veritati superstructa est, & per eam stabilita; eandemque aliis cognoscendam exhibet ministerialiter. Verum inde non sequitur cujusq; Ecclesię particularis indefectibilitas; nedum Romanæ: quæ istic speciatim non consideratur; sed Ephesina in quâ Timotheus erat. De hujus autem futurâ defectione vide *Act.* 20, 29, 30. *Apoc.* II, 4, 5.

LXIV Sed *Notas* lustremus! Eæ sunt certa quædam signa, quæ per se facilius cognoscuntur, & ex quibus certò cognosci potest de Ecclesiæ cujusque veritate ac puritate. Necesse autem est, Notas illas esse proprias veræ Ecclesiæ, & perpetuas, & cognitù faciliores; atque ità idoneas, per quas cognoscatur Ecclesia. Spectandum ergo Verbum Dei, SS. Literis expressum & comprehensum, pro uno & certo canone fidei ac morum: hinc Christus *Joh.* 8, 31. *Si vos manseritis in Sermone meo; vere discipuli mei eritis.* 47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* x, 4, 5. *Oves eum sequuntur* (Pastorem verum); *quia norunt vocem ejus.* 26, 27. XVII, 17. *Eph.* 2, 20. *Phil.* 3, 16. *Gal.* 6, 16. Est autem hæc convenientia in Ecclesiâ quaque institutâ particulari spectanda, in iis quæ istic illustriora occurrunt; scil. 1. in Doctrinâ quæ ab Antecessoribus proponitur, & à multitudine reliquâ recipitur; vel etiàm Confessione aliquâ editâ comprehenditur. Hinc *Jes.* 8, 20. *Ad Legem & ad testimonium: si non dixerint secundùm verbum hoc, non* erit *eis aurora. Matth.* 28, 20. 1 *Cor.* 4, 1, 2, 6. 1 *Petr.* 4, 11. *Act.* 26, 22. XVII, 11.

2. In administratione Sacramentorum; utrùm ea peragatur secundum institutionem Christi: hæc enim in recto usû singulis fidelibus sunt sigilla communio-

nis

nis suæ, salutaris in Christo ac beneficiis ejus; eâdemque operâ Ecclesiæ cujusque particularis signa sunt, undè etiàm innotescit vera ejus conditio, prout ea externè cognosci potest. Hùc pertinent accuratæ descriptiones, *Matth.* 28, 19, 20. 1 *Cor.* XI, 24, 25, 26.

3. In Exercitio Disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ ordinata est ad veritatem ac puritatem in Ecclesiâ conservandam: *Matth.* 16, 19. XVIII, 15,-18. 1 *Cor.* 5, 6, 7, 11, 13, *Tit.* 3, 10.

LXV. Minimè autem inutilis, aut supervacanea, cum *Socinianis* & *Libertinis*; censeri debet Notarum istarum investigatio; atque ex illis Ecclesiæ cognitio: nam 1. Unusquisque salutis suæ studiosus hoc agere debet, ut sese adjungat veræ Ecclesiæ; atque in ejus communione particeps sit mediorum à Deo & Christo ordinatorum ad salutarem ædificationem; juxta exemplum in Ecclesiâ primitivâ, *Act.* II, 41, 42. post concionem & instructionem Petri; *Qui libenter receperunt sermonem ejus, baptizati sunt; & additæ sunt Ecclesiæ die illo animæ quasi ter mille. Perdurabant autem in doctrinâ Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & orationibus.* Vide etiam 1 *Cor.* XI, XII, XIV. *Eph.* 4, 11, 12, 13. *Hebr.* 10, 25.

2. Qui aliam doctrinam adferunt, non sunt audiendi; neque ulla communio cum illis habenda: undè 2 *Joh.* 10, 11. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum in domum; nec Ave ei dicite.* *Joh.* 10, 5, 16. *Gal.* 1, 8, 9. *Phil.* 3, 2. *Tit.* 3, 10. 1 *Joh.* 4, 1.

3. Singulorum est ædificationem & prosperitatem veræ Ecclesiæ suis precibus promovere, quantum possunt. *Psal.* LI, 20. *Benefac in voluntate tua Tzijoni; ædifices muros Jerusalemi!* CXXII, 6. *Matth.* 6, 10.

4. Gaudendum est de ejus incremento & rebus secundis; atque isto nomine Deo agendæ sunt gratiæ: ad

ac proindè distinctè agnoscenda est vera Ecclesia per suas Notas. 1 *Thess.* I, 2, 3. 2, I, 3, 4. 2 *Joh* 3, 3. *Joh.* 3, 4. *Luc.* 15, 4,-.

LXVI. *Pontificii* alias & plures Notas Ecclesię constituunt; atque inter illos *Bellarminus* quidem ad quindenarium numerum procedit. *Prima* autem *nota* illi est Nomen Ecclesiæ, Christianorum, & Catholicismi. Sed nomen tùm alibi, tum in hoc negotio, non prębet certum indicium. *Apoc.* 3, 1. ad Angelum Ecclesiæ, quæ Sardibus erat: *Novi opera tua*: nempè *quod dicaris vivere; sed mortuus sis.*

Secunda est Antiquitas. Verum 1. ea nòn est Ecclesiæ propria; sed ipsi Diabolò communis: *Joh.* 8, 44. Neque 2. Ecclesiæ inseparàbiliter convenit: initiô enim non fuit antiqua. Et ipsa 3. difficillimè cognoscitur; plurimisque adminiculis opus habet.

Tertia est Duratio diuturna non interrupta; cui eadem opponimus.

Quarta est Amplitudo, & multitudo credentium. Verum 1. nec ista est Ecclesiæ propria: maxima enim est multitudo Muhammedi credentium; aliorumque errantium; *Matth.* 7, 13. *Quoniàm lata est porta,* &c. *Apoc.* 13, 3. *Admirans universa terra secuta est Bestiam.* 8. Neque 2. est perpetua: *Luc.* 12, 32. *Ne metue, parve Grex istè;-. Matth.* 7, 14. *Angusta est porta, & stricta via, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inveniant eam.*

Quinta est Successio Episcoporum. Verum. 1. Successio ejusdem Doctrinæ, & quidem veræ, difficulter cognoscitur. 2. Quid si foret Successio errorum; 3. Successio Sedis sola parum ad rem facit: *Matth.* 23, 2. *In cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi.* Adde, 13. & XVI, 6.

Sexta, Consensus Ecclesiæ antiquæ. Sed quam antiquæ? Annon etiam veræ? At quomodo cognoscetur Ecclesia antiqua vera?

Septi-

Septima, Unio Membrorum cum Capite Papâ, & inter se. At 1. vera Ecclesia non agnoscit Caput, nisi Christum. 2. Ista unio potius est Nota Ecclesiæ malignantium, & Antichristianæ: post pauca enim probabimus Papam esse Antichristum. 3. Unio inter se non est etiam veræ Ecclesiæ propria; sed & Regno Satanæ convenit; *Matth.* 12, 25, 26.

Octava, Sanctitas Doctrinæ. Verùm ista dignosci non potest, nisi cognitâ priùs Veritate; sine qua omnis jactata Sanctitas mera superstitio est.

Nona, Efficacia doctrinæ. Sed nec illa veræ Ecclesiæ propria est; quippè Antichristianæ etiàm conveniens: 2 *Thess.* II, 9, 11. de Antichristo; *Cujus adventus est ex efficacia Satanæ, cum omni potentiâ,* --.

Decima, Sanctimonia auctorum Religionis. Sed 1. Quomodò iterùm dignoscetur ista Sanctimonia? 2. Difficillima etiàm est investigatio, utrùm Religio ista hodierna sit eadem illi, quam Auctores docuisse perhibentur.

U*ndecima*, Gloria Miraculorum. Verùm 1. Miracula etiàm fieri possunt ab iis, qui fide salvificâ destituuntur. *Matth.* 7, 22, 23. *Multi dicent Mihi illo die; Domine, Domine, Nonne in nomine Tuo Dæmonia ejecimus, & per nomen Tuum multas virtutes edidimus? Tunc autem profitebor eis? Certe nunquàm novi vos: abscedite à Me, qui operam datis iniquitati.* 2. Opera valdè miranda, veris Miraculis effectu proximo & externâ specie simillima, fieri etiàm possunt à seductoribus, & salutaris Veritatis adversariis: 2 *Thess.* 2, 9. - *Cum omni potentiâ, & signis, ac prodigiis mendacibus. Matth.* 24, 24. *Excitabuntur enim Pseudo-christi, & Pseudo-prophetæ: & edent signa magna, & miracula; adeò ut seducant, si fieri possit, etiàm electos. Apoc.* 13, 13, 14. iterùm de Antichristo; *Editque signa magna*, -. Ista scil. à Deo permittuntur, & fiunt suo modo, atque ordinantur ad explorationem hominum: *Deut* 13, 1, 2, 3. Confer

exempla Magorum Ægyptiorum; *Exod.* 7, 11, 12, 22. VIII, 7. & Simonis Magi; *Act.* 8, 9, 10. 3. Neque Miracula sunt penes veram Ecclesiam perpetua: 1 Cor. 12, 7. *Unicuique datur declaratio Spiritus ad utilitatem.* 11. - *distribuens privatim* illa *singulis*, *sicut vult.* cum. XIV, 22. *Linguæ igitur sunt signum, non iis qui credunt; sed infidelibus. Augustinus* de Civitate Dei lib. 22. cap. 8. de iisdem; *Necessaria fuisse priusquàm crederet Mundus, ad hoc ut crederet Mundus. Quisquis adhuc prodigia ut credat inquirit, magnum est ipse Prodigium; qui Mundo credente non credit.*

Duodecima, Lumen Propheticum. Verum 1. etiàm fide salvificâ destituti, & seductores, prophetare possunt: *Matth.* 7, 22. - *Nonne per nomen Tuum prophetavimus?* -. *Deut.* 13, 1, 2, 3. *Cùm surrexerit in medio tui Propheta, vel somnians somnium*, &c. Confer exemplum Bilhami apud Moabitas prophetantis; *Num.* 23, 18, - 24. XXIV, 3, - 9, 15, -. *Apoc.* II, 14. & Cajaphæ in corruptissimâ Judæorum Ecclesiâ; *Joh.* XI, 49, - 52. 2. Neque istud donum in verâ Ecclesiâ perpetuum est; similiter ut de Miraculis modò ostensum.

Decima tertia, Confessio Adversariorum. Sed testimonium humanum, idque inconstans, non potest hujus rei certam notitiam præbere.

Decima quarta Infelix exitus persecutorum Ecclesiæ. Sed 1. iste in hoc sæculo non semper est conspicuus. 2. Etiàm pii & probi multa adversa hîc patiuntur; & morte, quantum ad externam speciem, satis calamitosâ afficiuntur. *Eccl.* 9, 1, 2. *Etiàm amorem, etiàm odium; nescit homo ex omnibus*, quæ *ante eos* sunt. *Omnia eveniunt consimiliter omnibus*: &c. *Psal.* 73. 2, - 5. *Et ego; pene declinaverunt pedes mei*: - *quia zelari in insanos*, cum *pacem impiorum viderem.* -. *Joh.* 21, 7, - 15. *Jerem* 12, 1, 2. *Luc.* 16, 25. 1 *Cor.* 4, 9, - 13. XV, 19, 30, 31, 32. *Hebr.* XI, 35, - 38.

Dici-

Dicima quinta denique illi eſt Felicitas temporaria defenſorum Eccleſiæ. Verùm & iſta 1. minimè propria eſt: quod ſatis patet ex modò allegatis. Nec 2. perpetua. *Pſal* 73, 14. *Fui flagellatus omni die: & fuit increpatio mea ſingulis matutinis. Joh.* 16, 33. *In mundo oppreſſionem habebitis. Act.* 14, 22. *Oportere per multas afflictiones nos ingredi in Regnum Dei. Rom.* 8, 17, 36. 2 *Tim.* 3, 12.

Iſtæ igitur non rectè conſtituuntur Notæ, ſeu τεκμήρια veræ Eccleſiæ. Sed neque eas ſic omnes competere Eccleſiæ Romanæ, neque ſemper competiiſſe, accuratè animum advertenti facilè patet.

LXVII. Superſunt *Contraria*; in quibus nunc potiſſimùm occurrunt Perſecutiones & Seductiones.

Perſecutiones etiàm minimè defuerunt ſub V. T. indè à primis Eccleſiæ incunabilis; juxta iſtud *Gen.* 3, 15. *Inimicitiam ponam, - & tu conteres Ei calcaneum.* Hinc Chriſtus, *Matth.* 23, 35. *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, effuſus ſuper terram, à ſanguine Abel juſti, usque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ,-.*37. *Jeruſalem, Jeruſalem, interemtrix Prophetarum, & lapidatrix eorum qui ad te miſſi ſunt!* Adde 1 *Joh.* 3, 12. *Gal.* 4, 29. *Hebr.* XI, 35, - 38.

In N. autem T. initium factum eſt à Capite ac Domino noſtro Jesû Chriſto; de cujus paſſionibus ac morte diximus ſuo loco. Vel jam ab ejus Prodromo Johanne Baptiſtâ, quem Herodes capite mulctavit; *Matth.* 16, 3,-12. Similem conditionem Chriſtus Apoſtolis ac Diſcipulis ſuis propoſuit & prædixit, V, 11. 12. XVI, 24. XX, 23. Adde alia paulo ſuperiùs allegata. Conſequenter occurrit ſtatim exemplum Stephani Diaconi & Protomartyris, lapidati à Judæis; *Act.* 7, 59, 60. Magna perſecutio adversùs Eccleſiam Hieroſolymitanam memoratur, VIII, 1, 2. & tale ſtudium Sauli etiàm adversùs alios fideles; IX, 1, 2. Iterùm Rex Herodes, injectis manibus, malè acce-

pit nonnullos ex Ecclesiâ: interemit autem Jacobum, fratrem Johannis, gladio; & Petrum in carcerem conjecit, qui tamen per Angelum ex eo liberatus est; XII, I,-. Similiter *Apoc.* 2, 13. - *Antipas Martyr ille meus fidelis; qui trucidatus est apud vos, ubi Satanas habitàt.* Adde, 10. III, 10. VI, 9, 10, 11. 2 *Cor.* XI, 23, 24, 25.

Plurima istiusmodi etiàm occurrunt in Historiâ Ecclesiasticâ: ubi potissimùm commemorantur *decem Persecutiones universales*, sub Imperatoribus Gentilibus institutę. Cùm verò *Constantinus Magnus* Religioni Chirstianæ nomen dedisset, non multô post *Ariani* persecuti sunt Orthodoxos; ac porrò Julianus Apostata. Ubi autem deindè Antichristus Romanus sese extulit, alii verò pro fidei puritate ei restiterunt, iterùm factæ fuerunt persecutiones variæ; adversùs Waldenses (ut appellabant) Bohemos, alios fideles in Germaniâ, Galliâ, Britanniâ, Belgio, &c. de quibus consulenda Martyrologia.

LXVIII. *Seductiones*, quibus alii à puritate fidei abducuntur fallaci persuasione Hæreticorum & Apostatarum, sedulò etiàm notandæ sunt. De his exstant Prophetiæ, *Matth.* 24, 24. *Act.* 20, 29, 30. 1 *Tim.* 4, 1, 2, 3: 2, III, 1, - 9.

Inter Hæreticos sub N. T. primus recenseri solet *Simon Magus*; de quo *Act.* 8, 9, 10, 13, 18, - 24. Sed 2 *Tim.* II, 16, 17. nominatim commemorantur *Hymenæus*, & *Philetus*; qui circa fidem aberrârunt à scopo, dicentes, Resurrectionem jàm esse factam, &c. Alii pro Observatione Legis Cerimonialis adhuc sub N. T. & pro Justificatione ex operibus contenderunt; *Act.* 15, 1, 2. *Gal* 1, 6, 7. III, 1. IV, 10, 11: V, 1, - 4, 12. *Phil.* 3, 2, 3, 18, 19. *Col.* 2, 4, 8, 16, -. Diserte etiàm *Nicolaïtæ* appellantur, *Apoc.* II, 6, 15. In Historiâ Ecclesiasticâ porrò inter alios recitantur *Ebion* & *Cerinthus*, veram Christi Deitatem negantes; *Marcio-*

Marcionitæ, Montanistæ, Encratitæ, Sabelliani, Manichæi, Ariani & *Photiniani, Pelagiani, Nestoriani, Eutychiani, Monotheletæ*, &c.

LXIX. Speciatim considerandus venit *Antichristus*: quæ appellatio disertè exstat, 1 *Joh.* 2, 18, 22. IV, 3. 2 *Joh.* 7. Ea autem, vi vocis inspectâ, notare potest vel *Christo contrarium*: sicut dicitur ἀντίθεσις, oppositio; 1 *Tim.* 6, 20. ὁ ἀντικείμενος, ille opponens sese; 2 *Thess.* II, 4. vel *eum, qui locum Christi occupat*, aut *tenet*: sicut dicitur Ἀνθύπατος, Proconsul; *Actor.* 13, 7. item ἀντίπτωσις, ἀντονομασία, &c. Sed Ἀντιστράτηγος utrâque significatione reperitur; ut notet Ducem contrarium: & eum qui est loco Ducis. Sic etiàm rectissimè accipitur ὁ Ἀντίχριστος κατ' ἐξοχήν, qui se Christo substituit, tanquàm Vicarium; atque interim Ipsi adversatur maximè: juxta *Apoc.* 13, 11. *Vide aliam Bestiam, ascendentem è terrâ, habentem cornua duo similia Agni; sed loquebatur ut Draco.* Verùm generatim vox illa quemvis Hæresiarcham notat.

Magnus ille Antichristus secundùm SS. Literas describitur pleniùs, quod sit Papa Romanus, prout hic Satanæ efficaciâ per multiplicem à doctrinâ Christi defectionem paulatim exortus est, ac tandem Imperii Romani ruinâ patefactus; qui sub professionis Christi larvâ, Ipsius adversarius existit, supra omnem Deum sese efferens, sibique universalis Ecclesię & totius Orbis dominium arrogans; doctrinæ interim ac signorum mendaciis, vitæ impuræ exemplis, sævâque tyrannide, plurimos homines in errores, idololatriam, & exitium seducens; donec Christi Verbo, atque illustri adventû, tandem destruatur.

LXX. *Papam* dicimus, sive Episcopum, aut Antistitem Ecclesiæ Dei: in quâ Antichristus non solùm est; sed etiàm ei præest ac præsidet. 2 *Thess.* 2, 4. *Ut in*

in templo Dei - sedeat. h. e. in Ecclesiâ: *Eph.* 2, 21. 2 *Cor*. 6, 16. Confer *Apoc.* 18, 4. perperàm verò *Pontificii* istud exponunt de Templo Hierosolymitano. Addimus *Romanum*: propria enim ejus sedes debuit esse Roma; magna illa septem montium civitas; *Apoc.* XVII, 9. quæ isto tempore regnum habebat super Reges terræ: *vers.* 18. Hic autem est ille Λατεῖνος, conficiens numerum *666.* juxta *Apoc.* XIII, 18. quemadmodùm olim observavit *Irenæus*, discipulus *Polycarpi*, qui Apostolum *Johannem* audiverat. Undè etiam Vulgata Versio Latina ejus sectatoribus habetur authentica; & Officium publicum Latinum est. Atque isti Episcopo reliqua omnia conveniunt, quæ de Antichristo prædicta sunt.

Efficaciam Satanæ appellamus, juxta 2 *Thess.* 2, 9. Confer *Gen.* 3, 15. *Joh.* 8, 44. *Eph.* 2, 3. Hinc *Causa formationis*: Defectio, tùm particularis, tùm universalis. *Particularis defectio* jàm Apostolorum ætate cœpta fuit, partim per Hæresiarchas: 1 *Joh.* 4, 1. partim per ambitiosos quosdam Ecclesiarum Ministros: 2 *Joh.* 9, 10. Sic enim multi Antichristi extitisse dicuntur; 1 *Joh.* 2, 18. quos *Tertullianus* Præcursores magni illius Antichristi rectè appellavit; cùm in iis esset spiritus illius: 1 *Joh.* 4, 3. Atque ità Mysterium iniquitatis jam tum operabatur: 2 *Thess.* 2, 7. Neque enim stipulæ solùm superstruebantur vero fundamento: 1 *Cor.* 3, 12. sed etiam errores valdè graves; utpotè contra Veritatem personæ Christi: 1 *Joh.* 2, 22, 23. IV, 13. 2 *Joh.* 7. & officiorum ipsius: 1 *Joh.* 2, 22. De Justificatione hominis coram Deo ex operibus: *Gal.* 5, 4. cultû Angelorum: *Col.* II, 18. ciborum quorundam prohibitione: 21. ἐθελοθρησκείᾳ, humilitatis ostentatione, corporisque immodica afflictione: 22, 23. Post excessum verò Apostolorum, Mysterium istud magis profecit; ut prædictum, *Actor.* 20, 29, 30. *Gnostici* enim introduxerunt cultum imaginum

ginum Christi; *Collíridiani*, adórationem Virginis Mariæ; *Manichæi*, necessitatem cœlibatûs Episcoporum; *Encratitæ*, prohibitionem esûs carnium; *Cathari*, gloriationem de bonorum operum meritis; *Pelagiani*, errores circa gratiam & liberum arbitrium; alii alios.

Universalis defectio indicatur, 2 *Thess.* II, 3. Talis *una* fuit aperta; *Arii*, quem *Athanasius* Antichristi προέδρομον dixit. Isti autem involuta fuit Ecclesia Romana, cum Episcopo suo *Liberio*. *Altera* fuit latens, per incuriam studii Scripturarii, imperitiam, cœcum Religionis zelum, nec non avaritiam & superbiam: quorum specimina satis multa sunt obvia. Hinc *Victor* Ecclesias Asiaticas à communione exclusit, ob diversum diem Paschatis servatum: &c. Accesserunt figmenta Miraculorum ad superstitiones commendandas, & fabulæ multarum Traditionum.

Opportuna interim *occasio patefactionis* supervenit: Imperii Romani ruina: 2 *Thess.* II, 6, 7, 8. cum *Apoc.* 13, 3, 11, 12. Imperator enim Byzantium migrans, Romam deseruit; & Roma vicissim Imperatoris jugum excussit. Sic autem revelatio facta est in *Bonifacio* III. anno 607. magis autem in *Stephano* II. anno 654.

LXXI. Quod ad *hypocrisin*, & *subdolam professionis Christi larvam*; Antichristus sessurus erat in templo Dei, atque ita homines seducturus: 2 *Thess.* 2, 4, 10. Dei Spiritum simulaturus: 1 *Joh.* 4, 13. & duo cornua habiturus, Agni similia: *Apoc.* 13, 11. Confer 1 *Tim.* 4, 1, 2. de spiritibus deceptoribus, per hypocrisin falsiloquis. Sic autem Pontifex Romanus indè à *Bonifacio III.* generatim quidem S. Scripturam, & summa capita Catechesios Christianæ prætendit; sed subvertit simul: dùm sese Christi vicarium appellat, &c.

Sed & *scelerosus* est: 2 *Thess.* II, 3, 8. ac talis Christi adversarius; ἀντικείμενος: *vers.* 4. & sic Ἀντίχει-

ς@: 1 *Joh.* II, 18. IV, 3. Magis hoc patet per effecta: dùm impiè sese *extollit supra Deum*, aut quicquid *Deus* appellatur: 2 *Thess.* II, 4. Sic autem *Papa Romanus* Legibus Dei suas opponit, & præponit; graviorémque redemturam Legum suarum constituit, quàm Divinarum: quod videre est in *Taxâ pœnitentiariâ*. Et sibi vendicat potestatem Sanctos canonizandi, cultumque religiosum iis decernendi; quod ipse Deus non potest: *Jes.* 42, 8. 2 *Tim.* II, 13. Quid jàm mirum, si *supra homines quoscunque* sese extollat? *Apoc.* XI, 8. XVII, 1, 2, 7, 15, Sic autem *Johannes* XXII. dixit; „Summo Pontifici, in personâ B. Petri, terreni simul & „cœlestis Imperii jura esse commissa. Hinc etiàm Pontifex Tiaram cum triplici Coronâ aureâ gestat, quæ *Regnum* dicitur. Et *Bonifacius* VIII. pronunciavit, „Omnem humanam creaturam Pontifici Romano sub„esse; idque omninò esse de necessitate salutis.

Specialius prædictum fore, ut *ostentaret se Deum esse*: 2 *Thess.* II, 4. & ab incolis terræ adoraretur: *Apoc.* 13, 3. Sic autem, rogatu *Bonifacii* III. Imperator *Phocas* sedem Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ pronunciavit Caput omnium Ecclesiarum. Undè porrò immane jugum Legum anathemate sancitarum promanavit: sua autem judicia, imò & flagitia, omnium hominum; etiàm Conciliorum, judiciis exemit ὁ ἄνομ@: se Potestatis Christi Vicarium; Ecclesiam verò Sponsam suam appellavit; pro arbitrio item suo peccatorum remissionem, & varios cœlestis gloriæ gradûs, dispensare præsumsit: quin & *Dei*, ac *Divinæ Majestatis*, appellationem admisit. Consequenter etiàm Clericos suos potestati Politicæ subtraxit: Reges verò & Principes regnis ac dominationibus ipsorum aliquandò exuit Subditos à juramento fidelitatis & ab obedientiâ absolvit; ad Pedum suorum oscula illos admisit; imò etiàm colla ipsorum suis pedibus aliquandò compressit.

LXXII.

LXXII. *Seductionem* ille peracturus erat *illecebris Doctrinarum fallacium*: idem Spiritus Antichristi opponitur Spiritui Dei; 1 *Joh.* 4, 3. ipse Pseudopropheta appellatur; *Apoc.* 16, 13. & Seductio iniquitatis ei tribuitur; 2 *Thess.* II, 10. Specialiùs hùc pertinent Leges iniquæ de Cœlibatû, & Delectû ciborum: 1 *Tim.* 4, 1, 2, 3. Sic Papa per universam passim Theologiam errores plurimos introduxit; atque etiàm illos, de quibus prædictum erat diserte.

Accedunt *Signa mendacia*, tùm falsò conficta, tùm ad mendaciorum confirmationem applicata: 2 *Thess.* II, 9. *Apoc.* 13, 13. Talia autem à *Pontificiis* passim jactantur & celebrantur.

Atque item *Exempla vitæ impuræ*: 2 *Thess.* II, 3, 8. *Apoc.* 17, 1, 5. XI, 8. Ità in ipsorum Scriptis Pontifices Magi, Simoniaci, impuri, scelerati, recensentur plurimi.

De *Crudelitate & coactione tyrannicâ* prædictum similiter *Apoc.* 17, 6. Complementum satis est evidens: attestatur enim frequens experientia; & sanguis fidelium, à Curiæ Romanæ satellitibus copiosissimè fusus, vindictam inclamavit diù; juxta *Apoc.* 6, 9. XVIII, 5. XIX, 2.

Effectus istius Seductionis est in hâc vitâ plurimorum hominum *error* multiplex: 2 *Thess. II*, 10, 11. *Apoc.* 8, 8. atque *idololatria*: XIII, 15. & post hanc vitam *exitium*, sive justa condemnatio omnium, qui ab illis non resipuerint: 2 *Thess* II, 10, 11, 12.

Ipsius autem *Antichristi eventus* est ejus *Destructio*; quæ quidem inchoari debuit per *Verbum Dei*: 2 *Thess. II*, 8. ut retegerentur errores, idololatria, & tyrannis illius; multique homines, isto præconio moniti, Babylone exirent: *Apoc.* 18, 4. Reges autem & Principes excitati, eum desererent, spoliisque & injustis honoribus exuerent; XVII, 16. Quæ quidem cœpta sunt modò; rogandus autem est Dominus; ut Ipse

propitius ac potens perficiat opus suum.

Tandem verò consummabitur ejus abolitio in illustri adventû Domini: 2 *Thess.* II, 8. undè ille in infernum conjicietur: *Apoc.* 19, 2.

LXXIII. *Pontificii* multa alia de Antichristo comminiscuntur temerè: futurum eum unum duntaxat hominem, religione Judæum, ex tribû Dan; restauraturum Politiam, & cultum Judaicum, atque ipsum templum Hierosolymitanum; regnaturum solummodo tres annos cum dimidio; reversuros tunc Enochum & Eliam ex Paradiso, & cum illo congressuros, hinc interficiendos sed tertio die resurrecturos à morte, &c. Verum non ista; sed planè alia, & plurima, de eo traduntur in SS. Literis.

Nos autem meritò *colligimus* contra eosdem, Ecclesiam Romanam esse Antichristianam, ac veram Babylonem Apocalypticam: atque adeò majores nostros caussas habuisse gravissimas ab eâ exeundi: idem reliquis istâ captivitate adhuc detentis, & salutis suæ studiosis, agendum esse quantocyùs; nemini verò ad ejus communionem, aut subjectionem, revertendum. Nam 1. disertum est mandatum & monitum Domini, *Apoc.* 18, 4. *Exite ex eâ, popule mi; ne participes sitis peccatorum ejus, & ex plagis ejus accipiatis.* Confer *Rom.* 16, 17. 2 *Cor.* 6, 14, --.

2. Accedunt Caussæ satis graves & justæ, respectû Credendorum; ubi multiplex heresis & apostasia: quod passim annotatum est in superioribus.

3. Similiter respectû Agendorum; ubi multiplex idololatria, superstitio, & prava dogmata moralia eaque irreformabilia.

4. Etiam respectû Regiminis; ubi immanissima tyrannis.

LXXIV. Sed & magna est, atque Ecclesiæ valdè contraria, & longe latèque diffusa, apostasia per *Muhammedem* instituta in Oriente, eodem ferè tempore,

quo

quo Antichristus revelatus est in Occidente. Ille autem, sublatis SS. Bibliis, impurum suum Koranum substituit; fundamenta Religionis Christianæ sustulit; & paucas veritatis reliquias plurimis ac fœdissimis erroribus atque superstitionibus, partim ex Gentilismo, partim etiàm ex Judaïsmo, mùtuatis, corrupit penitùs.

Veræ Ecclesiæ vehementer etiàm adversantur *Sociniani*; quique eorum sequaces, vel affines, sunt inter *Remonstrantes*, & *Anabaptistas*: ac porrò *Enthusiastæ*, & *Libertini*: suo denique modo & gradû reliqui *Anabaptistæ*, *Remonstrantes*, & *Ubiquitarii*. Omnes denique homines carnales, mundani, ἄτακτοι.

LXXV. Pro *Praxi* denique; 1. Probemus nos ipsos, an verè habeamus mysticam cum Christo & Ecclesiâ ipsius communionem: 2 *Cor.* 13, 5. atque in eâ studeamus proficere: *Eph.* 4, 15, 16.

2. Sic vivamus in Ecclesiâ institutâ; omniaque spiritualis incrementi media observemus sedulò. *Act.* II, 41, 42. *Hebr.* x, 25.

3. Singuli, pro ratione vocationis, ordinis, ac donorum, conferamus quicquid in nobis est, ad communem Ecclesiæ ædificationem ac propagationem: *Rom.* 12, 4, - 11.

4. Adversùs hostes nostros spirituales, omnesque seductiones & tentationes, corroboremur: atque in verâ fide, ac fideli sanctimoniâ, perseveremus: 1 *Tim.* 6, 12. *Eph.* 6, 10, - 17,

5. Sic mente feramur, omnique studio contendamus, ad Ecclesiam triumphantem, & gloriam in cœlis æternam: *Phil.* 3, 10, - 14, 28. 2 *Tim.* 4, 7, 8.

Amen; veni Domine JESU!

IN-

INDEX
CAPITUM.

JOHAN-

JOHANNES LEUSDEN

Dominis Studiosis, Sacro Ministerio Dicatis, Salutem.



Um editio secunda *Compendii Dogmatici* D. ANDREÆ ESSENII, Collegæ Conjunctissimi, nescio quo fato, curæ meæ sit commissa, (quam curam ob pietatem in Collegam, libenter mihi imponi passus sum) incidit in mentem circa finem operis: Annon consultum esset huic Editioni addere illas disputationes, quas anno 1645. & 1646. Clariss. D. *Johannes Hoornbeek*, olim Præceptor venerandus, & postea Collega intimus in hac Academia conscripsit. Fuit intima amicitia inter utrumque Collegam; Fuit eadem intentio in gloria divina promovenda, & eundem modum eandemque Methodum observabant in tuenda causa Dei & Ecclesiæ; Eandem Theologiam profitebantur; Eandem etiam Methodum concionandi, quæ per Excellentiam diu ULTRAJECTINA vocata est, docebant, & juventuti Theologiæ dicatæ privatim & publice instillabant. Ut ergo Domini Studiosi horum duorum magnorum Virorum Theologiam Theoreticam & simul Methodum Ultrajectinam conciones formandi, utramque puram & immaculatam haberent, judicavi consultum hunc utrumque Theologum conjungere; præcipuè hoc tempore cum illa Methodus à nonnullis jam invertatur, permutetur, & pro genuina Ultra-

jectina

plura verba quàm ipsius Textus retinere possint. Est etiam accommodata Academiæ: nam D. Studiosi exscribentes & repetentes DD. Pastorum conciones, vix possunt aliorum conciones exscribere & repetere, nisi hac Ultrajectina methodo habitas. Propterea nostri Studiosi à multis annis semper exscripserunt eorum Pastorum conciones, qui accuratiorem Methodum Ultrajectinam observabant; etiam fatentur hodierni se aliorum conciones exscribere vix posse. Propter has & similes caussas hanc Methodum secuti sunt *Voetius*, *Schotanus*, *De Matius*, *Hoornbekius*, *Essenius* aliique non sine honore nominandi, eamque etiam Juvenibus Academicis jugiter instillarunt; qui postea promoti, eâ clarâ & distinctâ Methodo, non sine magno fructu usi sunt in Ecclesiis suis. Mirati sæpe sunt multi, quomodo Academia nostra intra paucos annos ad tantum fastigium pervenerit, ut tam innumeri inde prodierint felices Pastores. Sed desinent mirari, si, præter diligentiam Professorum, etiam considerent hanc Ultrajectinam concionandi Methodum hic fuisse usitatam. Ad hanc discendam veniebant undique D. Studiosi. Si igitur hæc Methodus hinc turbaretur, & alia introduceretur, non utile esset Ecclesiæ & Academiæ nostræ, quę utraque assueta est illi Methodo; etiam alia Methodus Auditores perplexos redderet, qui parum inde retinere possent. Utinam Deo placeret ad bonum publicum hanc Methodum in hac Academia & Ecclesia conservare! Valete.

JOHAN-



JOHANNIS HOORNBEEK,
TRACTATUS
DE
RATIONE CONCIONANDI.

Caput Primum.

I. Concio *est, actio sacra explicans Dei verbum, & applicans ad ædificationem Ecclesiæ,* 1 Cor. 14, 3, 19, 26. Jesa. 21, 10. Jerem. 7, 2. Jezech. 3, 17. 1 Tim. 1, 5. & 6, 17.

Concio aliquando pro cætu sumitur; at hic pro sermone ad cætum. Tertullianus utrumque egregiè, in apol. *Coimus in cætum & congregationem, ut ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum, & potestatibus seculi, pro rerum quiete, pro morâ finis: Coimus ad divinarum litterarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere &c.*

II. *Actio sacra,* quæ idcirco non nisi à sancto, & sanctè haberi potest. Qualis minister esse debeat, quam castigatæ, & piæ vitæ, docet compendio Apostolus in Epistolis ad Timotheum, & Titum.

Quas tres Apostolicas epistolas ante oculos habere debet, cui est in Ecclesia Doctoris persona imposita, inquit Augustin. de Doctr. Christian. lib. 4. cap. 16. & cap. 27. *Habet ut obedienter audiatur quantacunque granditate dictionis majus pondus vita dicentis.* Et Gregor. M. *prædicator quisque plus actibus, quam vocibus insonet, & bene vivendo vestigia sequacibus imprimat, ut potius agendo, quam loquendo, quo gradiatur, ostendat.* Pastoral. part. 3. cap. 6. De vita eorum, qualis esse debeat, ex Veteris Ecclesiæ instituto, & canonibus, aliàs agimus.

Sanctus, & sanctè; I. e. I. animo ad hoc. II. modo. III. fine, sanctis. Jerem. 3. 15. Jezech. 34. Phil. 1. 15, 16, 17, 18. Egregiè, & ut solet, ardenter Hieron. ep. ad Eustoch. de virginit. *Sunt alii (de mei ordinis hominibus loquor) qui ideo presbyterium & diaconatum ambiunt, ut mulieres licentius videant. Omnis his cura de vestibus, si bene oleant: si pes, laxa pelle, non folleat. Crines calamistri vestigio rotantur, digiti de annulis radiant: & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales cùm videris, sponsos magis existimato, quam clericos. Quidam in hoc omne studium vitamque posuerunt, ut matronarum nomina, domos moresque cognoscant. Ex quibus unum, qui hujus artis est princeps, breviter, strictimque, describam, quo facilius magistro cognito, discipulos recognoscas. Cum sole festinus exurgit, salutandi ei ordo disponitur, viarum compendia requiruntur, & pene usque ad cubilia dormientium Senex importunus ingreditur. Si pulvillum viderit, si mantile elegans, si aliquid domesticæ supellectilis, laudat, miratur, attrectat, & se his indigere conquerens, non tam impetrat, quam extorquet, quia singulæ metuunt veredarium urbis offendere.*

III. *Ex S. Dei verbo.* nim. solo Dei verbo, & omni Dei verbo, Luc. 16, 31. & 24, 27. Act. 20, 27. & 26, 22. *Solo,*

Solo, quia ſolum. I. Authenticum. II. Canonicum. 2 Tim. 3, 16. 2 Petr. 1, 10. Gal. 6, 16. Jeſ. 8, verſ. 20. Reliqua ſcripta incerta, fallibilia, ad normam verbi divini examinanda, & niſi cum eo conveniant, in hoc genere non recipienda.

Quær. Annon item ex Catechiſmo? *Reſp.* non ex Catechiſmo, ut ſcripto Canonico; verum ille laudabiliter etiam explicatur, probatur, pro concione tractatur; ſed ex ſcripturâ. Neque adeò diſcrepat ſententia Cl. Ameſii *caſ. conſ. lib.* 4. *cap.* 26. Scripturæ enim locus catecheticæ inſtitutioni ſemper præmittitur; at parum refert, ſive per explicationem textus, ad Catecheſin deveniam, ſive ſtatim ad Catecheſin (poſt lectum Scripturæ locum, auditam) explicandam, ejuſque nihil niſi ex ſcripturâ probandum, ocyus accedam, cautâ ſemper authoritate ſcripturæ ſupra Catecheſin, neque receptâ Catecheſi, niſi per Scripturam confirmatâ.

Omni, adeò nihil ſcriptum, quod non uſum ſuum ad fidem & pietatem abundè etiam habeat.

Quær. I. An in Eccleſiâ ejuſmodi interpretatio & concio verbi divini probanda ſit? *Aff.* contra Libertinos, & Enthuſiaſtas I. ex inſtitutione divinâ; iſtud enim medium Deus inſtituit, & ſanctificavit, populum erudiendi. Matth. 28, 19. cum praxi Apoſtolica Rom. 1, 16. & 10, 14, 15. Ideo Deus in Eccleſiâ inſtituit ordinem docentium. Epheſ. 4, 11, 12. Jeſa. 30, 21. Jerem. 3, 15. III. Ab Exemplo, & uſu Eccleſiæ perpetuo, jam à Geneſ. 4, 26. hucuſque, & in finem mundi. Matth. 28, 19. Epheſ. 4, 12. IV. à fructu ejus certo, multiplici, & copioſo. Jeſa. 55, 10, 11.

Quær. II. An etiam V. Teſtamentum hodiè concionandum? *Aff.* contra veteres Cerdonianos, Marcionitas, Manichæos, &c. *Non enim ſoli Manichæi legem, Prophetaſque condemnant, ſed & Marcionitæ, &*

alii nonnulli, quorum secta non ita innotuerunt populis Christianis, August. lib. 1. contra adverſ. legis & proph. cap. 1. Chryſoſt. ſerm. contra Anomæos: *& ſimul multos alios hæreticos proſternere poterimus, videlicet, Marcionem, Manichæum, Valentinum. Manichæi enim, & qui factionis illorum ſocii Prophetas, & Patriarchas contemnunt.* Hodiernos Mennonitas. Vide Dooreſlaer & Sylv. controv. 8. contra Mennon. alioſque Antinomos.

Quær. III. An ſatis probari poſſit conſuetudo illa (quæ plurimis in locis obtinet) pro concione certas Dominicales, juxta Poſtillas (ut vocant) explicandi? *Resp.* Neg. vide Ameſ. loc cit. Primus, qui hunc ordinem introduxit, fuit Carolus M. A. Dccc. III. cujus juſſu Alcuinus Levita homilias Patrum eum in finem collegit, poſtmodum locupletatas, atque ita porrò deſidioſi Clerici, ac Monachi nugaces illis ſolum populo exponendis inhæſerunt, quaſi totum Concionatorum officium, & verbum Dei illis jam contineretur, idque quidem juxta vanam feſtivitatum obſervantiam. Sixtinus Amama in orat. de Barbarie, hoc gradum fuiſſe recte judicat, ad barbariem illam, quæ Eccleſiam tandem tam miſerè defædavit. Quare ubi fieri id commodè poteſt, rectius mutatur, & aboletur, ut etiam ante aliquot annos Anno. 1614. per ditionem Brandeburgicam illud factum.

IV. *Ad ædificationem Eccleſiæ*: in doctrinâ veritatis, & in praxi pietatis, non in alterutro, ſed utroque. Neque alius Concionatori ſcopus eſſe debet; non proprium bonum, ſive lucri ex avaritiâ, Jezech. 34, 2, 3, 10. 1 Tim. 3, 3. Cod. *de epiſc. & Cler. l. omnem*: *purum habeant propoſitum, & pecunias contemnant, omnemque vitam ſuam ad clementiſſimum applicent Dominum.* Ambroſ. Offic. lib. 3. cap. 9. Synod. Nicen. 2. cap. 4. Bernard. ep. 24. Sive honoris, ex ambitio-

ambitione. Matth. 23, 6. Chrysosthom. de sacerd. lib. 5.

V. *Ita concionari nulli licet, nisi ab Ecclesiâ ad id vocato.*

In Ecclesiâ nimirum institutâ & ordinatâ.

Contra Socinianos, Catech. Racov. de Eccles. cap. 2. Smalc. c. Franz. part. 2. disp. 4. Theoph. Nicol. de Eccles. & missione. Volkel. de relig. lib. 6. cap. 12. Arg. I. ex ordinatione divinâ, Hebr. 5, 4. Rom. 10. 15. II. reprehensione, & peccato illorum, qui secus agunt. Jerem. 23, 21. III. ordine Ecclesiæ, qui hoc possit. 1 Cor. 14. 40. & XXVII, 14. Joan. 5, 3. IV. Eadem est constans ratio omnium officiorum publicorum, ut nemo ea administret, citra peculiarem vocationem. V. Perpetuo Ecclesiæ exemplo, & praxi, tam V. quam N. T. huc usque. Synod. VI. In Trullo ca. 64. ubi Schol. Balsam. *Populum Domini docere, & divina decreta interpretari, solis antistitibus concessum est &c.*

Quær. An S. Ministerii candidatis, Proponentibus, publicas liceat habere conciones, necdum ad ministerium vocatis? *Resp.* Non ita habent conciones, ut Concionatores; sed quasi specimina & exercitia concionum modo, se Præparantes eo pacto ad ministerium, *βαθμὸν ἑαυτοῖς καλὸν περιποιοῦντες, καὶ πολλὴν παῤῥησίαν ἐν πίστει τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* 1 Timoth. 3. vers. 13. atque Ecclesiæ se, suaque dona probant. Quare I. non eâ authoritate loquuntur, ideoque nec libertate, & potestate, ac Pastores, licet etiam S. devotione audiendi, quia Dei verbum proponunt, cujus dignitas ab homine non pendet. II. Nec toties illis habendæ conciones, ac si hoc eis de ordinario aliquo officio esset, quod ita non fit citra detrimentum Ecclesiæ, præjudicium necessariæ vocationis. III. Neque facilè ubivis, ut qui specimina ar-

tis dant. IV. Neque omnia paſtorum munia agunt, videlicet ad quæ ſingularis poteſtas requiritur, & vocatio ad miniſterium iſtius Eccleſiæ, qualia, administratio Sacramentorum, & diſciplina Eccleſiæ; quemadmodum in rep. tyronibus quidem, & Canditatis, conceditur, acta quædam, & inſtrumenta conſcribere, non verò ſuà authoritate ea ſignare, pronunciare, aut exequi.

CAPUT SECUNDUM.

I. OMnis concionandi ratio duobus abſolvitur, formanda concione, & habenda. Utrumque ut rectè fiat, artis ſacræ eſt, & conſiſtit in textu ſcripturæ explicando, & applicando; in quibus iterùm duo proximè intendere debet Concionator, moveri, & movere, quo ipſe ſua concione moveatur, aliosque, qua doctrina, qua exemplo moveat: primum, rem dicit, alterum, modum; tertium, finem. Jam de priori parte, ſc. concione formanda, quæ, vel communia concioni ſint cùm oratione in genere, vel in materia concionandi obvia cuivis, præteribimus, præcipuis modò inhæſuri.

II. In formanda concione videndum eſt, quid, & quomodo formes. 1 Cor. 2, 1. *Ego ad vos veniens, non veni καθ' ὑπεροχὴν λόγου ἢ σοφίας*, hoc de modo, *annuncians vobis teſtimonium Dei*, hoc rem ſpectat. Illud materiam dicit; hoc methodum, & ſtylum. Illud à Theologia habet; hoc à Logica, & Rhetorica quoque.

III. Prima cura eſt textus, qui pro concione tractabitur, quem ex ſolo & omni Dei verbo legendum eſſe ſupra monuimus. Ille eſt, vel arbitrarius, vel ſtatus

ſtatus & certus, ſive quem ordo Eccleſiæ, aut ſynedrium, aut ipſi Concionatores ſibi fecerunt.

IV. In textu arbitrario, ſive illum in Eccleſia, & loco proprio, vel alieno habeas (ſiquidem haud malè à primis ſæculis illud obtinuit, ut Baronius quoque notat *tom.* 1. *Annal. ad A.* 61. *pag.* 467. ut qui in alium locum venirent Epiſcopi, ab ejus loci Epiſcopo ad habendam ibi concionem invitarentur) hæc obſervanda. I. Ut primò & potiſſimum conſideres, quid ibi loci concionari maximè conveniat. Contingit aliquandò, ut laboret Eccleſia notabili quo malo, ſive circa veritatem, ſive circa pietatem, in quo ſæpe ab alio inſtrui mavult, & peregrini alicujus concio attentius audiri ſolet, ſæpeque efficacior eſt ad permovendum, quam cujus quotidie, quantumlibet non inferior, habetur. Hoc ergò Concionatori præcipuè attendendum, ſed & cum prudentia, ut pro ſtatu loci magis concionem eligat, quam ut ſui rationem duntaxat habens, vel eam concionem promat, quam promptiorem habet, vel ex quâ pluſculum honoris, applauſus, aut commodi ſibi ſperet. II. Ubi autem illud obſervari vel non poteſt, vel vix integrum, plerumque ſumat textum magis practicum; quia paſſim defectus hic & in concionibus & in vita noſtra obſervari ſolet, minus practicè illa inſtitui: atque ita tutius, & majori cum fructu hic verſabitur. Hæc communis querela; Abrenethij in Præf. ad Medic. animæ: *plurimi libri, & conciones replentur ſpeculativa, & contemplativa theologia: pauciſſimi Theologia practica.* Vide & quæ doctè, ac patheticè hanc in rem diſſerit Telingius, *neceſſ. demonſtrat. lib.* 3. *cap.* 4. *& lib.* 4. *cap.* 2. Præterea, quæ aliquando diſp. *de Theologia theſ.* 16. huc quoque attulimus. Jam olim Bernardus ſermonem in Cant. octuageſimum ita exorſus eſt: *Quidam veſtrum (ut comperi) minus æquo animo ferunt, quod ecce jam per*

aliquot dies dum ſtupori & admirationi ſacramentorum inhærere delectat, ſermo quem miniſtramus, aut nullo fuerit, aut exiguo admodum moralium ſale, conditus.
III. Admodum è re Eccleſiæ & Concionatoriæ eſſet, ad arbitrarios textus explicare integram Theologiæ praxin, quemadmodum dogmatica ſic, & Catecheſis tractari, etiam hiſtorica Chriſti ſolent. Inter Anglos (ut plurimi varia ad textus aliquos Practicæ capita) feliciter hoc conatus eſt Thomas Hooker *de vocatione & juſtific.*; atque inter Germanos, egit id Johannes Arnd *libris de verò Chriſtianiſmo.*

V. In textu quocunque, hæc tenenda. I. Ne ſumatur nimis brevis, ne oſtentare velle ingenium videatur, niſi is vel copiâ ſuâ, vel difficultate conſpicua Concionatorem ab illâ ſuſpicione ſtatim liberet; nihil enim æque cavendum, quam ne in limine impingamus, & ſemper, ne ad oſtentationem, vel propriæ & vanæ gloriolæ captationem, agere videamur. Ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν. Gregor, in fine expoſ. in Job. *tunc enim bene dicitur bonum: cum is, qui dicit, ſoli ei, à quo accipit, per id appetit placere, quod dicit.* II. Neque etiam nimis longus ſit, ne vel tempus lucrari velle, & ſingula, quæ non minus emphatica, atque obſervari quoque mererentur, tractare vel noluiſſe, vel non potuiſſe, videatur, quod vitium Poſtillatoribus commune eſt, iiſque, qui non conciones ad textus, ſed textus ad conciones habent, id eſt, aliquarum rerum, vel ut ipſi opinantur, quarumcunque locos communes quaſi tenent, quas ad varios textus applicant, & repetunt, potius, quam ut ex textibus ſemper alia porrò addiſcant, doceantque; atque tales facilè exhauriri compertum eſt. III. Ne dicis cauſa textus legatur ſolùm, nihil autem minus quam ipſe explicetur, ut qui ad illum & ab illo divagantur & excurrunt, alio, ſi non etiam quaquaverſum. Quod vitium, judicii & eruditionis

ditionis inopiam summàm arguit.

VI. Textu jam electo, lustra primum, quid eo potissimum contineatur, meditatione soluta, sed attenta; atque, hinc ad preces: nempe hoc precare, ut Deus habituro, illâ de re, ex verbo suo concionem, spiritus ejusdem gratiâ efficacissimè adesse velit, & animum illustrare, sanctificare; movere etiam, quo dignè & ad maximam Ecclesiæ ædificationem agas. Psalm 130: 18.

VII. Inde ad textum reverteris, quem jam iterum, sed meditatione pressiori, & ad methodum volvis, examinas, confers, atque ad singula attendis, præcipuè ordinem.

VIII. Qui hic est, ut I. Videas textus tui cohærentiam, & connexionem cum antecedentibus, ac consequentibus: & II. Partes textus in se.

IX. In cohærentiâ textus, nisi vel principium libri, seu περικοπῆς sit, (ubi ex generali capitis vel libri divisione quoque commodè exordiris,) vel textus abruptus, quales in Proverbiis & Ecclesiaste plurimi, antecedentia deducunt animum in cognitionem sequentium, & vel convenit textus cum antecedentibus, vel ab iis differt: si convenit, vel in re, quæ tractatur: vel solum in contextu sermonis, & oratione: quomodo, quando unâ oratione, plura & varia proponuntur.

X. Et hinc exordium (aliquando etiàm hic, nisi quod quoque post reliqua, in fine sæpe componi illud solet, & potest, quemadmodum præfationes ad libros, verùm quandocunq; occurrit, notandum, locus tamen formãdo exordio proprior est vel hic, vel in fine (hinc, dico, exordium construitur, videlicet, omne exordium ad concionem se habet ut vestibulum ad atrium, ducitque ad rem; ideo propriissime sumitur ab eo; quod rem tractandam præcedit: idque alterutro modo quum solum fiat, vel præcedit in naturâ rei, vel

contextu orationis, ex duobus etiam hisce capitibus petuntur optima exordia, quæ (quod in exordio ut diximus totùm spectatur) ad rem commodissimè & certissimè ducunt: vel ex eo, quod rem tractandam præcedit, vel ex eo quod textum, ex quo hanc rem tractabis, in ordine contextus præcedit. Illud exordium Theologia indicat, hoc Logica; illud à re, hoc ab analysi petitur; vel illud ex analysi rei, hoc ex analysi sermonis. V. g. textus sit Luc. 1, 45. *Et beata, quæ credidit; quia perficientur ea, quæ dicta ei sunt à Domino.* Exordium concionis petam, vel ex eo, quod fidem proximè præcedit, quale ex objecto fidei (etiam ex aliis, quę fidem antecedunt, peti potest, sed vide ut propriùs antecedat) quod Deus homini plura offert, ac proponit, quæ ab eo credi vult, sive dicta simpliciter, sive quoque promissa: vel ex eo, quod in contextu orationis, & historiæ analysi, prę-cedit, ut ex vers. 39. sc. quomodo post acceptum de virginali conceptione nuncium, Maria ad domum Zachariæ profecta sit; Elizabetham salutatura, à quâ visa & audita, quid huic, quid infanti quoque in utero, contigerit, narratur, v, 41. sc. τὸ βρέφος ἐσκίρτησε, & mater spiritu s. repleta est. Unde tali acclamatione & concione Mariam excepit, quæ sequitur à vers. 42. I. Ad Mariam, de illâ, illiusque sobole, vers. 42. II. De se, quam ipsa demiratur, & deprædicat ob hanc ei à Matre Domini sui factam visitationem, narrans insuper, quid sibi, ac infanti ad primam salutationem contigerit, vers. 42, 44. III. Ad Mariam sermonem iterum convertens, de illâ hoc dicit, quod textu nostro continetur.

XI. Non nego, etiam aliunde, præterquam è duobus hisce capitibus exordia peti, nempe, vel à re ipsâ tractandâ, & sic Patres plerumque suas conciones vel homilias incipiunt, quale tamen, potius propo-

propoſitio eſt, quam exordium; Chryſoſtomus celebrem illam concionem ſic exorditur. *Herodias denuò inſanire, denuo commoveri, denuò ſaltare pergit, denuò caput Iohannis in diſco accipere quærit.* Et illam etiam, cum de expulſione ipſius ageretur: *Multi quidem fluctus, & undæ immanes, ſed ſubmergi non vereor: quia ſupra petram ſto. Inſaniat licet mare, petram non poteſt commovere: inſurgant quantumlibet fluctus, navis Ieſu obrui non poteſt. Sed quid putant? ne mortem verear, cui vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Ne exilium pertimeſcam, qui noverim Domini eſſe terram & plenitudinem ejus: ſed bonorum proſcriptionem metuam qui ſciam, quod nihil intulerim in hunc mundum, ſed neque auferre quid poſſim. Quidquid terroris habet mundus, contemno; quicquid delectabile habet, video. Divitias non cupio, paupertatem non horreſco, mortem non timeo.* Elegantiſſima concio, quæ ita incipit, in cujus initio deſcribendo ut me vix temperare poſſum, ita à nemine non legi eam oportere, judico. Vel à circumſtantiâ ad rem ipſam, quæ tractabitur, non neceſſariò faciente, ut temporis, loci, perſonarum, Actor. 24, 10. vel rei antea tractatæ, alteriuſve alicujus introductione, quæ tunc adferre non omninò extra oleas videatur, exordia petuntur quoque, A circumſtantià perſonarum, ſive ejus, qui concionatur, Ambroſ. ſerm. 42. *frequenter admonui vos, fratres, ut dum licet, dum tempus in ſpacio eſt, ſaluti veſtræ omnibus modis conſuleretis, & in hac vitâ brevi, vitam vobis prævideritis æternam.* Gregorius Homil. XXII. in Evang. *fractus longâ moleſtiâ ſtomachus, diu me charitati veſtræ de lectionis Evangelicæ expoſitione loqui prohibuit.* A perſonis Auditorum. Chryſoſth. Homil. V. T. de fide Annæ; ſic exorditur; *equidem arbitror multos ex his, qui heri nos deſtituerant, & ad iniquitatis ſpectacula diſceſſerant, hodiè præſentes eſſe: optarem autem iſtos, qui ſint, palam noſſe, ut eos à ſacris veſtibulis arceam,*

non

non ut perpetuo fori maneant, sed ut correcti denuo redeant. A personâ utriusque; Chrysosth. in Psalm. 41. *Vos quidem nos nuper admirabamini, quando verba fecimus de Melchisedech, propter eorum, quæ dicta sunt prolixitatem, ego autem vos admirabar propter vestram in audiendo attentionem & sapientiam, & quod cum prolixior se obtulisset oratio, nos ad finem usque consequuti estis.* Augustinus, de verbis Dom. serm. 111. *cum nobis pro officio competat dicere, vobis autem conveniat pro devotione audire.* Videtis quoque à transitione rei, quam ante tractavimus, exordium fieri; Sic plerumque Ambrosii sermones à repetitione ejus, quod superiore Dominicâ dixisset, incipiunt. *Superiore Dominica*, vel etiam, *hesterno die*. vel, *sicut ante dies prosecuti sumus.* Bernardus serm. vi. in Cant. *Vt præcedenti sequens sermo cohæreat*, &; serm. lxxi. *finis præcedentis sermonis, principium hujus.* Adde exordium Homil. Chrysosth. de Dav. & Saule. Sed accuratè tamen agendo, vel illa duo exordii capita sola, vel saltem præcipua & optima sunt; sic Apostolus ad Romanos concionaturus de justificatione, exorditnr à statu peccati omnibus communi, & antecedente. Adde Ios. 24, 2. Iudic. 2, 1. A loco textui parallelo incipere, non adeò reprehendo: sed judicetur, annon hoc spectet potius ad textus tractationem, quam ut sit exordium ad textum tractandum? V. g. textus dati exordium sit ex loco parallelo, vel Psalm. 2, 12. vel Ierem. 17, 7. aut Luc. xi, 28. quæro de exacto judicio, annon potius illi textus & propriè spectent ad textus mei explicationem & tractationem, quam tractationis introductionem? atque item dico quando vel, à simili, vel à contrario petitur: nam iterum, vel est contrarium (& sic quoq, simile) vel rei, vel ejus, quod rem etiam antecedit: si hoc, exordium fit, quale volumus, ut si de gratiâ acturus, vel redemtione, à miseriâ incipias: vel ab infidelitate, quando

do de fide: si illud, redit quod dixi. Quintilianus Instit. Orat. lib. 4. cap. 3. *At nunc, omne quod cœperint, proœmium putant, & ut quicque succurrerit, utique si aliqua sententia blandiatur, exordium.*

XII. De hisce exordiis illa observanda. I. Exordium, quod petitur ex antecedentiâ rei, præstare illi, quod ex solâ orationis sumitur analysi; illud magis Theologicum, hoc Logicum, illud afficit magis, excitatque. Quare vitium est, semper, vel ut plurimum ex Logicâ analysi exordiri: facit enim vilescere exordia, & animos, qui in initiis erigi volunt & accendi, deprimit. Nisi quod tum hujusmodi exordia probanda, quando textus ita antecedentibus implicatus est, ut sine illis omnino non, vel etiam quid eum in re præcedat, intelligi non possit, quod sæpe etiam conjunctionis aliquâ, & relationis particulâ, in textu indicari solet; tum quoque Tyronibus, & primùm incipientibus, hæc exordia non concedenda solum, sed consulenda quoque sunt. II. Optimum est exordium, quod incipit ab antecedentia rei, & desinit in analysin orationis: adeo hæc non omitti debet, sed statim subsequi. III. In antecedentia rei cautè videndum, ne à quolibet rem quomodocunque antecedente inchoemus, sed quod proximè, & quo propius eo melius, ut à genere, quando de specie tibi agendum erit.

XIII. Atq; hæc de exordio, quando illud necesse; non semper enim adhiberi, vel quoque adhibendum esse, constat, nimirum, quando vel brevis est habenda concio, vel materiæ copiâ prægravamur. Moses sine præfatione historiam creationis exponere aggreditur; Lucas autem Euangelium, non nisi præmisso exordio. Reliquas exordii (quas Rhetores dant) leges, addere supervacaneum, legi illæ suis locis apud eos possunt, immò quando observatur quod diximus, non facile peccari potest; si enim à proximo antecedente illud petatur,

petatur, nec commune, nec vulgare, nec separatum erit, quæ exordii vitia ponit Cicero *de Inventione lib.* I. & post eum Quintilianus *Institut. lib.* IV. *cap.* I. Vitandam esse prolixitatem satis omnes norunt.

CAPUT TERTIUM.

I. AD *exordium* statim fit *propositio*, tum textus, tum rei in textu contentæ, & tractandæ, & judicatur simul, quale thema sit, quod tractabimus, (simplicis ad textum vix locus est, nisi forte in concionibus Catecheticis, ut ibi thema simplex proponatur, v.g. de Deo, scriptura &c.) an sit thema dogmaticum an historicum (ad historiam hic quoque Prophetias, & Parabolas refero) an utrumque, qualia per historiam alicujus, nominatim Christi, plurima. Basilius serm. 3. in divit. avar. *quid igitur est, quod sermo vult noster ostendere? suspensas enim tenet animas jamdudum audire cupientes, quo se vertat, dum, quod exspectatur, publicare cunctatur.* Matth. 4, 17. & 23, 25. &c. Videndum hic, ut propositio sit. I. perspicua. II. brevis: Luc. 7, 40. *Simon, habeo, quod tibi dicam.* Gen 49, 1, 2. Psalm. 34, 12. Prov. 1: 1, 2, 3. Rectè Quintilianus Orat. Instit. lib. 6. cap. ult. *divisa & simplex propositio, quoties utiliter adhiberi potest, primum esse debet aperta atque, lucida (nam quid sit turpius, quam id esse obscurum ipsum, quod in hunc solum abhibetur usum, ne sint cætera obscura) tum brevis, nec ullo supervacuo onerata verbo.*

II. Propositionem excipit textus ipsius *Analysis.* Bernard. serm. XXXIX. in Cantic. *sed oportet consequentiam sicut solemus, signare verbis, & sequentia prioribus copulare, & ita demum elicere suave quippiam,*

am, si possumus, quod prosit moribus instruendis. Analysis textum perscrutatur, & examinat methodicè, quid primo, quid secundo, & quo quodlibet ordine dicatur. Videt subjectum & prædicatum, antecedens & consequens: causam & effectum, argumentum & ejus probationem, &c. sed hic dum generaliter, & summa textus capita secat, & dislocata introspicit, necdum particulatim. Diligenter hoc præstitit in s. codices, at potissimum in N. Test. Analysi Piscator. Valde ea necessaria sunt, & conducunt ad animum Auditorum in textum intromittendum. אל בית היין Cantic. II. 4.

III. Ex Analysi exsurgit textus *partitio*, immo jam analysis est partitio in actu exercito, liceat sic dicere, & hæc in actu signato: ibi fit anatome textus, & dislocatio, hic in capita distributio, & enumeratio, hæc illam perficit, & ut illa ad hanc tendit, ita hæc in concionem, & tractationem ex textu fælicius aggrediundam ac perficiendam. Partitionem etiam videmus à Spiritu sancto nonnunquam observari, Genes. 2. 10. *Et inde se dividit,ferturqve in quatuor capita.* Exod. 21, 11. Ierem. 2, 13. *Duo mala fecit populus* 1 Reg. 13, 11. Jesa. 47, 9. Jesa. 50, 1, 19. Matth. 13, 4. Joan. 16, 8. 2 Thess. 2, 2. Basilius in Psalm. 28. *Vox Domini super aquas. Quæ vox? Super quas aquas?* Homil. de gratiis Deo agendis: *gaudete semper, inquit, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Quid sibi velit hoc, gaudete, & quæ ex eo utilitas, & quomodo sine intermissione orare possimus, quomodo in omnibus Deo gratias agere oporteat, pro viribus paulo post declarabimus.* Ita Chrysostomus in Rom. 1, 23. *primum crimen, quod Deum non invenerunt, secundum, quod causas magnas & apertas habuerunt, tertium, quod se sapientes dicerent, quartum, quod non solum non invenerunt, sed quod venerationem illam in Dæmonas, in saxa ac ligna,* de-

deflexerunt. Leges partitionis observandæ, hæ sunt. I. Ne hic instituatur omnis textus analysis; sed tantum generalis in præcipua capita: particularior enim & ultima reservatur in explicationem singularum partium. Hic, ut benè Cicero, *genera ipsa rerum ponuntur, neque permixte cum partibus implicantur*. De invent. lib. I. v. g. Luc. 1, 45. partes generales textus duæ sunt.. I. *beata illa, quæ credidit*. II. *quia erit consummatio &c.* Prioris subdivisio est necessaria in subjectum, *illa quæ credidit*, & prædicatum, *beata est*; at cave dixeris, ideò textus hujus tres esse partes, nam hæc est subdivisio, & partitio partis, non textus generalis: si enim subdivisiones hic facerent æquè partes cùm generalibus, utique innumeras illas semper haberes. Ergo nec illa subdivisio hic instituenda, sed ad singulas demùm partes, ubi illæ explicantur. II. Non debet, neque potest præscribi certa numero partitio, ut bimembris illa sit, vel trimembris: neque enim partitiones, ut Methodi (in quò tamen sæpe peccatur) rebus accommodandæ, vel adferendæ sunt: sed ex rebus ipsis promendæ & sequendæ, v. g. si tibi explicandum caput Genesis, non potes non istius facere sex partes, pro sex creationis diebus: si verò versus ejus primus, partes debent esse tres. Quis creavit, quid, quando, *In principio, creavit Deus, cælum & terram.* Creavit Deus, ibi iterum subdivides, in subjectum & prædicatum ut: in objecto quoque singulas illas partes distingues, terram & aquam. Vides partes dari à textu, non illi addi: deprehendi ibi, non introduci: quare non trahendus est textus ad aliquam Partitionem, sed ducendus, immo quam ipse ostendet, & offert, neque alia, arripienda est. III. Ne religio nobis sit ordinem textus invertere, & alio tractare, quam quo verba leguntur, id est, ordinem rei commutemus cum verbis, nam hæc illi inserviunt, & concio insititui-

ſtituitur tota in tractationem rei, propter quam textus eſt. v. g. Gal. 3, 13. *Chriſtus nos redemit ex maledictione legis &c.* Hoc primum quidem in textu legitur, at non eſt tamen prima textus pars, neque etiam ſecunda; ſed prima eſt, *Chriſtus factus pro nobis maledictio.* Secunda, quæ probatio illius eſt, *ſcriptum enim eſt, maledictus omnis, qui pependit ex ligno.* Tertia jam pars venit ex fructu illius, *Chriſtus redemit nos ex maledictione legis.* Nempe præſtat ordinem geneſeos ſequi ad textum, quam contra ductum & naturam rei: ordinem verborum, 1. facit ad commodiorem, certiorem, & maximè genuinam rei intelligentiam. 2. tractationem, aliter enim non evitaveris obſcuritatem, & tautologiam. IV. Hinc jam quoque illud ſequitur, non ſemper eaſdem & totidem eſſe partes concionis ac textus, quia partes textus conſtituuntur juxta ejus primam & generalem analyſin, concionis verò partes, juxta rei geneſin. v.c. Rom. 3, 28. Concludimus ergo, *fide juſtificari hominem, ſine operibus legis.* Rationem concluſionis omitto, cæterum duas hic partes cernis. I. *hominem juſtificari fide. II. ſine operibus legis.* Hæc textus ſunt; at concionis commodius tres fecero I. Quid ſit hominem juſtificari? quod tanti momenti in ſe eſt, & ad reliqua intelligenda tam neceſſarium eſt, ut diſtinctam partem jure faciat. II. Quomodo per fidem dicamur juſtificari? III. Quomodo opera omninò rejiciantur? *ſine operibus* legis. Ita quidem eſt, ex textu hæc, & omnes partes petuntur etiam, at non ex primâ textus Analyſi, verùm rei ipſius naturâ, & geneſi.

IV. Ad propoſitionem atque partitionem, nonnunquam *attentio* ab Auditoribus, & *benedictio* à Deo peti iterùm ſolet: ſic & Bernard. ſerm. in Cantic. 67. *Adſit ipſe, ut dignè ad gloriam ipſius, & noſtram ipſorum ſalutem, ſponſæ ejus poſſimus inveſtigare*

sermones. Verùm nisi peculiare aliquid dicturi simus, ad quod specialiter velimus attentionem; quo loco illud seriò inculcandum: *qui aures habet ad audiendum, audiat*. Quomodo & Gen. 49, 2. Deut. 32, 1, 2. Marc. 7, 14. *audite me omnes, & intelligite.* Actor. 2, 14. Basilius in Psalm. 33. *Timor verò salutaris, qualis exsistat, si cupis audire, attende.* Nisi illud sit, dico, non video eam illius hoc loco esse necessitatem, ut repeti iterum debeat. Ante concionem illud fieri ut debet, ita quoque solet. Prudentius sic Psychomachiam incipit.

Christe graves hominum semper miserate labores, &c.
Dissere Rex noster, quo milite pellere culpas
Mens armata queat,

Plinius illum Panegyricum: *Bene ac sapienter P.C. majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium à precationib. caperetur.*

V. Ordo postulat, ut ad distinctam partium singularum *tractationem* concio pergat; quæ tractatio consistit. I. In partium singularum *explicatione*. II. *Documentis*, III. *Usibus*, quæ documenta ex textu intimè applicant, atque urgent, elaborandis.

VI. *Explicatio* textus ante & ad documenta, tria complectitur. I. Pressiorem partis, ac ultimam *analysin*, & *subdivisionem*. II. *Expositionem*, tam verborum, quam rei necessariam. III. *Paraphrasin*.

VII. Primo loco venit strictissima *analysis* & *subdivisio*: qualis autem inter utramque hic concipiatur distinctio, modò dictum est: fermè quomodo Marc. 6, 38. *quot panes habetis? ite, videte*: illud analysis agit. *Et cognoscentes, dicunt: quinque, & duos pisces,* Hæc partitio, sive divisio. v.g. Rom. 8, 1. Duæ ibi partes, priorem hic iterm ἀναλύω in subjectum, *iis, qui sunt in Christo Jesu*, & prædicatum, *nulla nunc est condemnatio*. In subjecto, sunt in Christo, non in se, at extra se, & in quo; Christo. Hic iterum,

Chri-

Christo, tum Jesu. Si subdivisionem institueres, bipartitio foret. I. Qui non in se, sed extra se, in alio. II. In Christo Jesu, Hujusque iterum I. Christo. II. Jesu. In prædicato, condemnatio, nulla condemnatio, nunc. Bipartitio. I. nulla condemnatio. II. etiam nunc. Hic illa observes. Non semper instituendam, ultimam & omnem textus analysin, nempe quando textus prolixior est, & non omnis tractabitur: analysis enim tractationi inservit, & non ulterius necessaria est, quam hæc requirit. II. At quando integrum textum, vel quodcunque ex textu integrè tractabis, ejus immò omnem, & ultimam debes facere analysin: nam hæc ad tractationem ex textu tam necessario se habet & prærequiritur, ac apertio Ianuæ ad ingressum & egressum, quod hic est, textum analyticè explicare, & per genesin documenta inde elicere, atque tractare. Adeò ad omnia pulsandum hic, videndumque quid contineatur, uti aromata frangi ac fricari solent, quo copiosus ille & divinus sacrorum verborum fragror undique observetur: & sanè tali exquisitâ & severissimâ analysi semper alia & alia ostendi nobis, ac deprehendi, summâ cum divinitatis in sacris admiratione, nemo negarit, nisi qui neglexerit. *III.* Non putandum, singula analysis membra, facere totidem partes: alioqui quot in textu voces, totidem & partes forent. Singula observanda & discutienda sunt: non in partes erigenda: partitio generaliora solùm sectatur capita, vel membrorum classes. IV. g. in hoc prædicato *nulla nunc condemnatio*, non satis bene tres partes constituas, ubi tria tamen considero, *condemnatio*, *nulla* condemnatio, quod nulla *nunc* sit condemnatio: & similiter in subjecto. V. Commodissimè, & ad explorandam hauriendamque textus integram cognitionem fit, si singula analyseos membra per quæstiones eruantur & proponantur

nantur sequuturæ statim explicationi, sub interrogatione, quomodo quæstiones proponi solent, videlicet, quid condemnatio? Quid nulla condemnatio? quid, nulla nunc condemnatio, & de subjecto hujus partis quid, esse in Christo? quid, & quorsum additur, Christo Jesu? hoc enim modò. 1. Animus in summam attentionem magis accenditur: Hoc enim omnis interrogatio præ simplici oratione habet; ut magis animum feriat, quomodo Rom. 8, 31, 32, 33, 34, 35. interrogationes efficacissimæ *quis contra nos? quis accusabit? &c.* 2. omnia quæ in textu diligentius & penitius eviscerantur, ac perscrutantur, nihilque facilè omittitur. Ut 1 Joan. 3, 12. *Non sicuti Cain ex malo erat, & mactavit fratrem suum. Et quamobrem mactavit eum?* 3, Veritas omnium certius eruitur, deprehenditur, tenetur. Hos. 9, 14. *Da eis Jehova, quid daturus es? da eis vulvam abortientem, & ubera flaccida.* Ps. 15, 1. Jes. 33, 15. Mich. 6, 6, 7.

VIII. Sequitur *Analytica expositio*, & duplex ea, tum verborum, tum rei. Ac *verborum* quidem, quæ est interpretatio. 1. Vocum, Grammatica est, quomodo Matth. 1, 23. Immanuel *quod interpretatur*, Deus nobiscum. Marc. 5, 41. & 7, 34. Matth. 26, 47. Matth. 2, 1. quid significet, *magi*? Gal. 3, 13. quid ἐξηγόρασεν? Phil. 2, 30. quid παραβουλευσάμενος? Augustinus de verbis Domini serm. 35. *Primum, quid est mammona? quod Hebræi dicunt mammona, latinè divitiæ vocantur. Vt ergò latinè totum dicamus, hoc ait Dominus noster Iesus Christus, facite vobis amicos de divitiis iniquitatis. Hoc quidam male intelligendo, rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur, & putant se facere, quod præceptum est.* 2. Vel ut ratio locutionis explicetur, sive 1. constructio grammatica, ut Psal. 1, 1. אשרי האיש Rom. 1, 1. *Euangelium Dei.* an significet, à Deo, de

de Deo, vel utrumque? Marc. 2,22. *fidem Dei* baptizari *in Mosem* 1 Cor. 10,2,11. sive figura Rhetorica, ut quid sit, *ambulare secundum carnem* Rom. 8,1. Marc. 9,49. *igne salietur*, &c. Quò tropi, & schemata, Luc. 22,19. *Hoc est Corpus meum*. vers. 20. *Hoc poculum, est Novum testamentum in meo sanguine*. Explicatio prior petitur ex Grammatica; hæc ex Rhetoricâ.

IX. Explicatio *rei* est, non ut ea ibi tractetur ex professo, sed obiter attingatur, neque diutius, quam textus expositio & intelligentia poscit. Marc. 9,10. *atque illum sermonem in se retinebant, quærentes, quid illud sit, ex mortuis resurgere*. Hic quæritur, quid sit amor, quid fides, spes, quid condemnatio, quid maledictio, quid beatum, esse in Christo? &c. non quid nominis, sed quid rei, & patet, quam latè hujus explicationis Topica se diffundat, nempe ex Theologiâ, Philosophia, Philologiâ, Historiâ, Medicinâ, Jurisprudentiâ; & undiquaq; hanc peti; talia enim in sacris occurrere, quæ eò faciant, notissimum est, & vel ex uno Alstedii *Triumpho Biblico* satis apparet. V. g. quid sit liber vitæ? quid, anathema fieri pro fratribus? quid, aquę supra firmamentum? qualia illa ornamenta Jes. 3. de libro Henochi, lepra, judiciis, & multa ejusmodi? Observanda in explicatione Analytica hæc sunt. 1. ne prolixior sit, neque huic concio extra necessitatem immoretur, cum dispendio reliquorum, unde contingere solet, ut ad necessaria omninò, eaque, quæ animos magis tangunt & ædificant in documentis & usibus pertractandis, vix relicto tempore, inani postmodum excusatione Concionator culpam deprecari necesse habeat; sibi, nec Auditoribus satisfaciens. Hoc sæpius Gregorius observat. In Euang. homil. 30. *lubet fratres charissimi Euangelicæ verba lectionis sub brevitate transcurrere; ut post diutius liceat in contemplatione tantæ solennitatis immorari*. Et homil. 38. Tex-

tum lectionis Euangelicæ fratres charissimi, volo, si passim, sub brevitate transcurrere, ut in fine ejus valeam ad loquendum largius vacare. Alibi: *In explanatione suâ multa ad loquendum Sancti Euangelii lectio postulat, quam volo, si possum, sub brevitate perstringere, ne vos & extensa protensio, & prolixa expositio videatur onerare.* II. Ne ea, quæ satis perspicua, & nota sint, diu volvantur, & quæsita expositione protrahantur, ac implicentur potius. Illud Augustinus sollicite observat. In Psalm. 30. concione tertia: *In verbis enim ejus planioribus non est immorari necesse: ut ea nos teneant, quorum est necessitas exponendi.* sic in Psalm. 33. & concione secunda in Psal. 48. *Itaque hoc proloquor, & peto ne diuturnum sermonem in his, quæ manifesta sunt, exspectetis.* Gregorius quoque Homil. in Joan 4. est inter Homilias Patrum pag. 354 *Lectio Sancti Euangelii quam modo fratres audistis, expositione non indiget. Sed ne hanc tacite præterire videamur, exhortando potius quam exponendo, in ea aliquid loquamur.* Bernardus in Psalm. *qui habitat*, serm. XI. *est autem versus ipsius quantum nos capimus, facilis intelligentia, ad quam forte ex vobis jam aliqui prævolarint.* Confer. Amesium *Cas. consc. lib.* I. cap. 26. qu. II, III. Ne in explicatione adferantur dubia, difficilia, obscura: quomodo enim alteri lucem attulerit, quod ipsum illustrari indiget? IV. Caveat, ne dum in applicatione, profana & exotica, etiam ex litteris, philosophia &c. licet attingere, divagetur & inhæreat illis, congerendo impotenter, quæ omitti possent, ac conveniret unde videatur lubentius profana sectari, quam sacra, vel laudem eruditionis inanem affectare. V. Neque terminos artis, & Logicos adhibeat, quando etiam citra illos commode se queat exprimere: vel saltem non nisi addita istorum sufficienti explicatione: quo pateat, ipsum necessitate adactum iis uti, non nisi ad commodiorem intelligentiam.

Quær.

Quær. 1. An in analytica explicatione locus sit elencho, ad vindicationem textus, & refutationem Adversariorum? *Resp.* Est elenchus verborum, & rei, v. g. in verbis cœnæ: *hoc est corpus meum*, quæstio est de transsubstantiatione, & de verbis, quomodo illa explicanda? quicquid ad explicationem verborum spectat, in explicatione analytica dicendum, elenctice etiam, nempe *est Corpus*, non significare, fit vel adest corpus; sed est sacramentum corporis, contra Pontificios, Lutheranos: at, in usu, post documentum, elenctico, disputari debet de re; & probandum, illud falsum esse, quod Adversarii ex illis verbis asseverare satagunt; & contrà, sententia orthodoxa confirmanda.

Quær. 2. An in explicatione textus dubiâ sint adferendæ aliorum interpretationes, cum suis Auctoribus? *Resp.* Si necessariò vindicandus est à perversâ vel hæreticâ expositione adversariorum, illam adferendam constat, an nominandi sint Auctores, vel loca? definiemus, ubi agendum de usu doctrinæ elenctico. Cæterum, quando certa textus & vera explicatio dari facilè potest, non sunt Auditores gravandi aliorum expositionibus, multo minus omnibus. Aliud scholam, aliud Ecclesiam decet. Neque sane is, qui in re certâ aliorum sententias ibi adfert, Ecclesiæ ædificationem unice intendit, sed vel tempus terere, vel quod non minus illicitum, se nomina populo ignota inaniter jactare. *Aufert mercedem suam.* Aliud est, quando incerta etiam inter Orthodoxos est interpretatio, & vix constat, quid certò sequendum; tum & eam quoque interpretationem addere licet, quæ non minus probabilis, citra vanam tamen Auctorum citationem; sed illa ratione omnes quorumcunque, vel non necessarias, aut probabiles expositiones adferre est, difficultates non velle tollere, sed augere, & Auditores (quorum plurimi, si non omnes simplicissi-

pliciſſimi) intricare. Talis ſibi concionatur, 1 Cor. 14, 4. immo nec ſibi. Et neque Deo, neque officio, neque Eccleſiæ ſatisfacit. Hæc eſt regula Concionatoribus perpetua, & catholica: *quod pro concione adfertur, & neque primò neque neceſſariò facit ad intelligentiam & ædificationem omnis Eccleſiæ, peccat.* 1 Cor. 14. Hic Concionator conſcientiam ſuam judicem (ne de aliorum judicio dicam) conſtituere debet, in eo quod dicit, agitque, ut caſtè omnia & dignè.

X. Ultimò ſequitur, & analyticam explicationem claudit loci explicati *paraphraſis*, quæ omnia iterùm colligit, & complectitur, hactenus divulſa, & ſeorſim explicata; atque ut præcedentium ſummam dicit, & complementum, ita viam pandit & initium ad Documenta, ſimul ut ſit analyſeos finis, & geneſin oſtendat, protrudatque, ſicque concionis ſummam habeat. In Paraphraſticâ Scripturæ explicatione commendant ſe Cartwrig. in Euangelia, Eraſmus in N. Teſt. & Janſenius in Pſalmos. V. c. Ex parte textus priori Rom. 8, 1. hæc exſurgit Paraphraſis: Non exigua eſt fidelium, eorum qui non in ſe, ac ſuo ſtatu hærent, ſed extra ſe ſpiritualiter jam Chriſti Jeſu ſunt, fælicitas: inde, quod dum in ſe nihil minus, quam juſtificari per opera ſua poſſent, condemnari vero certiſſimè deberent, Chriſti in Chriſto juſtitiam adipiſcantur, eamque ſuam faciant; ideoque, quum multiplex illos alias & omnis maneret condemnatio, cuncta jam evaneſcit, non ſunt condemnandi ulteriùs, nunquam condemnabuntur, & vel jam extra ſtatum ſunt condemnationis. Baſilius in Pſalm. 61. *Nonne Deo ſubjecta eſt anima?* id ita παραφράζει *Cur, inquit, pravorum affectuum animam facio ſervam: quæ à Deo & corporis & omnium ipſius ſenſuum dux atque princeps eſt creata?* In paraphraſi, hæc duo ſpectanda. 1. Ut ad eam eruendam & inveniendam induamus animum illius, qui id dixit, quod para-

paraphraſi volumus expoſitum: nempe iſthoc pacto veriùs & preſſiùs dicti cauſam & rationem omnem deprehenſuri. II. Ut in promenda paraphraſi, omnium quæ textus habet, enarrationem faciamus; animis Auditorum quaſi in apertum campum intromittendis, ubi ſingula ſpectent, legant, fruantur.

Quær. An hinc ad reliquas textus partes explicandas progrediendum ſit, ut ſic ſimul omnibus primum explicatis, demùm documenta ſubjungantur, & tractentur: An verò cuilibet parti ita explicatæ: immediatè ſtatim documenta iſtius ſint annectenda? Diverſitas concionum hic fit manifeſta, alii hoc, alii illo modo docent: utrumvis feceris, modò rectè doceas, πλὴν παντὶ τρόπῳ, Χριςὸς καταγγέλλεται. Ita Patres, & plerique. Auguſtinus duplicem in Pſalmos ſæpe facit enarrationem: priori textum verbotenus ac breviter explicans: altera quidem explicat etiam, ſed magis docet, & ad praxin applicat. Chryſoſtomus in epiſt. præmittit integram explicationem, tum ſubjungit ἠθικόν *Morale.* Nobis tamen videtur, niſi partes textus adeò innexæ & implicatæ ſint, ut ſolvi, neque ſeorſim explicari, queant, ubi tum res ipſa jubet, ut ſequamur id, quò ducimur, nempe pergamus ad alteriùs quoque partis explicationem: hoc ubi non eſt, præſtare unicuique parti ſingulatim explicatæ connectere ſtatim & conjungere ſua documenta. Rationes, quare ita judicamus, hæ ſunt. I. Quia ſic manifeſtiſſimè liquet, quomodo documenta in textu continentur, quod poſtea non ita patet, niſi cum tautologia repetas jam ante dicta: & multum refert, tum ut documentum in animos operetur, tum ut concionis appareat forma, id ut quam maximè liqueat, te ex textu docere. Immò ſæpe ea eſt connexio & conſequentia textus explicati cum documento, ut trahi eò concio videatur, neque niſi invita aliò iterum abſtrahi poſſit;

adeò proximè Auditoribus in paraphrasi documentum indicatur, & satis traditur, nisi quod forma desit. Hoc ex ratione concionis. II. Sic melius consulitur memoriæ, tum Concionatoris, tum Auditorum, quo filum tenes, secundum quod omnia ex se fluunt, & sequuntur. Aliter etiam quidni retineant concionem? sed præterquam de Concionatore, operosam ei fieri memoriam & difficilem, de Auditoribus certissimum id est, utut in genere multa alias recordentur, sola hac (quam docemus) methodo eos omnia retinere. Atque ita plus ædificationis hinc ad Ecclesiam.

CAPUT QUARTUM.

I. HActenus concio in textu dissolvendo, atque explicando occupata fuit, jam docebit ex textu: hactenus analysis, jam genesis. Duo supersunt, *docere* ex textu, & doctrinam intimare, *applicare ad* singulorum conscientiam & *usum*; Documenta, & Usus.

II. Documentum dicitur, doctrina, vel observatio doctrinæ, axioma nempe Theologicum, quod in textu observatum doceri, ex eo producitur, atque porrò pro concione tractatur. Quomodo Basil. in Psalm. 37. *Docet item nos hic sermo, ne mala nostra obticescere, aut velare velimus*. Bernard. in Cantic. serm. 60. *Mirum verò, si nec ficus, nec vineæ istæ aliquid habent, quod mores ædificet. Ego hunc locum arbitror esse & moralem.*

III. In documentis duo spectanda sunt. I. Documenti *formatio*. II. *Tractatio*: In priori judicium, in altero cœlestis sapientia præcipue se ostendit, & requiritur, Matth. 13, 52. *ideoque omnis scriba edo-*

ctus

ctus in regnum cœlorum, similis est homini œconomo, qui ex thesauro suo producit nova & vetera.

IV. In priori, formando nempe documento, hoc agit. I. Ut genuinè *eruatur*. II. Rectè *proponatur*.

V. Documentum invenitur & eruitur, vel ex textus verbis expressis, vel ex textu per constructionem. Illud dicatur documentum magis *apertum* vel concinnatum; hoc *constructum*, vel elicitum, V. g. Matth. 4, 17. *Resipiscite &c.* Duæ textus partes sunt. I. Præceptum. II. Ratio præcepti. Documentum prioris est apertum, & textus: nisi quod explicatius proponatur & sub generali axiomate, nempe: *quod homines debeant resipiscere.* Posteriores documentum ex argumentatione Christi; *quod & quia regnum Dei appropinquat, agenda est resipiscentia*, constructum est documentum, vel instructum ex textus constructione. Hæc documentorum divisio est ex formâ, ex materiâ, alia sunt theoretica, de veritate, & fidei; alia practica, de moribus, quæ divisio sumitur ex proximâ rerum differentiâ, non ex ultimo fine, & vel usu, nam in concione omnia omninò ad praxin referuntur.

VI. Documenta formantur ex textu, at quomodo? & unde? I. Ex omni concionis parte; non ita necessario ex omni textus parte; quomodo illa aliquando distinguantur, supra diximus. V. g. in historia Euangelica sæpius occurrit, *tunc dixit Jesus*, &c. ubi duæ in textu partes, quod dixerit Jesus, & quid dixerit, ex priori (quamvis textus parte) non ideo necessariò documentum facies, sed ex sequentibus, quæ demum concionis partes instruunt, dabuntque illæ necessaria documenta. II. Documenta leguntur & fiunt ex iis quæ in textu ejusque explicatione notanda maxime, & observanda occurrunt, nihilque istorum temere omittendum. Quod si tempus non permittat ea omnia tractare, vel alio tempore id agas, vel saltem jam indices, ut constet te non neglexisse.

glexisse, quod observandum erat, & notari in documentum meretur. V. g. ex Rom. 8, 1. hæc fluunt documenta. *Non est alicui salus in se, quin debet exire ex se, & illam non in, sed extra se quærere.* II. *Solùm in Christo Jesu salus est, iisque, qui in illo sunt.* III. *Qui in Christo Jesu, vel Christi sunt, nullâ ratione condemnari possunt.* IV. *Qui in Christo Jesu, jam etiam ab omni condemnatione liberati sunt.* Ex illis hæc eliciuntur documenta, quæ in textu explicando maximè observabamus, & notabamus. Atqui id dicit, unde documenta formentur; jam, quomodo?

VII. In Documentis expressis haud tanta difficultas: illa enim jam in textu occurunt, & non nisi paulo explicatius proponuntur, quasi in aciem axiomaticè. Constructa vel elicita Documenta hoc modo formantur. I. Sedulò attendatur res quælibet, quæ in textu tangitur, notatur, & exprimitur. II. Illa res extra nexum verborum trahatur, & liberetur; proponenda in thesin, & non constringenda ad textus eadem verba, sensus modò teneatur. III. formetur in axioma generale; non enim in textu sub formâ axiomatis occurrit: axioma dico, in ordine ad textus verba, quæ specialia & implexa, ideoque ut in documentum migrent, ac veritatem axiomaticam revocanda, & non nisi tali formâ proponenda sunt; generale dico, in ordine ad usus è documentis inferendos, & specialiter applicandos. V. g. 1 Pet. 4, 17. *Nam tempus est &c.* In hoc textu, subjectum de quo agitur, est judicium Dei, & de hoc judicio dicitur, illud *incipere*, & quod ei sit καιρός quando incipiat, incipiens verò, quod tum *à domo Dei* incipiat. Hic ergo omnia illa & singula, quæ ita emphatica, considero, neque omittere possum, quin in axiomata à textu nihil monstrata, extendam; Ergò documentum primum sit, ex primo subjecti prædicato: *Iudicia Dei aliquando incipere,*

re. Secundum, ex secundo prædicato: *Iudicia Dei habere suum proprium tempus, καιρόν quo incipiant.* Tertium, ex eo quod sequitur: *Iudicia Dei, quum incipiunt, à fidelibus primum incipere.* Quid verò sit, res textus, quæ in axioma, vel documentum diducitur, ex nexu verborum, & dictionis schemate, ad id solvere, ex sequentibus magis patebit, ubi fit interrogatio. *Si primum à nobis, quis finis non obedientium Euangelio!* vers. seq. *si justus vix servatur,* &c. ubi primò omnium solvenda res est, & in simplicem orationem exponenda: *quis finis?* i.e. admodum gravis profectò finis divini Judicii manet illos, qui Euangelio non obediunt, quoniam initia judiciorum Dei tam acria sunt, quæ suos tangunt! Versus seq. in syllogismum integrè disponendus venit, ut documentum constet, ita: si justus vix servatur, impius non habet quo subsistat (etenim ejus interrogationis, *ubi apparebit?* illa simplex enunciatio est, nullibi apparere, subsistere audebit (sed justus vix servatur.) Ergò. Similis locutio est Rom. 8, 31. & s. & alibi, atque idcirco eadem debet esse illorum quoque tractatio. Ubi, misso antecedente & consequente seorsim considerando, hoc documentum construitur. *Difficultas salvandi in piis, ut illi salventur, instruit de gravitate condemnationis in impiis.* Scio in plura, si ita velis, documenta hæc distribui quoque posse, neimpe si divisim antecedens, & consequens tractare etiam velis, ut I. *In negotio salutis, instruendi veniunt homines, ex ratione status unius ad alium,* quemadmodum Luc. 24, 31. II. *Etiam justi, non nisi difficulter salvantur.* III. *Miserrimus improborum status, qui nuspiam queant subsistere.* Psalm. 1. Et IV. quod ex argumentatione construitur, ac solum in ejusmodi textibus aliquando satius est tractare, quia peculiarem, & omnes textus emphasin secum trahit, quare illud unicum modò pro-

proposuimus: *difficultas salvandi in piis, instruit de gravitate condemnationis in impiis.* Unde jam quoque patet quartum hoc in formandis documentis observandum, nempe quod aliquando per extensionem documenta ex textu fiunt, aliquando per contractionem, id est, vel id quod textus habet extenditur, & expanditur, ut quando ex verborum connexione, vel relatione, veluti si ex versu statim dicto quatuor illa documenta fiant; vel contrahitur, si ex versu illo unum istud modo, & sic sæpe in textibus historicis, ubi plura comprehendimus in unam observationem, vel documentum. V. Axioma aut. jam illud, quod per attentam & sanctissimam textus observat. ex verbis (quorum construct. continebatur & implicabatur) solvisti, eruisti, & in formam talem axiomaticam redegisti, sive per extensionem rei, quæ in textu; sive per ejus contract. quale illud axioma esse debeat Theol. te docet, ut conveniat. sc. cum analogiâ fidei. *Si quis loquitur:* ὡς λόγια Θεοῦ. 1 Pet. 6, 2. Rom. 12, 6.

VIII. In proponendo documento observandum, ut proponatur perspicuè, concinnè & solidè, i. e. quod sibi constet, non ambiguè, aut leviter. Deinde aliis quoque verbis repetatur, quo magis animis inhæreat; illud enim est, quod porrò tractabitur, uti Christus Marc. 10, 23, 24. Directorium cultus publici anglicarum cap. de conc. verb. *in eliciendis ex textu Documentis. potissima ejus cura esse debet primo, ut res sit vera, secundo, ut sit veritas textu contenta & fundata, quo Auditores queant dignoscere, quomodo id inde à Deo doceatur. Tertio, ut præcipuè insistat illis documentis, quæ maxime ex scopo textus fluunt, & plurimum faciunt ad ædificationem Auditorum.* Et hæc de Documenti propositione, sequitur ejus tractatio, vel elaboratio, ubi tum concio est in ἀκμῇ.

IX. In Documenti *tractatione* tria sunt. I. Ejus *explicatio*. II. *Probatio*. III. *Amplificatio*: quibus ritè elaborandis illa consistit.

X. In *explicatione* & illustratione Documenti hoc agitur, ut quemadmodum antea textus explicatus est, ita jam res, & documentum rei: nempe, verba sunt interpretata, ut res significaretur: in analyticâ explicatione tantum rei ibi dictum, quantum ad Documentum formandum requirebatur, Jam Documento posito, res explicari latius debet, ad geneticam ejus tractationem per *rationes*, & *usus*.

XI. *Probatio* Documenti est duplex I. τὸ ὅτι, quod ita sit veritas documenti, per locos parallelos. II. τὸ διότι quare ita sit, per rationes ex verbo Dei diductas. In priori probatione hæc tenenda. I. Ne multi scripturæ loci adferantur, & accumulentur, sed pauci iique significantissimi, duo vel tres; ubi se tum ostendit Concionatoris judicium, si in scripturis divinis exercitatum sit, & quod Act. 18, 24. de Apollo dicitur, num *potens* sit in scripturis. Tria semper Ministro facienda, dixit Lutherus; *evolvere Biblia*, *orare serio*, *& semper discipulum manere*. Et Musculus à pio ac venerando sene sæpe se admonitum ait; *si bonus velis fieri Concionator*, *fac sis bonus Biblicus*. Melchior Adamus *in vitis Theol. pag.* 165. *&* 350. Ita succum & sanguinem scripturæ, quem imbibere jubemur omnes, ac præcipuè Concionator, hic exprimimus, atque per id est, quod Spiritus Sanctus efficaciter operatur in animos hominum, nempe per suum ipsius verbum. II. Ne illi scripturæ loci proferantur nudi, sed cum explicatione, & paraphrasi, at brevi, & quæ ad rem faciat, hocque evidenter demonstret locum citatum convenire intentioni, & veritatem Documenti probare. Quomodo in citandis atque urgendis S. scripturæ locis habere te debeas, docebit optimè epi-

stola

ſtola ad Hebræos, ſive plura aliquando loca, unum poſt alterum adferas, ut cap. 2, 13. & 4, 5. iſtius epiſt. ſive explicanda ſimul ſint, cap. 3, 16, 17, 18. ſive applicanda. cap. 2, 9. & 4, 6. ſive cum emphaſi urgenda, & exprimenda, cap. 3, 15. & 4, 7. & 6, 13. & 7, 2, 3, 13. & 10, 8, 9, 15, 16. & 12, 27. ex hoc ſcripto optimè addiſcas.

Quær. An ſemper cum citatione loci, caput & verſus exprimendus? *Reſp.* Exprimitur Act. 13, 33. *quomodo etiam in ſecundo Pſalmo ſcribitur.* Alias non, & ut epiſtolam ad Hebræos iterum conſulamus, nec exprimitur quis, vel ubi dicat, cap. 2, 6. *teſtatus eſt quis alicubi* & cap. 4, 4. at cap. 4, 7. *ſicuti Spiritus Sanctus loquitur*, & 10, 15. *ipſe dixit*, & cap. 13, 5. & v, 6. Ergò judicamus, in locis, quæ adferuntur ad probandum Documentum & Uſum, vel ad aliud quid notabilè, ſive in quorum emphaſi ſitum, quodque ideo peculiariter urgemus ac notamus, commodè caput & verſum indicari, & à populo inquiri. In reliquis, quæ paſſim citantur, non adeò id neceſſe eſſe.

Obſervandum hic & illud, quando locus adfertur, vel difficilis, vel admodum controverſus, ut ille obiter, & breviter explicetur, vel ſi videatur ἐναντιοφανία, ſolvenda ea, neque enim alicubi remorandus eſt Auditorum animus, ſed plananda omnia & apertiſſimè explicanda, amplificanda, inculcanda.

XII. In probatione per rationes, hæc obſervanda I. Non ſemper rationes inquirendas, vel dandas eſſe; ſunt, quorum ratio dari omninò nequit, & quorum non commodè ratio datur. Non vexandæ rationes, niſi res ipſa eò ferat, invitetque. II. Dandæ ſunt rationes propriæ, non communes, evidentes & certæ rationes. In hoc, ut priori etiam, plerumque peccatur, dum rationes adferuntur non ſatis

tis congruę, quæ non dextrè & immediatè illud probandum venit, quales sunt, quæ longius petuntur, & generaliores sunt, vel abstrusiores; contra, si propriæ urgeantur, neque monendum tum erit, ne justò plures adferat, nam ipsa rei ratio numerum illarum cum iis satis dicet. III. Ne rationes nudæ adferantur, & enumerentur solum, sed explicatæ, & per scripturam probatæ, ac quovis modo amplificatæ, ut Jurisconsulti solent dicere: *erubescimus sine lege loqui.* Vel ut Hieronimus ad Nepotian: *totus sermo presbyteri scripturarum sale conspersus & conditus esse debet.* Telingius ideò *rationes scripturales* appellat, *Necessi. demonstr. lib.* 4. *cap.* 2. IV. Si textus ipse rationem contineat, & suppeditet, ut plurimum illam solam urgere, ac tractare convenit.

XIII. Ergò jam *Amplificatio* Documenti sequitur, quæ in eo consistit, ut omnia quæ hic adferuntur, Documenti explicatio & probatio, dignè atque aptè amplificentur, quod ex omnibus fermè argumentorum locis fieri potest, maxime autem ex dissentaneis & comparatis. Prioris exempla vide, Psal. 1, 4. Jesa. 45, 10. 2 Cor. 4, 8, 9. 1 Petr. 1, 18, 19. vel quando κατ' ἄρσιν & κατὰ θέσιν quid asseritur. Rom. 8, 1. *non secundum carnem, sed secundum spiritum.* Joan. 3, 16. & 1, 20. Psal. 32, 5. Heb. 10, 9. *tollit prius ut alterum ponat.* & cap. 12, 18. Posterioris, nempe comparatorum exempla prope infinita sunt, huc Christi parabolæ spectant, Matth. 13. Joan. 4, 10. & 7, 17. Genes. 49. Psal. 58. 4. Jerem. 17, 2. Jacob. 2, 26. 2 Cor. 4, 8, 9. 1 Cor. 15, 4, 5, 47. Exemplar, ex quo discas, quomodo thema amplificandum sit, nullum præstantius epistola ad Hebræos, ubi judicio adhibito illud elegantissimè deprehendes, quo modo & ex locis scripturæ, citatis cap. 1. & explicatis, cap. 7. ac 9. & argumentis à simili cap. 7. & 12, 9, 24. & 13, 12. à contra-

rio cap. 3. & 4. à minori cap. 2, 2. & cap. 10, 28. & 12, 25. à definitione, & exemplis cap. 11. res tractanda sit.

XIV. *Quæritur.* primò: An hic quoque exemplis locus? *Resp.* prout exempla quoque demonstrant quid verum sit, ita hic etiam adferenda; verùm prout dicunt, quid debeat fieri, vel omitti, ad usus pertinent. Jac. 2, 20. *Vin scire, o vane homo, quod fides absque operibus est mortua? Abraham Pater noster &c.* Hoc proprie est exemplum Documenti.

XV. *Quæ.* II. An pro concione liceat adferre profana, & dicta, vel facta Gentilium? *Resp.* Vix, & quia facile hic & graviter à Junioribus & temerariò, atque per imprudentiam peccari solet, hasce damus cautiones. I. Non licet illa adferre ad merum ornatum, vel ostentationem, & applausum populi. Hieronymus epist. ad Nepotiam: *nihil tam facile, quam vilem plebeculam & indoctam concionem, linguæ volubilitate decipere, quæ quidquid non intelligit, plus miratur. M. Tullius, in quem pulcherrimum illud elogium est: Demosthenes tibi præripuit, ne esses primus orator: tu illi, ne solus: in oratione pro Quinto Gallo, quid de favore vulgi, & de imperitis concionatoribus loquatur: attende, ut his fraudibus ludaris. Loquor enim, quæ sum ipse nuper expertus. Vnus quidam Poëta nominatus &c.* Nihil in Concionatore æque reprehendo, quam ostentationem sui vanam, & auræ popularis captationem, ubi illam affectat potiùs quam ut animas Christo captet, ac lucretur, quum autem in id propendere populus soleat, & quoque Concionatoris animus, nihil tam enixè studere debet, quam ne hoc ullo pacto videatur agere. Optimè & cordatè Chrysosth. homil. ad Antioch. 28. *Laudatis dictis, plausibus mihi non est opus, neque laudantium vocibus & tumultu. Vnum duntaxat volo, ut cum quiete & intelligentiâ audientes, quæ dicuntur, faciatis. Hoc mihi pro*

hi pro plausu, hoc mihi pro laudatione. Lutherum (& quantus ille Concionator!) dicere solitum fuisse refert Melchior Adamus, in ejus vitâ: tres caniculas concionatori in suggestum adducendas minimè esse, vid. *superbiam, avaritiam, invidiam*; illasque conciones probabat maximè, quæ *pueriliter, trivialiter, populariter, & simplicissimè* docerent. Contrà dum Ecclesia detinetur profanis, & Gentilibus inaniter allatis, ab aliis, gravioribus & sanctis abducuntur, atque perit simul concionis sacræ vis, & efficacia. II. Ne Gentilia nimiùm adferantur, ne illa vel præferri vel saltem conjungi cum sacris videantur, & nos plus hisce, quam sacris illis studuisse: quod in concionibus Papicolarum notari potest, illis præcipuè, quas ante reformationem habebant. Foxus in Martyrol. Anglico Vol. 1. fol. 817. narrat atque ridet merito concionem Episcopi, quam habuit in condemnationem beati Martyris Johann. Hussi, supra Rom. 6, 6. & ita incipiebat: *Apparet authoritate Aristotelis libro de cælo & mundo &c.* Ridiculas & profanas illorum conciones lepide & falsè perstringit ac refert Henricus Stephanus in erudito tractatu, *Apologie pour Herodote:* Ne de Erasmo dicam, cui obiter in omnibus pęnè scriptis illi Concionatores vapulant, nominatim in Colloquiis, & Ecclesiaste. III. At præter illud, liceat pro concione adferre Gentilium quoque dicta & facta, verùm non nisi ad convictionem, id est, ut per illorum consensum, de veritate aliqua, & per illorum exemplum, de praxi nostros homines convincamùs; quod vim haud exiguam tum habet. Jer. 18, 13. *idcirco sic ait Jehova, interrogate jam inter gentes, quis audierit talia: rem fœdam valdè fecit virgo Israelis.* & cap. 2, 10, 11. Adde Matth. 12, 27. sic Augustinus de doctrinâ Christian. lib. 2. cap. 40. docet illa à Gentilibus, tanquam injustis possessoribus repetenda

esse, sicuti Israëlitæ cum Ægyptiis egerunt. *Nonne aspicimus quanto auro, & argento & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor suavissimus, & martyr beatissimus, quanto Lactantius? Quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Græci?* Clementis Alexandrini Stromata jam cogites. Ita inter scriptores N. Test. Paulus Apostolus ter Gentilium dicta citavit, nempe Act. 17, 28. 1 Cor. 15, 25, Tit. 1, 12. non ad ornatum, ut videtis, inanem, neque sępius, sed ad convictionem & confusionem necessariam; quando enim vel de Gentili., vel cum Gentil. res nobis est, tum aptè illos in testes adduci, est extra omne dubium. Hinc & de Poëtarum versibus ac dictis in concionem adducendis, quid judicemus, facile liquet. Hieronymi illud dictum est, epist. ad Eustoch. pag. 145. *Adeo illis adulterium etiam linguæ placet. Quæ enim communicatio luci ad tenebras? qui consensus Christo cum Belial? quid faceret cum Psalterio Horatius? cum Euangeliis Maro? cum Apostolis Cicero?* & Gregorius: *in uno ore se cum laudibus Iovis Christi laudes non capiunt*, lib 9. epist. 48. estque in jure Pontificio *dist. 86. ca, cum multa.* Quare audiendus relinquitur Amesius, *Medull. Theol. cap.* 35. §. 54, 55, 56, 57. quem vide.

XVI. *Quær.* III. An Theologorum, vel Patrum (quos appellamus) dicta; factaque adferre pro concione liceat? *Resp.* Uti in præcedenti quæstione diximus, ita hic. I. Ad ostentationem, quo animo sæpius id fieri solet, *ei, qui nomini suo, non animis aliorum lumen affundere conatur*, (inquit de talibus Verulamius in præf. Novi Organi) nefas est. II. Neque ad merum ornatum, quia ille quum humanus sit, obfuscat & adulterat vim verbi merè divinam, estque ἐπίβλημα inconveniens Matth. 9, 16. III. Neque nimiùm illa adferenda. IV. Neque senten-

ſententias ex illis communes, & nulla ſe emphaſi commendantes: quorſum enim tum Patris alicujus nomen prætendatur, quum quivis Theologus idem dicere & meliùs forte poſſit? Unde ſimul patet qui & ubi hic peccent, nempe I. Qui nullâ neceſſitate, vel causâ quam proferre poſſint, quæve pateat, citant illa promiſcue, quorum cum omnibus expenſis, nulla ratio deprehendi poteſt, quam puerilis oſtentatio, unde plus à junioribus, vel in ſcriptis Theologorum aut Patrum minus exercitatis peccari hic ſolet, quibus plus vanitatis, quam delectus & judicii ſæpe adeſt. II. Si judicemus, ac ſi concio non conſtet, niſi ejuſmodi citationes interlabantur, & nos vel alios non bene concionatos æſtimemus, niſi exotica talia audiantur; quaſi concio non ex verbi Dei efficaciſſimâ & vivâ tractatione, ſed humanorum dictorum & hujuſmodi purpurieſsæ commixtione æſtimari debeat, contr. 1 Cor. 1, 1, 17, 19. & 11, 1. &c. III. Quando majori curâ, expreſſione, & obſervatione videntur illa citari, quam loca ſcripturæ, & hæc non tam diligenter & preſſim urgeri, ac quidem deberent, quod pænè eſt ſtudio ædificationem Eccleſiæ, quam ſpiritus per ſcripturæ tractationem ἐνεργεῖ, impedire, & quaſi velle ſuſpendere ac divertere. Sic nempe patet, ut hic tum peccetur, I. In puritatem, ſanctitatem & efficaciam verbi divini. Pſalm. 19, 8. &c. II. In articulum illum religionis, de Auctoritate Patrum non nimium efferendâ vel adorandâ, etenim quâ alias ratione putamus eveniſſe, ut ad tantam authoritatem, quam Pontificii illis indulgere videntur, pedetentim Patres pervenerint, niſi potiſſimùm illâ in concionibus doctrinis omnibus promiſcuâ & crebrâ citatione? quod ideoque tam gnaviter adhuc Pontificii Concionatores obſervant. III. Peccant in populi attentionem & ædificationem, ignota dum & non

non canonica ita citra discrimen vel judicium jactantur, Licere tamen aliquo casu illa quoque pro concione adferre, non negaverim. Zanchius Tom. 8. orat. *de conserv. puro Dei verbo*, tres hosce casus constituit. I. Propter pervicaciam hæreticorum. II. Propter malevolorum calumnias. III. Et infirmorum fratrum imbecillitatem, quibus casibus Patrum dicta citare concedit; eosdem iisdem verbis ponit Amesius *cas. Consc. lib. 4. cap. 26.* Nos ita respondemus, ut liceat. I. Quando paradoxum aliquod, vel quod videatur paradoxum, aut arduum & graviter controversum, sive in negotio fidei, sive praxi probandum nobis venit. Ita Chrysost. serm. de *anathemate* (quod rarissimè vel nunquam forte præterea agit) in re difficiliori alium citat. *Vultis discere, qualia de hoc sanctus quidam dixerit, qui & Apostolorum temporibus martyrium meruit? Monstraturus hujus verbi gravitatem tali utebatur exemplo*, &c. Siue casus sit, qualis Basilii, calumniam ideo patientis, quod in doxologiâ dixisset: *Gloria Patri per Filium, cum Spiritu Sancto* quod dixisset *cum* Spiritu Sancto tali dico casu, optimo jure consensum Patrum adfert, *ad Amphiloch. de Spir. sanct.* cap. 29. tantum abest ut reprehendi illud debeat, vel possit. II. In disputatione contra hæreticos, nominatim contra Pontificios ubi & Patres & Pontificios contra eos adferre maximi usus est, & sic contra alios, dum id demonstrare conamur, illorum doctrinam jam olim ab Ecclesiâ condemnatam fuisse & confutatam. III. In exempla, nempe haud exigui illud fructus, & efficaciæ deprehenditur, exempla & facta aliorum in casibus conscientiæ ac praxeos adferre, sive ex Patribus illa, sive ex historiâ Ecclesiasticâ infimæ, aut cujusvis ætatis, immo ex Gentilibus, & undequaque ea adducantur, quæ ad commovendum omninò multum valent. At cave exempla & facta incer-

tæ fidei adferas, ut ex Prato spirituali, Vitis Patrum &c. Aliter quando vel dubitat Concionator, num proferre illa liceat, vel Auditores malunt unicè sacris Canonicis intenti hærere, cum minimâ mentis diversione, cautissimè talia adhibeat, vel potius omittat. Quando verò res postulare videtur, ut Patrum sententiæ etiam audiantur, præterquam quod ex propriâ lectione & observatione illa deceret expromere, varia ad id etiam adjumenta sunt, quæ vix sinent diligentiam tuam in conquirendis iis frustari, præter Commentaria, & Tractatus Theologorum, qui Patrum dicta quoque adferunt, & Florilegia, sive Polyantheas, consule ipsos Patrum in locum, quem velis commentarios. Scripsit quoque Jesuita Antonius Dauroultius *flores exemplorum, sive Catechismum historialem*, volumen satis crassum in quarto, nisi quod ut plurimum legendas & fabellas Papales congerat, præter Theat. historicum Hondorffii, ne de Theatro vitæ humanæ Zuingeri dicam, etiam Reinerus Bachovius in Catechesin Palatinam Patrum sententias annotavit, quod quoque post Harmoniam Confessionem factum, & jam nuperrimè à Cl. Forbeshio in *Instruct. Historico-Theol.* Ne de expositionibus Patrum conjunctis loquar, quales Catena Patrum in Jobum, Johannem, etiam Partem Psalmorum, & Jesaiam, Græc. Patrum in Pentateuchum, auctore Francisco Zephyro Florentino; in epist. ad Rom. Theoduli Cœlœsyriens. qui extat in bibl. Patrum, vel de Ant. Monachi Melisses, sive loc. Comm. qui quoque in bibl. P. P. aut Euthymii Zigabeni Panopliâ. Judicium de Patribus hic addere non necesse, præter id quod superiori thesi ex August. citavimus *de Doctr. Christ. lib.* 2. *cap.* 40. eundem adi *lib.* 4. *cap.* 21. Hieron. Tom. I. *epist. ad Paulinum pag.* 104. Sidon. Apollinarem *lib.* 4. *epist.* 3. Cassiodorum *Instit. cap.* 18. ex veteribus. Adde his Erasm.

in *præf. ad Cyprianum.* Et *Ecclesiastis lib.* 11. *pag.*2. 18. ubi illorum, & Patrum quoque judicia de Patribus reperies. Confer de citandis Patrum dictis pro concione, judicium Amesii *cap. cit. qu.* 4. *&* 5. Primerose in præf. *la trombette de Sion.* Director. Anglic. *parcè adferat dicta Ecclesiasticorum, aliorumve humanorum scriptorum, quantumcunque elegantia.*

XVII. *Quær.* IV. An liceat allegorias sectari? *Resp.* I. integram concionem, vel concionis partem, facere continuatam allegoriam, vitium est, uti Origines solet, qui Homilia in Genes. 2. ubi de arcâ agit, concionum suarum hanc rationem exponit. *Verùm quoniam arca, quam describere conamur, non solum bicamerata, sed & tricamerata à Deo construi jubetur; operam demus & nos ad hanc duplicem, quæ præcessit, expositionem, secundum præceptum Dei etiam tertiam jungere. Prima enim, quæ præcessit, historica est, veluti fundamentum quoddam in inferioribus posita. Secunda hæc mystica, superior & excelsior fuit. Tertiam, si possimus moralem tentemus adjicere.* Neque minus Bernardus in allegoriis sæpe luxuriat, vide ejus sententias, explicationes in Cantica, sermonem *de tribus panib.* &c. *silvam illam umbrosam latebrosamque allegoriarum*, inquit in Cantic. serm. 16. Hoc ergò caveatur. II. Ne allegoriæ sint inanes, incertæ, vel falsæ, contra certitudinem & analogiam fidei, quod peccatum facilè committunt, qui verborum lusibus & figuris sæpe magis intenti sunt, quam rei. III. Sobriæ verò, & certæ ac perspicuæ allusiones, accommodationes, metaphoræ, sive allegoriæ probandæ veniunt, & etiam usurpare licet: Quemadmodum scripturâm quoque idem facere videmus, Gal. 4, 24. Rom. 10, 18. Confer Amesium loc. cit. *qu.* 7.

XVIII. *Quær.* V. An Concionatori hoc spectare & studere liceat, quo delectet? *Resp.* simpliciter ut dele-

delectet, atque in eo subsistat, neutiquàm, 2 Tim. 4, 3, 4. Verùm in docendo, vel severitatem, vel gratiam etiam pro re natâ adhibere debet, 1 Cor. 4, 21. 2 Tim. 4, 2. sed ut moveat, atque ædificet ad fidem & pietatem. In Concilio Burdigal. Anno 1582. ita constitutum: *caveant summopere Prædicatores, ne in suis concionibus fabulas, jocos, dicteria, & scommata, quibus risus excitetur, intermisceant; Concionatoris enim est, non risum movere, sed lachrymas auditoribus excutere.* Bochell. lib. 1. decret. Eccles. Gallic. pag. 40. Adde Erasm. *de rat. concion. lib.* 2. *pag.* 224.

XIX. *Quær.* VI. An liceat concionem vel concionis partem exscribere, & mutuari ab alio? *Resp.* Integram vel potissimam partem ab alio tacitè usurpare, arguit Concionatoris inscitiam, vel desidiam; quando verò illud abest, conceptus nonnullos aliorum elegantes suos facere, iisque uti, quia commodissimi videntur ad instruendam, movendam & ædificandam Ecclesiam, nostris quantum per Dei gratiam licet, additis, ne otio nostro plus, quam Ecclesiæ usui videamur consuluisse, non video quid ni liceat. Audiamus Chrysosthomum jam tum suo tempore conquerentem, lib. 5. de sacerdotio: *si quem forte ex Concionatoribus contigerit partem aliquam eorum, quæ ab aliis elaborata fuerint, suis ipsius concionibus intertexere, certè pluribus opprobriis obnoxium se reddit, quam qui alienas opes suffurantur, quum alioqui etiam sæpe fiat, ut concionator ne aliunde quidem mutuatus quidquam, sed ea de re tantum suspectus, instar furis alicujus in ipso furto deprehensi habeatur.*

CAPUT QUINTUM.

I. Post Documentum, ejusque elaborationem, & amplificationem veniunt *Usus*, sic dicti, quia quærunt, cui usui aut bono documentum illud sit: idque ex locutione Apostolicâ 2 Tim. 3, 16. *scriptura divinitus inspirata*, & ὠφέλιμος *utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad instructionem illam quæ est in justitiâ.* Hinc ratio Usuum venit, faciuntque ad penitiorem instructionem, admonitionem &c. Adde Rom. 14, 4. Potest etiam applicatio, & conclusio ad conscientiam dici: Perkinsus *applicationem* vocat, cap. 7. de unic. rat. conc. *Applicatio est, qua doctrina recte collecta pro ratione loci, temporis, personæ varie accommodatur. Ezech.* 34, 16 Amesius: *usus est axioma Theologicum ex doctrinâ deductum, utilitatem, bonitatem, vel finem ejus ostendens.* Medull. lib. 1. cap. 35. *Consectarios usus* vocat Streso in Technol. Theol. Ita quod in Documento generaliter erat propositum, illud hic particularissimè, cuilibet, & ad quosvis conscientiæ casus applicatur, hoc est, quod dicitur. 2 Tim. 2, 15. ὀρθοτομοῦντα *recte secantem verbum veritatis.* 1 Tim 6, 17. *Divitibus in hoc sæculo annuncia non superbire*, &c. Patet differentia inter Documentum & Usum, quod Documentum in genere loquatur, Usus in specie; illud, quid debeat fieri; hoc, quid tu debeas facere. V. g. quod Psal. 118, 22. dicitur: *lapis, quem ædificantes repudiarunt*, à Petro Act. 4, 2. applicatur: *hic est lapis à vobis ædificantibus, repudiatus.* Usum applicationem, conclusionem facit & exprimit, dum ad Judæos, *vobis* inquit. Ita Hebr. 12, 5. *num obliti estis consolationis, quæ* vobis, *ut filiis dicit:*

fili

fili mi ne vilipende instructionem Domini &c. Jes.61,1,2, 3. Act.2,22. Job.5,27. Tit.2,1,2. Rectè Alsted. lib.5. system. Theol. cap. 9: *textus sit concionis radix centrum doctrinæ, seu loci communes sint rami: usus, doctrinarum sint fructus: applicatio usus, sit fructuum decerptio & fruitio.* Usus & applicatio Usus nobis idem sunt, ipse usus in applicatione consistit & propriè loquendo Documentum in usu applicatur, atque ita ulterius semper proceditur, & pedetentim tandem fructus animæ ingeruntur. Basil. Tom. 1. serm. in verb. Mos. attende tibi: *magna profectò ex hoc verbo utilitas, non solum male habentibus, sed etiam valentibus provenit. Nam idem & hos à morbo liberat, & illos omnino perficit. Etenim quisque nostrum, qui hoc sermone erudiamur, unum hoc curandum habet, ex illis quæ per Euangelium nobis præcipiuntur. Nam in Ecclesiâ, velut in magnâ domo vasa non solum aurea & argentea, sed lignea & testacea, & omnis generis artes existunt. Habet namque domus Dei, quæ Ecclesia Dei viventis est, venatores, Viatores, architectos, ædificatores, agricolas, pastores, athletas, milites. Omnibus his coaptatur, & quadrat hoc breve verbum, cuilibet & agendi diligentiam, & propositi studium inculcans.* Breviter & accurate Streso in Technol. Theol. pag. 142. *Inter* Consectarios usus *& ipsam doctrinam, concionis thema, non tantum ea differentia est, quod hæc materialiter, illi tantum virtualiter in textu continentur, sed & hæc; quod cum doctrinæ absque affectibus merâ theorica, procedant, usus è contra ad praxin tendunt, doctrinæ explicant, usus applicant, doctrinæ ferunt leges, usus exequiuntur, elaboratio doctrinæ est quasi qui tormentum aut bomberdam instruit, ex qua deinde usus velut exploduntur, adeo ut inter doctrinas & usus ferè intersit, quantum inter verbera & verba, & usus sint quasi reales & actuales argumentationes.*

Uti in Documentis formandis id requiritur, ut perspi-

perſpicue oſtendatur quomodo illa ex textu fluant, ita in uſibus idem patere debet, quomodo è Documentis deriventur: Uſusque omnes ſunt vel *dogmatici*, vel *practici*, (quemadmodum Documenta, nam ſimiliter hic planè res ſe habet, niſi quod particularis fiat applicatio, ſicuti jam dictum) illi fidem, hi mores, veritatem illi, hi pietatem & praxin ſpectant: Perkinſus dicit, Applicationem *Noëticam*, vel *Practicam*. Noëtica, quæ mentem reſpicit, eſtque vel διδασκαλία, vel ἔλεγχος. Quos ita Tertullianus in Apolog. conjungit, *Certe fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationib. denſamus, ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura divina.* Et Auguſt. lib. de doctr. Chriſtian. 4. cap. 4. *debet igitur divinarum ſcript. tractator, & doctor, defenſor rectæ fidei, ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere: atque in hoc opere ſermones conciliare averſos, remiſſos erigere, inſcientibus quid agatur, quid exſpectare debeant, intimare.*

III. *Uſus dogmatici* ſunt triplices, ita commodius omnia capita, quæ hic dari poſſunt, complecti arbitramur. I. Ad veritatis alicujus certiorem & penitiorem *inſtructionem*, *obſervationem*, vel *confirmationem*. II. *Vindicationem*. III. Erroris *Confutationem*. Vel enim veritas ſolùm obſervatur & confirmatur, vel ab exceptionibus Adverſariorum vindicatur, vel error, atque argumenta Adverſariorum refutantur. V. g. Gal. 3. 13. hoc documentum datur: *Paſſione Chriſti maledictâ redimimur ex maledictione legis.* Hinc Uſus dogmaticus. I. Ad confirmationem veritatis de ſatisfactione Chriſti, quam hinc probo & demonſtro. II. Ad vindicationem, ejus ab expoſitionibus, quas V. g. in hunc locum dat Crellius, (cujus lectiones in hanc epiſtolam excepit, & edidit Schlichtingius) Nempe examinatur hic

exceptio-

exceptiones contra rem textus, ut exceptiones contra phrasim in expositione analyticâ, videlicet hic redemtionis veritas vindicatur, à figurâ illa, quam Sociniani faciunt. III. Hinc jam quoque arguo & disputo contra hæresim Socinianam ipsam, & ostendo quam impia istorum sit, & execranda doctrina. Antea per ἀνασκευὴν jam per κατασκευὴν, uti Christus ita quoque de resurrectione disputat ad Marc. 12,24,26. & Actor. 15,24. Distinctio Usus vindicatorii & refutatorii magis manifestus est in locis, quibus Adversarii ad errorem suum abutuntur; ibi enim vindicatio ut necesse, ita sufficit, nisi quoque ex loco contra illos disputatio concedatur.

IV. Observanda in usu elenctico, & disputatione concionum hæc sunt. I. Ne hæreses, vel errores antiquos, ignotos, incertos referamus, aut illa, quæ nefanda & blasphema, neque sciri populo expediat, & horrore suo offendunt magis, quam ædificant, imprudenter proferamus. Neque etiam subtilia & obscura tractentur, *ne moveamus quod auferre non possumus*, uti concinnè monet Augustinus *de Doctr. Christ. lib.* 4. *cap.* 20. qualem agendi modum meritò in suis Polyd. Virgilius, de invent. lib. 5. cap. 9. *confutatio est* inquit, *argumentorum contrariorum dissolutio, qua nostri Theologi in suggestis sermocinando nonnunquam utuntur, magis ad ostentationem doctrinæ, quam ad utilitatem*, & quæ addit, ibi vide. II. Ne nimiùm, vel per totam fermè concionem, & quotiescunque concionamur, neque etiam libenter disputemus, quidlibet in controversiam facilè arripientes; sed ut qui non nisi coacti ad pugnam descendunt: neque enim hoc officii nostri per se est, sed per accidens, & ut Amesius benè loquitur: *controversiarum scientiam necessariam nobis fecerunt hæretici: sed studium pietatis, ut absolutè necessarium, Deus ipse mandavit.* In parænes. post *casus Consc.* quem locum,

cum, ad rem hanc apprimè facientem, omninò videas volo. III. Citra privatos affectus, odium, iram, vel contentionem disputatio sanctè, pro veritate non pro gloriâ instituatur; nunquam acriùs in hæreticos & errores, quam in morum vitia & peccatores invectus; videris alioqui non ita veritatis & conscientiæ, aliorumque convertendorum studio, quam quidem tui vindicandi, & explendi animi causâ egisse. Vide Ames. cas. cap. cit. *qu.* 14. & medull. cap. cit. §.40. Director. Anglic. cap. cit.

Quær. An hæreses cum suis Auctoribus & scriptis semper distinctè nominandæ sint? *Resp.* Non cum suis Auctoribus, & scriptis, nisi necessitas id postulet, & illam eorum sententiam esse probari hoc pacto necesse sit: alioqui enim tantum illis, ut pro concione nominari mereantur, concedi nolim.

V. Sequuntur *usus Practici*, qui faciunt. I. Ad *informationem*, & directionem in praxi, ubi consulitur, quid agere hoc vel illo statu conveniat. Deinde, ad *admonitionem*, ut hoc agamus, & alterum caveamus: duplex ergò est, continetque *adhortationem*, & *dehortationem*, vel triplex potius, ut comprehendat quoque *reprehensionem*, quando officio in alterutro, vel utroque desumus. Tertiò ad consolationem, voce consolationis generalius sumptâ.

VI. Primò *Usus informationis Practicæ*, vel *directionis* est axioma vel conclusio ex Documento Theologica, dicens, quid ergò in vitæ praxi nos conveniat *observare*, & *agere* vel *cavere*, atque talis usus plerumque exsurgit ex Documento Dogmatico, vel (si ita velis dicere) Theoretico, ante admonitionem, cujus fundamentum est hic usus, & ad illam via. Puta, documentum sit: *Deus est ubique præsens*, ex hoc Documento, præter usus dogmaticos, & elencticos, fluit primum hic practicus: *ergo ubicunque sumus, Deum semper præsentem habere necesse est*,

est

est instructio ad praxin. Neque ille est usus admonitionis accurrate loquendo, sed is sequitur: *Ergo id agamus sedulo, ut semper ita coram Deo præsenter ambulemus.* Distincta illa sunt, illud instruit de officio, hoc excitat ad officium: neque est quod dicas, ejusmodi instructionem ad usus Dogmaticos spectare, quia judicium informant, non enim id, quod judicium informat, id eo omne ad dogmatica, ut Practicis contra distinguuntur: sed proximus finis, quo quidlibet spectat, differentiam hic facit, nempe si referatur ad informandum judicium de veritate aliquâ, an immediate de praxi. Illud discernet Usum hunc à Dogmaticis, & simul liquet, quo distinguatur ab usu admonitionis; nam admonitionem ducit, hancque continet pænè eo modo, quo de Documento diximus, Usus virtualiter & proximè in Documento contineri. Hoc enim semper hic videndum, ne saltus committatur, sed omnis progressus certò instituatur per conclusiones, quæ quot occurrunt, totidem quasi gradus fiunt. Nempe *Deus est ubique præsens*, hoc documentum. *Ergo vera est doctrina, quam Ecclesia docet de divinæ essentiæ omnipræsentiâ.* Hic usus est documenti dogmaticus ad Confirmationem. Porrò, *Ergo male docent hæretici loca illa de omnipræsentiâ Dei non intelligenda esse de ista Dei omnipræsentia, vel hanc doctrinam calumniantur.* Usus ad vindicationem. Ulterior Conclusio, & usus ad *Confutationem: Improba ergò Hæreticorum est sententia, de omnipræsentiâ Dei solum secundum virtutem & imperium, exclusa essentiâ.* Nam &c. Usus ad praxin: *Ergo ubicunque simus, Deum præsentem habere necesse est*, non aliter &c. Conclusio inde ulterior: *Eja ergo hoc agamus, & Deum sic semper præsentem gestemus, intueamur, &c.* Viam ergo ad admonitionem proximam sternit Usus instructionis, quo instruimur ad praxin, ut illo admoneamur, est-

que

que usus, quem Apostolus vocat πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, usus παιδευτικός. Sic, quando Documentum est de vitio aliquo V. g. *Infidelitatem esse gravissimum peccatum*. Usus informationis practicæ est. *cavendam maximè esse infidelitatem.* Ad quod sequitur tum dehortatio. Quamvis sciam, plerumque hæc confundi, vel omitti solere, ob arctam utriusque communionem, vel temporis causà: distingui tamen patuit.

VII. *Usus Admonitionis* (voce admonitionis latius sumtâ, ut illud Apostoli quoque πρὸς ἐπανόρθωσιν,) tria nobis, sicuti diximus, complectitur. I. *Adhortationem*, & hic ad virtutem, atque virtutis exercitium, homines excitantur. Hebr. 3, 13. *Verum exhortamini vosmet, donec dies vocatur, &c.* & cap. 10. 22. Ephes. 5, 17. Præter adhortationem duo hic potissimum consideranda veniunt. I. *Motiva*, quibus ut stimulis adhibitis quis acriùs excitetur, & II. *Media*, quibus quis ad id pervenire studeat, & queat, ad quod adhortatur, quodque excitatus jam velit.

Motiva quæcunque adhibentur, sunt duum generum, *rationes*, & *exempla*. Rationes judiciosè hic distingui debent ab iis, quæ allatæ sunt ad probandum documentum, & uti ibi diximus in illis assignandis plerumque peccari, ita hic adhuc magis, vixque nisi sedulâ attentione, exacto judicio & usu id addiscitur, quomodo & quæ rationes utrobique adferendæ sint & distinguendæ: ideoque cavendum, junioribus potissimum, ne hic nimium liberales sint, (uti fere solent quando ad hanc methodum concionari incipiunt) in adferendis rationibus, & motivis designandis. Hoc distinctionis inter utrumque est, licet motiva quoque rationes appellemus, (quia utraque arguunt,) quod rationes Documenti ex natura rei docendæ, & in Documento tractandæ ducun-

ducuntur; motiva verò ex ratione nostri, & relatione, ac respectu quam res præstanda ad nos, quos adhortamur, proxime habet. v. c. illud est verum, vel bonum, ob rationes quas ipsa rei istius natura fundit, & dictat: Hoc vero nobis agendum, quia ita nobis id perquam necessarium est, & conducit: quare hic maximum usum habent argumenta ducta ex necessario, utili, decenti, honorifico, jucundo &c. ut mittam circumstantias temporis, Hebr. 10, 25. 1 Pet. 4, 3. loci, personarum, nos, & quos adhortamur, propriè tangentes. Vide Hebr. 3, 13, 14. *Verum adhortamini vosmet &c. Nam participes facti sumus Christi, nempe si initium hypostasis usque ad finem firmum tenuerimus.* Motivum ex decenti, & necessario, Phil. 4, 8. Heb. 12, 14. & 13, 13, 14, 16, 17. & 4, 14, 15, 16. Ephes. 5, 16. Deinde & *exemplorum* hic proprius locus est, ut quibus homines maxime percelli ac moveri solent. Heb. 2, & 13, 1, 2, 3. quæ exempla ex sacris, Ecclesiasticis, & Profanis etiam adferri possunt, ut maxime animos moveant, ac persuadeant. Non minor cautio in *mediis* proferendis adhiberi debet ac judicium, nempe ut sint I. Certa, quò qui illa observet, etiam virtutem assequatur: quorsum enim alias fecerint? II. Proxima, quæ ad illam virtutem, proprium & specialem respectum habeant, ac causalitatem: ne proferas generalia illa, precari, audire Dei verbum, &c. bona quidem illa, sed non distincte media sunt nisi communia, & si semper æquè adferri possunt, nisi quando de tali agitur virtute, quam propiori quâ ratione spectant, & tangunt, tum ritè ut media convocantur. Mediorum quoque usum Christus docet Joan. 6, 21. *dixerunt autem ei, quid faciemus, ut operemur opera Dei? respondit Iesus, ac dixit illis? hoc est opus Dei, ut credatis in illum, quem ipse misit.* Adde Joan. 14, 5. Heb. 12, 15.

Mich. 6, 6, 7, 8. Psal. 151, 2. &c.

Præter motiva, & media veniunt hic quoque *Modi*, qui sunt qualitates & rationes, docentes quo modo & qualiter illas virtutes observare debeamus, petunturque ex virtutis, de quâ agitur, propriis affectionibus. Heb. 13, 3. *memores sitis vinctorum*, ac quomodo? *ut quoque vincti. Eorum, qui malè habent, ut qui ipsi quoque in corpore adhuc estis*, Ephes. 5, 15. *Videte, ut accurate ambuletis non ut insipientes, sed sapientes.*

Observandum hic illud unicè venit, ut jam Concionator moveat, & ὡς ἐξουσίαν ἔχων Matth. 7, 29. & ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως 1 Cor. 2, 4. loquatur, agat, concitetque. Nihil hic præterea attendat, nihil curet, ubi omnis concionis, & ejus quod ante dictum vis contracta, accensa, & in attentionem devota omnia, quam movere, & moveri. Isque optimè concionatus est, tum ex judicio Dei, tum Ecclesiæ, qui efficacius moverit. Huc facit I. Auditores jam crebrius interpellare, alloqui, attentionem & animos eorum iterum vellicare, pungere & erigere, cum omni instantiâ, efficaciâ, longanimitate, simul comiter & graviter ἵνα δῷ χάριν τοῖς ἀκούουσι Eph. 4, 29. 2 Tim. 2, 25. & 4, 2. Ita & Bucholtzerus apud Keckermannum *Rhetor. Eccles. pag.* 49. judicat, modum conquerendi, obtestandi, gemendi, exorandi, idque ex animo, & omni sensu, hic optimum esse. 2 Cor. 5, 20. *Ut Dei per nos admonentis, precamur Christi causâ.* Psal. 135, 9. *contra te ô Ægyptus* 1 Joan. 2. II. Repetere, & sæpius inculcare adhortationem. Hos. 2, 2. *Contendite cum Matre vestrâ, contendite.* Marc. 13, 33. *videte, vigilate, orate.* 35. *vigilate ergo.* 37. *quod vero vobis dico, vigilate.* Aliis, atque aliis, verbis idem proponere, & urgere,

Marc.

Marc. xii, 14. Auguſtin. de verbis Dom. ſerm. 63. *Tenete quod audiſtis, breviter replico, & rem utiliſſimam quantum exiſtimo mentibus veſtris collocandam committo.* Bernardus: *nam iteratio, affectionis expreſſio eſt.* ſerm. 61. in Cantica.

VIII. In *Uſu dehortationis* eodem modo proceditur, niſi quod hic dehortemur homines à vitiis, & peccatis. Eph. 5; 18. *Et ne inebriemini vino.* Hebr. 10, 35, & 3, 13. *videte fratres, ne quando in aliquo noſtrum ſit cor pravum infidelitatis.* Hic ſimiliter locum habent motiva per *rationes* Eph. 5, 18. *vino, in quo eſt temulentia.* Hebr. 10, 35, 36. Et per *exempla* Hebr. 12, 16. *Ne quis ſit ſcortator, aut profanus, ſicuti Eſau.* Verùm, quod, in uſu adhortationis ſunt media, hic *remedia* dicuntur, quia de expugnando & repellendo male agitur, ut Marc. 12, 9. *quid ergo faciet Dominus vineæ?* adde Hoſ. 2, 5. Quo etiam faciunt *cautiones*, quibus ſibi quis cavet ab iis, quæ in malum queant ipſum deducere. Jeſ. 7, 4. *cave tibi ut ſis quietus, ne timeto &c.* Deut. 4, 9. *tantum cave tibi, & ſerva teipſum valde.* Luc. 21, 34. In cautionibus ejuſmodi adhibendis diligens eſt, & eminet inter Concionatores Anglicos Thomas Gataker.

Quær. Uter uſus in tractatione debeat præcedere, an adhortationis, an dehortationis? *Reſp.* ſi documentum ſit de virtute, uſus adhortationis, quia ille proximus eſt; ſi de vitio, dehortationis uſus, ob eandem rationem. Non quod ſemper & ubique uterque uſus adhibendus ſit, ſed quando conſultum videtur utrumque tractari.

IX. *Uſus reprehenſionis* eſt, ubi ex textu & documento textus objurgantur homines de non præſtito officio, ſive erga virtutem, ſive contra peccatum. 2 Tim. 4, 2, 3. *Prædica verbum, inſta opportunè, importune: redargue, objurga &c.* Et hic maximè uſu convenit ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ; *neque enim*

nim accepimus spiritum timiditatis, sed potentiæ, & amoris & temperantiæ. cap. 1. 6. 7. Hebr. 5, 12. Matth. 3, 7. &c. & 23. Gal. 3, 1. Vel in jure Canonico est 1. dist. 45. ca. sed illud: *In populum ira Dei desævit, cum Prædicator delinquentes palpat, & non corripit.* & 1. dist. 86. ca. Inferiorum: *Negligentiæ Rectorum imputantur culpæ inferiorum.* Reprehensio debet fieri. I. Generaliter ἄνευ προσωποληψίας, in quoscunque peccantes, omnia vitia, vel in Regem 2 Sam. 12, 1. 1 Reg. 18, 18. & 21, 20. Ambros. lib. 5. epist. de Theodosio: *Dilexi virum, qui magis arguentem, quam adulantem probaret,* & orat. in Auxentium: *Respondi ego quod sacerdotis est; quod imperatoris est, faciat Imperator. Prius est, ut animam mihi, quam fidem auferat.* Vide de Mari episcopo Julianum increpante, Socratem *histor. lib.* 3. *cap.* 12. Et *lib.* 6. *cap.* 5. de Chrysosthomo: *& alium quoque ex Primoribus aliam ob causam multa cum libertate reprehendit, propter quam multis exosus erat.* Gregorius in Pastorali par. 2. cap. 4. *Sæpe namque Rectores improvidi, humanam amittere gratiam formidantes, loqui libere recta pertimescunt: & juxta veritatis vocem nequaquam jam gregis custodiæ pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt: quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt.* II. Reprehendi & notari debent vitia particularissimé; non quidem exponi, ut doceantur, sed castigari, ut omittantur; in generalibus hærere neutiquam sufficit, dum in specialibus se obducere homines, solent & vitia quo fuco pallíant, eo excusant; atque pauciores gravia illa ac enormia peccata committere videri volunt, propterea que se nec tangi, quando de iis in genere sermo; magis τὰ κρύπτα τῆς αἰσχύνης confundenda sunt, & peccatorum larvæ detegendæ, quo redargutio nostra certiùs & intimius pungat, moveat, corrigatque: & sanè, dum subtiliores quotidiè peccandi viæ

excogitantur, & patrocinia, profundiori examine & inquisitione opus hic esse quoque dubitare nemo potest: ipsam cordis arcem, peccati progressus, schematismos, exceptiones, defensiones subtiliores quasque maxmè impetere necesse est, & curare Marc. 7, 6. *Benè de vobis hypocritis concionatus est Jesaias.* Qui tamen sibi neutiquam videbantur hypocritæ. Apoc. 2, 4. *Verùm habeo contra te &c.* vers. 14. Lege & attendissime relege Ezhech. cap. 13. contra eos, qui leviter populo imponunt, dum non sincerè corripiunt; atque adde, si placet gravissimam Boltoni contra tales dissertationem in *Instruct. consol. Anglice. pag.* 150. *&c.* Origenes in Genes. Homil. 10. *asperior fortaße vobis videar, sed non possum linire parietem lapsantem.* Tertullianus: *nullis veternis parcor, nulli impetigini,* de Pallio. Vide & Jus Canonic. 1. *dist.* 46. *cap. sunt nonnulli.* Mich. 2, 2. III. Reprehensio libera sit, ex animo non timido, non pusillo, sed virili, sancto, & cœlesti, qui inferiora omnia despiciat. Ex Ambrosio id citat Hincmarus Rhemensis epist. 5. cap. 1. *Non est Imperiale, libertatem dicendi negare: neque Sacerdotale, quid sentias, non dicere.* cap. 2. *Igitur dicamus liberè Domini Sacerdotes, quæ dicuntur notabilia, & reprehensibilia de Rege nostro.* Salvianus lib. 5. de provid. *Nam aut tacent plurimi eorum, aut similes sunt tacentibus, etiamsi loquantur, & hoc multi non inconstantia, sed consilio, ut putant, atque ratione. Exertam enim veritatem proferre nolunt, quia eam aures improborum hominum sustinere non possunt: nec solum refugiunt, sed etiam odiunt & execrantur.* IV. Prudenter tamen adhibeatur. 1 Tim. 5, 1, 2. in quem locum egregiè Calvinus: *Ubi objurgationes sunt faciendæ, summa lenitas adhibenda est, ut intelligat auditor, agi de merâ ejus salute. Nam qui acerbiùs increpat, videtur & odisse, & stomachum petulantius velle effunderere; præterea nihil difficilius est, quam ubi incaluimus,*

 modum

modum ponere nostro fervori: jam vero ubi nos capit impatientia, sine profectu contendimus; præterquam enim quod ludibrio est nostra asperitas, etiam irritat populi animos. 2 Tim. 2, 24, 25. Hebr. 13, 22. 1 Joan. 2, 12, 13. Gregor. Pastoral. part. 2. cap. 10. *Nonnulla autem vel aperte cognita, mature toleranda sunt, cum videlicet rerum minime opportunitas congruit, ut aperte corrigantur. Nam secta immature vulnera deterius infervescunt, & nisi cum tempore medicamenta conveniant, constat procul dubio quod medendi officium amittant.* Et per totam tertiam partem hoc agit, ut doceat, quomodo aliter hi, aliter illi admonendi sunt: *Ut enim longe ante nos*, inquit in prologo, *reverendæ memoriæ Gregorius Nazianzenus edocuit, non una eademque cunctis exhortatio congruit, quia non cunctis pars morum qualitas astringit. Sæpe namque aliæ officiunt, quæ aliis prosunt.* Adde Bernard. serm. 44. in Cantic. Augustinum, vel quicunque Auctor. lib. *de Ovibus cap.* 8. Hinc & illud Zwinglii dictum, quod in concione nonnunquam usurpabat: *frommer man, Nims dich nit an.* Melch. Adamus in ejus vitâ. V. Quin & pro rei gravitate acrior sit reprehensio, atque cum sanctâ severitate haud leviter pungens. Jes. 58, 1. 1 Tim. 5, 20. & 2 Tim. 4, 2. Marc. 8, 17. *Nec dum cognoscitis, neque scitis, adhuc cor vestrum habetis obduratum?* 1 Cor. 3, 1, 3. Gal. 3, 1. &c. Ne adulatio veriùs videatur quam reprehensio, vel ut inquit Nilus Abbas in Asceticis: *ne illis adulemur, qui ea complectuntur, quæ nos despicere professi sumus.* Chrysosthomus advers. Judæos orat. 5. in fine. *Adhæc vos singulis concionibus adhortari non cesso, sive mentem adhibeatis, sive non adhibeatis, ego dicere non desinam. Nam hanc legem nobis Deus præscripsit, ut sive audieritis, sive non audieritis, hoc ministerium impleamus. Etsi quidem audieritis ea quæ dicuntur,* & quæ seq. Adde Ambros. serm. 86. n. jure Canonico 1. dist.

86. can. 5. *Veniam à subditis non petat, qui in corripiendo modum excesserit.* Vide & Cæsarii Arelat. homil. 8. in Bibl. P. P. & Nazianzeni Orat. in Julianum.

X. *Usus Consolationis* est, quo animus adversus mala hujus vitæ sive spiritualia, sive corporalia ex textu, vel Documento textus confirmatur, & bono contra recreatur, ac lætatur. Jes. 60, 1, 2. *Consolamini, consolamini populum meum, dicit Deus vester.* & cap. 1. 4. *Dominus Jehova dedit mihi linguam eruditorum, ut sciam tempestive eloqui defesso verbum.* Phil. 2, 1. 2 Thess. 5, 14. Hebr. 6, 19. Rom. 15, 4. Quâ autem ratione, & modo debeamus consolari, diximus disp. *de consolatione.*

In hoc usu, ut quoque in usu observationis practicæ peculiarem locum habent *Signa*, quæ sunt argumenta status nostri spiritualis. Joann. 13, 35. *In eo cognoscent omnes quod mei discipuli estis, si vos mutuò diligatis*; & in epistolâ Joannis primâ eorum ratio ac usus satis fit manifestus. 1 Joann. 1, 6, 7. & 2, 3. *In eo scimus, quod illum cognoscimus, si præcepta ejus servemus*, vers. 4, 5, 9. cap. 3, 7, 10. *In eo manifesti sunt filii Dei & filii Diaboli: quicunque non operatur justitiam, non est ex Deo, & qui fratrem suum non diligit*, vers. 14. *Nos scimus, quod ex morte transivimus in vitam, quia diligimus fratres.* vers. 19. cap. 4, 2, 6, 8. 13, 20. *Si quis dixerit: Deum diligo, & odit fratrem suum, mendax est: qui non amat fratrem suum quem vidit, quomodo poterit Deum diligere, quem non vidit?* cap. 5, 2, 3. Ita continuò ex amore mutuo & observantiâ præceptorum Dei ut certissimis signis, argumentum ducens ad veritatem status nostri spiritualis. Adde Marc. 13, 28, 29. Deut. 18, 21. Psal. 15, 1, 2. &c. & Luc. 1, 18. Illud unice & graviter hîc monendum est, ut summo cum judicio ac cautione signa adhibeantur, non facilè, non negligenter: haud

ſanè levis illa res eſt, judicium ferre de alicujus ſtatu & ſalute, ejuſque ſigna adferre. Cave pecces hic, graviſſimè enim in te, ac illos, quos inſtruis, delinqueres. Juniores hoc præcipuè moneo, qui communi indolis vitio ad difficiliora impotentiùs ſolent æſtuare; ergò hanc partem omittas potiùs, quam non ſolidè & verè tractes, quæ maximè maturum judicium, ac praxin depoſcit. Neque multa ſigna adferas, quum res tanta haud facilè multa ferat; neque ſemper, gravior enim res eſt, & ſanctior, quam ut vulgò audiatur. Planè ut in Medicis, ita hic, ſigna vel ex rei naturâ petuntur, vel ex cauſis, vel ex effectis. Vide Sennertum *Inſtit. Medic. lib.* 3. *part.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 3. *de ſignorum fontibus*; ita & hic res ſe habet. V. g. fidei ſigna apud Practicos petuntur, vel ex naturâ fidei, vel cauſis fidei, quo pacto fides nobis ingeneretur, vel ex effectis; inter quæ, illa, quæ ex effectis manifeſtiora ſunt, uti Verulamius in Novo Organo loquitur aphor. 73. *Inter ſigna, nullum magis certum aut nobile eſt, quam quod ex fructibus.* Quare hujus generis ſigna ut tutius, ita libentius premas, atque explices; ſed vide, ſint certa, ac reciproca, ſtatum meum infallibiliter concludentia, ne ſanguinis & animæ te imprudenter reum feceris.

XI. Hic Documentorum & Uſuum ordo, non eò facit, ut velimus, ſemper & pro quaque concione illa omnia iſthac ratione adferenda eſſe, vel ut putemus quemlibet iſti methodo alligatum eſſe, neutiquam, ſed ut in genere, quæ nobis exactiſſima videatur concionandi ratio, doceamus, quam quivis ſequatur prout ſtatus & ædificatio Eccleſiæ ſuæ videbitur potiſſimum poſtulare. Sunt qui de veritate, alii & plerique de praxi magis inſtruendi ſunt, hi exhortandi, illi conſolandi, & ſic præcipuè attendendum, quid ſtatus Auditorum ferat, de quo ſollicitè

cavet

cavet Petkinſ. *de rat. conc, cap.* 7. & Teling. *neceſſ. demonſtr. pag.* 122. Solùm caveatur, ne temerè quælibet confundamus, nihili penſitantes quo quid ordine dicatur, ubi neque conſcientiæ tuæ, neque Auditoribus facis ſatis, vel ne divagemur extra omnem textus aut methodi rationem, ne dicatur, quod Bernardus: *at fortaſſe aliquis mihi dicat: bene admones, ſed ſi ea diceres, quæ tuo propoſito convenirent*, ſerm. 13. in Cant. Nullibi hoc, minimè autem in tam ſanctâ actione probari poteſt. Vide Ameſ. *medull. cap. cit.* §. 20. Teling. *pag.* 131. Director. Anglic. (quæ tria ſcripta de ratione concionandi præſtantiſſima ſunt, & præ multis commendo,) *cap. de conc. verbi* inquit, *quamvis id Concionatori videatur ſatis moleſtum eſſe*, ut ſc. Documenta ad uſus referat ritè, & conſcientiis applicet: difficile agnoſcens, ut ſanè eſt, quando non perfunctoriè, ſed dignè illud inſtituitur.

Quær. An in concione ars occultanda, an verò omnium oculis aperte detegenda? *Reſp.* Quum potiſſima Eccleſiæ pars, ſi non omnis, ſimplicior ſit, & illitterata, quumque quo magis omnis concio retineri poteſt, eo magis quoque ædificet; judicamus, quo apertius hic conſtet concionis cum materiâ & forma, eo melius, contra Oratorum regulam, *artis eſt celare artem*, quod non ita hic & omninò verum, ubi concio à vanitate oratoriâ longius amat diſcedere, & diſcrepare. Et ſic quod Telingius pag. 131. cenſet.

XII. *Ad concluſionem*, aliquando *anacephalaioſis* adhibetur, ſæpius non: neque etiam Rhetores ſemper eam neceſſariam arbitrantur. Pro rei pondere, ac Eccleſię neceſſitate hic agendum. Heb. 8, 1. κεφάλαιον *dictorum, talem habemus ſacerdotem ſummum. qui ſedet in dextra throni Majeſtatis in cælis.* Auguſtinus ſerm. inter Homil. PP. pag. 24. *Sed ut*

hæc, quæ suggessimus, sensibus vestræ charitatis tenacius inhæreant, breviter quæ dicta sunt, iteramus. Et Bernard. serm. de Clemente Papa: *Ergo ut breviter repetam, prima &c.* Alioqui abrumpere nonnunquam cogimur, Bernard. serm. 61. super Cant. *Rumpamus sermonem, nec enim potest finiri modo: ne sit sine modo, si cuncta quæ adhuc ex proposito capitulo restant, uno isto velimus sermone complecti.* Vel aliquod dictorum summarium adhibemus modo, & sic concludimus, ut Joan. 20, 31. Et sic Ecclesiastes cap. 12, 13.

XIII. Antiquissimus, & probatissimus ille mos est *finiendi* in *doxologiam*, quâ vel simpliciter Deo laus dicatur & honor, vel quoque à Deo petatur ejus gratia ad ea, quæ in concione edocti simus. Ita plerumque finiunt epistolæ Apostolicæ. Rom. 16, 24, 25, 26, 27. 1 Cor. 16, 23. 2 Cor. 13, 13. 1 Thess. 5, 23. 2 Thess. 3, 16, Hebr. 13, 20. 1 Pet. 5, 10. Neque aliter Patrum conciones. Origines Homil. 2. in Genes. *Omnipotentis tamen Dei misericordiam deprecemur, qui nos non solum Auditores verbi sui faciat, sed & factores, & inducat super nostras quoque animas diluvium aquæ suæ, & deleat in nobis, quæ scit esse delenda, & vivificet, quæ judicat esse vivificanda, per Christum Dominum nostrum, & per Spiritum suum sanctum. Ipsi gloria in æterna sæcula sæculorum. Amen.* Atque ità passim definit: *cui gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.* Sic quoque Basilius, Augustinus, qui & votum sæpius addit, *quam misericordiam faciat vobis Deus, Amen,* aut simile. *Cætera, quæ addenda sunt, ut superficiatur sensus vester, à Domino quærite.* Bernardi formula est: *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Cæsarii Arelatensis: *Qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum.* Scilicet, ut Apostolus monet 1 Cor. 10, 31. *sive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Lutheri illud erat monitum, ut

ut tum finiret Concionator, quando populum cerneret attentissimum, quo sc. alacrior postmodum iterum rediret.

Caput Sextum & Ultimum.

I. HActenus Concionem *formavimus*, & uti in initio dictum, omnem concionandi rationem consistere in recte formanda concione, & habendâ, sic jam de eo agendum venit, quomodo ea, quam composuisti, ita quoque, id est, bene *habeas*. Duo autem maxime cosideranda, quid observare Concionator debeat. I. Ante concionem. II. In concione. Addit Telingius tertium, quomodo & post concionem, quod ibi vide, *necess. demonstrat. pag.* 137. & Ames. *Cas. loc. cit. qu. ult.*

II. *Ante concionem*, quemadmodum de vitâ Concionatoris non necesse est iterum monere, sancta ut sit, ita nec de studiis, ut primum rite didicerit, quæ alios doceat. 1 Tim. 5, 13, 15, 16. Ambros. Offic. lib. 1. cap. 1. *Unus enim verus Magister est, qui solus non didicit, quod omnes doceret. Homines autem discunt prius, quod doceant, & ab illo accipiunt, quod aliis tradant.* Ad hoc autem, quod jam unice agimus, illud magis facit ut se digne præparet Concionator ad Concionem mox habendam.

III. *Præparatio* hæc post compositam concionem, ad eam habendam, consistit in tribus. I. Ut benè imprimat memoriæ. II. Magis adhuc animæ, id est, sibi primum illa applicet, quæ alios docere studet. III. Maximè Deo commendet, id est precetur, & precibus id à Deo obtineat, ut sibi fuis-

que

que dignè agat, & cum fructu, ad honorem Dei omninò & omnia.

IV. *Memoriæ* imprimat, ſed non hoc ſolum, ne concionem videatur habere, ut pueri orationem, ex memoriâ magis, quam ex animo, quod eſt recitare, non agere; attamen & memoriâ probe teneat, quemadmodum Iudæi de Sacerdote M. referunt, qui ſe pridie & nocte ad diem propitiationis diligenter præparare ſoleret, ac perpetuâ cum ſtudioſis ſuper ſacrificiorum negotio diſputatione, & expoſito ordine, quo vellet mane oblationes omniaque fieri, memoriam ſic ſuam exercebat, ne (quod grave piaculum æſtimabant,) in ipſo die ſacro alicubi erraret. *Animo* autem ſuo maturè & integrè docenda applicet, ne alios docens ipſe ἀδόκιμος ſit, ac ſeriâ & ſanctâ meditatione ſibi ante loquatur, quam aliis, ſe commoveat & tum reliquos. Rectiſſime Proſper Aquitanicus de vit. contemplat. lib. 1. cap. 33. *Lachrymas, quas vult à ſuis Auditoribus fundi, ipſe primitus fundat, & ſic eos compunctione ſui cordis accendat.* Et Bernhardus ſerm. 59. in Cant. *Exemplum ſane tum in aliis multis, tum vel maxime hoc in negotio verbo efficacius eſt. Dabis voci tuæ vim virtutis, ſi quod ſuades, ipſe tibi perſuaſiſſe cognoſcaris.* Inter Martini Dumienſis epiſcopi ſententias, vel in libro ejus de moribus, in bibl. Patrum, & hoc eſt: *Quicquid dicturus es, antequam aliis dixeris, tibi.* Ideoque illud probatis Concionatoribus ſemper eſt in more, ut habendam coram populo concionem primum ſibi, ſuoque animo funditus applicent, ac perſuadeant, atque inde ad populum agant, ſic melius obſervaturi illud Bucholceri, Concinatorem concionari debere ex praxi ſuâ, & auditorum: atque hinc maxima concioni venit efficacia, & Concionatori Zelus. Gregor. *Non enim inflammare verba poſſunt, quæ frigido pectore proferuntur.* Adde Ameſ.

aſ. cap.' cit. qu. 13. Teling. *lib. cit. p.* 124. quum ontra alias graviſſima, & affectuoſiſſima etiam ſine ebitâ commotione & fructu ſæpe abeant, quando x ore, non animo dicentis veniunt, & non commotum prius Doctoris animum arguunt. Hieronymus piſt. ad Nepotianum egregiè: *Delicatus magiſter eſt, ui pleno ventre de jejuniis diſputat. Accuſare avaritiam latro poteſt. Sacerdotis Chriſti os, mens, manuſque oncordent.*

V. At verò præcipue *precatur*, inſtantiſſime, & mni fervore, quemadmodum ante ſtudia, ut dicen- & componenda inſpiraret ei Deus, ſic jam mane, ut quam concionem ei dedit recte formare, orro benedicat & perficiat, hocque largiatur, ut ebito modo, animo & geſtibus, vi ac demonſtrane ſpiritus ita agat ad Eccleſiam, ut omnes viviſſime ſentiant, commoveantur, ac ſanctiſſimè obvent quod Deo per miniſterium ſuum in cone placuerit exponere. Hoc precatur privatim, publicè; nam ipſe duplicem perſonam quum at, erudiendus ut ſit juxta alios, illoſque ſimul turus, tanto diligentius neceſſe habet hæc orare Deo, & impetrare. Auguſtin. de doctr. Chriſt. 4. cap. 30. *ſive autem apud populum vel apud quo dicturus; ſive quod apud populum dicendum, vel is qui voluerint, aut potuerint legendum eſt dictatu- oret ut Deus ſermonem bonum det in os ejus*, Luthe- *bene oraſſe, eſt bene ſtuduiſſe.*

VI. *In Concione*, ubi actio, duo conſideranda. I. cutio, pronunciatio, vel *ſermo*. II. *Geſtus*. In none, ut loquatur *recte* Marc. 7, 35. Matt. 10, 19. ἤ τί λαλήσητε. De dicendi genere conciona- agit Auguſtinus lib. 4. doctr. Chriſt. ferme totum. *Si eloquenter vult dicere*, inquit cap. 26. *re debet, ut intelligenter, ut libenter, ut obedien- udiatur* Sermo ejus. I. Sit clarus, perſpicuus,

&

& diſtinctus. Ezr. 7, 9. Hab. 2, 2. Auguſtin. cap. 10. iſtius *lib. quid enim prodeſt locutionis integritas, quam non ſequitur intellectus audientis*, &c. *Qui ergo docet, vitabit omnia verba, quæ non docent.* & cap. 12, 11. Patheticus, movens, penetrans. Auguſtinus d. lib. cap. 24. *Non tamen egiſſe me aliquid putavi, cum eos audirem acclamantes, ſed cum flentes viderem. Acclamationibus quippe ſe doceri & delectari: flecti autem lachrymæ indicabant.* Hieronymus ep. ad Nepot. *Docente te Eccleſiâ, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur. Lachrymæ auditorum, laudes tuæ ſint.* Elegantiſſima, & vere aurea ſententia. Similiter Proſper de vit. contempl. lib. 1. cap. 23. *non vocibus delectetur populi adclamantis ſibi, ſed fletibus, nec plauſum à populo ſtudeat exſpectari, ſed gemitum.* Bernardus ſerm. 59. in Cantic. *Illius Doctoris libenter audio vocem, qui non ſibi plauſum, ſed mihi planctum moveat. Vere turturem exhibes, ſi gemere doceas. Et ſi perſuadere vis, gemendo id magis, quam declamando ſtudeas oportebit.*

Quær. An liceat eloquenter, & oratorie dicere? *Reſp.* Re neglectâ, vel non ita attentâ plus verbis & verborum ornatui ſtudere, vel ita orationis floſculos, & ſententiarum elegantiâs ſectari, ut verba faciat præ rebus eminere, & attendi, eſt ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις; vel ἐν σοφίᾳ λόγου inanem reddere crucem Chriſti, & ſermonem crucis 1 Cor. 2, 4, 1, 17, 18. *Viro captare floſculos turpe eſt*, ait Seneca epiſt. 33. præcipue autem Theologo, & in tali actione. Proſper lib. cit. cap. 34. *Denique alia eſt ratio Declamatorum, & alia debet eſſe Doctorum. Illi elucubratæ declamationis pompam totis facundiæ ſuæ viribus concupiſcunt; iſti ſobrio uſitatoque ſermone Chriſti gloriam quærunt, Illi rebus inanibus pretioſa verborum induunt ornamenta: iſti veracibus ſententiis ornant, & commendant verba ſimplicia.* Alioqui maſcula illa, & nihil

nihil affectati vel vani habens, sed divina eloquentia, qualem in Iesaiâ, Iobo ac Paulo observare est, immo quali vel illustres mulieres induit Dei-spiritus, Deboram Judic. 5. Abigalem. 1 Sam. 25. ne de Mariâ dicam Luc. 1. cum rerum gravitate conveniens, eique subserviens, ut peculiare Spiritus S. charisma 1 Cor. 12, 10, 11. æstimanda est. Ames. *cas. cap. cit. qu.* 12. Adde Medull. *cap. cit.* §. 60. *&c.* Talis in Chrysosthomo, Augustino; Vide hujus lib. de doctr. Christ. 4. cap. 21. ubi de diverso loquendi genere, quo usi fuerunt Cyprianus, & Ambrosius, loquitur. Veteres ut mittam, talis in Calvino, Farello; Vireto eloquentia, nisi quod in illo præter eloquentiam ita summa eruditio eminuit, ut cui primas assignes, in ambiguo sit. Beza eleganti carmine trium istorum in concionando dona ita expressit, ut si in unum daretur ea simul cadere, perfectus is Concionator esset futurus.

Gallica mirata est Calvinum Ecclesia nuper,
Quo nemo docuit doctius,
Est quoque te nuper mirata, Farelle, tonantem,
Quo nemo tonuit fortius.
Et miratur adhuc fundentem mella Viretum;
Quo nemo fatur dulcius,
Scilicet aut tribus his servabere testibus olim,
Aut interibis Gallia.

VII. Vitia sermonis ut plurimum hæc sunt. I. Verbis plus attendere, quam rei; contra illud Augustini: *in ipso etiam sermone malit rebus placere, quam verbis*, lib. cit. cap. 16. II. μονότονον esse, vitium pæne omnibus primum incipientibus commune, si modò illis vitium dici debeat: quum pro rei naturâ, & concionis incremento sermo quoque se flectere, & augere debeat. Augustin. cap. 19, 21. III. Si vel breviores faciat periodos, vel justo longiores. Basilius in verba Mosis, *attende tibi*: *est enim ex natu-*

râ

debeat; cui junge Gregorium *Paſtoral. part.* 2. *cap.* 6. & *lib.* 26. *in Iobum, cap.* 1. In quorum commentariorum, ſive librorum fine ingenue ita ſubjungit: *Bona vero ſi qua divinitus accipiens dixi, meo videlicet vitio minus me dixiſſe profiteor. Nam ad me intrinſecus rediens, poſtpoſitis verborum foliis, poſtpoſitis ſententiarum ramis, dum ipſam ſubtiliter, radicem meæ intentionis inſpicio: Deo quidem ex ea me ſummopere placere voluiſſe cognoſco, ſed eidem intentioni qua Deo placere ſtudeo, furtim ſe, neſcio quomodo, intentio humana laudis interſerit.*

VIII. In *Geſtibus* hæc obſervanda. I. Ut ſemper ac perpetuo ſint graves, decori, ſancti. II. Ad rem, quam tractas, convenientes; id eſt, quemadmodum, de voce dictum, ut non iidem ſemper, ſed pro rei varietate alii atque alii, ſemper ſint congrui, III. In exordio nulli vel pauciſſimi, paulatim aliqui, in fine omnes nempe quos adhiberi convenit. Plura de his addere ſuperſedeo, quia facilia, & apud Rhetores, ubi de Pronunciatione agunt, copiosè explicàri illa ſolent. Cic. *ad Herenn. lib.* 3. *&* 4. Et *de Oratore lib.* 3. Quintil. *Inſtit. Orat. lib.* 10. *&* 11.

IX. Hactenus de concionis qualitate quaſi, jam & de quantitate aliquid addendum, ſive *quamdiu* concionandum, & *quoties*. Ut nimium breves, ita quoque prolixiores conciones juſte reprehenduntur. *Brevis prædicatio, longa ruminatio, actio perpetua.* Beatus Huſſus in epiſt. ad quendam Sacerdotem, apud Foxum in Martyrol. pag. 817. *Concionare perpetuo, ſed breviter, & cum fructu, prudenter intelligens, & diſcretè diſpenſans S. Scripturas.* Tempus haud idem & conſtans definiri nequit, quamdiu concionandum, ſed pro re nata, & Eccleſiæ uſu agendum; videndumque ne nimia prolixitas tædium faciat, ſed abrumpamus & differamus potius, quæ concionem

ultra solitum & concessum tempus detinerent. Augustin. in Psal. 90. concione secundâ: *sicut non dubito meminisse charitatem vestram, qui hesterno die sermoni adfuistis, Psalmum quem cœperamus exponere, ne ad terminum perveniret, angustia temporis impedivit, & dilata est pars ejus in hodiernum diem. Hoc qui hæri adfuistis, recordamini, qui non affuistis, agnoscite.* Non minimam hic Auditorum quoque habendam rationem, significat Chrysosthomus orat. 4. adv. Judæos: *Verum quoniam tantum est dicendum, quantum auditer possit capere, nec omnia simul, nec acervatim, illis in aliud tempus dispensatis, hic sermonem finiemus, exhortantes vestram charitatem, memineritis eorum, quæ dicta sunt, & hæc illis, quæ prius dicta sunt, annectatis.* Alioqui per horæ spatium concionari solitos Patres observamus. Basil. in Psal. 14. secundum distinctionem Latinorum, sive *in reliqua, quæ super eodem Psalmo dicenda restabant, contra fœneratores*, ita exorditur: *Hesterna die super Psalmo decimo-quarto sermonem apud vos habuimus, quem sub horæ spatio absolvere nequivimus, nunc autem ut certi debitores, reliqua quæ restabant, libentes exsoluturi venimus.* Bernardus serm. 14. in Cantic. *sed hoc quoque alias. Nam etsi in promtu nunc essent omnia, & neque vos onerati, nec ego fatigatus essem, hora tamen finem inducit.* serm. 46. *Iam etiam, quid de sua consequenter charisma protestetur, bonum esset audire, sed hora non patitur.* serm. 83. *quantum quidem regularis hora permisit, quam nobis instituimus ad loquendum.* Atque illud justum habendæ concioni tempus videtur: *tantum enim unâ horâ facile dicitur, quantum totâ vitâ discitur.*

X. Silimiter neque id certo & universaliter definiri potest, quoties sit concionandum, verum officii & Ecclesiæ ratio hic leges ferunt. Singulis præcipue Dominicis concionari, ut justissimum, ita in omni

Eccle-

Ecclesiâ id apud Patres observatum videmus. Ambrosii conciones ita sæpius incipiunt, ab eo, quod *supriore Dominica* tractasset, serm. 2, 6, 15, 24, 29, 35, 43, 47, 85. &c. Idem de illo Augustinus in Confess. fatetur lib. 6. cap. 3. *Et eum quidem in populo verbum veritatis recte tractantem, omni die Dominico audiebam.* Baron. Annal. ad Annum 375. num. 24. Atque hoc injungit can. 19. synodi 6. in Trullo, ad quem vide quoque Scholia Balsamonis pag. 380. Potissimum bis in hebdomade Antiochenis suis concionem habebat Chrysosthomus, patet ex Homil. 24. vel sec. al. cod. 25. in Joann. Pueri, singulis diebus ad scholas aguntur, ἀλλὰ δύο μόνον τῆς ἑβδομάδος ἡμέρας παρακαλοῦμεν τοῖς λεγομένοις πρὸς βραχὺ τῆς ἡμέρας μέρος quamvis etiam quotidie nonnunquam concionatum fuisse legimus, Homil. ad Antioch. 13. *Ab eodem principio, & iisdem proæmiis, quibus heri & nudiustertius cœpi, & hodie incipiam.* De quâ homiliâ quoque Baronius late agit ad Annum 388. num. 13. Homil. 4. de pænitentia, inquit, *quartum jam diem hunc ad pœnitentiæ modum gregem hunc pascimus, neque vel hodie digredi paramus,* & Homil. 9. de pænit. Atque idem plerisque Patrum observamus, illos ferme quotidie concionatos fuisse, Ambrosius serm. 64. *quoniam hesterno die de latrone fecimus mentionem.* Basilius in Psal. 14. *Hesternâ die super Psalmo decimoquarto sermonem apud vos habuimus &c.*: immo, ut statim videbimus, quidem bis in die, Augustinus in Psal. 30. conc. secundam sic concludit: *Iam sufficiat charitati vestræ, quod restat in nomine Domini crastina die ipso adjuvante reddemus.* Conc. sec. in Psal. 33. *Qui hesterno die affuistis non dubito meministis pollicitationis nostræ.* In Psal. 34. conc. sec. *Quousque hesterno die disputatum sit, credo meminisse charitatem vestram, ex ipso loco hodie sumamus exordium.* Similiter in Psal. 50, & 68. conc.

 sec. &c

ſec. & in 90. conc. item ſecunda. De verbis Apoſtoli ſerm. 5. *Heſternam lectionem, de Sancti Apoſtol. Pauli epiſtola, qui ſermoni adfuiſtis, audiſtis, illa lectio ſequitur, quæ hodie recitata eſt.* & ſerm. 6. & 17. Bernardus ſerm. in Cantic. 80. *Quidam veſtrum (ut comperi) minus æquo animo ferunt, quod ecce jam per aliquot dies dum ſtupori & adminiſtrationi ſacramentorum inhærere delectat, ſermo quem miniſtramus &c.* ſerm. 14. *tenete, in quo attentos vos reddidi, ut non ſit cras neceſſe repetere.* Serm. 38. *quid igitur Dei ignorantia parturit? nam hinc incipiendum eſt, ſicut recordamini hic heri fuiſſe terminatum.* ſerm. 68. *Audite jam, quod heri diſtulimus.* ſerm. 83. *biduum hoc in demonſtranda verbi animæque affinitate expenſum eſt.* ſerm. 8. in eundem Pſalmum. Quin & bis ſæpe in die concionabantur, ita Baſilius, mane nempe & veſperi: Homil. 3. Hexaem, *Opera diei primi &c. oratio noſtra heſterno die in medium attulit. interpretationiſque bipertito diverſæ partem alteram matutinum alimentum, alteram veſpertinam lætitiam animarum Auditoribus obtulit, atque appoſuit.* Et ut ſcias coram populo illam habitam, ſubjungit: *at me non præterit, cum plures operarios artifices ex opera quotidiana ſibi victum comparantes, nos cingere, atque ſtipare, qui noſtram orationem brevem eſſe percupiunt, ne ſuis ab officiis longo tempore diſtrahantur.* Homil. 8. in fine: *Verum hic finis ſit hujuſce noſtri convivii matutini, ne ſatietas exuperans vos ad veſpertinas ſumendas epulas voluptateſque capiendas hebetiores efficiat.* Et ſic in initio 9. homil. *Qualeſnam ex vobis epulæ viſæ ſunt, quas in aurora vobis mea appoſuit oratio?* ſerm. 2. in divit. avar. *quæ dicta ſunt hodie mane, fratres dilectiſſimi, diligens auditor facile reminiſci poterit.* Quæ omnia eo ſpectant, ut praxin Veterum cognoſcamus, & diligentiam illorum in concionando obſervemus, ac ſimul æmulemur. *Verbum Dei uſque ad ipſam ſuam extremam ægritudinem*


impræ-

impraetermisse, alacriter & fortiter, sana mente, sanoque consilio in Ecclesiâ praedicat, inquit de Augustino Possidonius, in ejus vita cap. ult. Neque aliter Calvinus, qui, ut in vitâ ejus testantur Beza, ac Melchior Adamus, indefessus in concionibus, quae nobis divinos illos in Utrumque Testamentum commentarios dederunt. *Alternis hebdomadibus totis concionabatur, triduo vero docebat; singulis diebus Iovis Presbyterii cognitionem regebat, diebus Veneris in communi collatione scripturae, quam Congregationem ipsi vocant, justam paene lectionem habebat &c.* quare vel morti jam proximus, Amicis, ut saltem aegrotus ab omni scribendi vel dictandi molestia ulterius vacaret, ita vir maximus respondebat: *quid ergo, vultis me otiosum à Domino deprehendi?* atque ita de eo Thuanus lib. 36. *cum septennium integrum variis morbis ac cruciatibus conflictatus esset, nec minus propterea in munere suo assiduus, aut a continua scriptione abstineret. &c.* De Ivello, eruditissimo inter Anglos Theologo, idem in vita ejus narratur; quod Amico à concionando ipsum ob corporis imbecillitatem dehortanti, sic responderit: *oportet episcopum concionantem mori*, ad simile Vespasiani Imp. dictum procul dubio alludens. Marc. 10, 1: *quemadmodum solitus erat, iterum docebat eos.*


FINIS.



ADDITAMENTUM AUCTORIS.



T *maximum semper est Theologi studium, benè concionari: ita haud minimum studiosi negotium, artem ejus sacram probè addiscere. Nemo unquam est concionatus, qui non de ejus ratione sæpe cogitarit, & fideliter rem qui aget, attendit semper, quo pacto ad maximum Ecclesiæ fructum concio ejus possit institui. Eum in finem, ut cum studiosis nostris jam agamus, rectissimam ejus rationem nunc inquirere placet, & exponere. Quare commendamus non auctores modò, puta inter veteres, Chrysosthomum lib. 5. de Sacerd. August. de doctr. Christian. lib. 4. Gregor. M. in pastorali; inter recentes qui hac de re scripserunt, Erasmum, Hyperium, Keckermannum, Sohnium, (præter Pontificios, Granatensem, August. Valerium, Stellam, Peresium, Johannem à Jesu Maria. Polydorum Virgilium) Zepperum, Bucanum, Crocium, Hunnium, Joh. Gerhardum, Scultetum, Perkinsum, Weemsum, Granogerum, Amesium, Rich. Bernardum, Telingium, Alstedium, Walæum, Stresonem, &c. Quodque præcipuè indicamus,* Directorium cultus publici, *in Angliâ hoc anno authoritate Parlamenti editum, & erectum,* cap. de prædicatione verbi: *quo Theologi istius gentis, ob concionandi praxin præ omnibus celebres, observata sua simul contulerunt: sed & ipsarum concionum auditionem sedulam, atque lectionem; unde tum proprium judicium de optimâ methodo sibi colligant, ac forment studiosi; neque temere Rev. D. Streso hoc technologiâ suâ Theol. fatetur se unice intendisse, ut istam* Anglorum practicam *feliciter deprehenderet, atque aliis communicaret; adeò præ omnibus meritò se commendat.*



COROL-

COROLLARIUM AUCTORIS,



Nnon ex usu Ecclesiæ foret, Candidatos Ministerii etiam admittere ad Conventus Ecclesiasticos, ut Auditores? Sicut in senatu Romano, olim Senatorum filiis licuit, Sueton. in Augusto cap. 38. *libris Senatorum, quò celerius R. P. assuescerent, curiæ interesse permisit.* Et apud Judæos in summo Senatu Jerosolymitano, Sanhedrin etiam Candidati sedebant. Mischana *Sanhedrin* cap. 4. §. 4. ג׳ שורות של ת״ח *Tres discipulorum*, sive *Candidatorum ordines coram illis sedebant.* Quibus vel licuit aliquando interpellare, quod nos docet Moses Mikkotzi præc. aff. CVII. גם תלמיד *etiam discipulus sedens coram judice, si videat innocentiam pauperis, & culpam divitis, tacere haud debet.* Aff. prout Theologi Zelandi judicabant in Synodo Dordrac. Sess. XVIII.

ERRATA CORRIGENDA.

PAg. 19. lin. 12. lege atque. p. 36. l. 13. *revelans*. p. 41. l. 23. imitationem. p. 48. l. 4. *post* filium *adde* illum Dei ; & ut credentes *vitam habeatis* per nomen. p. 79. l. 4. à f. ἐναντιωφανῆ. p. 102. l. 15. vafro. p. 123. l. 26. citra. p. 128. l. 21. hominem. p. 147. l. 14. cognoscentem. l. 15. revereamur. p. 164. l. 3. Photinianismus. p. 169. l. 5. inenarrabilibus. l. 8. gemere. l. 22. personis. p. 179. l. 28. veneunt. p. 182. l. 33. prævisa. p. 194. l. 6. custos. l. 16. mare. p. 201. l. 3. à f. potuit. p. 215. l. 12. Gene- p. 216. l. 1. ut. l. 8. extremo. l. 9. extremum. p. 222. l. 21. perficeret. p. 359. l. 3. à f. uxorem. p. 390. l. 7. 13. pro 8. p. 394. l. 11. 12. pro 7. l. 28. 1 Joh. p. 395. l. 11. *infligens*. p. 399. l. 19. censitæ. p. 409. l. 7. à f. çaro. p. 418. l. 6. à f. ista. p. 430. l. 18. 15. pro 11. p. 467. l. 9. destinatum. l. 10. regia. p. 506. l. 24. Dei. p. 514. l. 18. ipsa. p. 526. l. 3. à f. 1. 17: 2. 10. p. 538. l. 26. simpliciter. p. 558. l. 29. Θεωπνεύστως. p. 593, l. 25. 11. pro 2. p. 704. l. 25. sit. p. 766. l. 4. à f. honesti.

